-A
20

9
1 M
19

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

9-7-A-20

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICA
GESTORVM
IN
EVROPA
SINGVLARIVM:

A

PAVLO PIASECIO
EPISCOPO PRÆMISLIENSI,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Accurate ac fideliter conſcripta

ad Annum Chriſti, M D C XLVIII.

Ad utilitatem publicam divulgata,
& Typis expreſſa.

Bibliothecæ Soc. Coll. Rom. Soc. Jesu

Cum Gratia & Privilegio S. R. M.

Juxta Exemplar impreſſum
C R A C O V I Æ,
Et poſtmodum ab ipſo Auctore proprie
manu correctum & auctum.

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI TYPOGRAPHUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FOrte inciderant in manus Typographi cujuſdam Cracovienſis iſta PAULI PIASECII Viri Pontificali dignitate ac magis eruditione conſpicui CHRONICA, quæ ipſe manu tantum deſcribi & non niſi familiaribus ſuis patere voluerat: Verum ille iniquiſſimum fore judicans in privato illa occultare, uſuique publico ſubtrahere, prelo ſubjecit opus tam præclarum: exiſtimabat enim, in eo omnium Chriſtianorum Dynaſtiarum hujus ſæculi ſtatum tam fideliter, accurate, modeſta puri Latini ſermonis elegantia adjuncta, eſſe deſcriptum, ut ex ejus lectione univerſorum in Europa hoc tempore geſtorum ſeriem facile cognoſcere, non minoremque utilitatem, quam delectationem ex notitia tantæ varietatis graviſſimo-

rum Politiæ negotiorum percipere poſſis. Accedit, quod externi Scriptores, parvam curam, minoremque peritiam habent rerum Polonicarum, quæ tamen hîc longo uſu ſolertique veritatis indagatione probatæ, compreſſius quidem, ſed ſtylo perſpicuo, ſincere, ingenueque referuntur. Auſus fuit hæc Typis ſuis exprimere, ac divulgare, ut Tuo, communique omnium Hiſtoriæ ſtudioſorum commodo, & cumprimis Gentis Slavonæ utilitati conſuleret; nec injuriam fecit Authori, qui inde non aliud niſi à Te gratias, & apud poſteros gloriam, nominiſque ſui immortalitatem ſit conſecuturus. Illud autem exemplar à Cracovienſibus editum poſtea ab ipſo Auctore correctum variiſque in locis auctum ad me cum perveniſſet, & multum Poloni ut in lucem darem efflagitarent, publico deeſſe nolui. Paginam tamen unam aut alteram in fine adjeci eorum quorum vera cognitio latuit auctorem, cujus textum ubique integrum reliqui, & tibi liberum cui fidem adhibere velis. Hoc ſcire te volui & vale.

APPRO-

APPROBATIO.

E*Go Jacobus Vitellius S. T. D. Eccleſiæ Sancti Floriani Canonicus, interea Academiæ Cracovienſis Rector, Librorum ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo* D. PETRO GEMBICKI *Epiſcopo Cracovienſi Academiæ Cancellario, Deputatus Cenſor, Hoc Opus Hiſtoricum ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo* D. PAVLO PIASECIO *Epiſcopo Præmiſlienſi, accurate elaboratum, legi diligenter, & revolvi: Cumque nihil in eo quod Fidei Catholicæ aut moribus honeſtis oppoſitum ſit; quin etiam conſequentis poſteritatis de ſtatu præſenti, & fortunæ varietate, bellorum ac Regnorum fluctibus, prudentia Hiſtorica, & ſtylo culto plenam reperi inſtructionem; Ideo ut bono publico in lucem exeat & Typo imprimatur, dignum judicavi. In cujus rei fidem manu mea ſubſcribo. Datum è Collegio Majori Academiæ Cracovienſis, die nona Novembris, Anno à partu Virginis,* 1645.

Idem qui ſupra

M. Jacobus Vitellius S. T. D.
in Academia Crac. Rector.

Digitized by Google

ELOGIVM HISTORIÆ

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini,

D. PAVLI PIASECKI, EPISCOPI PRÆMISLIENSIS.

Miranda ſeris geſta Nepotibus
Et fluctuanti ſorte volubilem
Europam, & alternantis orbis
Per ſua fata dolenda curſus,
Quiſquis ſciendi ſollicitus; voles
Sic noſſe, præſens ut penitus Tibi,
Ceu facta quondam in ſe fuiſſent
Atque oculis videare adeſſe.
Hæc geſta Præſul divitis ingenî
Felice vena, narrat & inſtruit,
Quæ ſubſequenti profutura
Tempore, perpetuo perennent.
Nil veritatis flexit ab orbita,
Palpoque prorſus, nec minimum datum,
Verum æquitatis lance cuncta, &
Iudicio trutinata recto.
Ægreſcit audax livor, & in ſuo
Se felle rodit, fulmineos rotat,
Stringitque dentes, ſed veneno
Ipſe ſuo interit, & necatur.
Nam dignitatem Præſuleam nihil
Arrodet unquam. PIASECIVM inclyta
Clarabit orbi fama toti,
Vt libet invidia fremente.
Hic unus alto gloriæ in eſſedo
Tolletur: ejus Neſtoreo favo
Imbuta ſcripta, ævo perenni
Docta per ora virûm ferentur.
Par eſt ſtupori: tam celebri in loco
Mitra verendum Pontificis, tamen
Vſque huc, labori litterarum
Immori, & accelerare canos.
Annalium te, doctaque Praxeos,
Oblivioſo fama ſitu eximet:
Æternitati inſcribet ipſi,
Perpetuo memorande Præſul.
Livor flagellum ſentiet, ut Tuam
Splendere cunctis Hiſtoriam audiet:
Rumpetur allidetque calces,
Ipſa ſibi, invidioſa Erynnis.

M. Ioannes Rácki Rhetoricæ in Vladiſlaviano Collegio Profeſſor.

IN

IN LIVOREM.

De Hiſtoria Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini,

EPISCOPI PRÆMISLIENSIS.

LIvor maligni pectoris impotens
Tyranne, verus prodigialium
Frater ſororum: quem mariti
Conſcia nox Erebi pudendum
Monſtrum creavit: quale nec Africa
Sub æſtuoſis arva trionibus
Fudêre, ſolers nec domandum
Ipſa ſuo potuit privigno
Nutrire Iuno. Sæva quid intimam
Venam citatis flamma caloribus
Tibi fatigat? viperarum
Quidne truci maducre torvæ
Liquore fibræ? Cernis ut igneæ
Lucis cavernas circulat impete
Miro, & furens nunc colla jactat,
Nunc ſuperis inimica Dipſas
Torvum tuetur, merſáque terreo
Rictum profundo latrat, & aggemit,
Et felle diffuſo Lycambi
Congenitam vomit ore bilem?
O qui decora pulchra cupidine
Theatra laudum poſcis, & inclytus
Audire victor, ſterne monſtrum
Tartareæ cumulum catervæ.
O non profani nominis Hercules
Pacator orbis! pulvere quis Tuo
Phœnix reſurgat? Annuentes
Iam ſuperi micuere, votis.
Salve Polonis cælitus Hercules
Liventis ultor magne proterviæ
Præſul PIASECI. ô magna Veri
Anchora ſolicituſque Recti
Iuriſque cuſtos. Tu calamo pedum, &
Librum Tiaræ fœdere proſpero
Conjungis unus, atque calcas
Invidiæ mala belluoſa.
Nam cum fatiſcentis lacrymabiles
Mundi labores, atque furoribus
Protruſa diris bella mandas
Virgineæ monumenta chartæ,
Rurſumque leni mitior impetu
In pace ſecreti abdita conſilî
Cætus reducis, & peracta
Sauromatis revocas trophæa;
Tunc invidenti triſte tumet jecur
O felle quanto. quantaque toxici
Crux iſta Livori propinat
Pocula, Tartareique potus!
Europa veris picta coloribus
Triaſque Regum, geſtaque Principum
Pridem videri digna, nuper
Cum reſonis animata prælis
Irent ſub auras; ecquis Anonymos
Hæres nigranti de grege Cyclopum
Phlegrea proles, vile noctis
Furfur & Alpha tenebrionum
Auſus Theonis dente volumina
Tentare docti Præſulis inclyta, &
Amica vero ſcripta, ſtipes
Per ſpuriam lacerare chartam?
Vis conſilî expers mole ruit ſua, &
Vim temperatam Dî quoque provehunt.
At, nigra nigras ſe recepit
In tenebras tenebræ propago.
Qualis nitorem tractus ab Hercule
Vt hauſit axem Cerberus aureum
Nictabat umbris educatus
Et Stygias remeabat oras.
At Tu Polonis perge petentibus
O magne Præſul dicere ſæcula
Fœcunda rerum, & luce vivax
Hiſtorica Lechiam ſerena.
Hinc Te merentem clarior, & Tuam
Vehet trecentis fama curulibus
Virtutem, & excelſis Minervam
Inſeret Aſtricolis ſodalem.
Porro, propago noctis & inferi
Tu Mome Ditis, dentibus in Tuum
Armare corpus, nixus olim
In ſuperos agitare pugnas.
Quin docta laudat quando PIASECIVM
Vox, Mome ramum quære ubi pendeas.
Vnumque jacta, Præſulis quod
Fama, tibi Tua fata monſtret.

M. Matthias Zyſzkiewic, Collega Minor.

IN HISTORIAM
PAVLI PIASECII.

ELoquii candorem, Faſque, fidemque, decuſque,
  Grandis PIASECI continet Hiſtoria.
Præſule dignum opus eſt, veris annalibus orbem
  Complere, & factis præmia juſta dare.
Perfide, fruſtra acuis rabioſum Zoile dentem,
  Hæc pia ſuſpiciet, munera, poſteritas.

M. Ioannes Cynerski Rachtamo-
vius, ad S. Flor. Can.

Digitized by Google

PAVLVS PIASECIVS
EPISCOPVS PRÆMISLIENSIS,
IACOBO PIASECIO
ABBATI CLARÆTVMBÆ,
MAGNI VLADISLAI IV,
REGIS POLONIÆ ET SVECIÆ,
SECRETARIO NEPOTI S. S.

Accipe grate Nepos, quæ poſt mea fata revolvas.

Nec te fallant, qui ſub titulo Hiſtoriæ non tam res geſtas ævi noſtri, quam Panegyricos ſcripſerunt, & prout quiſque odio vel favore in alterum propendet, ita ſtylum quoque ſuum temperavit, ut fortibus ignaviam, ignavis fortitudinem tribuerit; laudem immeritis, & culpam innoxiis affinxerit, omnemque ſæculi iſtius viciſſitudinum ſeriem, nonniſi propriæ ſententiæ accommodarit, ingenti veritatis diſpendio. Vel ſi malis, cauta induſtria veriora diſcernas: ſi etiam libet cum errantibus erres, ego hîc mihi canam & Muſis, ac ſingulariora prout obtigerunt adnotabo, remoto elegantiarum Rhetoricarum colore, quo omnis abſit fucus. Imo nec Hiſtoricum quidquam, præter ſinceram puramque factorum illuſtriorum deſcriptionem hîc requiras: alia enim Hiſtoriæ lenocinia prudens omitto, ut argutiores ſententiarum concluſiones, nominum, rerumque origines à longe derivatas, cauſæ conſiliorum & eventorum indagationes curioſiores, quæ magis exprimunt animi affectum ſeu ingenium Scriptoris, etſi orationem ornant, illo ornatu adulterant rei veritatem, ſemper gratiorem dum ſuomet candore genuino niteſcit.

Hiſtoriam laudationibus fieri mendoſiorem ait Cicero.

Talis autem erit ratio hujus inſtituti, quod nonniſi mei temporis memorabilia, quæ diligenti ſtudio ex relationibus non ſu-

ſpectis conquiſivi, & plura quibus egomet ipſe interſui, ſingula in ſuis annis ſignabuntur. Iſtorum vero principia quæ meam memoriam ſuperant, ex commentariis fidei probatæ ſummatim collecta præcedent, quo melius totius narrationis cohæreat argumentum. Vnde primum acta antecedentis ætatis in compendium contracta ſub Imperio Regis Poloniæ Stephani ponentur, deinde mea coæva ab initiis Regni Divi Sigiſmundi Tertii diſtinctius in ordine annorum ſuccedent.

Stephanus Battori Principatum Tranſilvaniæ obtinuit A.C. 1571.

VT igitur incipiam à Rege Poloniæ Stephano: Is gente Vngarus Stephani Battor de Somlio (ſunt alii Battorei de Battor) Palatini Tranſilvaniæ ex Anna Telegdi filius, primum ob inſignem in re militari ſolertiam, poſt Ioannis Sigiſmundi ex Iſabella Polona Ioannis I. Vngariæ Regis filii Tranſilvaniæ Principis mortem, favore Prætorianorum & exercitus Provincialis, cui ejus frater Chriſtophetus Battor tunc præerat, rejecto æmulo Gaſparo Bekeſſio, Principatum Tranſilvaniæ, Anno Chriſti 1571, 21 Maji obtinuit: & deinde rem ipſius promovente Samuele Zborowski ſub illud tempus apud eum in Tranſilvania exulante, Rex Poloniæ fuit electus die 15 Decembris, Anno Chriſti, 1575. poſtquam Rex Henricus Valeſius Gallus ſexto à ſuo in Poloniam adventu menſe deſeruerat hoc Regnum, defuncto ſub finem menſis Aprilis A.C. 1574. ætatis ſuæ 24. ſterili fratre ſuo germano Carolo Nono Galliæ Rege, ad ſucceſſionem illius Regni vocatus.

Carolus IX. Gall. Rex moritur 1574.

Stephanus Battori eligitur Rex Poloniæ A.C. 1575. die 15 Decemb.

Et quidem ſub illo Interregno diviſis Procerum Nobiliumque ſtudiis factio Zborovianæ adverſa elegerat alium Regem Poloniæ, nempe Maximilianum II. Imperatorem Rom. ſed dum iſte diutius deliberat, & Legatos ex Polonia ad ſe miſſos Viennæ Auſtriæ lento tractatu ſuper conditionibus ſuſcipiendi Regni, & de Anna Reginula Poloniæ filio ſuo Archiduci Erneſto in matrimonium collocanda remoratur, Stephanus celeritate utendum ratus, ut primum pacta in Comitiis Electionis Regiæ Varſaviæ 14 Decembris 1575, conſcripta, & à Legatis Ordinum Poloniæ ſibi propoſita ſtabilierat, ac jurejurando Meggieſii 8 Februarii, A.C. 1576. firmaverat, magna feſtinatione in Poloniam veniens, ineunte menſe Aprili ejuſdem Anni 1576. Cracoviam Regni Sedem primus occupavit, & actis ibi Generalibus Ordinum Poloniæ ac Lithuaniæ Comitiis, ſuſcepit Coronam & inſignia Regni ſolenni ritu, ſacra tantæ cerimoniæ procurante Staniſlao Karnkowski Epiſcopo Vladiſlavienſi, eo quod Iacobus Vchanski Archiepiſcopus tunc Gneſnenſis Primas Regni, cujus hoc muneris eſt, Maximiliani partes ſequeretur. Peracta autem Regia ſua inauguratione, Rex Stephanus mox omnes adverſæ partis molitiones ſubvertit: Præſidium Alberti Laski Palatini Siradien. pro Maximiliano Arcem Lanſcoronam Cracoviæ vicinam, & multum infeſtam, cuſtodiens, intra paucos dies ad deditionem coëgit, armatorum turmas per Poloniam pro Maximiliano conſcriptas diſſipavit, ut ante iſtius anni 1576. finem omnes Poloniæ Proceres relicto Maximiliano in ejus obſequium conceſſerint; etiam Primas Regni, qui cum Lovicii obſirmato pro Maximiliano animo hæreret, tandem intellecto quod ipſemet Rex Stephanus Varſavia Lovicium, & quidem cum militari manu ejus declarationem requiſiturus venire propoſuiſſet, cunctatione omni ſepoſita, prævenit accurrens Varſaviam, ibique reconciliatus Regi jusjurandum fidelitatis præſtitit, ac ejus exemplo cæteri Epiſcopi, qui omnes fere

Stephan. Rex coronatus, Anno Chriſti 1576.

Vchanski Archiep. Gneſn. cogitur jurare fidelitatem Regi Stephano.

præter

præter Vladiſlavienſem, Auſtriacis faverant, ad fidem obedientiamque Regis redierunt; Solus Staniſlaus Czarncovius adverſarum partium Legatione ſuſcepta apud Maximilianum Imperatorem hærens, eum ad perſequendum armis jus electionis ſuæ incitare non deſiſtebat; tulitque contumaciæ talis ſuæ juſtas pœnas, abdicatus propterea Præfectura Plocenſi ad Staniſlaum Criſcium Palatinum Maſoviæ, & officio Referendariæ Regni, ad Nicolaum Firley Caſtellanum Biecenſem tranſlato. Et cum poſt mortem Maximiliani Imperatoris ſequeſtro fratre ſuo Alberto Czarncovio Præfecto generali majoris Poloniæ veniam apud Regem Stephanum impetraſſet, paulo poſt iterum innovandis rebus deprehenſus, majorem jacturam ſenſit, irrita facta à Rege adoptione (Coadjutoria uſitato nomine) ſua ad ſucceſſionem poſt Vchanſcium in Archiepiſcopatum Gneſnenſem, & Znina amiſſa, quam ex adoptione eadem poſſederat. Civitas Gedanenſis aliquandiu reſtitit, illecta ſpe conſequendarum à Maximiliano Imperatore majorum libertatum, quas illo etiam mox defuncto vindicare, ac uſque & armis extorquere nitebatur. Sed hanc quoque Stephanus Rex, ad obſequium in brevi revocavit; celebratis enim menſe Octobre ejuſdem anni Toruniæ Comitiis, Gedanenſes criminis perduellionis reos declaravit, proſcripſit, ac omni commercii cum Regnicolis jure privavit. Cumque nihilominus illi in ſententia perſiſterent, & neceſſaria ad defenſionem Civitatis ſuæ, vaſtato Monaſterio Olivenſi compararent, contumaces armis compeſcuit, 13 April. Anni 1577, fuſis eorum copiis, quas ex Germania collectas, & tanto auſo omnino pares, bipartitis caſtris circa pagum Lubiſow infra Dirſaviam collocarant. Compulſi enim amiſſo exercitu intra Civitatis ſuæ mœnia, & fortiſſime à Polonis oppugnati, cæſo Ioanne à Kollen, quem ſibi Ducem veteranum ab Electore Saxoniæ impetraverant, tandem precibus Procerum Regni, & Electoris Saxoniæ, ac Brandeburgici devinxerunt Regem, ut parceret Civitati ſuſcipienti ſubjectionis conditiones, quæ illi initio iſtius belli fuerunt propoſitæ. Quarum præcipuæ erant: quod Magiſtratus illius Civitatis culpam ſuam ex formula ſcripto concepta deprecarentur; militem dimitterent; coram delegatis à Rege Gedanum mittendis jurarent ſubjectionem Regi & Reipub. vectigalis maritimi augmentum ſub Rege Auguſto factum, fiſcoque Regio addictum (à Sigiſmundo I. Rege Poloniæ pro impenſis ad conſervandum illum portum inſtitutum vectigal dimidii floreni à nonaginta florenis de mercibus eo commeantibus, auxerat duplo, aliumque dimidium florenum de eiſdem nonaginta florenis pro uſu fiſci ſui fecerat exigi Rex Auguſtus, ex occaſione turbarum Gedani A.C. 1569. contra ipſius Miniſtros excitatarum) ne ſupprimerent, uti conabantur, ſed integrum exigerent, redderentque ad ærarium Regium: Modum ingreſſus in civitatem Regi non præſcriberent, ejus arbitrio relicto, quomodo ſub illud tempus præſentiæ ſuæ in Civitate ſecuritati omnium providere deberet: Onerum de quibus conquerebantur moderationem in Comitiis Regni (demum in Anno Chriſti 1585, die 26 Febr. in Comitiis Varſaviæ obtinuerant ab eodem Rege diploma, in quo circumſcriptæ fuerunt eorum obligationes & libertates) generalibus peterent. His igitur conditionibus addita mulcta centum millium nummorum aureorum Regi, & viginti millium aureorum (florenorum uſitato vocabulo hocque in poſterum utemur) impenſa pro reſtauratione Monaſterii Olivenſis (ultra plura nomina debitorum mercatoribus illius Civitatis in diverſis Poloniæ locis obligatorum, & in fiſcum interim Regium redactorum) Rex Mariæburgi, ubi quatuor menſibus propter negotium aſſignandi curatorem Alberto Friderico mente ægro Pruſſiæ Duci ſubſtiterat, proſcriptionis in eos decretum abrogavit, & eorum Privilegia confirmavit. Fertur ſæpe conqueſtus fuiſſe de Proceribus, ad quos (Petrus Zborowski,

Czarncov[...] Auſtriaci[...] addictus [...] pœnas.

Gedanum [...] pugnavit [...] Poloniæ Ste[...]phanus 1577.

Gedanenſi[...] conditiones [...] deditionis [...] ta à Rege [...]

Gedani ve[...]ctigal mari[...]mum Polon[...] Rex inſtitu[...]

 Palati-

Palatinus Cracovienſis, & Ioannes Zborowski, Caſtellanus Gneſnenſis, præcipuas Præfecturarum militarium functiones in illa expeditione obibant) Gedanenſium nuncii ſpecie tractandæ deditionis auro in lagenis vini occultaro onuſti aſſidue commeabant, ut dictitare ſoleret ſe plumbeis, Gedanenſes vero aureis jaculis pugnare. Aſſignaverat autem curatorem cum titulo Ducis, ægro Duci Pruſſiæ, proximiorem ipſius agnatum Georgium Fridericum Brandeburgicum Principem, recepto ab eo jurejurando fidelitatis, Regibus Poloniæ præſtandæ, & cum cautione, ut nonniſi indigenis Pruſſiæ Præfecturas & Magiſtrarus illius ditionis committeret: ægro Duci neceſſaria pro dignitate ejus perſonæ ſubminiſtraret, uxoris ipſius Mariæ Leonoræ Iuliacenſis jura dotalia illæſa ſervaret, etſi æger Dux ad ſanitatem rediret, vel prolem ſuſciperet, poteſtas adminiſtrationis Ducalis Pruſſiæ plena ipſi reſtituenda eſſet.

Stephan. Rex Polon. dat curatores Duci Pruſſiæ ægro. 1577.

Electoris quoque Brandeburgici Legati Vexillum inſigne iſtius Fiduciæ, ſimul (quaſi eodem jure ſucceſſionem ejus ſpectantes) contingebant, dum à Rege traderetur Georgio Friderico, licet Nobilitas Pruſſiæ obnunciaret, non omnem ſtirpem Brandeburgicam comprehendi in formula hujuſmodi fiduciæ, à Sigiſmundo I. Rege Poloniæ Alberto I. Duci ex Familia Anſpachiana tradita. Hæc tamen quæſtio tunc neglecta, poſtmodum à Sigiſmundo III. Rege Poloniæ, A.C. 1609, & 1611, circa traditionem ejuſdem Fiduciæ Ioanni Sigiſmundo Electori Brandeburgico fuit definita, ea ratione quod in ea nonniſi iſtius Electoris & ejus fratrum germanorum Ioannis, Georgii Iegerndorfenſis in Sileſia Ducis, ac Erneſti, & Chriſtiani Vilhelmi Archiepiſcopi Magdeburgenſis, legitimi filii mares ſuccedere debeant, rejectis Culmbacenſibus, Onaldinis, cæteriſque Franconianis, ad quos illa primæva Sigiſmundi I. Regis cum Alberto Anſpachio conventio nullatenus referri poteſt.

Pruſſia feudum ad quam ſtirpem pertinet.

Quod vero attigimus de mortuo interim Maximiliano Imperatore, deceſſerat Ratisbonæ duodecima menſis Octob. anni 1576, dum ibi Comitia Germaniæ celebraret. Henricus autem Rex ut ſecreto, nemineque Polonorum Procerum conſcio fugienti ſimilis Cracovia exceſſerat, die 18 menſis Iunii, A.C. 1574. Viennam recta tranſivit, ac ibi Imperatore Maximiliano ſalutato, & Polonis (aliqui ibi eum aſſequuri fuerunt, ſed perſuadere ei non poterunt ut rediret) diſceſſus ſui cauſis præſcriptis, Venetias, inde vero per Sabaudiam in Gallias pervenerat. Et poſtquam iniit poſſeſſionem illius Regni, miſſis ultro citroque Legationibus diverſis, cum Polonis egit, ut eum Regem ſuum agnoſcerent, perſiſterentque in ipſius fide: ſed cum nil proficeret, illis Regem in Polonia nonniſi præſentem regnare poſſe reſpondentibus, tandem accepto quod in ſuum locum alius fuiſſet ſuffectus acquievit, majoribus domi difficultatibus irretitus, quam ut Polonicis quoque tanto terrarum intervallo diſſitis conſulere valeret. Atque ita Stephanus Rex & domi & deforis undique ſecurus Regni, totum ſuum ſtudium ad implenda boni Principis munia applicavit. In quorum partibus omnibus æqualiter excelluit; & ſi pacis artes, ac bellica ipſius fortitudo comparentur, vix liquet quænam præferri deberet. In jure reddendo æquitatis, ſine ullo perſonarum reſpectu, fuit tenaciſſimus: legum cum ſingulari linguæ Latinæ elegantia ſcientiſſimus. Vnde ſæpius cum Senatores aſſidentes judicanti, ex more primi ſententiam dicerent, & in dubiis hæſitarent, vel etiam favore nutarent, ultimus Rex cauſæ meritum ad juris regulam reducere explicareque ſolebat, & ſententias quandoque jubebat iterari, atque ita demum decernebat. Præcipue autem æquabilitas ipſius in diſtribuendis beneficiis prædicatur; ea enim nonniſi in bene meritos diſpenſare ſolebat, & ſi quem ſive ſacerdotalis, ſive militaris ſtatus aliqua virtute præcellere cognoſcebat, etiam nullo miniſtrorum Aulæ (quorum muneris hoc

Maximilianus Imper. moritur 1576, 12 Octobris.

Henricus Rex deſerit Regnum Polon. 1574, 18 Iun.

Stephani Regis æquanimitas.

hoc eſt) commendationem interponente, ſponte ſua, nec raro ignaris, & quidem non mediocres dignitatum, & officiorum gradus deferebat. Sed brevi incurrit propterea odia graviora, præſertim apud Zborovios, qui cum in ejus Electione majorem præ cæteris operam præſtitiſſent, ex voto ſuo adminiſtrandum Regnum, & maxime beneficia diſtribuenda fore ſperabant. Et cum nonniſi partium ſuarum perſonas ac officia promovendas obtruderent, contrariarum partium quamvis meritiſſimos deprimerent, Rex naturâ in virtutem propenſior, eorum commendationes poſthabere cœpit: Maximum autem fomentum offenſarum inde proceſſit. Obtinebat tum Supremum Cancellariatum Regni Valentinus Dembinski, vir ætate provecta, pene decrepitus, & illi muneri exercendo vix jam idoneus. Is itaque ſolicitabatur à Zboroviis, ut ſe abdicaret tali Magiſtratu, & acciperet dignitatem Caſtellaniæ Cracovienſem. quæ primum locum dat in Senatu, & à morte Sebaſtiani Mielecki tum forte vacabat, ac cum ille nihilominus in illo retinendo perſiſteret, uſque injuriis ſenem exagitabant, ut tandem ſuſceperit titulum Caſtellani Cracovienſis. Expugnato itaque Dembinio, ſecuri quod Rex eorum voluntati obtemperaturus eſſet, ad id officium promovendum deſignabant Ioannem Zborowski, militiæ magis quam tali functioni idoneum. At Rex hoc præſentiens, devitandumque putans, ne in faciem ipſis reſiſteret, & aperta repulſa eos offenderet, priuſquam intercederent pro illo fratre ſuo, præter omnium expectationem, illo Cancellariatu ex more Vicecancellario Petro Dunin Wolski (fertur Rex Henricus audiens Senatus ſententias cui deferendus eſſet Vicecancellariatus, inſigne ejus ſigillum verſando ſubſiliente manu, repente acclamaſſe: *Monſiur Wolski*, illudque huic à longe per confertam Aulicorum turbam ægre perrumpenti tradidiſſe, præter opinionem omnium) delato, contulit Vicecancellariatum Ioanni Zamoyski, viro, ingenio, conſilio, & manu prompto, ac cum primis civilium politicarumque literarum ſcientia claro, ut illi ſoli tantus Magiſtratus opinione omnium tunc deberi videretur. Simularunt tamen Zborovii eam offenſam, quæ aliis aliiſque ſimilibus aucta incitamentis, paucos poſt annos gravius in apertum erupit, ut infra mox attingemus.

Stephani Regis offenſarum initia.

Zamoyſcio defertur officium Vicecancell.

Nunc prius geſta iſtius Regis bellica delibemus. Dantiſcanis ad officium revocatis contra Moſchum eo uſque damnis Poloniæ Regno illatis inſoleſcentem arma converterat. Ademerat enim iſte olim Lithuaniæ & Kijoviæ Smolenſcum ac Severienſem Provinciam, & temporibus Auguſti Regis Livoniam Eſtoniamque; demum vero Polociam cum toto illo tractu: nec ullis juſtis mediis induci poterat, ut ſponte cederet, quæ injuria occuparat. Bello autem contra ipſum in Comitiis Regni publicato, primo Polociam Rex Stephanus recuperare voluit, ut quæ vicinior Vilnæ immineret, & recepta, diuturniori bello contra illum hoſtem ducendo pro commeatu, & apparatu bellico conquirendo, impedimentiſque; deponendis ſedes opportuna videretur. Itaque ſub finem menſis Iunii, anni 1579, Vilna egreſſus, luſtratas apud Suirum copias Polociam duxit, præmiſſo Chriſtophero Radziwil, Præfecto militari Lithuanico cum equitatu Lithuanico, qui obvia in itinere Caſtella, *Kozian*, *Sitno* & *Kraſne*, celeriori irruptione ac incendio vaſtavit, Polociamque prope confidens, omnes ejus aditus intercluſit. Rex ipſe cum exercitu Polonico, cui præerat Nicolaus Mielecki, Palat. Polodiæ, & cum peditatu quinque millium Vngarico tardius ob continuos imbres incedere coactus; demum die 2 Auguſti eo pervenit, poſitiſque caſtris, ac parte exercitus ad adverſam ripam fluvii Polocza tranſmiſſa, in tribus locis qua Civitas commode oppugnari poterat, aggeres & vineas excitari, machinaſque fulmineas indirectas vibrari juſſit; quarum vi intra paucas horas rejecti à propugnaculis

Stephan. R. Polon. Moſc. bellum infert A. C. 1579

 ſuis

Polocia oppugnatur.

ſuis Moſchi, poſtero die oppugnatoribus occupandam Civitatem reliquerunt, ipſi in arcem concedentes. Nec morati Poloni ad Arcem quoque expugnandam concurrunt, & exuſta Civitatis parte arci proxima, munitiones & foſſas prope portam arcis promoverunt labore immenſo, & per aliquot dies parum fructuoſo, cum inter denſa bombardarum ab obſeſſis emiſſa jacula, & pluviarum aſſiduarum moleſtias in madente ſolo natura vliginoſo, vix veſtigium tenere, ne dum operas agere, vel contra hoſtiles munitiones pugnare poſſent. Donec 29. Auguſti die aliquanto ſereniore, majore vi oppugnationem aggreſſi incendium à duabus partibus arci intulerunt, & exuſto propugnaculo clivo arci imminenti ſuperpoſito, certatim ardua ejuſdem clivi, alii autem ab alia parte profundiores foſſas, alii flumen Polocza ſuperantes, per medias flammas, & obſtinatorum defenſorum tela in arcem irruebant. Et licet tunc flammis non minus oppugnatores quam defenſores lædentibus, receptui canere fuerint coacti; inſequenti die tamen repetita irruptione, dum hoſtis à fronte circa mœnium hiatus pridiano illo incendio apertos defendendos anxie decertat, à tergo clivum in quo nuper propugnaculum fuerat exuſtum aſcenderunt, & inde crebrioribus exploſis jaculis, eodem impetu ad imas arcis munitiones delapſi eas occuparunt. Atque ita præſidiariis undique coanguſtatis, Rex veritus, ne deſperata ſalute incendium reliquæ arci, ac inſtrumento bellico quod ibi multum erat injicerent, conditiones deditionis obtulit, ut cuique quo vellet cum ſuis impedimentis incolumi abire, vel inter Polonos ſtipendia mereri liceret, præter præfectos, quorum præcipui Baſilius Knias Mikolinski, Demetrius Michaylowicz, Moczorowski, Okolinski, Volinski, qui in cuſtodiam ſunt traditi. Ex ſex millibus autem præſidiariorum qui ibi erant, in diverſis conflictibus fuerunt cæſi bis mille, ex Polonis nonniſi centum deſideratis. Rex 1. Septemb. arcem ingreſſus, in ejus templo hymnum gratiarum cantari fecit, & quo locum non armis ſolum, ſed & Religione in futurum ſtabiliret, Monaſterium Religioſis Societ. Ieſu ibi fundavit. Interim Nicolaus Mielecki cum parte copiarum ad arcem *Sokol* iverat, & poſt oblatam præſidiariis ſecuritatem ſalutis, ſi ſe dederent, cum illi potius vim experiri mallent, admoris tormentis eos oppugnavit, pertinaciuſque non ſine damno oppugnatorum reſiſtentes, tandem injecto propugnaculis ligneis igne, omnes una cum arce delevit. Eorum exemplo territa *Iaroslavia*, *Suſſa* & *Turowla* deditionem fecit, ac totum Polocenſe territorium in poteſtatem Regis rediit, decimo ſeptimo anno, ex quo à Moſchis fuerat interceptum. Advenerant autem non multo poſt ad Regem Legati à Duce Moſchoviæ pacem petentes, ſed rejecti ad Comitia Regni Generalia, quæ Rex Varſaviæ ad finem iſtius anni indixerat, cum ibi quoque reſtitutionem Severiæ & Livoniæ denegarent, altera expeditio in Moſchoviam fuit decreta. Vnde finitis Comitiis menſe Ianuario, anno 1580, primo Vere Rex in Lithuaniam rediit, medioque Iunio Vilna movens parvis itineribus, ut copiæ præſertim pedeſtres conſequi poſſent, hoſticum verſus proceſſit. Ac recta petendam Livoniam nonnulli ſuadebant, pro qua potiſſimum recuperanda, bellum illud fuit ſuſceptum; ſed cum ibi rei bene & celeriter gerendæ multa obſtarent, niempe Caſtella muro firmiori munita, & arces frequentes expugnatu difficiles, præſertim ſub propugnatoribus Moſchis, qui in pugnando pro vallo & foſſa multum præſtant, campeſtri prælio minus utiles, meliori compendio utendum Rex ratus, Wielkoluki hoſtilem Civitatem prius aggrediendam decrevit, pro qua uti inſigni Moſchorum ab ea parte Emporio ac præſidio, magis ſolicitum Moſchoviæ Ducem ad decernendum prælio evocaret; vel ea capta omnem ipſi aditum ad ſubveniendum Livoniæ intercluderet, ſicque omni ſpe auxiliorum deſtituti præſidiarii Moſchi arces Livoniæ deſerere cogerentur. Eo itaque progreſſus

Polocia capitur à Polonis.

Sokol Arx capitur à Polonis.

Stephani Regis Poloniæ ſecunda contra Moſchos expeditio A. Ci 1580.

VVielkoluki Civitas Moſchica.

greſſus Rex Stephanus, cum decemocto millibus equitum, & decem millibus peditum, Oppidum Wielis, & Vſwiatam in proximo itineris ſitum, ne inde Moſchi excurrentes terga exercitus ſui carperent, vel pabulationes impedirent, primum oppugnari juſſit, miſſo Wieliſam Ioanne Zamoyski, Cancellario Regni, cum ſeptem millibus armatorum, & Vſwiatam Nicolao Mielecki cum alia exercitus parte; Wieliſam itaque in citeriori Dunæ fluvii ripa ſitam Zamoyſcius ſuperatis inviis ſylvarum quartis Caſtris aſſecutus, ſtatim Arcem prope excitato aggere, corbes erigi, replerique terra, ne tormentis inter eos collocatis, arcis mœnia quati fecit, tranſmiſſa ad alteram ripam mille equitum turma ad prohibendum, ne quid ab ea parte ſubſidii obſeſſi reciperent: cumque vehementioribus tormentorum ictibus, convulſa ſepimenti parte ingreſſum in arcem aperuiſſet, & jam miles audacius irruptione facta, à pluribus locis incendium eo inferret, præſidiarii defenſione deſperata, pacti corporum & rerum ſuarum incolumitatem, deditionem fecerunt. Vſwiatenſes quoque cum exuſto Oppido in Arcem omnes confugientes, uno & altero die ferocius reſtitiſſent, poſtquam ſuperatis aquis arcem alluentibus, munitionibuſque & foſſis uſque ad portam arcis productis militem ad congreſſum expeditum viderent, dedita arce & ejus Præfectis, vitam & libertatem abeundi quo vellent à Mieleccio impetrarunt. Rex tunc apud Suraſum duobus inde milliaribus ſubſiſtens. Dunam lintribus contabulatis ſterni, & exercitum trajici curavit, & ſpreto caduceatore cum literis Moſchi petentis ut arma ſiſterentur, donec ejus Legati advenirent, ad videndam Wieliſiam, & Vſwiatam captam, cum paucis Comitibus tranſivit: ultra Dunam autem tranſmiſſis omnibus copiis, 20. Auguſti ad Wielkoluki proceſſit per ſylvas denſiores vix ſingulis eo uſque pervias, & per loca vliginoſa frequentibus paludibus ſtagnantia, ad quæ virgultis ſternenda, & vias latiores exciſis ſylvis aperiendas antecedebant copiæ Lithuanicæ, & cum iſtæ parum in perficiendis operis illis præſtarent, & tarde incedentes, pabula omnia abſumerent, inſequentibus nihil præter nudum ſolum relinquendo, Prætoriæ Regiæ peditum cohorti ea cura fuit commiſſa, quorum labore celerius patefacto tranſitu, 27. Auguſti totus exercitus eductus ex ſylvis in agro Wielkolukano convenit. Civitas ea eſt ampla, planitie fertili longe lateque circum patente peramœna, habitatoribus Moſchis, præſertim mercatoribus, qui cum Livonis & Germanis ultra Balticum ſinum habitantibus commercia tractant frequentiſſima, & natura loci munita, à parte Meridionali fluvio Lovat, ab aliis circum partibus late ſtagnis eam ambientibus. Arx vero erat foſſa profundiori circumducta, & loco muri, ejus paries ex immenſa in latum & altum roborum mole compaginatus, quem vallum contiguum ceſpititio vertice exæquans, firmum & ad omnem machinarum impetum immobilem reddebat, ut nulla vi alia niſi incendio labefactari potuiſſet. Præſidium quoque militare habuit ſatis validum, nempe ſeptem millium armatorum præter oppidanos, qui diffiſi munitionibus Civitatis, ea exuſta ne uſui eſſet hoſti, ad arcem defendendam omnes vires ſuas contulerant. Venerant autem in caſtra necdum oppugnatione inchoata Legati Moſchi Ducis, ſed 28 Aug. die colloquio apud Cancell. introducto, interrogati, quidnam tractare vellent? cum reſpondiſſent in commiſſis ſe habere, ne quicquam agerent, niſi prius Rex cum univerſo exercitu ſuo è finibus Moſchicæ ditionis abiret: non fuerunt admiſſi ad audientiam Regis, ac inſequenti mane totus exercitus ad oppugnationem neceſſaria ſumma feſtinatione comparabat. Zamoyſcius Cancellarius cum legione ſua in alteram fluminis ripam arci adverſam trajecerat, ibique aggeribus excitatis, machinas contra primaria arcis propugnacula bifariam erexit. Ab altera vero parte Rex foſſas prope arcem ducit, tormentaque contra hoſtiles muni-

VVieliſſam capit Zam[…] ſcius.

Vſwiatam capit Miel[…] cius.

VVielkolu[…] Civitatis ſitus.

Moſchi leg[…] tus ad St[…] Regem.

tiones dirigi fecit, & biduo in eo opere inſumpto, prima Septembris tormenta vibrari cæpta, quatuor diebus mœnia arcis quatiebant: ſed irrito eventu, cum parietes terra repleti, & vallo ſuſtentati, ictus pilarum tormentorum facile eluderent, & humo madentes incendium ſæpius illatum non reciperent, donec cuniculis actis unum propugnaculum everſum, ignem ex copioſiore pulvere nitrato ibi aſſervato concepit, & ſummo niſu teſtinguentibus illud Moſchis, alia parte ſubjectæ ſub veſperum parieti faces ſulphureæ, quæ multis horis latentes, humiditate ſoli extinctæ credebantur, media nocte oborto validiori vento agitatæ exarſerunt, moxque flammis inde dilatatis, tota Arx quinta Septembris deflagravit; Moſchos ex incendio erumpentes furor militaris excepit, vix tertia parte omnium qui ibi fuerant ſalvata: inter quos præcipui Fedor Iwánowicz,Likow, Hreori, Akſakow, Michaël Caſzen, à cæde erepti in cuſtodiam ſunt traditi. Iuan Woieiko ſupremus arcis Præfectus, dum ad Regem duceretur, ob quoſdam ex Regiis crudelius interemptos, à militibus in partes fuit diſſectus: ex Polonis ducenti circiter perierunt, inter quos inſignior Petrus Kozlowski Caſtellanus Zavichoſtenſis, Præfectus Malogoſtenſis. Rex captam arcem ſtatim reſtaurari ac muniri juſſit, ipſemet operi incumbens. Mielecio autem Palatino Podoliæ Nevelam duodecim leucis inde diſtantem oppugnanti, decima Septembris majora ſubſidia miſit: quibus ille receptis Ianuſſium Ducem Zbataſcium Toropeciam, ubi hoſtiles copias in auxilium Nevelenſibus à Moſcua miſſas convenire intellexerat, cum expeditioribus Equitum turmis, ac ſoletriotibus centurionibus ablegavit, & re feliciter ibi geſta, Moſchiſque prælio victis, ad Nevelæ oppugnationem omnem curam convertit. Arx illa ſitu loci eſt firmiſſima, Wielkolucenſi vix cedens, lacus alluvione undique cincta, anguſto ad eam à Meridie ſolummodo aditu patente, quem tamen foſſa cum aggere altiori, & paries ex trabibus quadrifariam tranſverſis humo intermedia vacua implente compaginatus claudebat. Ab ea itaque parte Palatinus Podoliæ oppugnationem inſtituerat, & productis vineis uſque ad foſſam arcis, cum nihilominus obſeſſi qui erant mille præter agreſtium duorum millium turbam, audacius reſiſterent, denſo jaculorum imbre ab acceſſu munitionum Arcis Polonos arcentes, cuniculis actis intro foſſam hoſtilem penetravit, eaque ſuperatâ miles mœnibus arcis ignem tanto ſilentio ſubjecit, quod obſeſſi inopinato periculo conſternari, abjecta omni ſpe defenſionis priuſquam incendium invaluiſſet, arce exceſſerunt. Incolumitas tamen omnibus fuit conceſſa, præterquam Præfectis, Palatinis, qui vincti ad Regem ſunt deducti, & mox incendio teſtincto, integram arcem cum duodecim tormentis æneis majoribus, & bombardis minoribus quingentis ſervatam, Palatinus Podoliæ præſidio Polonico munivit. Rediens autem ad Regem multa conqueſtus de Vngarorum inſolentia, Præfecturam militarem generalem depoſuit. Vnde Rex poſt ejus diſceſſum officium illud detulerat Zamoyſcio Cancellario, eumque ſtatim expedivit cum parte exercitus Zawolociam, quæ vicinior niſi fuiſſet expugnata, grave incómmodum præſidiariis Wielkolucenſibus & Nevelenſibus allatura videbatur. Rex ipſe munitionibus arcis Wielkolucenſis abſolutis, ejuſque Præfectura Filoni Kmita Palatino Smolenſcenſi commiſſa, 3 Octobris ad viſendam Nevelam tranſivit, & ſubdiis inde majoribus Cancellario Zawolociam miſſis, iter Vilnam convertit. Legatos quoque Moſchos qui ſemper ex quo advenerant in Caſtris præſentes expugnationem Wielkolucenſem & Nevelenſem ſpectarunt, & tamen nonniſi inani verborum contentione tractatus pacis trahebant, ad Comitia Regni in menſem proximum Ianuarium, Varſaviæ indicta, ſubſequi juſſit. Circa Zawolociam autem nimium diſtinebat conatus Zamoyſcii Cancellarii adulti autumni cum imbribus perpetuis aſperitas, & de ea capienda Regem quoque ipſum

VVielkolucki expugnatur incendio à Polonis.

Nevelam expugnat Mielecius.

ipſum pene deſperare cogebat, niſi Ducis conſtantia, ac militum labor omne adverſum ſuperaſſet: contempta enim frigidioris cœli intemperie, inter frequentes pluviarum procellas, magna virium contentione munitiones ad oppugnationem neceſſarias ab adverſa arcis ripa, intra paucos dies perfecerunt, & cum lacus arcem totam inſtar inſulæ intermediam circum alluens, nullum ad eam acceſſum permitteret, nec vadum haberet, ponteſque Moſchi dejeciſſent, Zamoyſcius pontes binos ex tabulatis conjungi, & ſcapharum magnum numerum conquiri fecit, in quibus à continenti ſuo rejiciendis licet obſeſſi per dies multos acerrime decertarint, plurimis Polonorum cæſis, inret quos & Chriſtopherus Comes de Rozrazew occubuerat, tamen poſt iteratos conflictus cruentos intra arcem compulſi, ripam liberam pontibus applicandis ceſſerunt; cumque militem ſub ſignis conſiſtere, & ad invadendam arcem pontes tranſire viderent, 23 Octobris victoris poteſtati ſe permiſerunt, repugnantibus eorum Præfectis, quorum quatuor Palatinos Zamoyſcius ſub cuſtodia retinuit, reliquos præſidiarios quadringentos circiter in Moſchoviam liberos dimiſit. Atque talem eventum ſecunda illa in Moſchoviam expeditio habuit, & longe majorem fructum fecit, eo quod Regi comparavit virtutis bellicæ gloriam; quâ commotâ Metropolis Livoniæ Riga Civitas, ſuâ ſponte initio inſequentis Anni 1581, in ipſius obſequium conceſſit; eique jusjurandum fidelitatis coram Demetrio Sulikovio ad hoc miſſo præſtitit, & tota Livonia deditionem teſtabatur, præter arces à præſidio Moſchi cuſtoditas, quas iſte eo uſque detinuit, & repetitis per ſuos Legatos in Comitiis Varſaviæ ſub finem iſtius Anni 1581 pacis tractatibus, adhuc reſtituere ablata recuſavit, unde in illis Comitiis, ad principium Martii continuatis, tertia in Moſchoviam expeditio fuit decreta. Hanc vero Moſchus magis pertimeſcens, ad callida conſilia converſus, miſerat ad Summum Pont. Rom. Legatos, ejus opem in componenda cum Polonis pace implorans, & Fidem Catholicam in ditionibus ſuis ſe recepturum promittens. Præerat tunc Eccleſiæ Rom. Gregorius XIII. gente Boncompanius Bononienſis, qui humanius excepta illa Legatione curam dirimendi talis belli aſſumpſit, & opera Staniſlai Hoſii Cardinalis Poloni tunc Romæ officio Summi Pœnitentiarii (obierat ibidem die 5 Aug. A.C. 1579) fungentis, jacto jam ante per literas fundamento tractandæ pacis, Antonium Poſſevinum Religioſum Societ. Ieſu ad Regem Stephanum pro ea componenda deſtinarat. Et quamvis interim Poloni contra Moſchos viribus magis invaluiſſent, cum nimirum tertia expeditione, in penitiora Moſchoviæ penetrantes Oſtroviam cæpiſſent, & Pleſcoviam Civitatem amplam, ſolamque in tota Moſchica ditione (præter Sedem Ducalem Moſcuam ac Smolenſcum) muro lateritio & propugnaculis ex arte militari cinctam gravi obſidione premerent; adveniens tamen Poſſevinus Regem Steph. induxit ad pacem, ut qua compoſita gentem illam officio tanto delinitam, ad meliorem frugem, & ad communionem Sedis Romanæ redituram Pontifex ſperaret. Inſtitutus itaque apud Pleſcoviam in caſtris tractatus pacis in eo ſtetit, quod Moſchus ex tota Livonia præſidia ſua abduceret, eamque liberam cum apparatu bellico Regi Pol. cederet, & viciſſim Wielkoluki & arces Moſchicas à Polonis captas reciperet. Et cum pax perpetua ſtabiliri non poſſet niſi reſtituto inſuper Smolenſco, ac Severia, & Eſtonia, quam interim nemine defendente (Revaliam Rex Ericus Suecus, dum Livones à Moſcho multis cladibus acceptis in ſummo diſcrimine verſarentur, paulo ante A.C. 1561. interceperat opera Chriſtopheri Ducis Michelburgenſis Coadjutoris Archiepiſcopatus Rigenſis, qui poſtea ob talem defectionem à Polonis eodem anno captus, in arce Ravenſi ſub cuſtodiis manſit, donec in Comitiis 1569 ad interceſſionem Principum Germaniæ fuit liberatus) Moſcho nimirum bello tam difficili

Zamoyſci[us] oppugnat capit Zav[o]lociam.

Rozrazew[ius] perit in [op]pugnatione [Za]volocia.

Riga Ci[vitas] Livonia S[te]phano Re[gi] ſe ſubmit[tit] 1581.

Moſchus [ad PP.] legatos m[ittit] Romam.

Gregor. X[III.] PP. pacem [in]ter Moſch[um] & Polon[os] tractat.

Hoſius Ca[rd.] floruit & obiit Rom[æ] An. 157[9].

Moſchovi[æ] tres ſolum [Ci]vitates m[uris] cinctas ha[bet].

Livoniam [to]tam reſtit[uit] Moſchus [Re]gi Poloniæ.

Revaliam capit Eric[us] Rex Sueci[æ]. Michelbu[r]genſis Du[x] captus à P[o]lonis ob pr[o]ditionem [Re]valia 15[61].

Eſtoniam intercepit Rex Sueciæ. Eſtonia pars eſt Livoniæ.

difficili cum Polonis implicito, Suecus Rex invaſerat, induciæ tantum ad annos ſex fuerunt concluſæ, quibus durantibus plena ablatorum reſtitutione ſequuta, pax firmior iniretur. Et quidem Eſtoniam uti membrum Livoniæ una cum iſta in formula induciarum addixerat Polonis Moſchus: ſed videndum erat, ſi eam Suecus ſponte dimitteret, ut ſi negaret, in ſubſequenti pacis tractatione Moſcho qui eam amiſerat, ejuſdem recuperandæ neceſſitas imponeretur. Regnabat

Ioannes Rex Sueciæ à Rege Erico fratre carceratur.

autem tum in Suecia (ut hoc quoque obiter attingamus) Ioannes Rex, qui prius cum eſſet Dux Filandiæ, & Catherinam Auguſti Regis Pol. ſororem uxorem duxiſſet, ob ſuſpicionem affectati Regni ex tali connubio ſubortam, ab Erico Rege Sueciæ fratre ſuo captus, & annis quinque ſub cuſtodiis una cum uxore ac

Sigiſmundus Rex in carcere natus 20 Iunii.

filio Sigiſm. in illa calamitate A.C. 1566. die 20. Iunii nato detentus; deinde vicem mutante fortuna, opera Procerum Sueciæ quibus Ericus ob crudelitatem exoſus eſſe cœperat, liberatus, ipſum Ericum Regem inſimulatum delirii vinxit tenuitque ad mortem ſub cuſtodiis, ac in ſe traxit ſucceſſionem Regni tunc coaleſcentem poſt Guſtavum ejuſdem Erici ſuumque Patrem, qui primus ex iſta

Ioannes Rex Sueciæ liberatur è cuſtodia & incarcerat Ericum Regem.

ſtirpe titulum Regis Sueciæ arripuerat, adjutus defectione concitata à Suecis contra Chriſtiernum II, Daniæ & Sueciæ ſimul Regem, ideo quod iſtic impotentius in primores illius Regni ſæviret, & ipſemet in Dania habitans, Sueciam nonniſi per miniſtros, eoſque ut plurimum externos adminiſtraret. Hoc enim permoti Sueci, cum in Dania Patruus ejuſdem Chriſtierni contra ipſum inſur-

Guſtavus è Regno Sueciæ ejicit Chriſtiernum II, Danum.

rexiſſet (è Regno pulſum demumque captum ad mortem detinuit) tali occaſione vindicandæ ſuæ libertatis uſi, hunc Guſtavum Erici (hæc proſapia, & aliæ pleræque in Suecia, non utitur aliquo cognomine gentilitio, niſi inſignibus armorum, quæ vocantur *VASE*, nempe manipulus graminum, ſeu frugum bifariam colligatus: ſanguinem autem Regium D. Erici, qui in Suecia regnavit circa A.C. 1150. attingit per lineam fœmineam ex Birgitta Erici iſtius Regis Guſtavi Patris matre, & filia Guſtavi Stur, in cujus familiam itidem à fœminis, & per fœminas, nempe Margarim proneptem Marthæ ſororis Erici ultimi D. Erici hæredis maſculi, Steno Stur nuptam, eadem cognatio Regia fuit derivata, ut videre licet in *Chronico David Hytrei ſub A. C.* 1520, prope finem) Principem ſibi elegerant, hocque Duce, miniſtros, & præſidia Chriſtierni è Suecia expulerant. Eis vero ejectis, & Stocholmia ſede Regni è poteſtate Chriſtierni liberata, cum nobilio-

Guſtavus Rex Sueciæ factus Catholicos opprimit.

res quique timore perculſi, ſi Chriſtiernus (auxiliis Caroli V. Imperatoris, cujus ſororem uxorem habebat recuperaturus amiſſa credebatur) vires aſſumpſiſſet, recuſarent Principatum, Guſtavus oblatum ſuſcepit, & quo ſecutius illum retineret, Catholicos qui ipſi Hæretico contradicebant, & tuebantur Chriſtierni Catholici partes, præſertim Archiep. Vpſalienſem, dignitate, & opibus, agnatorumque ac clientum copia potentem, in ordinem redegit, fiſco Regio applicatis ipſius & omnium Eccleſiaſticorum cenſibus, eorumque in locum hæreſeos Dogmatiſtis introductis. Et hæc paucis memoraſſe ſuffecerit, ex occaſione Regis Ioannis & Eſtoniæ, quam Rex Stephanus cum poſt compoſitionem cum Moſcho per Legatos ſuos à Rege Ioanne repeteret, iſte fretus cognatione Regii ſan-

Eſtoniæ in retinenda Suecus Rex debitum opponit Goslicius Legatus in Sueciam.

guinis in Polonia quæſita, moras nectendo negotium trahebat: & etiam opponebat hæreditatem Lituaniæ, dotemque uxori ſuæ debitam, ac maxime mutuum numeratæ, ut ajebat Regi Auguſto pecuniæ, quam potius donationis ſpecie ipſi obtruſerat, quo eum ſibi devinctiorem pro conſequendo illo matrimonio redderet, & poſtea eo demum defuncto apud ignatos rei traxit in debitum: hæc tamen ſingula alia civiliori ratione non hoſtili Provinciæ invaſione repetenda fuiſſe reſpondebatur pro Rege Steph. Dominicus Alamanius Culinæ Regiæ Præfectus, ac Varſevicius, & Laurentius Goſlicki tunc Præpoſitus Cracovienſis & Decanus Plocen-

Plocenſis in Sueciam miſſus, iſtam reſtitutionem Eſtoniæ tractavit, & deinde Staniſlaus Kućinski eandem Legationem obiit, irrito omnes eventu, præter quod Regina Catherina operam ſuam ad componendum illud dubium interpoſuerat, ut arma ſiſteret, quæ Steph. Rex ex Moſchovia recta in Eſtoniam convertere decrevetat. Atque ita expeditum fuerat illud bellum Moſchoviticum, cujus progreſſus ſingularius deſcripti legi poſſunt, apud *Reinholdum Heidenſtenium.* Nos adhuc unicum adnotabimus, unde proxima conſequuntur. Offenderat in eo bello animos Polonorum externa militia: primum Germanica, licet minus, eo quod iſta minore militum numero conſtabat. Melchior Rederus Sileſius conduxerat aliquor manipulos Germanorum, ac Georgius Farensbachius, tum & Chriſtopherus Rozrazewski, totus Germanicus: pater enim ejus quæſita opulentiori poſſeſſione, & diviri connubio in Germania, ibi domicilium fixerat, ac filios genuerat iſtum & Hieronymum, eoſque imbuerat moribus omnino Germanicis ac lingua, ut nonniſi vitioſe pronunciarent Polonicam. Germanis itaque adſuetus Rozrazevius, Germanos cum Redero conduxerat, ſed minus acceptos, eo quod delicatius tractari, & in melioribus ſemper ſtativis collocari volebant, bello illi prorſus inutiles, cum nec excubias agere in regione tam frigida, nec hoſtem agilem, ac curſu equi cum levi armatura velocem, ipſi armis onuſti perſequi aut offendere, neque labores militares injuriaſque aëris in illa regione gelidioris ferre valerent. Vnde militiæ Præfecti urgebant, ut Rex illos exauthorarer, in retinendis tamen perſtitit, illud opponens, ut inquit, adſint teſtes fortitudinis noſtræ, qui eam apud exteros prædicent. Occubuerat autem in illo bello, ut alias diximus, circa oppugnationem Zavolociæ Rozrazewski vir ſtrenuus, ac peritia rei militaris inſignis, & Rex in ſolatium fratri ejus germano Hieronymo contulerat Epiſcopatum Vladiſlavienſem tum vacantem, poſt aſcenſum Staniſlai Karnkowski ad Archiepiſcopatum Gneſneſ. in locum Iacobi Vchanski ſub illud rempus defuncti. Vir fuit gravis iſte Rozrazewski auſterus, Germaniſmum ſapiens, ſed ut diximus, originem trahens ex Polonia à Comitibus de Rozrazew, quam hæreditatem eo uſque habebat, demumque eam ceſſerat Ioanni Rozrazewski Caſtellano tunc Poſnanienſi Crotoſini Domino ſuo ex ejuſdem hæreditatis ſtirpe agnato. Sed ut ad propoſitum redeamus, Germani conducti à Rozrazewski, & Redero, offenderant Polonos aliquantum, at Vngari ranro magis quod numero præſtarent: omnis enim fere peditatus in Caſtris Regiis ex Vngaris conſtabat, & Rex ipſe familiariores habebat pene omnes Vngaros. Imo & ex Polonis Nobilioribus rarus erat, qui in ſuo comitatu non teneret Vngaros, unuſquiſque hac arte gratiam Regis aucupari cupiens. Poſtponebantur Poloni in functionibus militaribus, & eorum virtuti liberius detrahebatur: quinimo & ipſe Rex palam jactabat fortitudinem Vngarorum; ex quo jurgia & improperia acerbiora oriebantur, & Vngari elatiores ægre parebant Præfectis militaribus Polonis. Præſerrim vero Nicolaus Mielecki Palatinus Podoliæ Præfectus ſummus militaris de illorum inſolentia ſæpius querebatur; pluries enim circa oppugnationem arcium hoſtilium fidem ab ipſo in deditionibus hoſti datam violarant. Et ut erat vir ingenio acri, & gloria rerum bello præclare geſtatum animoſior, haud ferre poterat contumelioſius Polonos ab Vngaris haberi, eorumque virtutem poſtponi. Iraque cum oppugnandum ſuſcepiſſet caſtrum Moſchorum Sokol dictum, loci ſitu & ſelectiorum propugnarorum præſidio munitiſſimum, eo progrediens, altero milliari à caſtris Regiis fixo gradu proclamari juſſerat, ut omnes gente Vngari ad caſtra Regia redirent, ſe eorum opera uti nolle inquiens; & poſtquam abierant (parebant imperanti experti ſeveriorem) ut intellexerat remanſiſſe ibi unum Agazonem Vngarum, eum etiam abire juſſit. Caſtrum autem illud fortiter

Germani pauci Stepha-no Regi mili-tarunt.

Rozrazevius confert Rex Epiſcopatum Vladiſlavien-

Vngari pla-mi introdu-in Poloniam à Rege Step-

Mielecius ferre non p-teſt Vngaro-rum inſolen-tiam.

Mielecius abdicat ſe Magiſtratu militari.

tirer à Moſchis defenſum, ſed fortius à Polonis, magis pro gloria gentis ſuæ certantibus triduo oppugnatum apertâ vi cæpit, ut alias adnotavimus. Iſta itaque & alia poſt captam Nevelam occaſione Mielecius multa in præſentia Senatorum conqueſtus coram Rege, de poſtpoſita & minoris quam par eſſet habita ab Vngaris virtute Polonorum, dimiſerat Præfecturam militarem, reliqueratque caſtra, nec quicquam retinente Rege, & indignabundum placare contendente. Hinc

Zamoyſcio defertur Præfectura militaris.

vero alia offenſarum cauſa emerſit, cum Rex Præfecturam illam à Mielecio depoſitam, Zamoyſcio Cancellario contuliſſet; alii enim veterani militares, præſertim Zborovii ſe præteritos fuiſſe in tali muniorum bellicorum ſortitione ægre ferebant. Et magis quod omnes dignitates, & præſertim Magiſtratus publici diſtrubuebantur arbitrio Zamoyſcii, qui factus Cancellarius (dimiſerat Cancellariarum Wolſcius aſſumptus ad Epiſcopatum Plocenſem poſt tranſlatum inde Petrum Myſzkowski ad Cracovień. in locum Franciſci Kraſinski

Stephan. Rex offendit Polonos in diſtributione dignitatum.

tunc defuncti) ad Vicecancellariatum à ſe dimiſſum, contra omnium expectationem promoveri fecerat Ioannem Boruchowski, & poſt iſtum intra breve tempus extinctum, Albertum Báranowski, non alio merito,niſi quod fuerit ejus Amanuenſis, & proprerea fidelior ac obſequentior, uti obſtrictior ipſi futurus fuiſſe ſperabatur. Alioquin aderant tunc in Aula Regis tanto Magiſtratu habiliores, nempe Staniſlaus Oſſowski Referendarius Regni, vir gravitate morum & legum peritia conſpicuus, Laurentius Goſlicki, humaniori literatura, & eloquentiæ laude, ac legationibus ad exteros Principes feliciter peractis clarus; licet audacior virtutis propriæ fiducia: tum & Paulus Zaiaczkowski genere quidem pat Baranovio, ſed maturitate judicii & conſilii ac rerum uſu incomparabilis, ut iſtos in tali Magiſtratuum partitione poſthaberi injurioſum fuiſſe communis opinio reputaret. Sed Zamoyſcius judicabat conſultius fore ſibi, ſi in eo Magiſtratu nomine quidem & gradu inferiori, ſed poteſtate fere pari, non æmulum; ſed collegam, eumque tanto beneficio ſibi devinctum haberet. Et Rex illius vires quam

Stephan. Rex Zamoyſcii potentiam voluit ſtabiliri.

maxime augeri ſtabilirique volebat, ut quem unicum rebus ex voto ſuo in Polonia firmandis eſſe idoneum, nempe virum magni, ſolidi, ſobriique conſilii videret, & periculis quæ metuebat,quæque jam proxime imminebant opponendum deſignaret. Vnde eum Præfecturis opulentioribus cumulârat, & inſuper quo devinctiorem ſibi redderet, ei orbato interim uxore Radziviliana, filiam fratris ſui germani Chriſtopheri Batori nomine Griſelidam matrimonio junxerat.

Zamoyſcio deſponſatur Griſelida Batorea.

Tanto majora itaque exinde odia in Regem Stephanum exatſerunt, præſertim incitantibus Zboroviis, qui licet jam ex propriis offenſis ſatis in eum malevolentiæ concepiſſent, alienas tamen potius divulgabant, & quæ viderentur ad publicarum legum pertinere injuriam, quam maxime attollebant, ut eo plures in ſuas partes traherent, & legibus publicis patrocinantes, non ſuam ſed Reipublicæ cauſam ſe agere probarent. Ac brevi animos Equeſtrium Ordinum in tantum corruperant, ut nomen Regis quaſi Rempub. opprimere volentis exoſum haberetur, & in Conventibus ſingularibus Terrarum quæ antecedere ſolent Generalia Comitia, nihil ad mentem Regis, nihil ad quietem publicam, ſed omnia turbulenta concluderentur. Ad quod Nuncii quoque plerumque homines factioſi, qui nimirum obſtinatius tuerentur partes Regiis contrarias deligebantur opera Zborovianorum. Multum enim iſti valebant conſanguinitatibus, cum ubique pene, etiam in Lithuania primariis quibuſque agnationibus vel affinitatibus conjuncti eſſent; & opibus pollerent, quas profuſa liberalitate diſpenſabant: maxime in exhibendis conviviis tanta convivarum, idque ſine delectu nobilium ac militarium frequentia, ut eorum menſa communis omnibus etiam egentioribus pateret. Et cum jam ſtudia populi, ut ipſi judicabant, alienata

Zborovii concitat odia populi in Steph. Regem.

alienata eſſe à Rege viderent, etiam conjurationem quâ eum Regno pellerent vel tollerent, concipiunt. Nec ſegnior Zamoyſcius in comparandis & firmandis Regiis ſuiſque partibus; fortiſſimum enim quemque præſertim beneficiis & proviſionibus bonorum Regalium, quæ pene omnia ſub hoc tempus prout illi libuiſſet Rex diſtribuebat, in ſuam clientelam attraxit militares omnes, & Ruſſiæ fere univerſæ Primarii quique ipſi adhærebant, partim conſanguinitatibus et obſtricti, partim neceſſitudinibus, quas cum multis Optimatibus & vetuſtioribus proſapiis contraxerat: talium enim amicitias ille quam maxime ambiebat, ac colebat. Et ut erat modeſtis ac civilioribus moribus, facile omnes qui non erant Zboroviis obligati, ipſum ſequebantur. Maturiores quoque & ſanioris conſilii Senatores ac Equeſtres, Regiis rationibus magis favebant, ut quem ſcirent innocuum, de Republ. glorioſe meritum, & nonniſi calumniis peti confictis. Quod autem præcipuum, Zamoyſcius erat in omnibus circumſpectus, ſagax, vigilans, ut nihil illum lateret quicquid hoſtis moliretur, ac miniſtris induſtriis felix, quorum operâ juſſa ejus ſtrenue & fideliſſime implebantur. Deprehenſa itaque conjuratione, proditione Alberti Dlugorai, quo optimo cytharedo familiarius utebatur Chriſtopherus Zborowski, placuit uti compendio, & abſque graviori partium perturbatione, ipſum caput conjurationis petere hâc ratione.

Zborovii conjurationem faciunt contra Stephanum Regem

Conjuratio Zboroviorum prodita.

Adhuc ſub Henrico Rege Samuël Zborowski graviores inimicitias habebat cum Ioanne Tęczynski Caſtellano Woyninenſi, ſupremo tunc Cubiculi Regii Præfecto, quem fortuito ſibi ante Arcis Cracovienſis portam obvium dum ferire nititur, ipſi proximo Andreæ Wapowski Caſtellano Præmiſlienſi ictum à Tæcinio avertere conanti, lethale vulnus inflixit. Vocatus itaque in jus ob tantum crimen, nempe ſub Comitiis & in præſentia Regis patratum, cum cauſam dicturus (non incerto capitis periculo) ſe non ſiſteret, ex uſu forenſi ſententia Iudicii Regii, nota pœnariæ infamiæ fuit ipſi irrogata. Eſt autem vis pœnæ hujuſmodi, quod is qui ei eſt addictus, infra fines Regni degere prohibetur, alioquin à quocunque impune occiditur: Magiſtratus omnes in quorum ditiones diverteret, eum tenere, & ad pœnam capitis ſervare obligantur. Vnde Zborovius iſte cum poſt promulgatam illam damnationis ſuæ ſententiam tutò in Polonia conſiſtere non valeret, in Tranſylvania latitabat, ibique Stephano tunc Tranſylvaniæ Principi familiarius innotuerat, ac eum ſingularius demeruerat, navatâ ipſi in acquirendo poſt diſceſſum Regis Henrici Regno Poloniæ optimâ operâ: Zboroviorum enim partes, quæ potentiſſimæ tunc erant in hoc Regno, prævaluerant in eligendo eo Rege, ut alias diximus. Fretus vero ille gratia Regis tanto obſequio ſibi devincti, cum ipſo in Poloniam redierat: & cum nihilominus quantumvis favore Regis fulciatur notatus tali proſcriptione, lege vetante intra Regnum morari non poſſit, literas ſecuritatis ſeu liberæ in Regno manſionis (hoc enim unicum beneficium Rex taliter periclitanti præſtare poteſt) à Rege obtinuerat ad paucos annos, ut interim ſibi partem læſam, nempe agnatos Vapovii cæſi reconciliaret; ſed nunquam reconciliavit: præſertim Tæcinio repugnante, qui eam injuriam propriam reputabat, & nonniſi ſanguine ac capite ipſius Zborovii expiandam volebat. Contemptim etiam agebat ille, deſpicatuique ducebat omnia, ac elapſo datæ ſecuritatis tempore, cum longius ægre obtinere poſſet, neque petebat (nempe novandarum rerum, quas animo conceperat fiducia) liberiuſque huc illuc commeans, palam ubique converſabatur, Rege & Magiſtratibus diſſimulantibus (uti diſſimulaſſent ad finem, niſi conjuratio interveniſſet) ſeu potentiam Zboroviorum metuentibus: potiſſimum autem morari ſolebat in Cracovienſi tractu, Zamoyſcii tunc ejus loci Præfecti juriſdi-

Zborovius Henrico R[...] Gallo proſc[...]ptus.

Proſcriptio Regia in [...]lonia vis.

juriſdictioni ſubjecto. Monet itaque eum Zamoyſcius ut cautius ageret, ac aliò commigraret, inquiens ſe eum in ſua ditione tolerare non poſſe, lege vetante, quæ etiam Præfectum Regium loci cujuſque negligentius contra ſimiles proſcriptos agentem, ad pœnam vocat: verum ille ſprevit monentem, & magis oſtentans quod nil timeret, turmas armatas circumducebat. Unde Zamoyſcius veniens à Rege ex Lithuania Cracoviam ad celebranda judicia ſua, cum pernoctaret in Oppido Proſowice, eum apud Wlodkowa (Stadnicia genere ſororis Zborovii filia) in proxima villa Piekáry (Cracoviam præſente Zamoyſcio ingredi decreverat) ſubſiſtentem, miſſo Venceſlao Vrowiecki, cum ſatellitibus ſuis nocte intempeſta ſub finem Aprilis Anni 1584 comprehendi fecit. Comitatus ejus diſperſus in vicinis villis quieſcebat, & ex paucis præſentibus uno qui arma corripuerat occiſo, ac filio ejus Alexandro, eo quòd bombardam exploſiſſet leviter vulnerato, nullus obſiſtere voluit. Conductum autem ad Arcem Cracovienſem Zamoyſcius cuſtodiæ arctiori, nemini ad eum aditu permiſſo tradidit, & ad Regem nuncium expedivit pro informatione, num pœnæ capitis ſubjiciendus eſſet: nempe quod ita publica lex requirat, ut Magiſtratus quilibet nobilem quantumvis capitis reum capiens, niſi à Rege prius informetur quid facto opus ſit, in eum animadvertere, ac ſine arbitrio Regis perſonam genere nobilem capite punire non valeat. Interim dum reſponſum à Rege expectatur, varie laborârunt diverſi pro eliberando iſto captivo, Nobilium Palatinatus Cracovienſis Ordo frequens ad illa judicia Præfecturæ Cracovienſes congregatus intercedebat, ut tota cauſa ipſius ad Comitia Regni generalia remitteretur, & ejus agnati offerebant pro eo decem obſides ex genere ſuo cum ſponſione, quod eum ad Comitia ſtato die ſiſterent. Placârant quoque cæſi olim Andreæ Wapowski viduam, ſine cujus accuſatione interfector ex more forenſi condemnari non poſſe videbatur. Sed omnes iſtæ curæ nil profuerunt, & celerius nempe 15 Maji allatum informationis Regiæ ferale reſponſum, ſtatim fuit denunciatum Zborovio, utque domui ſuæ diſponeret. Demum colloquium expetentem Zamoyſcius, adhibito magiſtratu ſuo Caſtrenſi, ſub veſperam ejuſdem diei convenit, & mortem anxie deprecanti, exhibuit Regias damnationis literas, quarum præſcriptum ſe præterire non poſſe ajebat, ſimulque de conjuratione, quam ille eo uſque ignoravit fuiſſe detectam, multa expoſtulavit, & quæſivit. Inſequentis vero diei (Sabbathum fuit) primo diluculo Vicepræfectus Arcis, cum cohorte peditum armata extra januam Arcis Auſtralem eductum, & minas (ſtrophiolum porrexerat uni, ut intinctum in ſanguine ſuo traderet filio, commoneretque eum vindictæ) ſpirantem, capite truncari fecit; tantoque ſilentio omnis illa executio ſucceſſit, ut tum primum ſciretur, cum aperta paulo poſt Arcis porta cadaver illius publice in feretro expoſitum jaceret; populo ex Civitate catervatim ad tam inopinatum ſpectaculum concurrente. Caſtellana vero Cracovienſis Iordanowa cum numeroſa Nobiliorum fœminarum caterva adveniens, inter queruloſos ejulatus illum truncum generi ſui (filiam ipſius habuit ille uxorem) abduxit, lotumque & aſſuto capite, toga rubea holoſerica veſtitum in Domo Zboroviana (loco fori Cracovienſis Civitatis conſpicuo) toro biduo viſendum permiſit, & inde poſt paucos dies ſublatum, ad propriam poſſeſſionem conduxit Andreas Zborowski Marſſallus Aulæ Regiæ, qui mox cum magno comitatu venerat Cracoviam, & tamen nulla querela ſeu obteſtatione (vulgo uſitato forenſi injuriam paſſis remedio) apud Acta publica facta, præter quod in quatuor compitis fori Cracovienſis præconis voce obnunciari curârat, illum fratrem ſuum injuſte damnatum fuiſſe, cum illo funere diſceſſit. Neque ulla tumultus, ut aliqui futurum ominabantur, aut commotionis indicia appa-

Zborovius capitur à Zamoyſcio.

Zborovius capite plectitur.

apparuerunt, licet Zamoyſcius altero die poſt adminiſtratam illam juſtitiam in Civitatem apud Epiſcopum Cracovienſem Petrum Myſzkowski pranſurus, ex Arce deſcenderit, & non ſemel tranſierit ad Templum Franciſcanorum, juxta ædes illas Zborovianas, dum adhuc in eis funus illud hæreret. Immo conticuerant illius factionis omnes, poſtquam rem ſerio agi viderant, & tanto magis cum ad proxima Comitia Varſaviæ indicta Chriſtopherus Zborowski alterum conjurationis caput, ad dicendam cauſam læſæ majeſtatis vocatus fuiſſet. Ibi enim quantumvis Nuncii Terrarum magna contentione Regem à propoſito eam cauſam juridiciali rigore examinandi avertere ſtuduerint; (armata erant illa Comitia ad quæ partium ſocii turmas militares conduxerant plurimas, & Rex auxerat ſuas cohortes Prætorias, quæ circa ejus Arcem aſſidue toto Comitiorum illorum tempore tanquam in Caſtris excubabant) ille tamen & cadaver Samuelis Zborowski, ſi (ad Arcem Regiam Varſavienſem conducendum ſtatuerant Zboroviani) adduceretur, in profluentem Viſtulæ dejiciendum fore renunciârat, & Chriſtopherum Zborowski per Ioannem Rzeczycki Inſtigatorem Regni, in Senatu de conjuratione accuſatum, decreto Comitiorum criminis læſæ majeſtatis damnari, è Regnoque proſcribi fecit. Atque ita conjurationem illam futuram Reipub. Regique ſi maturuiſſet pernicioſiſſimam, Zamoyſcius in herba (ut ajunt) oppreſſit, diſpendio tamen ſuo, nam exinde odia apud Zborovianos acerbiora non ſibi ſolum, ſed & ſuis poſteris contraxit.

Zborovius Chriſtoph. propter con[ju]rationem Regem pr[o]ſcriptus.

VErum his tantiſpet ſepoſitis, externa quæ circa hæc tempora intervenerunt brebiter delibemus. Ac primum: Italia ſecura pace tunc quieſcebat, præcipue vero Romana Sedes Apoſtolica ſub gubernatione Gregorii Papæ XIII quem ſupra nominavimus. Protraxit iſte Pontificatum annis tredecim ab A.C. 1572, quo fuit electus Pontifex 14 menſis Maji ad 9 April. 1585, & ſingulari animi manſuetudine, morum innocentia, (habuit filios, ſed ex legitima uxore ante Sacerdotium) & in egenos liberalitate eum temperavit; potiſſimum autem vacavit Seminariis ſeu Contuberniis inſtituendis, in quibus ſingularum nationum, præſertim illarum apud quas fides Catholica fluctuabat, definitus perſonarum numerus aleretur, ac in doctrina ſacra exerceretur, & ſingulis hujuſmodi Contuberniis pro impenſis neceſſariis cenſum annuum abundantem attribuit ex diverſis in ditione Romana beneficiis Eccleſiaſticis. Sub hoc Pontificatu maxima incrementa cæpit fides Catholica apud Antipodas, præſertim in America, & in orientalibus Inſulis Iaponicis, Philippinis, introducta eo ex occaſione navigationum Luſitanorum & Caſtellanorum, qui primi (loquimur de navigationibus noſtri ſæculi, iiſque commercio & domicilio frequentatis, alioquin uſque à temporibus Regis Iudeæ Salomonis multa recenſeri poſſent de illo orbe, quem adverſis urgemus veſtigiis, à diverſis ſive ſtudio, ſive errore navigantium nonnihil explorato) illas gentes orbi huic Arctico ignotas invenêrunt. Vel ut altius iſta quoque repetamus, auſpiciis Emmanuelis Portugaliæ Regis illæ terræ circa Annum 1492 & 1499, ſunt inventæ primum à Chriſtophero Columbo Ligure Genuenſe, Inſulæ Cuba, Iamaica S. Dominici, ſive Hiſpaniola. Et ſub idem tempus à Ferdinando Caſtellæ Rege emiſſus, Americus Veſputius Florentinus continentem ipſum tentavit, ex ejus nomine vocatum America. Ac exinde æque Luſitani atque Caſtellani maria illa nunc ad Orientem, nunc ad Occidentem pervagantes, diverſis temporibus alias plures terras nemini antea cognitas inveſtigârunt. Et cum ex æmulatione vindicandi nunc in unius, nunc in alterius Regis poſſeſſionem terras occupatas, ac ſpolia parta ſortiendi diſcordiæ inter illos navigatores orirentur, quæ tam utile ſtudium interrumpebant, arbitro

Gregor. X[III] Papa Pont[ifi]catus.

Indicarum navigatio[n]num initia A.C. 149[2]

 Alexan-

Luſitani ad orientem, Caſtellani ad occidentem navigationem habent.

Magellanus invenit fretum Magellanicum, & Caſtellanis aperuit navigationem ad Moluccas.

Alexandro VI. Summo Pontifice Romano, talis inter eos partitio ſtetit, ut à Fortunatis ſeu Canariis maris Athlantici Inſulis, Orientem verſus Luſitani, ad Occidentem vero Caſtellani navigarent, ac utrobique quicquid alter eorum acquireret, id Regi & genti ipſius cederet. Poſtea vero ægre ferentes Caſtellani ſe ita fuiſſe excluſos à navigatione ad Moluccas Inſulas, ad quas iter nonniſi circa Africam per mare Æthiopicum, orientem verſus adjudicatum Luſitanis patebat, commiſerant Ferdinando Magellano, ut cum quinque navibus Hiſpali, A.C. 1541 menſe Auguſto ſolvens, itinere per Athlanticum Oceanum ſeu mare de Nort occidententem verſus Caſtellanis attributum, pervenerit ad continentem Americanum; circa quem quæſivit tranſitum ad Moluccas, & per longos labores aliquantum deflectens ad Auſtrum, invenit ibi fretum, eoque ſuperato, navigantes illi poſtmodum ad dextram habentes alterum latus arcuatum Americæ meridionalis (in quo eſt Chili & Peruvia longe ante iſtam navigationem Magellani occupata à Franciſco Piſarra, poſtquam A.C. 1518 Ferdinandus Corteſius per ſinum Mexicanum ac Iucatanum à mari de Nort in illum continentem penetravit, nomenque dedit novæ Hiſpaniæ illi parti Americæ, quæ tenui Iſthmo Americæ meridionali, & Peruanæ conjuncta Septentrionalis vocatur, ab occidente ad ſinum Vermium ſeu Californiæ, & inde ad mare *de Zur* protenſa, nec longius quam centum milliaribus Germanicis illud litus inferum novæ Hiſpaniæ diſtat à Iaponia, quaſi illius Americæ Septentrionalis partes extremæ in circulo globi terræ Aſiam in marginibus Chinæ, Catajæ, Iaponiæque deſinentem contingant, freto ſinuque Anian, ut fertur, hanc ab illa ſeparante) in longum & latum vaſtiſſimæ, ad levam vero terram *de Foco* denominatam (nempe continentem Auſtralem ſeu Antaxonem ſub Polo Antarctico ſitum, in quo eſt nova Guinea & Inſulæ Salomonis) prætergreſſi, quaſi inferum Antaxonis latus legentes, per mare *de Zur*, ſive Pacificum, tum & per Oceanum S. Lazari dictum, ſoli cadenti ſemper inſiſtentes, ſuperatis uſque & Philippinis Inſulis emerſerunt ad mare ſupetum, tandemque attigerunt Moluccas. Vbique autem tam Luſitani, quam Caſtellani in diverſis locis ſuæ navigationis mercatorum, ſeu hoſpitum jure ab incolis recepti, ſenſim militia Europæa illis gentibus formidoloſa eo conducta, plurimos ſubjugârunt, non paucis jure gentium non ſervato, præſertim

Peruanum Regnum Franciſcus Piſarra occupat A.C. 1525.

in regione Peruana, quo Franciſcus Piſarra primus A.C. 1525, ſub Imperio Caroli V. delatus, Atabaliba Regem illarum gentium captum, acceptâ pro ejus redemptione ingenti ſumma auri, contra fidem datam trucidavit, & innumeram ejus ditionis hominum multitudinem, pecudum more variis immanioribus ſuppliciis necari fecit, ipſemet poſtea à ſociis, crudelitatem tantam deteſtantibus,

Franciſci Piſarra crudelitas.

interfectus. Deinde alii atque alii Duces Regum Hiſpanorum diverſos progreſſus in illis partibus fecerunt, & plures ſedes, munitionibus & civitatibus amplioribus præſertim ad oras maritimas, & navigationi opportunas inſtitutis, fixerunt; gentemque rudem motibus humanioribus inſtruxerunt, ac etiam docuerunt quo in pretio aurum ſit habendum. Sed maxime rei Catholicæ profuit illa Europæorum armorum & mercaturæ ad Antipodas tranſlatio: ſtatim enim diverſorum Sacerdotum & Religionum deductæ eo plurimæ coloniæ, fidem Chriſti in illis populis diſſeminârunt. Collegia Societatis Ieſu in Cuſco Peruana, & Mexico Hiſpaniæ novæ excitata totam illam regionem Chriſtianiſmo initiârunt. In Orientales quoque Inſulas & Iaponiam ſimili occaſione prædicatio Fi-

Chinarum diſtantia à Iapone.

dei Chriſtianæ delatâ, magna mox incrementa cepit, & in proximum Chinarum Regnum (ſexaginta leucarum ſpatio mari interfluente inde diſſitum) penetravit cum mercatoribus Luſitanis, qui Amanacum illius Regni portum incolentes, in Oppidum ejuſdem Regni celebre Cantanum, propter commercia venire permiſſi,

miſſi, eo Michaëlem Rogerium Neapolitanum Societatis I E S V conduxerunt, eique conſtituendi ibi domicilii poteſtatem obtinuerunt.

Vnde late non ſolum in illis Provinciis, ſed & in multis vicinioribus Inſulis, in tantum dilatata fuit doctrina Catholica, ut multitudo Chriſti Fidem ibi profitentium pene excederet numerum Chriſtianorum Europæorum. Primitias itaque novellorum hujuſmodi Fidei Chriſtianæ germinum Gregorius X I I I Papa cum Legationibus Indianis excepit, ac tanta fœcunditate compenſata vidit detrimenta ab hæreſiis Europæis Eccleſiæ Dei illata. *Ia;onenſu Legatione. Gregor. X Papam.* Plane enim ab eo tempore fidei iſtius veritas in illis nationibus dilatari cœpit, cum eam Europæi variis novorum dogmatum commentis temerare & contaminare ſunt aggreſſi. Idem Pont. Gregorius X I I I cum multa præclare pro reſtituendo nitore priſco Eccleſiæ Catholicæ ordinâſſet, Calendarium quoque corrigi voluit, cum ratio computandi dies Paſchæ declinaſſet plurimum à formula in Concilio primo Nicæno Sanctorum 318 Patrum in eo congregatorum conſenſu ſtabilita. Adſciti itaque Romam peritiores Aſtrologi, negotium illud perfecerunt, & novum Calendarium emendatum ab A.C. 1582, Idibus Octobr. prodiit, in quo rejectis decem diebus, qui à tempore Nicæni Concilii ſupra juſtum genuinum dierum anni numerum (ſunt trecenti ſexaginta quinque & ſex horæ, paucis ſcrupulis minus, ex quorum ſcrupulorum defectu neglecto, in tot ſæculis acreviſſe dicebantur illi decem dies, ſi tamen noſtri iſti Aſtrologi ad verum reduxerunt calculum accretionum hujuſmodi & diminutionum rationes) forte accreverant, delapſa ad undecimam Menſis ſolſtitia & æquinoctia, ad veterem Menſium ſuorum terminum, nempe ad vigeſimam primam Menſis Martii, & Septembris: & Paſchæ tempus ad plenilunium æquinoctio verno proximum (nempe menſis Niſan ſeu Xanthici, qui debet lucere *ſole Arietem obtinente*, ut notat *Ioſephus Hiſtoriæ ſuæ libro* 3. *capite* 10.) fuit reductum. *Calendari[um] vetus reti[...] nent pleriq[ue]* Diſſidentes tamen in Religione, qui amplas in Europa Provincias & Civitates impleverunt, vetus Calendarium pertinacius retinuerunt, ac ita tanto longius receſſerunt à communione Catholica, quam ad minus in Feſtorum mutua cum Catholicis Romanis obſervatione eo uſque præferebant: Et Orientales, qui poſt tot Schiſmata, unicum hoc Occidentalibus concordiæ Chriſtianæ ſymbolum conformis Calendarii adhuc ſervabant, eo vinculo ſocietatis mutuæ diſrupto, penitus ab eis ſunt avulſi, nonniſi ad diem ultimi judicii mundi Divina virtute reconciliandi.

Idem Pontifex miſerat in Germaniam Cardinalem Madrutium, ut Eccleſiaſticos illius gentis, qui etiam tunc nutabant, ad frugem revocaret, & induceret ad aliqualem morum corruptorum emendationem, præſertim ad normam decretorum Concilii Tridentini, quod ibi necdum fuerat receptum. *Grégor. XI[II] PP. in Ger[...] maniam m[...] tit Cardin. Madrutium* Effecerat itaque ille Cardinalis, quod formulam quandam correctionis morum per eum compoſitam approbârant illius gentis Eccleſiaſtici, placati concordatis ſuper moderatione poteſtatis Sedis Romanæ in conferendis beneficiis Eccleſiaſticis, quâ maxime offendebantur. Gebhardum vero Truxeſium prolapſum in hæreſim, (etiam uxorem duxerat Agnetem Ioan. Georgii Comitis Naſſoviæ filiam) cum monitus non reſiperet, abdicaverat iſte Pontifex Electoratu, & Archiepiſcopa- t[illegible]ienſi, lato contra eum damnationis decreto, A.C. 1583 Kal. Aprilis. *Grégor. XI[II] PP. exaut[ho]rat Elector[em] Colonienſe[m] Truxeſium. A.C. 158[3]* [illegible]ollegium Pontificalis Eccleſiæ Colonienſis præſente Ioanne Franciſco V[illegible]enſi Epiſcopo, cum uno Auditore Rotæ Romanæ ad promulgandam illam damnationem (circa promulgationem raptabatur ignominioſe per plateas Civitatis, & Romæ cremabatur effigies damnati) miſſo, elegerat ſibi alium Archiepiſcopum Erneſtum Alberti Ducis Bavariæ filium. Cumque nihilominus Truxeſius auxiliis Electoris Palatini Ludovici, ejuſque fratris Ioannis Caſimiri

 confi-

confiſus retineret Bonnam, ac meliores ditiones illius Archiepiſcopatus, Erneſtus accitis ex Belgio copiis Hiſpanicis, poſt diverſas acceptas, datasque clades (reſpuerat temere Truxeſius tractatam interim Francofurti ad Mænum à Cæſaris Rudolphi Electorumque delegatis concordiam, in qua ipſi offerebatur penſio ex eodem Archiepiſcopatu honeſta dum viveret) tandem vi ejecerat omnia ipſius præſidia, & intra unum annum totum ſtatum ſuum pacârat, Truxeſio cum ſua uxore ad extremum in Hollandiam refugere coacto. Exemplum ſimile præceſſerat ſub Paulo III Papa, qui A.C. 1546, die 16 April. Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem hæreſim Luteri ſequentem excommunicavit, illaque dignitate privavit, ſuffecto in ejus locum Adolpho Comite Schauenburgenſi; & aliud antiquius ſub Pio II PP. qui itidem Electorem Moguntinenſem Dietterum Hyſembergium de Eccleſia Romana male ſentientem loco movit, ut refert Platina in vita illius Pontificis.

Electores Imperii Eccleſiaſtici ſæpe à Papa exauthorati.

Philippus II Rex Hiſpaniæ natus A.C. 1527.

Carolus V Imperat. obiit 21 Septembr. A.C. 1558.

In Hiſpania regnabat tunc Philippus ejus nominis ſecundus, Caroli V Imperatoris ex Iſabella Emmanuelis Portugaliæ Regis nata, ſibi A.D. 1526, 10 Ian. Siviliæ deſponſata filius, in lucem editus 21 Maji, Anni 1527. Qui vivente adhuc Patre, nempe bellorum pertæſo, viceſque variantis fortunæ ad ultimum experto, ac propterea ad vitam quietam recedente, Regni gubernationem ſuſcepit; & illo A.C. 1558, die 21 Septembris in Monaſterio S. Iuſti, inſtituti S. Hieronymi in Bætica defuncto, in longum ævum feliciſſime continuavit. Omnia enim Regna Hiſpaniæ ad ſe traxit, in Africa à Rege Feſſæ cæſo 4 Aug. 1578, & extincto Sebaſtiano Emmanuelis Ioannis filii Ioannis Tertii ante patrem defuncti Luſitaniæ ſeu Portugaliæ Rege, ejuſque avo Henrico Cardinale, nempe Ioannis III fratre, & deinde Antonio Ludovici Prioris de Crato Ordinis Ioannitarum ejuſdem Cardinalis Henrici ac Ioannis III fratris filio (ut ferebatur) notho, Regnum illud favore Luſitanorum populorum, & auxiliis Anglicis atque Gallicis uſurpante, primum apud Vliſſiponam Anno 1580 prælio gravi ſuperato, demumque toto Regno, ac etiam etiam ex Azoreis Inſulis, quæ in ejus nomen tenebantur, ejecto: Theodoſio vero Brabantiæ Duce genito ex Catherina Eduardi, ejuſdem Ioannis III ac Henrici Cardinalis fratris filia, eoque jus potius ad ſucceſſionem illius Regni habente, adacto, ut ejurarit ſuam hæreditatem.

Philippus II Rex Hiſpaniæ Regnum Portugal. occupat.

Sebaſtianus Rex in Africa periit.

Antonius nothus Portugaliam retinere contendit.

Philippi II Regis Hiſpani prima uxor Maria Portugalla 1543.

Philippi II Regis Hiſpan. uxor ſecunda Maria Angla 1554.

Philippi II Regis Hiſpan. uxor tertia Iſabella Valeſia.

Decem ſeptem annos ætatis habens, Philippus iſte Rex duxerat uxorem Mariam Ioannis III, Portugaliæ Regis avunculi ſui, nempe Iſabellæ matris ſuæ fratris filiam, Regis Sebaſtiani amitam, quæ intra biennium poſt editum 8 Iulii 1545 primum partum, Carolum denominatum, obierat, locumque dedit alteri Mariæ Anglæ, (nempe filiæ Henrici VIII Regis Angliæ ex Catherina repudiata, poſtea A.C. 1532. Ferdinandi Caſtellæ Regis filia progenitæ, & poſt Eduardum VI ejuſdem Henrici filium Regem Angliæ annorum ſedecim veneno à Ioanne Dudleo Nortumbriæ Duce propinato A.C. 1553 ſublatum, Regni illius hæredi) ut nupſerit eidem Philippo A.C. 1554. Hæc vero poſt biennium nempe quadragenaria ſterilis decedens, reliquit eoſdem thalamos Iſabellæ Valeſiæ Henrici II Galliæ Regis filiæ, ex qua Anno 1559 ſibi deſponſata (in illis nuptiis Rex iſte Henricus II, acceperat circa haſtiludium vulnus lethale) Philippus ſuſcepit Catherinam Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci, & Iſabellam Alberto Archiduci Auſtriæ nuptam. Inter nuptias autem hoc modô ſæpius repetitas, Rex ille cum ſolum Carolum ex Maria prima ſua uxore (per hunc potiori jure obtinuiſſet ſucceſſionem Regni Portugaliæ) ſuſceptum haberet filium, & ex vivente tum adhuc Iſabella Valeſia, præter illas fæmellas duas, alios vix ſperaret, horribile & nuſquam inter Principes Chriſtianos auditum ſeveritatis paternæ fecit exemplum. Cum enim Carolus iſte (annorum viginti duorum) in

ſuſpi-

Philippus II Rex Hiſpan. Carolum filium ſuum necari fecit.

ſuſpicionem affectati Regni, & ſecretorium de vita Patris machinationum veniſſet, eum ſub cuſtodiis per biennium ab omni commercio & colloquio ſegregatum tenuit: & demum cum ſemel inviſiſſet ægrotantem, minuſque ad reſipiſcendum, ſeu deprecandam veniam videret diſpoſitum, deſperatâ ipſius fruge, eum fecit ſive necari, ſive anxietate animi, vitioque valetudinis in eadem detentione ſtudioſe procurato interire. Hoc audivi à Staniſlao Fugeluedero, qui tunc in illa Aula negotia Auguſti Regis Poloniæ procurabat, quod die illius obitus ſummo mane ipſe Rex Pater abierât Vallidolitum, & è medio itinere motus animi affectu paterno, magna feſtinatione Madritum rediit, ſed invenit filium jam animam agentem. Favit tamen tanto auſo fortuna, nam non multo poſt Anno Chriſti 1568 Iſabella mortuâ, ſuperduxit Annam Maximiliani II Imperatoris filiam, ex qua habuit filios Iacobum & Philippum. Et primum quidem immaturum amiſit; ſecundum autem denominatum Philippum III A.C. 1584, menſis Novembris 12 die Regem Hiſpaniarum, & tantarum ſuarum Dynaſtiarum unicum hæredem Madriti renunciari, rituque ſolenni inaugurari curavit. Ipſe tamen vivens impetravit ſolus, ut aliqua ex ejus geſtis ſuis locis attingentur. Cæterum arma Regis iſtius licet proſperos plerumque ſucceſſus haberent, tamen adverſos quoque nonnunquam experiebantur; præſertim in Africa, ubi A.C. 1560 menſe Majo, claſſis ejus, quam milite & omni apparatu nautico inſtructiſſimam ad recuperandam Tripolim (aliis Leptis patria Septimii Severi Imperatoris) à Turcis Ordini Melitenſium paulo ante A.C. 1551 ereptam, emiſerat, progreſſa verſus Mennicem (ſeu Gelues) Inſulam illius oræ Africæ proximam à Piali Baſſa Archiguberno Turcico, tota fere fuit profligata: decem octo millia hominum, tam militum quam nautarum Chriſtianorum in illa clade perierant. Præfecti, quorum præcipuus Dux Medinæ cœli, alii capti, alii dictotis ſeu celocibus vix evaſerant Melitam. Triremes viginti ſeptem cum plurimis onerariis navibus, partim demerſæ, partim in poteſtate hoſtis manſerunt. Arcem quoque in illa Inſula ab Hiſpanis extructam ac munitam, exturbato diuturnâ oppugnatione ejus præſidio hoſtis obtinuit. Deinde A.C. 1574, menſe Septembre Tunetum & Guletam, fortiſſima itidem Africæ propugnacula, ſita prope ſinum veteris Carthaginis, ex cujus ruinis (ut Biſerta quoque) creverunt, à Carolo V Imperatore A.C. 1535, Idibus Iulii capta, Sinan Baſſa pro Turca recuperavit, Hiſpanicis præſidiis cum Præfectis Petro Carreta, & Gabriele Sorbellone trucidatis. Ditiones autem illius Regni Tunetani cum aliis Arcibus, forte quod difficilius retineri potuiſſent, adhuc ipſemet Carolus V ut occupârat, ſtatim reſtituerat (pro 12 falconum & ſex equarum Africanarum annuo honorario, ac certis ſtipendiis ſolvendis præſidio Guletæ) Muley Aſſen Mahometano, ad quem contra Chariadenum & Barbaroſſa Archipyratas Turcicos juvandum, eam expeditionem ſuſceperat. Sed majora damna Philippus Rex ſenſit in Belgio circa hoc tempus, inde quod cum Hiſpaniæ ejus præſentia indigerent, Belgicas Provincias nonniſi per Legatos, eoſque Hiſpanos adminiſtrabat, & iſti moribus à gente illa diſſentientes, contumelioſius eam tractabant, indigenas à magiſtratibus arcebant, nimium gravabant plebes tributis inſolitis, & militum hoſpitiis. Quodque potiſſima defectionis illorum populorum cauſa fuit, hæreſes in Germania & Gallia tunc gliſcentes, etiam in Belgium irrepſerant, pro quarum libera exercitatione cum populi illi ſolicite diutius laboraſſent, proptereaque tumultus frequentes excitarent, & Regii ibi Vicarii (Margaritha ſoror notha Philippi II. Octavii Farneſii Ducis Parmenſis uxor adminiſtrabat tunc Belgium pro Philippo, cum adjuncto ſibi Cardinali Petennotto & Conſiliatiis Hiſpanis) ſeverioribus pœnis eos in officio & Reli-

Philippi II Regis Hiſpan. uxor quarta Anna Auſtriaca.

Tripolis capta à Turcis 1551.

Philippi II claſſis à Turcis profligata 1560 in Africa.

Tunetum recipit Sinan Baſſa 1574.

Tunetam ceperat Carolus V 1535.

Belgii defectionis cauſa & initia.

gione Catholica Romana retinere conarentur, & deinde contra Dogmatiſtas hæreſeon, Quæſitores rerum Religionis capitalium ſeu Inquiſitionis Tribunal in Hiſpania uſitatum inſtituerent, tandem res ad apertam defectionem & bellum crudelius devenit. Cum enim catervatim Duce Henrico Bredenrode ad Gubernatricem venientes Belgæ, libellum ſupplicem pro deprecanda ſeveritate illa novorum edictorum in cauſa Religionis, & Concilii Tridentini executione offerrent, & illa multitudinem novo exemplo, quaſi ad tumultum concurrentem timeret, Ægydius Barlemontius dixerat adeſſe ſolum *Geuſios*, nec metuendos; ac ſi diceret ex plebe viliores ſeu mendicos, (erant prope ducenti nobiles) illi irritati quod deſpicatui ducerentur, & nil certi obtinerent præter inducias breves, & rejectionem totius negotii in Regem Philippum, nomine hoc *Geuſii*, pro teſſera ſocietatis mutuæ aſſumpto, peramque cum ſcipho ligneo mendicis uſitato, ac vilioris panni ſubcinericii coloris togas, etiam Nobiliores pro inſigni gerentes, cum ſymbolo numiſmati inſculpto: *Fidelis Regi ad uſque peram.* populos ad defenſionem avitæ ſuæ (ut ajebant) libertatis conſcientiæ ſolicitando, circumibant Civitates. Et cum ex Hiſpania quoque nonniſi vim ac pœnas læſæ majeſtatis ſibi propterea intentari, militemque ad hoc conſcribi viderent, 15 Iulii, A.C. 1566 apud S. Trudonem convenientes, fœdus inter ſe fecerunt pro non admittenda Inquiſitione Hiſpanica, & pro antiquanda lege Caroli V. *Placardus* denominata, aliiſque novis Regiis mandatis, libertatem in rebus Fidei ſentiendi quod quis velit reſtringentibus, quaſi per ea tollerentur Belgii privilegia genuina, quæ vetans novas leges vel onera inſueta illis populis inſciis & invitis irrogari. Inde vero ſumptis animis plebes in omnibus fere Civitatibus Dogmatiſtas Luteranos ac Calvinianos ſuſceperunt, & creſcente inſolentia, primum Ipris Flandriæ irruentes in primarium Templum, imagines ſacras confregerunt: Moxque idem Antverpiæ in Templo majori S. Mariæ perpatratum fuit; & in plurimis aliis Civitatibus paſſim Sacerdotes Catholici ejiciebantur. Et tunc quidem ſeditiones illæ nonniſi tumultuariis furioſi populi viribus ſubſiſtebant, ac majori parte ab illa Gubernatrice fuerant compoſitæ, oppreſſis paucis qui Bredenrodio ſe conjunxerant, & Valencena vi ad deditionem coacta, plurimiſque in ea tumultus Authoribus gladio & laqueo punitis. Sed paulo poſt cum Ferdinandus Alvarez Dux Albæ, novus Gubernator, in locum Margaritæ à Rege Philippo deſtinatus, numeroſum exercitum Hiſpanicum Anni 1567, menſe Auguſto Neapoli in Belgium abduxiſſet, & durius Belgas tractaret, iſti quoque militaris inſtituti arma ad ſui defenſionem ſumpſerunt. Statim ille ut advenerat, vocari juſſerat ad judicium criminis læſæ majeſtatis omnes illos qui Margaritæ Libellum ſupplicem obtulerant, & quotquot novis dogmatibus favere videbantur; ac ex eis qui comparuerant multos variis pœnis affecit, alios proſcribi, ipſorumque bona fiſco applicari juſſit. Amoralum Egmondanum victoriis de Gallis (apud S. Quintinum, & iterum apud Grevelingam fuſis) clarum, Vicegubernatorem Antverpiæ ad Conſilium accerſitum detineri; & una cum Comite Philippo Horneo capite plecti fecit: (dicitur cadavera cæſorum pede calcaſſe) Arcem Antverpiæ ad Scaldim firmiſſimam, quâ Brabantiam in officio retineri poſſe judicabat, ac deinde alias in diverſis Civitatibus opportunis exſtrui curavit: omnia prout libuit abſoluta poteſtate adminiſtrans, tanquam in terra (ajebat ille) armis ſubjugata, ut nullum libertatum ac Privilegiorum illius gentis vetuſtorum, ac Regis Philippi jurejurando confirmatorum veſtigium amplius reſtaret. Geuſii autem Ducibus Vilhelmo Auraniæ Principe, Hollandiæ, Zelandiæ, & Vltrajecti Gubernatore, ac Ludovico ejus fratre Naſſoviis, (ex iſtorum genere perhibetur

Geuſiorum initia in Belgio.

Belgæ arma ſumunt contra Hiſpanos.

Vilhelmus Aurania Princeps Dux defectionis Belgicæ.

hibetur fuiſſe Adolphus Imperator) qui tempeſtive exploratis Hiſpanicis conſiliis, ab illo primo periculo ſe ſubtraxerant à Regina Angliæ, ab Hugonotis Galliæ, & ex Germania conquiſitis auxiliis inſtruxerunt exercitum, quem Albano oppoſuerunt, & ejus copias cum Comite Arenbergio Ioanne de Ligny profligârunt, Civitatibus plurimis præſertim Hollandiæ ad eorum partes deficientibus, ut jam inde in illis Provinciis diviſio Imperii appareret, quæ paulo poſt irreparabili ſciſſura, novam ibi Rempublicam parturiit. Nam licet Albanus nonnullas Civitates, ut montes Annoniæ, Mechliniam, Zutphaniam, Leydenum, Dieſtam, Nardam, (in hac convocatum populum in unum Templum ad audienda Regia mandata, ſine diſcrimine ſexus & ætatis obtruncari, Civitatemque diripi ac incendi juſſerat) ac totam Phriſiam orientalem, & Tranſiſalaniam, pluraque loca ab Auraicis deſerta recuperârat; demumque Anno 1569, 21 Iulii in Phriſia circa pagum Gemmingenſem univerſa Geuſiorum caſtra obruerat, & debellatum putans, ſtatuam ſibi in Arce Antverpienſi cum Elogio *Pacificator Belgii*, collocari fecerat; tamen mox inſtauraverat Auranius alium exercitum, & novis accreſcentibus offenſis, præcipue quod Albanus in Optimates Belgas inſimulatos conſpirationis cum Geuſiis, ſævire non deſineret, & maxime quòd novum tributum vigeſimi denarii de poſſeſſionibus fundorum ſeu agrorum, de aliis vero bonis mobilibus, decimam rei æſtimationis partem, omnibus Civitatibus ac cujuſque gradus perſonis impoſuerat; iterum pleræque Civitates eo deſerto, ad Auranium redibant, omnique cum Rege Philippo reconciliationis ſpe abjecta, ipſius jugum penitus excutiendum decreverunt. Profuitque tali eorum propoſito perficiendo, quod interim Rex Philippus in Hiſpania bello contra Antonium (ne quicquam dehortante Papa Gregorio XIII, & prohibitionem ſacrorum ſeu excommunicationem contra eum ferre contentius denegante) pro Portugaliæ Regno gerendo, deſtinebatur, eoque revocaverat Ducem Albanum in ejus locum Ludovico Requezens, & deinde Ioanne de Auſtria ſuffecto; cui poſt alterum annum vita perfuncto, ſucceſſit Alexander Farneſius Dux Parmenſis.

Arenbergius Comes profligatur à Belgis.

Belgium diviſum novam Rempub. parturit.

Albanus Dux Geuſios ſuperat.

Albanus Dux novis injuriis Belgas commovet.

De modo tantum conſtituendæ novæ Reipublicæ, & continuandi contra Hiſpanos belli ambigebatur apud aſſectatores Auranii: ac magis placebat retinere morem veterem parendi uni Principi, cujus authoritate univerſum Regimen contineretur: acceſſierantque primo Franciſcum Alenſonium fratrem Regis Galliæ, deinde Archiducem Matthiam fratrem Rudolphi Imperatoris, qui (indignantibus Auſtriacis quod rebellibus Auſtriacorum Auſtriacus, iiſque Catholicus hæreticis militaret) aliquanto tempore præfuit ibi nomine tantum: ſed cum Hollandi ei minus confiderent, bellique inexpertum viderent, (pupillum Belgii eum vocitabant) vel quod mallent talem, qui proprias facultates haberet, quas eorum nervo tunc tenui ad impenſas tanti belli conjungeret, illo neglecto, iterum Alenſonium fratris Regis Galliæ potentiâ ſubnixum Principem ſibi elegerunt, cum titulo Ducis Brabantiæ 26 Iulii A.C. 1581 edita Apologia, in qua expoſuerant cauſas propter quas Philippi Regis dominationi renunciabant, ejuſque nomen ac inſignia in moneta & in ſcripturis, actibuſque ſuis publicis apponi vetabant, longa ſerie querelis ſuis à temporibus Caroli V recenſitis. Et quidem omnes Provinciæ Belgicæ, nempe Brabantia, Flandria, Geldria, Vltrajectum, Tranſiſalania, Phriſia, Hollandia, Zelandia, Hagæ Comitis per Delegatos congregatæ illi decreto repudii ſubſcripſerant, ac ſola Arteſia, Hannonia, Lucemburgia, & Burgundiæ Comitatus in fide Regis Philippi perſiſtebant.

Hollandorum Respub. principia.

Hollandi Matthiam Archiducem Auſtria Ducem ſibi eligunt.

Hollandi rejiciunt Matthiam Archid. & Alenſonium Ducem ſibi eligunt.

Hollandi Apologiam ſuæ defectionis ab Hiſpano publicant.

Venerat itaque Alenſonius initio Anni proximi 1582, Antverpiam ſplendido arcuum triumphalium apparatu ab omnibus Ordinibus illarum Provinciarum, ac ab

Franciſcus Alenſonius Antverpiæ excipitur ab Hollandis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ac ab Aurano Principe tanti conſilii moderatore exceptus, & jusjurandum obedientiæ ab eis fuerat ipſi præſtitum tali lege, quod Brabantiam, Flandriam, Geldriam jure hæreditario pro ſe & filiis ſuis maſculis, & eis deficientibus pro Regno Galliæ obtineret. Hollandiam vero & Zelandiam ac Phriſiam Auranius ab eo jure clientelæ haberet, viciſſimeque ille privilegia Belgarum jurejurando ex formula ab eis propoſita confirmârat. Sed hanc novi Principatus ſtructuram evertit non multo poſt caſus talis. Sub iſtud tempus primi ingreſſus Antverpiam Alenſonii, (uti Rex Philippus propoſuerat in ſuo proſcriptionis diplomate contra Auranium maxima præmia & dignitates ipſius interfectori) quidam Gaſpar Anaſter Cantaber Hiſpanus, à multis annis Antverpiæ mercaturam exercens in ſe receperat, quod hoc perficeret, & ſubminiſtraverat duos juvenes, quorum unus Ioannes Iauregius Cantaber ictu ſclopeti exploſi 18 Martii. Alenſonii natali utramque maxillam eiſdem Aurantii trajecit, & cum etiam ſicam extractam in pectus ipſius dirigeret, ab inſtantibus fuit trucidatus. Ad quod commota tota Civitate, armatæ urbanæ catervæ palatium Alenſonii, ac præcipua Gallorum hoſpitia, ex quorum inſtinctu facinus illud perpetratum fuiſſe exiſtimabant, cum magno minarum fremitu obſederant: agnitum tamen cadaver ſicarii, errorem illum ac ſocios criminis detexit, ex quibus ſupplicium fuit ſumptum.

Auraniıæ Princeps Vilhelm. à ſicario feritur.

Alenſonius vero perterritus tali tumultu, cum iterum ad initium Anni 1583 Antverpiam veniſſet, conduxerat ſecum majorem Gallorum & Helvetiorum militarium manum, qui ut ſecurius quam antea ibi conſiſterent, ſeu etiam illam primam contra ſe hoſpites innocuos Civium inſolentiam vindicarent, Civitatem in ſua poteſtate habere voluerant; jamque occupârant portam Kipdorpenſem, una cum ea mœnium parte, & decem ſeptem eorum peditum, quatuorque equitum ſigna penetrârant ad forum Civitatis, obvios quoſque qui ſe opponebant proſternentes: Attamen Cives majori numero ad arma relictis menſis (erat hora prandii) convolantes, eos repreſſerunt, cæſis prope duobus millibus, & ex ſuis octuaginta amiſſis. Hincque animis utrinque exacerbatis, (Belgæ veſperas Sicilianas aut nuptias Pariſianas ſibi inſtrui quærebantur, cum idem eodem die eademque hora Brugis, Neuporti, Duncherchæ ſucceſſiſſet) Alenſonius ſtatim in Galliam quaſi excluſus è Belgio redierat, moriénſque anno ſubſequenti 1584 menſe Iunio, omni metu liberavit Belgas.

Franciſcus Alenſonius ſecundo Antverpiam venit.

Antverpiam Galli occupare contendunt.

Galli ab Antverpienſibus caduntur.

Franciſcus Alenſonius moritur.

Qui idem conſilium vivendi ſub uno Principe adhuc ſequentes, & quaſi venale Belgium circumferentes, Principatum apud ſe Regi Galliæ, & deinde Reginæ Angliæ deſcrebant. Sed utroque domeſticis difficultatibus implicito tale onus renuente, ſolum ab Angla Ducem belli (ſtatim poſt Alenſonii mortem menſe Iunio Vilhelmus Auranius quoque Princeps ſanatus à primo vulnere occubuerat iterum percuſus ab alio ſicario quodam Baltazaro Gerardo Burgundo) Robertum Dudlæum Comitem Leyceſtrium cum nonnullis auxiliis obtinuerant, & loco pignoris ipſi conſignârant Vliſſingam, Ramechens, & Brilam. Et deinde cum Dudlæus expectationi eorum parum reſponderet, ſeu pariter ut Alenſonius plus æquo poteſtatis ſibi uſurparet, ipſo ad eorum querelas revocato à Regina in Angliam inglorio, eam formam Democratiæ quâ nunc florent, inſtituerunt: nimirum quod Mauritio Auraniæ Principi Vilhelmi tantæ Reip. tanti patris filio, cura rei bellicæ cum titulo Præfecti generalis militaris fuit commiſſa, adjuncto ei tunc, uti juveni annorum circiter 20 conſultore maturiore Comite Hohenloo. Summum vero regiminis arbitrium retinuit ſupremus Senatus (cum titulo *Ordines Provinciarum Fœderatarum Belgii*) ex Legatis Provinciarum & Civitatum Fœderatarum collectus, omine ſibi fauſto, ut ſingulares geſtorum ipſorum eventus locis ſuis docebunt. Verum interea, dum hoc modo de ſta-

Hollandi ab Anglia Regina Ducem ſibi conducunt.

Hollandorum Democratia forma.

Mauritius Aurania Princeps Hollandorum Dux primum inſtituitur.

de ſtabiliendo ſtatu ſuo conflictarentur, magnam jacturam fecerunt. Farneſius enim, qui jam humanioribus ſuis moribus ſtudia Belgarum gravitatis Hiſpanicæ pertæſorum ſibi conciliârat, opportunitate illa turbatorum à cæde Auranii illorum populorum, tanto plures in ſuas partes attraxit, ex iis qui eo uſque ſocietatem Auranii ſequebantur: præſertim Catholicos qui in omnibus adhuc Civitatibus Auraniarum partium præſidio munitis plurimi erant, numeroque hæreticos ubique æquabant, & alicubi ſuperabant, ſed ab eis oppreſſi, à Magiſtratibus, conſiliis publicis, Templis Civitatum excluſi, non ut olim æquali jure concives, ſed quaſi ſervientes priſtinum Belgii ſtatum ſuſpirabant. Vnde ex iſtis conflata jam fuerat ibi ab aliquot annis ſeceſſio *Male contentorum* denominata, ac omnes Catholici nobiliores Belgæ ut Comes Egmondanus, Arſchotanus cum Farneſio in gratiam redierant, illaque occaſione confuſionum inter Fœderatos Ordines, integræ Civitates ad eum tranſibant. Et cum Ipras ſeptem Menſium obſidione ad deditionem coëgiſſet, Brugenſes non expectatâ oppugnatione, reconciliationem apud ipſum impetrârant: Gandavenſes cum nihilominus ad defenſionem ſe comparârent, poſt cæſum Auranium deſperatis auxiliis, pacem tractaverunt. Ac in brevi tota Flandria ad obſequium Regis Philippi tali opera Farneſii rediit, & Brabantia prope univerſa præter Antverpiam, quæ etiam poſt diuturnam nimiumque operoſam obſidionem in poteſtatem Farneſii Anno 1585 devenit. Omnes vires iſte ad eam Civitatem oppugnandam converterat: & cum propugnaculis, mœniumque fortiori clauſtro circumducta, nullâ aliâ vi, quam neceſſitate commeatus conſtringi, nec iſtius ſubvectio prohiberi poſſe videretur, quouſque Scaldis fluvius eam alluens navigantibus Hollandis pateret, eum intercludi curavit, opere immenſi ſumptus, & incredibilis laboris, ut cujus initia Antverpienſes cachinis exceperint. Ducis tamen indefeſſum ſtudium, & operatiorum induſtria, omne arduum ſuperavit, & ingenti numero navigiis conquiſitis, ac catenarum nexu compaginatis, anchoriſque firmatis; inter quas ſolidæ trabes, palique fundo infixi, molem tantam contra reciprocos undarum maritimo æſtu ibi permixtarum fluctus, immobilem continebant, fluvio illi quadringentis paſſibus inter ſuas ripas patenti, pons fuit impoſitus, ut nullum ad Civitatem illam occluſam aditum ſubſidia venientia reperirent. Nihilominus reſiſtebant fortiter obſeſſi, & continuis eruptionibus diſturbabant operas Farneſii. Nec minus à foris Hollandi faceſſebant negotii oppugnatoribus, quo pontem illum diſrumperent. Inter alia autem portentoſo pene artificio obſeſſi machinas navales conſtruxerant, quæ ſecundo flumine delapſæ, pontem everterent: Et ſucceſſiſſet omnino, ſed duæ ex illis machinis aquis ſecundis demiſſæ, priuſquam pontem attigiſſent diſruptæ, fundo adhæſerunt: tertia tantum idque intempeſtive ignem concepit, & ſuo alvo reconditam telorum fulmineorum multitudinem evomens, tanto impetu agebatur, ut toto fluminis alveo, ab imo verſato, partem pontis fregerit, omnes ripas proximas aquis, ſimulque jaculis exploſis oppleverit, & Hiſpanos ex ſuis ſtationibus ejecerit, quingentis ex eis oppreſſis, inter quos & Marchio Rabaiſius occubuerat. Ac perfractâ ab ea parte navalis illius operis compage, irruentes auxiliares Hollandi in Ordines Hiſpanorum diſtractos, totum vallum, & aggerem, ac litus ponti conjunctum occupârant. jamque Civitati ſuccurſum fuiſſe conclamabant, niſi Farneſius accurrens, validiores Hiſpanici peditatus cuneos periculo objeciſſet. Et ita multa licet cæde ſuorum, iterum Hollandos inde excluſerat, ac inſequenti die ruina pontis reſarcita, munitionibus ſuis inſtauratis, obſeſſos magis in dies conſtringens, menſe Iulio Anni 1585 ad deditionem coëgit. Aldegondius Conſul & Merodius Civitatis nomine deditionis conditiones tractârunt, æquioreſque impetrârunt:

trârunt:

Farneſius Belgium pro Hiſpano Rege adminiſtrare incipit.

Belgæ Catholici ab Hollandis ad Farneſium deficiunt.

Farneſius Ipras ad deditionem cogit.

Antverpiam Farneſius obſidet.

trârunt : nimirum ut Cives in gratiam Regis Philippi veri Ducis Brabantiæ cum Amneſtia præteritorum recepti, eidem fidem ſervarent, quiſque Civium bona ſua quæ habuerat integre poſſideret. Templa ſicubi fuiſſent per hæreticos diruta, Civitas reſtauraret, & Eccleſiaſticis ſua jura & cenſus redderet: Ii qui eſſent Religionis diverſæ, quadriennium libere in Civitate manerent, & bona ſua divendere aliòque migrare poſſent: quadringenta florenorum millia in ſtipendia militum tota Civitas intra præfinitum tempus ſolveret: de cætero gauderet privilegiis avitis. His pactis ſtabilis 27 Auguſti die ejuſdem Anni Farneſio triumphali more Civitatem ingredienti, clavem auream virgo venuſtiſſime ornata tradidit, & ſuperbo apparatu tota Civitas venientem excepit. Eadem obſidione etiam Bruxellæ, & Mechlinia ab auxiliis Hollandicis & omni commeatu intercluſæ tenebantur, & utraque deditionem fecerat, priuſquam Antverpia ſuccubuiſſet. Deinde Gravium quoque, Venloam, demumque Sluſam deditione obtinuit Farneſius, ſub illa mutatione Hollandica, & incompto bellico Angli Leyceſtrii Magiſtratu, donec Mauritius Naſſovius Auraniæ Princeps Vilhelmi filius illud munus ſuſcepit, & felicius adminiſtravit, ut locis ſuis adnotabitur.

Bruxellæ deditionem fecerunt Farneſio.

Hollandi ſub Anglo Ductore damna ſentiunt.

Galliæ gentis morem priſcum omnem (ut hoc quoque carptim attingamus) Romana arma confuderunt, uſque & linguam ejus nativam; nam hæc qua nunc illa utitur, eſt Latina corrupta, ſicut & Italica, ac Hiſpanica. Præſens autem ipſius ſtatus Monarchicus initia ſumpſit potiſſimum à tempore quo Gallias partim à Gothis, Vandalis, Burgundiſque oppreſſas, partim à Romanis Præfectis (præſertim Theodoſii junioris, Valentiniani, Martianique Imperatorum) crudelioribus injuriis ad defectionem concitatas, ut juvaret Childericus Rex Francorum, (ejuſdem ſunt nationis cum Gallis, unde & à primis ſæculis Galli cum in Aſia bellarent, ſemper Franchi vocitabantur, nuncque vocantur, niſi quod iſti longinquiores ſedes citra Rhenum fuerunt ſortiri, eoque jugum Romanorum evitârunt) poſt plures irritas expeditiones ſuas, tandem A.C. 456, fauſto omine invaſit, & ibi Pariſiis captis, ſedem Regni ſibi gentique iſti firmavit, illudque felicius ampliavit, devictis Gothis filius ipſius Chlodoveus, primus ex illa ſtirpe Franchorum Regia Chriſtianus, à Divo Remigio Epiſcopo Remenſe, ſacro Baptiſmo initiatus, ut tradit *Sigebertus in ſuo Chronico, Baronius Annal. Tomo 6. ſub eodem A.C.* 456. Talia itaque Galliæ ſceptra his temporibus quæ tractamus, tenuit Henricus III Valeſius, quem relicto Poloniæ Regno ſucceſſiſſe ibi Carolo IX, immature anno ætatis 24 nulla relicta prole defuncto, alio loco diximus. Porro diſcordiæ Civiles quas ipſummet Regem ad exitium, & totum illud Regnum in ultimum pene diſcrimen conduxiſſe infra conſtabit, ſub iſtius Regis imperio maxime invaluerunt, exortæ dudum à Calviniſmo, qui ibi enatus, velutique propriam ſedem ſortitus, in Republ. crevit in aliam Rempubl. Regibus legitimis æmulam gravem, & ſæpius non accipere, ſed dare leges auſam. *Vgonoti* fuerunt denominati tali ſectæ addicti à porta *Vgonea* Civitatis Turonenſis, ante quam iſti primum conventicula ſua celebrârunt, ſeu quod eos Duces ſequerentur, (nempe Antonium Borbonium Regem Navarræ Patrem Henrici IV, & Ludovicum Condæum) qui genus ab Vgone Capeto ducerent, proximeque eſſent ex lege Salica ad ſucceſſionem Regni Galliæ. Contrariarum autem partium ſocii vocabantur *Guiſiani*, eò quòd pro defendenda Religione Catholica, & reprimendis Vgonotis Franciſco Guiſio Claudii Lotaringiæ & Guiſiæ Ducis filio, ejuſque fratribus Guiſiis adhærerent. Iſti itaque Vgonoti cum legibus publicis, decretiſque Regum Galliæ damnarentur, varia bella excitârunt, ut in illo Regno tute conſiſterent, liberumque uſum

Galli à Romanis defecerunt A.C. 456.

Chlodoveus Gallorum Rex primus Chriſtianus factus.

Vgonoti unde denominati.

Guiſianæ partes Vgonotis contrariæ.

Vgonotorum pro libertate ſua Religionis contentiones.

uſum ſuæ ſectæ haberent. Ac obtinuerant primum, ut in ſuburbiis unius alicujus Civitatis ſingularum Provinciarum populus illius ſectæ, Nobiles vero in propriis ſuis ædibus Religionem ſuam exercerent. Sed hoc non contenti illi, majores libertates quærentes, iterum conquiſitis ex Anglia & Germania ſubſidiis, infeſta arma per Galliam circumferebant, & diverſa prælia cruenta, nunc victores, nunc victi cum Guiſianis commiſerunt, Civitateſque Regias plures in ſuam poteſtatem redegerunt.

Antonius Rex Navarræ Vgonotorum Dux caſus 1562.

Condæus Dux Vgonotorum caſus 1569.

Vgonoti reſumunt vires & pacem impetrant.

Et licet in Anno 1562. apud Roromagum Antonio Navarræ Rege Henrici IV, Patre cæſo, ac deinde apud Carnutes in campis Druydum à Guiſianis Condæo profligato & capto, poſtea vero Anno 1569, ad Irnacum occiſo, demumque 30 Octobris ejuſdem Anni apud Moncontarum omnibus eorum copiis fuſis ad anguſtias fuerint reducti, non multo tamen poſt in Aquitania vires ſuas recollegerant, & honeſtam pacem impetraverant à Carolo I X, qui omnibus edictis decretiſque à morte Henrici I I. ex tali occaſione cujuſcunque magiſtratus authoritate latis reſciſſis, eos ad bona & honores priſtinos reſtituerat, ac Rupellam ſeu portum Santonum, Montalbanum, Chariteam, Cognacum, eorum cuſtodiæ permiſerat, ut ibi ſecuriores ſui ſtatus à turbis quieſcerent.

Franciſcus Guiſius à ſicario occiſus

Henricus Navar. ducis uxorem Caroli IX. ſororem Margaritam.

Pius PP. V. fruſtra impedire nititur nuptias Navar. hæretici cum Catholica.

Cum autem nihilominus concepta ſemel inter partes odia gliſcerent, præſertim ob Franciſcum Guiſium circa obſidionem Aureliæ à ſicario Gaſpari Colignii ſive Caſtilionii Gallicæ claſſis Amiralii arte ſubornato occiſum, cum triſtiori ſpectaculo in apricum eruperunt Pariſiis, ex occaſione nuptiarum, quas Rex Carolus IX. Henrico Borbonio tunc Regi Navarræ cum ſorore ſua (Card. Alexandrinus à PP. Pio V. miſſus, illud matrimonium Hæretici cum Catholica irrito eventu impediebat) Margarita paraverat. Ad eas enim omnibus Principibus Vgonoticarum partium convocatis, cum Colignium Amiralem revertentem à convivio nuptiali ſicarius à Guiſianis inſtructus exploſo ſclopeto in utroque brachio vulneraſſet, ipſius aſſectatores eam injuriam Regi (quantumvis inſcio ſe patratam affirmaret, & ipſemet cum Regina matre inviſens Colignium ægrotum placaret) imputabant, & vindicandam fore minabantur. Vnde exortæ novarum conſpirationum ſuſpiciones, majorum malorum cauſam dederunt, Regemque impulerunt, ut præveniens periculum poſt biduum in eodem Anno 1572. nocte feſtivitatem Divi Bartholomæi Apoſtoli præcedente, Colignium & præcipuos ex Vgonotis ferociores interfici juſſerit.

Colignius & Vgonoti à Rege Carolo IX. caduntur.

Pariſiis tumultus contra Vgonotos.

Colignii cadaver contumeliis afficitur.

Vgonoti in multis Civitatibus Galliæ caduntur.

Plebs vero miniſtris Regiis immiſta magis ſæviit irruendo in hoſpitia Vgonotorum, quæ crucis albæ ſymbolo ad poſtes expreſſo prodebantur, & nulli gradui vel ſexui parcens, prope quatuor millia hominum ex eis necavit, alios in aquas præcipitavit: truncum Colignii è feneſtra ejectum, reſte per pedes transfixos ducto, in plateis Vrbis raptavit, demumque in loco ſuppliciorum publico ſuſpendit. Idem furor populi Lugduni, Rothomagi, Toloſſæ, & in pleriſque aliis Regni illius Civitatibus, ultra decem millia ex Vgonotis eodem tempore abſumpſit, ut diceretur vulgo veſperas Sicilianas (præceſſerant iſtæ ducentis nonaginta annis ante, nempe A.C. 1281, veſpere ſacro Pentecoſtes, ſub Martino IV, Papa) nuptiis iſtis Pariſianis Gallos commutâſſe. Mommenius & Vmalius cum paucis ſuis Rupellam fuga evaſerant: Sponſus Henricus Navarreus, & Henricus Condæus, proſtrati ad pedes Regis, ſalutem impetrârunt, & ſub cuſtodiis aliquantum retenti, Fidem Catholicam ſunt profeſſi.

Siciliana Veſpera inciderunt in A.C. 1282.

Vgonoti arma reſumunt.

Verum ut ſermonem ad tempora Henrici III. Valeſii reſtringamus, iſtis diſcordiæ illæ Civiles maximè exarſerunt: Vgonoti enim ab illis nuptiis Pariſianis certum bellum inſidæ (uti ajebant,) paci præferentes, validos exercitus collegerant, & in dies plura minutiora Oppida in ſuam poteſtatem, partim vi, partim deditione redigebant. Acceſſit quod plures Catholici una cum Franciſco Alenſonio Regis fratre nimiam potentiam Guiſiorum exoſam habentes, (*Male contenti* denominati) Vgonotis ſe conjunxerant, ut ſi armis agen-

dum fuiſſet, nonniſi multo ſanguine civili ad officium & illi & iſti revocari potuiſſent. Quare Rex levioribus mediis tantos motus componere malens, pacem cum illis omnibus tractari fecit; & poſt longas diſceptationes fratri Alenſonio Principatum Andiæ, Turonis, & Biturigum, Condæo Picardiæ Præfecturam ceſſit: Vgonoriſmi vero exercitium liberum, ubicunque per locorum Dominos liceret, permiſit, præterquam Pariſiis, & intra quatuor milliaria circum. Hocque pacis cum Vgonotis quintum edictum publicatum fuit medio menſe Majo Anno 1576. Sed dum unum inteſtini belli periculum Rex ille evitare contendit, in aliud incidit: Guiſiani enim eum, quaſi in cauſa religionis, pace (ut ajebant) tam turpi Vgonotis data conniveret, ſugillantes novum fœdus, ſacram Ligam appellatum pro defendenda Fide Catholica inſtituerunt, cui ab initio nonniſi ipſimet Guiſii & Carolus Borbonius Cardinalis, Henrici Navarrei patruus, cum paucis Eccleſiaſticis, ac Dux Bironius nomina dederant; indeque Rex nil ſuſpicatus, quod in caput ſuum quandoque redundaturum eſſet, illud approbaverat, eique exercitum attribuerat, quo Henricus Guiſius & Mænius, Vgonotos novis ejuſdem fœderis pro Religionis Catholicæ ubique retinendo uſu publicatis edictis arma opponentes, iterum ad petendam pacem coëgit; ſextumque edictum pacis Anno 1577, ſub finem Septembris Angeliaci promulgatum fuerat, cum talibus conditionibus, quod Vgonoti liberum domicilium in toto Regno haberent, & inſignioribus in propriis locis uſus ſuæ Religionis liber eſſet.

Vgonotica pacis quintum edictum 1576.

Guiſiani contra Regem odia concitant.

Liga ſacra incipit in Gallia.

Henricus III. Rex confirmat Ligam ſacram.

Vgonotis pacis ſextum edictum 1577.

Hæcque pax aliquantum duravit, & ſub ea Henricus Rex (ut hoc quoque attingamus) Anno 1579. natalis ſui & inaugurationis ad Poloniæ & Galliæ Regnum die menſis Ianuarii primo, Ordinem S. Spiritus inſtituit, cujus inſigne eſſe voluit columbam alis extenſis, albæ cruci inſidentem. Demum vero poſtquam frater Regis Franciſcus Alenſonius anno ætatis ſuæ 30 obierat, & ipſe Rex ex Aloyſia Claudii Vaudemontii Ducis filia, quam A. C. 1575 menſe Martio uxorem duxerat, nullam prolem ſuſciperet, Guiſii ut ſucceſſionem Regni ad ſuos traherent, Henricum vero Navarreum proximum Regni ſucceſſorem ab ea rejicerent, fœdus illud ſuum majori cura inſtaurarunt, adſcitis ad illud Principibus externis, & Summo Pontifice Romano, cui etiam perſuaſerunt (Sixtus V. recens inierat Pontificatum 24 Aprilis A. C. 1585 electus) ut menſe Septembre ejuſdem Anni Navarreum & Condæum uti relapſos in hæreſim excommunicarit, ac minus habiles declaraverit ad ſucceſſionem illius Regni; ſtatim etiam exercitus armarunt, Civitates inſigniores multas occuparunt, & præſidiis ſuis munierunt. Tuncque primum Henricus III. Rex ſenſit fuiſſe diviſam Rempub. Gallicam in Ligam ſacram, Politicos & Vgonotos, ſeque inter incudem & malleum poſitum, cuicunque adhæreret, alterum lædere debuiſſe. Politici enim ſuadebant, ut revocaretur ad meliorem frugem, & profeſſionem Fidei Catholicæ Navarreus, ac obſiſtebant ne infringeretur Lex Salica, à qua tota ſalus Regni illius pendet: Fœderati vero urgebant, ut Navarreus ab omni ſpe talis ſucceſſionis excluderetur. Et cum Rex iſtorum conſiliis reſiſteret, variæ utrinque ſuſpiciones ac diffidentiæ ſunt ſubortæ, & ex eis acerbiores Guiſiorum & Regis caſus in ſubſequentibus narrandi.

Ordo S. Spiritus à Rege Henrico inſtitutus 1579.

Henricus III. Rex Galliæ uxorem duxit Aloyſiam Vandemont. 1575.

Liga ſacra nexu fortiori colligatur.

Sixtus V. PP. electus 1585.

Liga ſacra excludere vult Navarreum à ſucceſſione Regni.

Henricus III. ſuſpicionibus oneratur à Guiſianis.

Angli in ſua Regia hoc ſæculo miram metamorphoſim ſpectarunt, à temporibus Henrici Regis VIII. Is in primordiis Regni ſui eximia magni & Catholici Principis ſpecimina dederat, & repreſſerat hæreſim Lutheri tunc exorientem, edito contra ipſius ſcripta libello, pro quo à Leone PP. X. obtinuit titulum *Defenſoris Fidei*. Ipſo arbitro Carolus V. Franciſcum I. Galliæ Regem A. C. 1525. 25 Februarii apud Paviam Duce Ferdinando Davalo Marchione de Guaſti, ſeu Piſca-

Henric. VIII. Angliæ Rex.

Henric VIII. à Leone Papa obtinet titulum defenſor fidei.

Piſcariæ prælio ſuperatum & captum, ac in Hiſpaniam deductum, acceptis obſidibus filiis ejus Franciſco Delphino & Henrico, dimiſerat: venerandumque apud Chriſtianos Principes nomen iſtius Henrici eſſe cœperat. Sed paulo poſt affectus amatorii tranſverſum actum in diverſa vitia præcipitarunt. Acceperat ille uxorem Catherinam Ferdinandi Regis Hiſpaniæ filiam, materteram Caroli V. Imperatoris, quæ cum prius fuiſſet deſponſata Arturo Valliæ Principi inveni annorum quatuordecim, eo è vivis ſublato priuſquam conſummaſſet matrimonium, Iulius PP. II. permiſit, ut nuberet alteri fratri, nempe iſti Henrico. Hanc itaque Catherinam cum ille tenuiſſet multis annis, & ex ea ſuſcepiſſet filiam Mariam, ſive pertæſus quod ex ea nullum filium maſculum haberet, ſeu quod unam ex Gynæceo Reginæ, Annam Thomæ Bulleynii Equitis Angli filiam ardentius adamaſſet, illam poſtea repudiavit, & Clementem Papam VII. ſolicitavit, ut illegitime cum ea (nempe fratris ſui germani uxore) initum matrimonium irritum fuiſſe declararet & disjungeret. Et cum Pontifex in tam arduo negotio diutius deliberaret, maxime ne Garolum Quintum cauſam materteræ ſuæ tuentem offenderet, Henricus coram Epiſcopo Cantuarienſi, Primate Angliæ Thoma Cramero, vocata in judicium Catherina (quæ jam ad Summum Pontificem provocaverat) actionem illegitimi matrimonii inſtitui fecit, ac ſententiam divortii obtinuit, Annamque Bulleyniam ſibi copulavit A. C. 1532. Pontifex vero re intellecta, in ſolenni Cardinalium conſeſſu illam divortii ſententiam damnavit, & conjugium cum Catherina legitimum fuiſſe pronuntiavit. Quod Henricus adeo acerbe tulit, ut ſtatim omnem Pontificis poteſtatem ac Iuriſdictionem Eccleſiaſticorum in Anglia abrogaverit, eamque in ſeipſum transtulerit: ſe ſummum Eccleſiæ Anglicanæ Caput in omnibus edictis & diplomatibus publicis ſcribi fecit: appellare Romam ab Archiepiſcopis & Epiſcopis prohibuit; ſacerdotiorum vacantium fructus, & omnia Summi Pontificis jura ſibi vendicavit, ac lege ſancita, læſæ majeſtatis pœna omnes eos teneri voluit, qui deinceps Papam Romanum pro Capite Eccleſiæ in Regno illo haberenr. Inde ſævire quoque cœpit in eos, qui Pontificis partes ſequebantur: Ioannem Fiſcherum Epiſcopum Roffenſem, ac Thomam Morum Regni illius Cancellarium, capite plecti juſſit: Thomam Vulcerum Card. Epiſcopum Eboracenſem omnibus bonis ſpoliavit, ut ex angore animi dum captivus ducitur Londinum, (fortaſſis ſumpto veneno) obierit. Excommunicatus autem propterea Henricus à Paulo PP. III. tanto magis Fidem Catholicam depreſſit, & Lutheraniſmum in toto ſuo Regno amplificavit. Nec Annæ Bulleyniæ illa Regalis thalami felicitas perpetua fuit, nam poſtquam A. C. 1533. 8 Septembr. genuerat unam filiam Eliſabetham, Henricus Rex eam adulterii accuſatam, Anno 1536. capite truncari fecit: moxque Ianam Semeram (Catherinam ejus prima uxor ante necem Bulleyniæ tribus menſibus obierat) tertiam conjugem duxit, ex eaque 1537. 11 Octobris ſuſcepit filium Eduardum (mortua Semera ex partu, duxerat Henricus quartam uxorem Annam Vilhelmi Iuliacenſis Ducis filiam, quam etiam mox repudiarat) qui 16 annorum pubes, veneno à Duce Nortumbriæ propinato, extinctus in Anno 1553. locum dedit ſucceſſionis in illo Regno Mariæ ex Catherina genitæ: & iſta (fecerat hæc cremari Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Londinenſem, Vigernenſemque Epiſcopos, qui ſententiam divortii contra ejus matrem Catherinam tulerant) poſtquam nupſerat Philippo II. Caroli V. Imperatoris filio Hiſpaniarum Regi, in brevi moriens quadragenaria, ceſſit eadem ſceptra Eliſabethæ ex Bulleynia natæ, vigeſimum quintum annum ætatis ſuæ tunc agenti, cum fuit coronata Regina Angliæ Calend. Martii, A. C. 1558. Cujus geſta in tempora narrationis iſtius, & annorum ſubſequentium

Franciſcus Galliæ Rex captus apud Paviam 1525.

Henric. VIII. ducit uxorem Catherinam.

Henric. VIII. repudiat Catherinam uxorem.

Henric. VIII. repudiata Catherina Bulleyniam ducit uxorem.

Henric. VIII. abrogat poteſtatem Pontificis in Anglia.

Henric. VIII. ſævit in Catholicos Epiſcopos.

Paulus III. PP. excommunicat Henricum VIII.

Anna Bulleynia uxor Henrici VIII capite plectitur 1536.

Henric. VIII. uxor Iana Semera genuit Eduardum.

Henric. VIII. uxor quarta Iuliacenſis.

Eduardus Henrici VIII filius veneno tollitur.

Maria Angliæ Regina judices ſuæ matris Catherinæ punit.

Maria Angliæ nupſit Philippo II. Hiſpaniarum Regi.

 incident.

Eliſabetha filia Buleyniæ Regina Angl. 1558.

incident. Virili animo fuit illa fœmina, & ſeveriori quam iſtum ſexum decet, literis & linguis variis inſtructa; Regnandi vero adeo cupida, ut nunquam nupſerit, quò ſola regnaret. Nec ingloria regnavit, bella præſertim contra Hiſpanum Regem, & Hybernos jugum ejus excutientes feliciſſime per Legatos geſſit:

Eliſabetha Regina Angliæ dotes.

munia publica omnia ipſamet cum majeſtate tractavit, ac obſequium obſervantiamque majorem quam ullus unquam Rex à ſubditis habuit. Verum Catholicæ Religioni fuit iniquior: omnia decreta Henrici VIII. Patris ſui con-

Eliſabetha Angl. Regina titulum ſummi Capitis Eccleſiæ Anglicæ ſumpſit.

tra Summum Pontificem Romanum, quæ jam Maria ſoror ejus abrogaverat, innovavit, & firmavit; titulumque ſummi Capitis Eccleſiæ Anglicanæ aſſumpſit. Excommunicata autem propterea à Summo Pontifice Pio V. majora odia contra Fidem Catholicam concepit, ejuſque uſum in tota Anglia prohibuit, omnibus Templis Catholicis Calviniſmo ſeu Puritaniſmo exercendo traditis. Et verita ne Catholici pro vindicanda ſua libertate, ut in vicina Gallia de-

Catholicæ Religionis uſus in Anglia prohibetur.

fectionem facerent, omnes exterminari ex Anglia juſſit, ſingulos qui illam Religionem ſequerentur, ſeverioribus pœnis interpoſitis, ad Magiſtratus ad hoc inſtar inquiſitionis contra hæreticos in Italia & Hiſpania uſitatæ inſtitutos, deferri caſtigarique præcepit. Vnde plurimi in exilium ejecti, alii bonis fuerant mulctati, & non pauci crudelioribus ſuppliciis, præſertim Sacerdo-

Catholici in Anglia ſuppliciis afficiuntur.

tes æquè Religioſi atque non Religioſi in dies necabantur; hæcque laniena toto vitæ iſtius Reginæ tempore in Anglia duravit, ut ſuis locis inter ejus geſta adnotabimus.

In Scotia vero hæredem Regni Mariam, quæ etiam ſola regnare debuiſſet con-

Maria Scotiæ Regni hæres nupſit Henrico Stuardo.

traria ſors excepit. Ea fuit Iacobi V. Stuardi Scotiæ Regis filia, Henrici VIII. Regis Angliæ ex ſorore Margareta Iacobo IV. Scotiæ Regi nupta pronepos, illiuſque etiam in Angliæ Regno, una cum ſua prole, nempe filio Iacobo VI. vera hæres. Et cum fuiſſet matrimonio copulata Henrico Arleio Stuardo Matthæi filio cognato ſuo ex eadem Margareta, (poſt mortem Iacobi IV. nupſerat Margareta iſta alteri, nempe Archibaldo Duglaſſio Scoto, ex quo nata ei filia etiam vocata Margareta tradita in matrimonium Leviniæ Comiti Matthæo Stuardo genuit iſtum Henricum Arleium) eo ex inſidiis trucidato capta à ſuis ſubditis, & Re-

Maria Scotiæ Regina à ſubditis capta.

gnum filio Iacobo VI. menſium 6. infanti (Proregem Iacobum Moraviæ Comitem Proceres conſtituerant, qui pupilli iſtius nomine Regnum adminiſtraret) renuntiare coacta, in Arce Levini lacu ſub cuſtodiis manſit. Offenderat autem Scotos, quod ex Galla Claudii Guiſii Ducis filia Catholica nata, & in Gallia ab annis

Maria Scotiæ Reg. fuit primum deſponſata Gallorum Regi impuberi Franciſco II.

teneris (Franciſco II. Galliæ Regi impuberi deſponſata, ibidem in Gallica Aula enutriebatur, eo vero immaturè defuncto, redierat Virgo in Scotiam) in Catholica Religione enutrita, Catholiciſmo impenſius faveret, eumque in Scotia reſtituendum vellet. Vnde enatis odiis, variæ criminationes (nempe quaſi conſcia fuerit necis mariti ſui, & diſſolutius viveret) contra eam fuerunt compoſitæ. Legi poſſunt apud *Georgium Buchananum* illius gentis Hiſtoricum. Ex illa vero deten-

Maria Scotiæ Regina in Angliam fugit.

tione opera Præfecti Arcis Levinæ & Hamiltoniorum elapſa, in Anglia, ubi ſub patrocinio Eliſabethæ Reginæ amitæ ſuæ ſecuram ſe fore crediderat, non meliorem fortunam invenit. Ortis enim ibi ſuſpicionibus, quod de matrimonio ineundo cum Thoma Havardo Norfolciæ Duce tractaret, diverſaque de novandis

Maria Scotiæ Regina in Anglia novas ſuſpiciones incurrit.

tam in Scotia quam in Anglia rebus conſilia agitaret, & Dux Havardus ad turrim Londinenſem ductus, initio Anni 1572. ſupplicium capitis propterea ſubiit, & ipſa Regina Scota, cuſtodiæ arctiori tradita, in ea decem octo annis anxiam vitam duxit, demumque in Anno 1587. 18 Febr. in Arce Foderinga ſecuri percuſſa ærumnarum ſuarum finem invenit, ut ſuo loco attingemus.

Germania his temporibus tota penè à Fide Catholica (hoc unicum adnotaſſe de

de ipſa ſufficiet, cum inde omnes ejus & præteritæ, & ſubſequentes viciſſitudines promanarint) deſcivit, omnium ſtudiis ad hæreſim dilatandam effuſis. Vt enim Anno 1517. pridie Kal. Novembris, Vittembergæ ad Albim Voluptarius concionator Martinus Lutherus ex Religione S. Auguſtini Apoſtata intonuerat, per ſolam Fidem Chriſti in Baptiſmo acceptam, & non ex operibus bonis Chriſtianos ſalvari: cælibatum & continentiæ votum, legi quæ dicit: *Creſcite & multiplicamini*, delectum ciborum ac jejunia alteri legi quæ dicit: *Omne quod movetur dedi vobis in eſcam*, adverſari, & utrumque cum Marcione, & Manichæo damnari, corrupit facile populos natura in luxuriam ventris & gutturis pronos. Nec ut aliæ hæreſes per incrementa, ſed inſtar torrentis rapidiſſimi, hæc novella repente immenſis errorum fluctibus integras Vrbes & Provincias opplevit, & non tantum militarium ſeu prophanorum contubernia, ſed & Collegia Sacerdotum, Religioſorum Conventus, Cathedralium Eccleſiarum Senatus, immo & pleroſque Pontifices perſtrinxit. Conceſſa enim novi Prophetæ lege connubia, in tantum omnibus probabantur, ut certatim maturiores quoque Sacerdotes nuberent, virgines ſacras è Monaſteriis ad connubia traherent, & palam probro haberent vitam continentem. Remotis autem tali contagio cuſtodibus, late patuerunt in tota Germania aditus Eccleſiarum Catholicarum hæreticis, qui nil morati, eas in pleriſque locis occuparunt, ſacra prophanarunt, Cathedris annuntiatores hæreſeos impoſuerunt, Scholis Catholicarum diſciplinarum vetuſtis prædicatores novarum ſectarum præfecerunt, ac omnia juris ſui fecerunt, ut ne veſtigium Catholiciſmi relinquerent, præter ſtructuras Baſilicarum & Templorum, quas antiquitas excitavit, teſtimonium primævi in Germania fervoris pro Religione Catholica. Et ſi qui in populo (ut ſimpliciores tenacius ſemper & ſincerius retinent traditam ſibi per manus avitæ Religionis doctrinam) nomen Catholicum præferre volebant, ii à dignitatibus & officiis publicis, quaſi rudiores cæteris, arcebantur, contumelia hujuſmodi alios quoque à Catholiciſmo deterrente.

Lutherus hæreſim ſeminare incipit ult. Octob. 1517.

Lutherana hæreſis incrementa.

Succeſſit deinde miſerabilis bonorum Eccleſiaſticorum direptio: nam & Sacerdotes novum vitæ genus conjugalis ſecuti, ſinguli quod ab Eccleſia obtinebant, in ſucceſſionem ſtirpis quiſque ſuæ uſurparunt, alia Magiſtratus pro fiſco civitatum ſuarum occuparunt, meliora Principes & Provinciarum Proceres propria fecerunt, & proviſioni ſecundogenitorum in proſapiis ſinguli ſuis deſtinarunt, aſtutiſſimo prorſus artificio. Ita enim poſteris ſuis hæreſis conſervandæ neceſſitatem impoſuerunt, quod perpetuo metuendum ipſis eſſet, ne ea relicta, & Religione Catholica poſtliminio aliquando revocata, bona illa Eccleſiarum reſtituere, ac taliter exui opimis facultatibus, demumque egere, & pauperie miſerè conſumi, ipſi & multiplicati eorum filii cogerentur.

Hæreſis Germaniæ ſpoliis Catholicorum ſtabilitur.

Non hic autem ſtetit hæreſis malefica, ſed ſecurior jam ſui, (ut vitii eſt natura prolabi ſemper in deterius) tanto magis noxia cœpit evomere venena. Emiſit vox Dogmatiſtarum Ecolampadii, Zuinglii, Monetarii, Anabaptiſtarum portentoſa nomina, qui per Germaniam & Helvetiam, non certam aliquam errorum propoſitionem, ſed quiſque capitis ſui nænias auditoribus divulgabat; & jam non una, ſed quot Civitates, tot pene hæreſes perſonabant: immo quot Cathedræ, tot Doctores, totidemque doctrinæ invicem contrariæ; nam & in eiſdem Civitatibus inter ſe illi diſſidebant, in eo ſolo concordes, ut Catholicam Religionem Romanam oppugnarent. Et quidem initio Imperii ſui Carolus V. Imperator, poſtquam Aquiſgrani 1520. die 10. Novembris coronatus fuerat, Anno proximè inſequenti 1521. Vormatiæ in primis ſuis Comitiis Germaniæ, hæreſim illam gliſcentem aliquantum repreſſerat, promulgato contra Lutherum & omnes qui ipſi adhære-

Carolus V. Imper. coronatus Aquiſgrani 1520.

Carolus V. Vormatiæ Comitia celebrat & Lutherum damnat.

Carolus V. in Comitiis Auguſtæ 1530. iterum Lutheranos condemnat.

rent proſcriptionis ſeveriori decreto. Sed avocatus bellis Italicis, rerum Germanicarum curam intermiſerat, & ſub id tempus dum adfuit decennio prope, in tantum invaluerat malum illud, ut neque armis neque Concilii Generalis authoritate cohiberi potuerit. Cum enim Anno 1530. idem Imperator in Germaniam reverſus, Comitia primo Spiræ, & deinde Auguſtæ Vindelicorum inſtituiſſet, & in eis congregati inſigniores ſacrarum literarum Doctores, præſente Cardinali Campegio, Clementis VII. Papæ Legato, in diluendis Lutheri criminationibus, quas contra Sedem Apoſtolicam Romanam ejuſque doctrinam ſpargebat, aliquot menſibus laboraſſent, Principes Lutheraniſmo jam plurimi addicti, præſertim Ioannes Elector Saxoniæ cum filio Ioanne Friderico, Georgius Marchio Brandeburgicus, Erneſtus & Franciſcus Duces Luneburgenſes, Philippus Landgravius Haſſiæ, Volfgangus Anhaldinus, ac Legati quarundam Civitatum Imperialium circa Confeſſionem ſuam in 12 articulos digeſtam, & Imperatori 25. Iunii in eiſdem Comitiis præſentatam, (pro illis Comitiis eam conſcripſerat Lutherus, cum ipſe proſcriptus ante in Comitiis Vormacienſibus ab Imperatore, venire ad iſta Comitia non potuerit, ſed ſubſiſtebat in propinqua Arce Coburga Ducum Saxoniæ, ac inde conſilia ſuis ſuppeditabat) audacius ſe oppoſuerunt, quamvis Imperator illam Confeſſionem, publico Comitiorum decreto damnaverit, & ei adhærentes, niſi Eccleſias Catholicas, & in eis immutata in priſtinum ſtatum, intra unum annum reſtituerent, damnatamque hoc modo doctrinam rejicerent, vitæ, dignitatum, bonorumque ſuorum amiſſionis pœna teneri, ac armis coërcendos fore declaraverit.

Carolus V. apud Algerim cladem paſſus 1541.

Smalcaldicum fœdus 1535.

Poſt illa vero Comitia, cum Imperator in Italiam, ac inde in Hiſpaniam abiiſſet, ibique Africanis expeditionibus (ingloria ultima apud Algerim, olim Iuliam Cæſaream, ubi A. C. 1541. menſe Octobre, & à tempeſtate, & à Mauris clade magna accepta ægrè remeavit in Hiſpaniam) & novis cum Galliæ Rege controverſiis implicitus, diutius moraretur, iterum longas inducias hæretici in Germania habuerunt, ſub quibus totam Saxoniam, Marchiam, Pomeraniam, Palatinatum Rheni, Holſatiam, Alſatiam, in ſuas partes traxerunt, & etiam fœdus inierunt, pro mutua defenſione ſub finem Anni 1535. Smalcaldiæ, Smalcaldicum propterea denominatum. Vnde majores diffidentiæ exortæ, mox in apertum bellum eruperunt: Imperator enim rediens in Germaniam, cum diverſa Comitia egiſſet, in quibus Religionis controverſias ſopiri procurabat, & *Diſſidentes* (ita ab illo tempore denominari volebant Religionis Catholicæ Romanæ adverſarii) omnia concordiæ media rejicerent, ac Principes Duceſque fœderis illius Elector Saxoniæ Ioannes Fridericus, (ſucceſſerat in Electoratu Ioanni Patri interim defuncto) & Philippus Landgravius Haſſiæ armatos exercitus tenerent, hacque fiducia in dies plura Eccleſiaſticorum & Epiſcopatuum jura ſibi uſurparent, (Naoburgi ad Salam electum à Collegio Cathedrali Epiſcopum Iulium Pfulg Elector Saxoniæ abdixerat, ac in ejus locum ſubrogarat Nicolaum Amſdorfium Lutheranum, & Archiepiſcopum Maydeburgenſem, ac Epiſcopum Alberſtatenſem Ioannem Marchionem Brandeburgicum bonis exuerat) contemni ſe ratus, ipſe quoque ex Hiſpania, Italia, Belgio militem convocavit, & Anno 1547. præmiſſa proſcriptione in iſtos anteſignanos Electorem Saxoniæ, & Landgravium Haſſiæ, contra eos duxit exercitum, verſus Mulburgum ad Albim ſupra Torgam, ubi vigeſima quarta Aprilis præter ſpem (fortuito ruſticus quidam obvius equitatui vadum oſtenderat) Albi celerius tranſmiſſo, hoſtiles copias tam inopinatum congreſſum pugnamque detrectando ad tutiora recedentes, tandem ad tertium milliare, circa Louhernam ſylvam conſecutus diſſipavit, & ipſummet Ioannem Fridericum Electo-

Iulium Pfulg Epiſcopatu Naoburgenſi abdicat Elector Saxoniæ, eique hæreticum ſubſtituit.

Carolus V. Electorem Saxoniæ vincit & capit 1547.

rem

rem Saxoniæ cæpit. Vittemberga quoque 27 Maji, & obvia quæque Electoralia oppida deditionem fecerunt: ac quarta Iunii in caſtris prope villam Bleſern Cæſar Electoratu Saxoniæ captum Ioannem Fridericum abdicavit, eumque Duci Mauritio, ipſius agnato in tertio gradu cum omni ditione Electorali contulit. Landgravius Haſſiæ non adfuit in illo conflictu,& perſuaſus ab Ioachimo Brandeburgico, ac Mauritio Saxoniæ novo Electore genero ſuo, quòd Imperatorem deprecari poſſet, una cum ipſis venerat Halam ad Imperatorem quem poſtquam ſupplex ſalutaſſet, invitatus à Duce Albano ad cœnam, ea ſumpta, cuſtodiæ Hiſpanicæ, (hoc offenderat multos & Mauritium novum Electorem, cujus fide fretus Landgravius eò venerat, eaque cauſa fuit quod fructus iſtius victoriæ paulo poſt perierit) fuit traditus 20 Iunii. Atque poſt tantam cladem Fœderatorum diſſidia illa de Religione videbantur aliqua pace honeſta conciliari potuiſſe, ſi Cæſar victoriam ſuam proſequi voluiſſet: ſed debellatum exiſtimans ſtatim diſtraxerat exercitus, & captivos tenens Fœderatorum Duces, cæteros metu conſternatos, ſperabat facile imperara ſuſcepturos. Quod tamen ſecus evenit, nam cum mox ad eum finem Comitia Auguſtæ inſtituiſſet, & in cis à menſe Septembre hujus Anni 1547, in Annum ſubſequentem 1548, protractis, à Iulio Pfulgio ad Epiſcopatum Neoburgenſem poſt profligatum Ioannem Fridericum Electorem reſtituto, & à præcipuis qui aderant Theologis, præſertim Michaële Heldingo, Suffraganeo Moguntinenſi, librum *Interim* nuncuparum circa articulos fidei controverſos, & circa ritus ſacros in Eccleſiis diſſidentium ad deciſionem Concilii ſervandos conſcribi curaſſet, efficere non valuit, ut ille liber reciperetur à diſſidentibus:Neque tunc enim iſtorum partibus propugnatores defuerunt;quin & Mauritius novus Elector Saxoniæ non ſegnius quam nuper Ioannem Fridericus eas tuebatur. Reſtituerat ſtatim illius dogmatis Miniſtros Vittembergæ, unde ad adventum Imperatoris nuper exceſſerant, & librum illum *Interim* non recepit: immo & captivus Ioannes Fridericus quantumvis ſpe libertatis, & conſequendæ gratiæ Imperatoris dilineretur, eum probare noluit, omneſque Principes & Civitates illius ſectæ circa Confeſſionem Auguſtanam Anni 1530, 25 Iunii (hæc intelligenda erit quotieſcunque incidet mentio Auguſtanæ Confeſſionis) tenacius perſiſtebant, licet aliquæ mandatis Imperatoriis pro executione libri illius promulgatis, ſe parere ſimularint. Maydeburgenſes vero etiam ſcriptis publicis eum in Civitate ſua (in qua omnes ab Imperatore propterea damnati receptaculum habebant) confutari permiſerunt. Poſtmodum autem A. C. 1550, Imperator indixerat alia Comitia in eadem Civitate Auguſta, in quibus de hujuſmodi *Interreligione* quouſque terminaretur Concilium Generale ſervanda, & de Iuriſdictione boniſque Eccleſiaſticis reſtituendis propoſitione facta, nihil fuit concluſum, ac tota pene Imperatoris fortuna abinde cæperat nutare: nam neque Electionem Regis Romanorum pro filio ſuo Philippo, quam anxie, promovebat, potuit impertaſſe, ſtudiis & ſuffragiis Electorum ad Ferdinandum (nuper in Anno 1531, Coloniæ in præſentia ipſiuſmet Caroli V, Imperatoris à quinque Electoribus abſente, & contradicente Electore Saxoniæ electus fuerat Rex Romanorum Ferdinandus ipſemet ſextus Elector Boëmiæ Rex, deinde fratri Carolo V, Imperatori deprecanti, ut illi Electioni ſuæ uti dubiæ propter contradictionem Saxoniæ Electoris renunciaret, aliamque pro perſona Philippi fieri permitteret, aſſentiri noluit, & Electores maluerunt ipſius Electionem ratam habere, quam eligere Philippum, cum quo Hiſpani Imperium acceptum arbitrio ſuo gubernarent) converſis, inde in maxima animi perturbatione & Ferdinando & Electoribus offenſus, ſolverat illa Comitia. Quod verò magis ipſum afflixit, cum ab eiſdem Comitiis exoratus, Landgravium Haſſiæ

Sax. Elector abdicatur Electoratu.

Landgravius Haſſiæ in Caſtra Imp. ſponte venit & detinetur.

Caroli V. Interim *in Comitiis Auguſta* 1547.

Germani Principes non recipiunt librum Interim.

Auguſtana confeſſionis nomine intelligenda 1530.

Carolus V. vult eligi Romanorum Regem filium ſuum, & rejici Ferdinandum.

Ferdinandus I. fuit electus Rex Romanorum Coloniæ 1531.

poſt

poſt pugnam Mulburgenſem extra prælium apprehenſum dimittere recuſaret, Mauritius Elector Saxoniæ novus, ſub cujus fide ille Landgravius in captivitatem venerat, eam injuriam uti propriam ulciſci propoſuit & Anno 1551. menſe Septembre Lochæ celebrato Conventu cum Principibus Germaniæ, præſertim Al-

Fœdus Principum Germania contra Corolum V. Imper. 1552.

berto Brandeburgico, Vilhelmo & Ludovico Haſſiæ Landgraviis captivi filiis, Mechelburgi Ducibus, Legatiſque Regis Galliæ, novum fœdus fecit pro vindicanda (ut ajebant) Germaniæ libertate. Moxque collecto exercitu, parum abfuit quin oppreſſerit Imperatorem Oeniponti Tyrolis tunc degentem. Iſte enim

Mauritii Electoris Saxoniæ expeditio contra Carol. V. 1552.

nihil minus quam ab eo quem recens dignitate Electorali ornaverat, adverſi quid expectans, cum demum ad famam adventantis hoſtis aliquas copias comparare cepiſſet, & judicaret Arce Eretberga ac Cluſa, tranſitum Alpium claudente, primum ejus impetum ne Oenipontum penetraret, ſuſtineri potuiſſe, Mauritius prima Aprilis Anni 1552, coacta ad deditionem Auguſta Vindelicorum, & diſſipatis paucis Imperialibus turmis quæ ab Alpibus ipſi obviam prodierant, Arcem quoque illam Eretbergam ac Cluſam, tanta celeritate (per præ-

Carolus V. ægre effugit Oeniponto. 1552.

rupta Alpium milites Ducis Mechelburgenſis, ad loca Arci imminentia præter ſpem velocius penetrarant) intercepit, ut Imperator eo audito, intempeſta nocte inter accenſas faces Oeniponte fugienti ſimilis in Carinthiam Brunecum, ac inde Villacum abire debuerit. Statim autem Ferdinandus Rex Roman. interceſſit, ut bello intermiſſo, Mauritii, & ipſius fœderatorum omnium offenſæ amica tractatione componerentur, & inſtitutis Comitiis Paſſaviæ eodem Anno 1552, in

Caroli V. concordia cum Principibus Germ. 1552.

quibus ipſemet Ferdinandus (Imperator in Carinthia toto eo tempore hæſit) cum filio Maximiliano præſidebat, tandem ſub finem menſis Iulii, in eo res ſtetit, quòd ad 12 Auguſti ejus anni, (Ioannes Fridericus Elector Saxoniæ exauthoratus, morabatur adhuc penes Imperatorem, ſed jam libertatem quinto ſuæ detentionis anno obtinuerat) Philippus Landgravius liber dimitteretur: proſcripti aut bonis ſpoliati ob fœdus Smalcaldicum in gradum priſtinum reſtituerentur: Omnibus qui tunc cum Mauritio militarunt Imperator ignoſceret: Ad conſilium Imperii Aulicum non niſi Germanos Conſiliarios adhiberet, & negotia Germanica per ſolos Germanos miniſtros tractaret: Pax in cauſa Religionis ad futura Comitia ſeu Concilium nationis Germanicæ, vel generalem Imperii conſenſum, inter Cæſarem, Electores, Principes, & Ordinis Imperii ſervatur. Sicque detentio illa Haſſi Landgravii inconſiderata, omnem tot annorum Imperatoris Caroli V. pro Religione Catholica operam impenſamque evertit, Concilium Tridenti tunc inſtauratum diſſipavit, & hæreſi in dies magis in Germania creſcenti ſecuritatem

Carolus V. Gall. Rex Metim oppugnat irrito eventu.

ſtabilivit, concordia iſta Paſſaviana, cujus formula paulo poſt in aliis Comitiis Auguſtæ A. C. 1555. 25 Septembr. præſidente Ferdinando, (Imperator Carolus V. deſidebat tunc Bruxellis, & ab illo Oenipontino caſu nil memorabile geſſit, præter quod A. C. 1552, adulto jam autumno obſederat Metim, Civitatem Mediomatricum ad Moſellam, duodecim milliaribus ſupra Treverim ſitam, quam ſub illa

Carolus V. cladem accipit apud Metim.

expeditione Electoris Mauritii ex vi mutui fœderis ſumptis armis Henricus II, Galliæ Rex una cum Tulle ac Verduno ceperat: Sed ibi multam ab erumpentibus Gallis cladem accepit, deſertiſque tormentis bellicis & impedimentis, re in-

Carolus V. in Monaſterium ad vitam privatam ſecedit.

fecta, retrocedere fuit coactus, ſeu ultimam ibi fortunæ ſuæ metam attigit, & exinde reverſus in Hiſpaniam poſt triennium abdicato Imperio in Monaſterio S. Iuſti in Bætica, privatam vitam biennio agens deceſſit) conſcripta fuit tali præcipue ſenſu: nempe quod nemini à Cæſare, Principe, & quovis alio propter Auguſta-

Concordia 2. Germaniæ diſſidentium 1555.

nam Confeſſionem (Anni 1530.) vis inferri, & controverſa Religio, nonniſi amica pacificatione Generalis, ſeu nationis Concilii, vel Conventus Imperii Generalis ad concordiam reduci deberet: Qui bona Eccleſiaſtica ante illam concordiam

Paſſa-

Paſſavienſem occuparunt, nec in judicio, nec extra judicium eo nomine conveniri poſſent: Iuriſdictio Eccleſiaſtica Romanocatholicorum, in Auguſtanæ Confeſſionis cerimonias ne exerceretur, ſed maneret ſuſpenſa ad generalem compoſitionem; viciſſim Auguſtanæ Confeſſioni addicti, Romanocatholicos in uſu ſuæ Religionis, & bonorum poſſeſſione non turbarent. Qui non alteri ex duabus iſtis Religonibus nempe Romanæ Catholicæ, vel Confeſſionis Auguſtanæ adhæreret, ab hac pace excluſus eſſet, & ubi in Civitatibus Imperialibus utraque hæc Religio hactenus viguerit, in poſterum quoque conſervaretur. Hæcque pax iterum in Comitiis Auguſtæ 1559. fuerat à Ferdinando confirmata.

Quod vero in iſtis incidit mentio Concilii Generalis, iſtud inſtitutum à Paulo PP.III primum Mantuæ, poſtea Vincentiæ, demum Tridenti, A.C.1546. Idib. Decembr. inchoatum, deinde peſte ibi exorta tranſlatum Bononiam, tandemq; iterum Tridenti A.C.1551, à Kal. Septembris ſub Iulio PP. firme conſedit, eo quod illa Italiæ Civitas Germaniæ contermina, nec Gallis adeo longinqua, omnibus facilitatem ad tam celebrem cœtum commeandi permitteret. Ac conveniebant eò pro diverſis ſeſſionibus diverſi maximo numero ex ſingulis Europæ partibus Epiſcopi, & peritiores quique in legibus ſacris Doctores. Sed diſſidentis quamtumvis Conſilium hujuſmodi flagitaverint, & ad illud in ſuis controverſiis ac reſponſis ſæpius provocaverint, plus viginti annis expectati, (tantum temporis inſumptum fuit eis ad idem Concilium invitdanis) nunquam comparere voluerunt, ſeu conditiones veniendi tales propoſuerunt, quibus omnem poteſtatem definiendi dubia fidei in ſeipſos transferrent. Requirebant præcipue ut Concilium Imperator indiceret, non alius: Summus Pontifex Rom. Epiſcopos qui Concilio intereſſent, à jurejurado obedientiæ quo ipſi obligantur abſolveret, ipſe in Concilio ut pars accuſata reſponderet, & Concilii judicio ſubeſſet: eorum vero Legati jus dicendæ in Concilio ſententiæ, & decernendi haberent. Cumque tam iniquæ propoſitiones non admitterentur, illi non eſſe liberum nec Oecumenicum ac legitimum, ſed partium Pontificis Romani Concilium criminabantur, & finitum (finierat 4 Decembris Anni 1562. ſub PP. Pio IV. celeberrimum illud, & fortaſſis ultimum in Eccleſia Chriſti Catholica Concilium, cujus acta extant paſſim, nec compendium noſtrum permittit, ut ſingularius hic recenſeantur) non receperunt. Quinimo etiam ab illa prima ſua Confeſſione Auguſtana Anni 1530, longe receſſerant, nomine tantum ejus (ne à pace iſti ſoli conceſſa exciderent) retento. In colloquio cum Catholicis Vormatienſi Anni 1557, Melanthon cum ſociis (Lutherus jam ante Anno 1547, obierat Iſlebii) non permiſit ſeparari ab iſta Confeſſione Cinglianos, Sinergiſtas, Adiophatos, Oſiandros, (totum Calviniſmum) quos ante ab initio omnes fere, & tunc Ducum Saxonię olim Electoris captivi filiorū ſeu Vinmarienſium Theologi rejiciebant. Et Anno 1561, Naoburgi ad Salam cum fuiſſent congregati, non potuit inter eos convenire, ut ex pluribus illius confeſſionis Auguſtanæ exemplaribus: quæ invicem diſcrepantia cicumferebantur, unum eligerent, ac communi conſenſu approbarent, ſed genuino illi A.C.1530. Auguſtę Carolo V. oblato (quo omnibus Hęreſiis ſuffragaretur) volebant addi pręfationem, in qua aliud ejuſdem Confeſſionis exemplar A.C.1540, editum, una cum ſua Apologia, tum & receſſu Francofurtenſi, ac confeſſione diſtincta Saxonicarum Eccleſiarum confirmaretur. Saxonię vero Duces Vinmarienſes cum nonnullis aliis, ſolos atticulos Smalcaldicos admittebant, & receſſerant ab illo Conventu declaratione facta, quòd nullam Confeſſionis formulam ſubſcriberent, niſi in ea diſerte errores contra purā Auguſtanam pugnantes, & pręcipue Sacramentarii damnarentur. Venerant ad illum Conventum & Legati Pii PP.IV. Zacharias Delphinus & Ioan. Franciſcus Commendonus Epiſcopi, ut diſſidentes ad Concilium invitarent, ſed ſine honore habiti

Concilium Generale à Paulo III. PP. inſtitutum, tandem Tridenti conſedit 1546.

Germania diſſidentes 20 annos expectati ad Concilium noluerunt venire.

Concilium Tridentinum finiit 1592.

Auguſtana confeſſionis prima formula depravata.

habiti cum reſponſo quòd Concilium non à Papa, ſed ab Imperatore inſtituendum eſſet, fuerunt dimiſſi, quin & literæ breves Apoſtolicæ, quas eidem Conventui præſentaverant, non reſignatæ ad hoſpitium ipſis fuerunt remiſſæ. Concordiam quoq; illam Anni 1552. Paſſavienſem in Comitiis Auguſtæ Anno 1555 firmatam, commentitia interpretatione (quaſi Catholicas Eccleſias directè Imperio ſubjectas tantum, idque nonniſi quoad ſubſequens exinde tempus in ſuo priſtino ſtatu conſervari vellet, illas vero quæ in ditionibus ſeu patrocinio, vel ut vulgaritet vocatur in Iurepatronatus ſingularium Dominorum locorum conſiſterent, eorundem arbitrio permitteret) eludendo, violarent ſtatim diſſidentes pacem Catholicorum. Paſſim iſti è ſuis Eccleſiis in Civitatibus & ditionibus Principum (præter Bavariam & Auſtriam) ejiciebantur, poſſeſſionibus ſpoliantur, cum nemo adeſſet qui rem ipſorum tueretur, Ferdinando Imperatore ad omnia conveniente, & magis obtinendis à Germaniæ Ordinibus pro Bello Vngarico auxiliis, pecuniiſque intento, propter quod illam quoque primam Paſſavienſem concordiam accelerarat.

Ferdinandus I. Imp. connivet in rebus Religionis.

Vngariæ & Boemiæ Regni viciſſitudinum initia.

Et ut illas quoq; curas Ferdinandi, ſimulque Vngariæ ac Boëmiæ Regni viciſſitudines breviter perſtringamus. Vladiſlaus Caſimiri Poloniæ Regis filius, Rex Vngariæ & Boemiæ, ex Anna uxore Galla Candallæ Comitis filia, affine Ludovici XII Galliæ Regis, habuit Annam filiam, & filium Ludovicum. Ac Annam quidem uno anno ante ſuam mortem deſponſarat Maximiliani I Imperatoris ex Philippo filio Nepoti Ferdinando impuberi annorum tunc 13. moriens vero A.C. 1516, reliquerat Ludovicum filium annorum 10. Vngaris & Boemis Regem. Qui licet immaturus Regno, ſat feliciter regnavit, quouſque patrui ſui & tutoris naturalis Sigiſmundi Regis Pol. conſiliis nitebatur. At mox in adverſa multa præcipitavit, poſtquam adhæſit conſiliis juvenum, præſertim Vngarorum, quorum mores luxu & faſtu corrupti, proximi interitus ipſorum non dubia præſagia præferebant. Aucti enim privatis opibus & viribus plurimi, nullo Regis, ut pote juvenis reſpectu, mutuis odiis & violentiis ſe invicem conſumebant, & elati amorum copia, Turcas illi Regno imminentes, facile laceſſebant injuriis. Vnde Solymanum (circa A.C. 1300. primus iſtius ſtirpis Ottomanus Zuchi cœpit imperare apud Turcas ſublatis Saladinis veteris poſt Machometem illius gentis Regulis, prope eodem tempore cum & Domus Habſpurgenſis Auſtriacum nomen ſumpſit, & aſſurgere cæpit) Turcarum tunc Imperatorem, contumelioſe contra jura gentium habitis ipſius Legatis in tantum irritarunt, ut A. C. 1521. Græcam Albam, ſive Belgradum (Taurinum antiquis Raſciæ Deſpotæ olim ſedes) cæperit: & A.C. 1526, ipſemet cum ingenti exercitu veniens in Vngariam menſe Auguſto, Ludovicum temere cum pauciſſima ſuorum manu occurrentem, apud Muchatium ſuderit. Ex quo prælio devius Ludovius equo in paludem quandam lutoſam illatus & ſuffocatus, pœnas dedit temeritatis, non ſuæ ſed Vngarorum, qui Polonis nomine Regis Sigiſmun. ibi aſſiſtentibus, & quouſque auxilia firmiora ex Polonia & Boemia confluxiſſent, vel ſaltem Ioannis de Zapalia Tranſylvaniæ Palatinus (non longè jam aderat cum non contemnendo armatorum Comitatu) adveniſſet, congreſſum cum hoſte diſſuadentibus, juvenem Ludovicum ætatis (annorum viginti unius) fervore & generis innata magnanimitate ferocientem, ac magis ne quando ſibi ab Vngaris puſillanimitas exprobraretur præcaventem, pertinacia ſua ad committendum illud prælium induxerunt. Atque ita triſte nefaſtumque principium perdendæ Vngariæ dederunt, cum ab eo primum tempore Turca eam infeſtam reddere, ac quaſi propriam uſurpare cæperit, eouſque Boſnæ, Raſciæ, & Bulgariæ finibus contentos, & nil minus quam de occupanda Vngaria cogitans. Sublato autem tali clade Ludovico, (ſterilis deceſſit, licet Anno 1521. ætatis ſuæ 15. acceperit uxorem Mariam ſororem Caroli V Imperatoris & Ferdinandi) ad An-

Vladiſlaus Rex Vngar. Boem. Caſimiri Regis Poloniæ filius.

Ferdin. Nepos Max. Imp. ex Philippo filio deſponſat Annam Vladiſl. Regis Vngar. filiam.

Ludovicus Vladiſlai filius Vngar. & Boemiæ Rex ſub tutela Sigiſm. Regis Pol. patrui ſui feliciter regnavit.

Vngari Turcas laceſſunt & ad arma concitant.

Turca Belgradum capiunt 1521.

Ludovicus Rex Vng. à Turca caſus 1526.

Ludovici Regis Vng. uxor nullam prolem genuit.

Ferd. I. ſucceſſionem hæreditariam in Regno Vngar. & Boemiæ traxit à concordia privata Vladiſlai Regis 1515.

Vngari & Boëmi liberam Electionem Regis habuerunt.

Annam ejus ſororem, & uxorem ſuam Ferdinandus (cum ea deſponſata ſibi à ſex annis, demum Anno 1521. celebravit nuptias anno ætatis ſuæ 19.) Regnorum Vngariæ & Boëmiæ ſucceſſionem traxit, prætendens titulum hæreditatis; ex concordia in congreſſu Viennæ Anno 1515. Regum Sigiſmundi Poloniæ, Vladiſlai Vngariæ & Boëmiæ, cum Maximiliano Imperatore compoſita, quaſi ibi tranſactum fuiſſet inter iſtos Principes, quòd Vladiſlao decedente abſque ſucceſſore ſuæ ſtirpis maſculo, Maximiliani Nepos Ferdinandus cum ſua uxore Anna, in Regnis Vngariæ & Boemiæ ſuccedere deberet, cum tamen & Vngaria & Boëmia hæreditariam Regum ſucceſſionem, ex quo ſtirps primæva Regum illorum defecerat, prorſus abhorruerint, longaque ſerie Reges ſibi per libera ſuffragia elegerint, & compoſitio inter illos Reges inita, abſque Procerum & populorum, quorum res agebatur cenſenſu, eorundem Regnorum juribus præjudicare non valuerit. Imo & illius concordiæ Viennenſis formula, ſuperſtite Sigiſmundo Poloniæ Rege fratre germano, & ſtirpe vera maſcula generis Vladiſlai, non Ferdinandum ſed Sigiſmundum ad ſucceſſionem iſtorum Regnorum vocabat. Vnde Boëmi ſtatim ab interitu Ludovici concordibus ſtudiis iſti Regnum Boemiæ detulerant: Sed dum cunctanter agit, & ut erat Religions Catholicæ ſtudioſior, Boëmos ad eliminandam prius ex illo Regno hæreſim Huſſi obligare conatur, Ferdinandus celeritate uſus, & Imperatoris Caroli V. fratris ſui viribus adjutus, Boëmiam non expectatis Boëmorum ſuffragiis occupavit. Nec ſuppetebat illi genti facultas tunc, qua libertatem ſuam à tali injuria vindicaret, nulluſque aderat quem Regem Ferdinando opponendum eligeret, cum omnes circumquaque Principes difficilis contra potentiores Auſtriacos belli aleam ſubire recuſarent, & Sigiſmundus ætate provectior (ſexagenarius prope) filii unici Auguſti tenelli, tunc vix dum quadrimi ex Bona Sforzia Ioannis Galeacii, ultimi Ducis Mediolani filia ſuſcepti ſecuritati magis proſpiceret: ne nimirum æmulatione tali offenſos, perpetuoſque hoſtes haberet Auſtriacos, quibus nulli nocendi modi deeſſent, & ſanguinis vel neceſſitudinis alicujus vincula in acquirendis Regnis nil obſtarent: præſertim contra Principes gente Slavonos natura Germanis exoſos, quos illi licet affinitate ſibi conjunctos ſæpius Regnis Vngariæ & Boëmiæ, nullo juris æquitatiſve reſpectu habito, ſæpius exuere tentarunt, & olim ex Principatu Auſtriæ contra omne fas extruſerunt.

Boëmi Sigiſmundum Regem Poloniæ, eligunt ſibi Regem 1526.

Ferdinandus non expectatâ Electione Boëmorum armis Regnum occupat 1527. 4. Februarii.

Sigiſmundi I. Poloniæ Regis uxor Bona Sforzia.

Germani Polonis iniquiores.

Nam ut hoc quoque (pene obliteratum antiquitate) poſteritati liqueat, Præmiſlaus Ottocarus Boëmiæ Rex habuit uxorem Margaritam Leopoldi ſeptimi ex Familia Suevica Ducis Auſtriæ filiam, ad quam fratre ejus unico Friderico ſterili defuncto, ſeu cæſo, (inquietus vixit) optimo jure (in omnibus fiduciis Imperii præter Electoratus, fœminæ ſuccedunt, & ipſimet Auſtriaci, jure fœminarum plurima quæſierunt) devolutum Principatum Auſtriæ, Styriæ, & Tyrolis obtinuerat. At Rudolphus Comes Habſpurgenſis, qui primo apud eundem Præmiſlaum Aulæ ejus magiſter ſtipendia meruerat, & ob beneficia accepta devinctior ipſi eſſe debebat, Moguntini Electoris opera A.C. 1271. ſub Greg. X. PP. electus Imperator Romanorum (Præmiſlaus repudiarat Imperium delatum ſibi ab Electoribus) ægre ferens, quod gentis Slavonę Princeps in Germania ſuum Dominatum dilataret, illos Principatus pertinentes ad Imperium (ſeu feudum Imperii uſitato loquendi modo) non rectè ab ipſo poſſideri dixit, eò quòd jusjurandum fidelitatis Imperio non præſtitiſſet: contentionibuſque verborum, ac poſtea armorum res aliquandiu fuit agitata: tandem vero cum Præmiſlaus ad jusjurandum reddendum ſe ſubmiſiſſet, Imperator non habens quod amplius requireret, recepto jurejurando, inſigne clientelæ pro illis Provinciis vexillum ipſi tradidit, ac amicitiam cum eo tunc inſtauravit. Sed novas ſubinde conſequendæ Auſtriæ rationes quæſivit, variiſque offenſarum occaſionibus compoſitis, filium ſuum Albertum

Præmiſlaus Ottocarus Rex Boëmiæ, Auſtriam conſequitur.

Rudolphus I. Imperator Auſtriæ feudum concedit Præmiſlao.

bertum in Comitiis Norimbergenſibus A. C. 1274. Ducem Auſtriæ tenuntiavit.

Rudolphus I. Imperator Præmiſlaum profligat, & capit Auſtriam.

Bello vero inde exorto, Præmiſlaus in prælio occubuit, Rudolphuſque victor
una cum filio ſuo Alberto (iſte quoque ut imperaret occidit Imperatorem Adol-
phum Naſſovium ſucceſſorem Rudolphi, A. C. 1292. & paulo poſt fuit etiam ip-
ſemet occiſus à Ioanne fratris ſui Rudolphi filio) Auſtriam cum aliis Provinciis

Albertus Auſtriacus occidit Imperatorem Adolphum 1292.

ei tunc conjunctis occupavit. Et quo memoriam tantæ injuriæ aboleret, ne-
cem Præmiſlai flevit, & ejus filio Venceſlao octenni filiam ſuam Iudirham,
filio vero ſuo alteri Rudolpho Agnetem illius filiam deſponſavit, à tali ſcena
Principatum Auſtriæ, & ejuſmodi agnomen familiæ ſuæ auſpicatus. Boemi ita-

Ferdinandus libertates Boëmis confirmatas reſcindit.

que (ut ad propoſitum redeamus) omni tunc ope deſtituti, ſatis habuerunt
quod à Ferdinando armata prece Regnum petente obtinuerint confirmationem
Privilegiorum ſuorum, & de libera in futurum Regis Electione cautionem: quam
tamen ipſe poſtea reſcidir; arrepta cauſa cum illi pro Carolo V Imperatore con-

Vngari jus ſuum Electionis liberæ Regis tuentur.

tra Electorem Saxoniæ Ioannem Fridericum Anno 1547. apud Mulburgum fu-
ſum, (fœdere avito cum Domo Saxonica verabantur) arma ferre recuſaſſent. Ve-
rum Vngari nil terriri Boemorum hujuſmodi exemplo, pro manutenendo eligen-

Ioannes de Zapalia Rex Vngariæ eligitur 1526.

di ſibi Regem jure fortius ſteterant, convenruque habito, votis concordibus ele-
gerunt ſibi Regem Ioannem de Zapalia Stephani filium Scepuſienſem Comi-
tem, Tranſilvaniæ Palatinum. Quod iniquius ferens Ferdinandus, allicitis in ſuas
partes paucis ex illa gente, Caſimiro Brandeburgico Marchioni commiſit, ut
cum valido exercitu Vngariam invaſerit, & ipſemet celerius ſubſequens multa

Ferdin. Budam capit & ibi coronatus Rex 1527.

ejus regionis oppida intercepit. Nec difficili negotio una & altera velitatione diſ-
ſipatis exiguis (majores in tam arcto tempore Ioannes Rex non poterat colle-
giſſe) Vngaricis copiis, Budam quoque in ſuam poteſtatem redegit, ibique ritu
ſolenni tradi ſibi fecit Coronam ac inſignia Regia Vngariæ. Vngari vero tanto
magis offenſi, quod contra omne æquum & honeſtum, eorum Regnum legibus
& libertatibus antiquis legittime conſtans, ipſis inviris aliquis uſurparet, & inva-
deret, bello jura Patriæ vendicanda decreverant, maxime quod nulla ſuppeteret
ratio, quæ electionis Regis liberæ eorum uſum dubium faceret, cum à multis re-
tro ſæculis diverſos longo ordine, ac recentiori memoria poſt mortem Alberti

Vladiſlaus Rex apud Varnam cæſus à Turcis 1444.

Auſtriaci Vngariæ Regis, (& quidem ſuperſtite Ladiſlao Alberti Regis poſthumo)
Vladiſlaum Iagellonium Poloniæ Regem, qui in primo juventæ flore, vix annum
ætatis ſuæ vigeſimum (nempe natus prid. Kal. Novembr. A. C. 1424.) egreſſus,
ad Varnam A. C. 1444. decima Novembr. ab Amurate II. Turcarum Imp. cæ-

Matthias Rex Vngariæ obiit 1490.

ſus periit, & deinde filio Alberti Ladiſlao, qui Vladiſlao ſucceſſerat defuncto,
Matthiam Hunniadem, iſto vero extincto hydropiſi Viennæ Anno 1490, (rejecta
ejus pactione cum Friderico III Imperatore, qua ſucceſſionem in illo Regno
Auſtriacis ſine cenſenſu Vngarorum ſtabilierat) Vladiſlaum alterum Iagellonium,
demumque Ludovicum liberis ſuffragiis Reges ſibi elegerint, & Ferdinandus
nonniſi pacta cum Vladiſlao Rege de ſucceſſione in illo Regno hæreditaria ad-
duceret, quæ tamen inita intra Reges (per liberam Electionem Regnum adepti
hæreditatem non habentes, eam in alios transferre non poterant) privato no-
mine, inſciis, nec unquam aſſentientibus, quorum intererat Vngariæ Ordinibus,
irrita ſteterant.

Ioannes Rex Vngariæ auxilia conquiſivit contra Ferdinandum.

Bello itaque contra Ferdinandum in Vngaria proclamato, Ioannes Rex in Po-
loniam profectus auxilia conquiſivit. Et licet Rex Sigiſmundus Auſtriacis con-
junctior, eâ denegarit, ſponte tamen ſua plurimi Equeſtris Ordinis Poloni cum

Hieronymus Laski Ioanni Regi auxilia conducit.

Hieronymo Laski ad illud bellum militaturi tranſierant. Cumque Rex Ioannes
æſtimatis viribus Ferdinandi Caroli V Imperatoris, & totius Germaniæ opibus
ſubnixis, adhuc ſuas inferiores eſſe judicaret, conſilio Hieronymi Laski viri in
adeundis

adeundis arduis quibuſque ſolertiſſimi, etiam Turcarum auxilia imploravit, & ipſummet Laſcium ad Solymanum Turcarum tunc Imperatorem pro eis conducendis miſit. Unde ſparſus fuerat rumor, quod idem Ioannes Rex pro auxiliis hujuſmodi Turcæ promiſerit ſubjectionem Vngariæ, ſed veriſimilior de Ferdinando, quaſi egerit cum Solymano, ut ſi ejecto Ioanne Regnum Ungariæ ſibi traderet, mercedem ſuæ hujuſmodi operæ cenſum capitis ſinguli ex omnibus populis Vngariæ, ſingulos aureos nummos reciperet, in quo promovendo deprehenſum fuiſſe Ferdinandi apud Turcam Legatum, Sigiſmundus Rex publica Legatione ipſum Ferdinandum admonuit, & Ferdinando ſatis fuit reſpondiſſe, quod talia Legato ſuo non commiſerit. Legationis hujuſmodi à Sigiſmundo ad Ferdinandum vidi exemplar in Archivo Actorum publicorum Poloniæ Regni. Sed quicquid ſit de iſtis, omnino Solymanus non prece vel pretio, verum ſponte ſua ad omnes occaſiones dilatandi Imperii ſui intentus, illam Chriſtianorum Principum diſcordiam pro Regno Vngariæ dimicantium lubens arripuit, & ipſemet cum potentiſſima manu in Vngariam adveniens, Budam & totam illam Regionem, paucis oppidis exceptis, quæ Ferdinandus remotiora munierat, in brevi recepit, Regique Ioanni reddidit. Inde progreſſus, Viennam oppugnavit, demumque ſub finem Octobr. Autumno humidô ac frigido Turcicæ militiæ maxime infeſto urgente, (Germani dicebant quod fama adventantis Caroli V, territus retroceſſerit) in Thraciam redierat, jactando, quod hoſtem Ferdinandum non tantum in Vngaria, ſed etiam domi ſuæ propriæ quæſierit, nuſquam tamen ad pugnam elicere potuerit; ut in literis ad Sigiſmundum Regem Poloniæ ex caſtris ad Viennam datis gloriabatur: habeo illas literas, ſed cum ſint prolixiores, faſtidium parerent lectori.

Turca Solyman. in Vngariam venit 1527.

Exinde autem quiete aliquandiu regnavit in Vngaria Rex Ioannes: ſed Ferdinandum tacito premebat Regni ſpe devorati jactura: & cum armis iterum laceſſere Regem Ioannem præſidio Turcico fidentem non auderet, pacis tractatione aggreditur. Inſtitutumque fuit ad hoc colloquium Varadini, ubi Ioannes Archiepiſcopus Laudenſis, Caroli V, Imperatoris Legatus conſcripſerat conditiones pacis tales: Primo loco Rex Ioannes Frater chariſſimus Imperatoris & Ferdinandi denominabatur, deinde permittebatur ut regnaret in Vngaria dum viveret; eo vero defuncto, ſuccederet in illo regno Ferdinandus: hanc ſucceſſionis legem ut jurejurando interpoſito confirmarent Proceres & Ordines omnes Vngariæ in proximis illius Regni Comitiis, in quibus etiam pax & concordia hujuſmodi publicari, & exinde primum rata firmaq; haberi deberet. Nunquam tamen fuit publicata, Vngaris repugnantibus, propter appoſitam conditionem de Ferdinandi in Regnum poſt fata Ioannis ſucceſſione, qua jura eorum liberæ Electionis Regis labefactabantur. Et cum deinde Ferdinandus diligentius inſtaret, ne Rex Ioannis illam pacem palam irritam faceret, ſed ſaltem abſtineret ab aperta contradictione, ſeu per ſolos Conſiliarios miniſtroſve ſuos privatos eam jurari juberet, nil unquam obtinuit, quantumvis adnitente per Legatos ultro citroque miſſos Sigiſmundo Rege Poloniæ, qui majori ſtudio amicitiam inter illos Principes conciliare nitebatur, eo quod cum utroque ſtrictiores ſanguinis neceſſitudines haberet: nempe Annæ uxoris Ferdinandi patruus, & natus matre Eliſabetha Alberti II Imperatoris filia, Caſimiro Regi Poloniæ nupta, ipſi Ferdinando cognatus, Regi vero Ioanni cujus ſororem Barbaram conjugem primam duxerat affinis. Imo nova inſuper affinitate & hunc & illum ſibi devinxerat: non multo enim poſt A. C. 1543, deſponſaverat Auguſto filio ſuo Eliſabetham filiam Ferdinandi, & interim A. C. 1539, initio Ioanni Regi ſuam ex Bona Sforzia filiam Iſabellam dederat uxorem, omine minus felici, cum & Eliſabetha Auguſti uxor vix dum altero anno in illo matrimonio completo deceſſerit A. C. 1545. ſterilis Vilnæ, &

Ferdinandus tractat concordiam cum Rege Ioanne.

Vngari rejiciunt pactum Ferdin. cum Ioanne de ſucceſſione Regni.

Sigiſmundus Rex natus ex Eliſabetha Auſtriaca.

Ioannes Rex Vng. uxorem ducit filiam Sigiſm. Regis Polon. 1539.

Auguſto Regi nubit Eliſabeth filia Ferdinandi Imperat. 1543.

Iſabella in Vngaria graviora perpeſſa, mæſtos ſemper ac ſolicitos parentes tenuerit. Nam ut ad pacem à Ferdinando cum Ioanne Rege tractatam revertamur, illa nunquam ſolida conciliari potuit, & cum paulo poſt A. C. 1540. Ioannes Rex obiiſſet, unico filio Ioanne Sigiſmundo vix dum nato infante relicto, Ferdinandus veteres pro illo Regno contentiones reſumpſit, Vngariamque cum infeſto exercitu invaſit. Vnde Iſabella inter bellicas curas in anguſtiis perpetuis varias fortunæ vices experiri cogebatur. Et quidem ſatis virili animo tam iniqui belli primos impetus ſuſtinuit ope Vngarorum, qui unanimes ipſi adhærebant, & ejus filium denominatum Ioannem II, Regem ſibi inaugurarunt, certatimque concurrebant ad arma comparanda, quæ tanto periculo opponerent: ſed turbati celeritate Ferdinandi, qui confeſtim interceperat Peſtum, Budamque prope cum exercitu advenerat, & in ea Iſabellam cum filio Rege tenello gravi obſidione (integro prope anno) premebat, inopes conſilii & auxilii, iterum recurrerunt ad Turcam Solymanum, qui nil moratus cum ingenti exercitu adfuit præſto, & miſerabili clade profligavit Ferdinandi copias apud Budam, plurimis ex eis cæſis, magna parte aquis Danubii demerſis, & omni apparatu bellico cum caſtris univerſis, ipſoque Peſto in ſuam poteſtatem redacto. Verum nec amicis pepercit, nam altero poſt illam pugnam die cum infantem Ioannem Regem ad ſe in caſtra adferri, (faſciis involutum exceperat manibus, & fauſta illi comprecatus, reddiderat Vngaris in ſpem Regni ut ajebat alendum) Procereſque Vngaros convocari juſſiſſet, inſtituto cum ipſis de ulteriori contra Ferdinandum progreſſu belli colloquio ibi durante, Prætoriani ejus (Ianizeri vocantur) occupa-

Ioannes Rex Vngar. moritur, 1540.

Iſabella Reg. Vngariæ Regnum adminiſtrat.

Ioan. II. Rex. Vngar. renunciatur 1540.

Budam obſidet Ferdin. 1541.

Vngari auxilia à Turcis petunt contra Ferdinandum.

Solyman. profligat Ferdin.

Budam occupant Turca 1541.

runt portas Arcis & Civitatis Budenſis, quæ toto illo tempore abſque ulla doli ſuſpicione Turcis patebant. Ad quam novitatem commotis Vngaris reſponſum fuit, quod Arcem illam infanti Regi cum adoleverit Solymanus reſtitueret, interim vero fortiori præſidio eſſe cuſtodiendam judicaret, ne toties ad eam contra Ferdinandum defendendam ſibi in Vngariam redeundum eſſet: Matri Reginæ & pupillo Regi aſſignavit Leypam, ac totam Regionem ultra Tibiſcum cum Tranſilvania tenendam. Atque ita poſt Conſtantinopolim A. C. 1453, feria tertia Pentecoſtes 4. Calend. Iunii à Machomete captam, etiam Buda ceſſit Turcis A. C. 1541. & paulo poſt nempe A. C. 1543. Quinque Eccleſiæ, Strigonium, ac Alba Regalis, propter æmulationem Ferdinandi populis alioquin liberis invitis dominari, Regemque legitimum Regno ſuo pellere volentis.

Iſabellæ & Ioanni II, Regi Vngar. Turca concedit Tranſilvaniam.

Strigonium capit Turca 1543.

Ac tota exinde una parte à Turcis, altera ab ipſiſmet Chriſtianis miſere dilacerabatur Vngaria. Non enim deſtitit eam licet renitentem uſurpare Ferdinandus, & nihil intentatum reliquit, quo Iſabellam cum filio Rege pupillo inde exturbaret, ut iſti potentiorem ipſius vim, Turcica vi repellere fuerit neceſſe. Legatus Ferdinandi Ioannes Baptiſta Caſtaldus, ſpecie tractatus pacis venerat cum exercitu (Iſabella imparata contra vim tam inſperatam invita conſenſerat conditionibus pacis à Caſtaldo propoſitis, nempe ut haberet cum filio Arces in Vngaria & Tranſilvania patrimonii Zapaliani, & loco dotis centum millia nummorum aureorum Vngaricorum, ac Opolienſem Principatum in Sileſia, & traderet Ferdinando coronam Vngariæ ac Tranſilvaniam) ad occupandam Tranſilvaniam, & præcipuum moderatorem conſiliorum Iſabellæ Georgium Martinuſium (ex Monacho) Epiſcopum Varadinenſem Eccleſiæ Rom. Cardinalem, ſummiſſis ad ejus cubiculum ſicariis, trucidari fecerat A. C. 1551, die 17 menſis decembris, eo quòd tali paci contradiceret. Vnde Turca re intellecta, carcerari fecerat Legatum Ferdinandi Conſtantinopoli, & monuerat Tranſilvanos ut Iſabellam ex Polonia quo interim confugerat, quamprimum revocarent, ad eamque reſtituendam in

Ferdinandus tractat cum Iſabella Regina ut cederet ipſi Regnum Vngariæ.

Martinuſius Card. occiditur à ſicario ſummiſſo à Legato Ferdinandi.

gradum

gradum priſtinum A.C. 1552. expedierat in Vngariam exercitus ſui Europæi Præfectum Machmet, Serdar Baſſam, qui non ſolum reſciderat conventa illa, & expulerat Caſtaldum ex Tranſilvania, ſed etiam Temeſuarum ac Leypam cum pluri- *Turcæ profligant copias Ferdinandi.* mis oppidis circumvicinis cæperat, & alium exercitum Ferdinandi cum Duce Eraſmo Teifelio apud Palaſtum profligatat: tum & Sfortiam Pallavicinum cum Italicis copiis Baſſa Budenſis fuderat, vivumque cæperat, ut Ferdinandus accepta *Ferdin. tributum annuum concedit Turcæ pro pace.* tanta clade, mittere Bizantium Legationem, pacemque triennalem tributo triginta millium nummorum aureorum annuo redimere debuerit. Filium vero Iſabellæ Ioannem II, jam tunc puberem ad Regnum Vngariæ & Tranſilvaniæ *Ferdinand. I. Imperator obiit 1564.* Principatum, tranſactis cum Caſtaldo rejectis, Procerum Vngariæ & Tranſilvaniæ ſtudio, ac ope Turcarum reſtitutum, cum nihilominus Ferdinandus, (obierat iſte A. C. 1564, die 25 Iulii, & vivens fecerat ante coronari ſuum filium Maximilianum Regem Roman. Boëmiæ & Vngariæ A. C. 1562.) & deinde Maxi- *Maximil. II. Imperator renunciatur 1562.* milianus Imperator perſequeretur hoſtiliter, vaſtaretque incurſionibus ditiones ipſius, Turcæ eam ejus injuriam propriam reputantes, plura loca Styriæ exuſſerunt, ac circa Strigonium non pauca oppida in ſuam poteſtatem redegerunt. Demumque Solymanus indignatus quòd Maximilianus etiam tributum à ſuo Pa- *Solyman tertio venit in Vngariam 1566.* tre Ferdinando ſibi ſtipulatum non ſolveret, & Ioan. Regem bello laceſſere monitus adhuc non defineret, ipſemet prope octuagenarius, cum immenſo apparatu bellico in Anno 1566, in Vngariam quarto venerat; ac omnes Arces circa Danubium infra Budam, in quibus erant præſidia Ferdinandi, vi occupavit, & Zigetum cinxit obſidione: circa quam cum ex mœrore animi, (quòd præter ſpem locum munitiorem invenerat, ac ignominioſum ſibi re infecta inde abſcedere reputaret) in morbum lethalem incidiſſet: obierat quidem, ſed Machmet *Solyman circa obſidionem Zigeti obiit.* Vezir Baſſa, ſupremus & bello & pace apud illum Imperatorem Magiſtratus tantiſper celata ejus morte, denuntiatoque militiis quod Imperator triſtitia ex ignavia ipſorum conſumeretur, & ſaluti ipſius niſi Arce capta conſuli non poſſet, majori fervore oppugnationem illam pene jam deſpertam inſtauravit, atque foſſis Arcis partim ceſpite ingeſto, ac oppugnatorum cadaveribus repletis, partim ceſpite ingeſto, ac oppugnatorum cadaveribus repletis, partim tabulato ſupernatante ſtratis, Turcæ machinas bellicas propius Arcem admoverant, injectiſque pilis ignitis, intro incendium grave excitarunt, ut defenſores foras pro- *Zigetum capiunt Turcæ.* dire, cominuſque pugnare fuerint coacti, una cum ſuo Præfecto Nicolao Serini Comite, cujus caput abſciſſum Baſſa ad caſtra Maximiliani prope Rabam ſeu *Serinus Comes perit.* Iaurinum cum Comite Ecchio Solmenſi deſidentia fecit deferri. Capto Zigeto menſe Iulio Anni 1566, Turcæ cum cadavere Solymani Conſtantinopolim *Turcarum Imp. Selym. poſt Solymanum.* redierant, novumque Imperatorem ſuum ſalutarunt nomine Selymum, ad quem Maximilianus quoque Cæſar ſtatim miſerat Legatos, & poſt biennalem tractatum pacis oblata penſione annua triginta millium nummorum aureo- *Maximil. II. Imper. impetrat pacem à Turca.* rum, quam etiam Ferdinandus Imperator conceſſerat, obtinuit inducias ad annos octo, tanto facilius quod ille Imperator Turca novus, magis ad Aſiatica bella, & maris Mediterranei firmandum ſibi Domminatum curam convertiſſet, ubi Cyprum Inſulam, eo quod navibus Chriſtianis mare illud infeſtum te- *Syprum Venetis ademit Selym Turca.* nentibus receptaculum eſſet, Venetis ademit, expugnata Nicoſia, & Tamaſſa ſeu Fama Auguſta (Salamina dicta antiquis) undecim menſium obſidione ad deditionem coacta.

Chriſtianorum vero Principum claſſis in auxilium illius Inſulæ congregata apud Echinadas ſcopulos (Poëtæ finxerunt Echinadas Nimphas in hos ſcopulos fuiſſe converſas, quod nollent tribuere Divinitatem Acheloi amni præterlabenti) & Naupactum prope ſinum Corinthiacum qui occidentem ſpectat, (non

D 2 pro-

procul ab Actio Promontorio, ubi Auguſtus Cæſar profligarat Cleopatram)
commiſſa pugna cum claſſe Ottomana, obtinuerat quidem celebrem victoriam

Turcicam claſſem expugnant Chriſtiani apud Naupactum 1571.

Duce Ioanne de Auſtria Caroli V Imperatoris filio notho, Marco Antonio Columna Pontificis, Ioanne Andrea Auria Genuenſium, & Sebaſtiano Venerio, ac Auguſtino Barbadico Venetarum navium Præfectis, & tota illa claſſis hoſtilis perierat cæſo Ali Baſſa ejus Architalaſſo, captiſque prope centum quinquaginta navibus & pluribus exuſtis ac demerſis die 7 Octobr. A. C. 1571, Cyprum tamen, cum Duces illi victoriam proſequi neglexiſſent, Selymus retinuit, & in Illyrico magna territoria, præſertim circa Antibarim, Olchinium, Ducleam, (ſive Diocleam patriam Diocletiani Imperat.) Veneris ademit, ac tributaria ſibi fecit, eoſque coëgit, ut pro redimenda pace integro triennio ſubſequenti ſingulis annis

Venetis in Dalmatia Turca adimenit multa.

centum nummorum aureorum Veneticorum millia ipſi ſolvere deberent. Nec multo poſt claſſe ſua reparata, Goletam quoque & Tunetum in Africa, ejectis inde ſumma vi Hiſpanis, ut alio loco attigimus, recuperavit; ac dicere ſolebar illa clade Naupactea, barbam ſibi à Chriſtianis abraſam, mox ſucreviſſe.

Ioannis II. Vngariæ Regis concordia cum Maximiliano.

Cæterum Imperator Maximilianus cum armis nil proficeret in Vngaria, concordiam fecerat Spiræ ſub Comitiis Germaniæ, A. C. 1569. cura Sigiſmundi Regis Pol. & ejus Legati Adami Konarſcii Epiſcopi Poſnan. cum Rege Ioanne II, ut iſte ceſſerit ipſi titulos Regis Vngariæ, & haberet Tranſylvaniam jure hæreditario, retineretque dum viveret partes Vngariæ, quas tunc poſſidebat. Et iſto de-

Ioannes II. Vngariæ Rex moritur.

functo paulo poſt ſterili, (obierat Albæ Iuliæ 16 Martii, A. C. 1571, inter curas de ducenda uxore Bavariæ Ducis filia, quæ ipſi denegabatur, niſi prius relinqueret hæreſim Arrianam) obtinuerat ille facile totam Vngariam præter quòd Tran-

Stephanus Bator eligitur Princeps Tranſylvaniæ.

ſylvani elegerant ſibi principem Steph. Bator de Somlio, ut ſupra diximus, Turcarum autem vim evitavit, ſtudioſius obſervando conditiones pacis cum ipſis ſtipulatas: Ac Rudolphus ejus filius Rex Romanorum Kal. Novembris A. C. 1575, Coronatus, Patrique Anno 1576, Ratisbonæ in Comitiis 12 Octobris de-

Rudolphus II. Imperator inauguratur 1575.

functo ſuccedens, melius rem geſſit cum Turca trahendis induciis, quam bello: Mollius enim in Hiſpaniis educatus, nonniſi otio indulgebat, nec unquam ad bellum ipſemet ivit: & per Præfectos, uti ſortem vel ignavum nactus, variantem fortunam nonnunquam, ſed tamen ſæpius Turcis æquiorem experiebatur, ut ſuis locis apparebit.

His vero de curis Ferdinandi Imperatoris, quibus à rebus Germanicis & ſtabi-

Poloniam turbavit hæreſis ex Germania allata.

lienda Religionis pace avocabatur, ac de Boëmiæ, Vngariæque Regni viciſſitudinibus paucis annotatis, ad Polonica redeamus. In quibus priuſquam Stephani Regis geſta recenſeamus, pauca (ut in aliorum quoque Regnorum mentionem fecimus) attingemus de Religionis in iſto Regno ſtatu, hæreſiis in Germania enatis enutritiſque, & in circumvicinis Provinciis peſtifera fœcunditate propagatis aliquantum turbato. Et quidem Polonia & Slavonia tota, gentis natura abhorret à ſtudiis & artibus Germanorum, & quicquid venit inde, qualequale illud ſit, præ-

Poloni fidem Chriſtianam acceperunt ab orientalibus primum ſub Baſilio Macedone Imper.

ter operas mechanicas, ſibi noxium reputat & rejicit ſuſpectum. Vnde & Fidem Chriſtianam noluit diſcere a Germanis, ſed per Orientales Græcos Cyrillum & Methodium Conſtantinopoli miſſos, ſub Nicolao & Hadriano PP. ac Michaële III. & Baſilio Macedone Imperatoribus, (facit mentionem horum *Baronius Annalium Tomo 10. ſub A. C.* 867.) & poſtmodum per Gallos, Italoſque licet remotiores traditam agnoſcere maluit.

Sigiſmundi I. Regis Poloniæ origo.

Dum igitur vixit priſcis patriis moribus, facile venena illa Germanica evitavit, & ſeverioribus uſque legibus damnavit, regnante in Polonia Sigiſmundo I. Vladiſlai Iagello Olgerdi Lithuaniæ Ducis filii & Nepotis Goldimini (iſte

Vilna condita 1305.

Vilnam A. C. 1305, condidit) ex filio Caſimiro Nepote, Principe rerum bello for-

fortiter geſtarum gloria inclyto, ſed cum primis avitæ Religionis defenſore acerrimo, & ob conſilii gravitatem potentiæque famam Principibus vicinioribus formidoloſo. Nec impune Provinciæ iſti Regno ſociatæ, gente & idiomate Germanæ, ut Boruſſia, Pomerania, Livonia, gentilitio hauſto vitio in Fide Catholica vacillare cœperant ſub illo Rege. Mox enim in Gedanenſes ſeverius propterea animadverterat, cum A. C. 1526, Gedanum unà cum Alberto Brandeburgico Duce Pruſſiæ, & Georgio Pomeraniæ Duce, ſororinis ſuis divertens, eorum Primarios contra Catholicam Religionem tumultuantes compeſcuit, authore præcipuo tumultus uno ex Magiſtratu Ioanne Schultz, qui primus Cathedram Templi primarii Gedanenſis aſcendens, hæreſim prædicavit, Concionatoreſque hæreticos eo introduxit, in medio fori Gedanenſis, una cum tredecim aliis tumultus illius anteſignanis capite mulctatis. Territi vero omnes alii tali exemplò, hæreſim vitabant, vel ſaltim ſimulabant. Sed illo A. C. 1548. Cal. April. Regni 42. ætatis ſuæ 81 anno defuncto, & Sigiſmundo Auguſto ejus filio ſuccedente in Regnum, gravius laboravit tota Polonia pro Religione Catholica hæreſis defendenda. Rex enim ipſe inter manus alienigenarum enutritus, ad eos eorumque inſtitutum fuit propenſior, & licentioſiorem vitam agens, in Catholica pietate colenda remiſſior. Quod autem deterius, inclinatior erat ad ſcientias curioſas, in eiſque utebatur opera Germanorum hæreticorum, qui familiaritate Regis ſecuri, liberius errores ſuos divulgabant, ut non pauci ex Regiis (mos eſt Aulicorum) non inviti, nec ſegniores Eccleſiaſtici Regis in exemplum concederent. Plurimi etiam Germani origine, quæſitis domiciliis & cognationibus in Polonia, opibus & potentia ſub illud tempus ſuccreverant, Germanica ſua proclivitate, ut Æthiops pelle, nec in Nepotibus immutata. Alii in confiniis degentes familiaritate, connubiis, affinitatibus vicinorum Germanorum, vel ex peregrinationibus Germaniſmo aſſueverant. Et inſuper aderant frequentes turbæ mercatorum ac opificum, qui ex Germania ubique locorum diſperſi, Poloniam quoque impleverunt. Talium itaque conſortio ſimul diſciplina avita in Polonia fuerat corrupta, & hæreſes introductæ, adeoque periculoſe dilatari cœperant, ut Senatus Regni jam majore parte ex hæreticis conſtaret, & iſtis adnitentibus parum abfuerit, quin Senatores Eccleſiaſtici Senatu moverentur. Immo & iſti nutare cœperant: Titelmanus Epiſc. Culmenſis & poſtea Varmienſis, ſtrictiori familiaritate Eraſmo Roterodamo conjunctus, ejus opiniones & dogmata palam celebrabat. Ioan. Dantiſcus ejus ſucceſſor in utroque illo Pontificatu, perpetuas amicitias & prophanarum literarum commercia cum præſtantioribus Scholarum hæreticarum Magiſtris habuit. Vilhelmus Brandeburgicus Archiepiſcopus Rigenſis uxorem ducere plane non erubuit. Nec mirum de iſtis, qui ut diximus, origine & habitu Germani plerique omnia Germanica admittebant lubentes, & æque ut Germani ad connubia proclives, eorum cupidine ab Eccleſia Catholica recedebant.

Regis Sigiſm. I. Laudes.

Gedanenſes tumultuantes pro hæreſi puniit Rex Pol. Sigiſmundus 1526.

Auguſtus Rex Pol. remiſſior in cultu Religionis.

Auguſtus Rex Polons addictus curioſis ſcientiis.

Hæreſis per Germanos advenas in Poloniam introducta.

Poloniæ ſtatus immutatus hæreſi.

Sed magis mirandum ac dolendum, quod etiam Polonici Eccleſiaſtici aliqui deviare cœperant. Ioanne Droiowski Epiſcopo Vladiſlavienſi ſpectante palam & connivente Gedanum introducta fuit hæreſis: Georgius Petrovicius Samogitiæ Epiſcopus penitus deſciverat ad Luteraniſmum: Philippus Padniewski Epiſc. Cracovienſis uſque Legatione Collegii Pontificalis Eccleſiæ Cracovienſis reprehendi debuit, quod in cauſis hæreſis gliſcentis conniveret. Vir ille fuit animi excelſi, ſed ad faſtum ac pompam prophanam compoſitus. Similiter & in Franciſco Kraſinski Epiſcopo itidem Cracovienſi ſub Interregno poſt Auguſtum Regem contra hæreſim tum primum publico Interregni edicto ſtabilitam, aliquid operæ deſideravit illud Collegium. Iacobus vero Vchanski

Iacobus Vchanski anathemate notatur Papa.

Iacobus Vchanski reconciliatur Rom. Pontifici.

cum ob ſuſpicionem hæreſis pro Epiſcopatu Vladiſlavienſi confirmationem Romæ obtinere non poſſet, (auſo temerario) preconis miniſterio poſſeſſionem illius Eccleſiæ invaſit, & notatus propterea à Summo Pont. Rom. anathemate, ipſe quoque in eum maledicta ſparſit. Reſipuerat tamen, & palinodiæ loco in publico Comitiorum Regni conſeſſu ab uno hæreticorum ad hoc ex induſtria ſubordinato, ſublata voce, quod Epiſcopus cum ipſo conſentiret, ille injuria ſibi talia imputari reſpondit, confeſtimque recitavit formulam Fidei Catholicæ à Pio IV. Rom. Summo Pont. præſcriptam, affirmans ſe non aliter quam ibi contineretur de Fide ſentire.

Staniſlaus Orichovius Sacerdos uxorem duxit.

Quod vero gravius tunc concuſſerat univerſum Ordinem Eccleſiaſtici, Staniſlaus Orichovius Latina eloquentia & cultiori literatura, (extant ejus Opuſcula cum titulis: Eques Polonus, Quincunx, Chimera in Stancarum Hereſiarcham Italum, Vita Regis Sigiſm. I. & Petri Kmita, & aliquæ Epiſtolæ, quæ ſtyli elegantia, acumine, & eruditione inter meliora ſui ævi ſcripta plurimum excellunt) etiam apud exteros clarus, cum jam Sacerdotio inſignitus eſſet, & Canonicam dignitatem in Eccleſia Pontificali Præmiſlienſi obtineret, ſpreto ſuo Sacerdotio uxorem duxit, & tanta pertinacia in retinenda perſeveravit, (non multo quoque ante Valentinus Sacerdos Parochus Kazczovienſis, ob acceptam uxorem cauſam dicere juſſus coram

Samuël Macieiowski Epiſcop. Cracov.

Staniſlaus Orichovius excommunicatus propter uxorem ductam.

Epiſcopo Cracovienſi. Samuële Macieiowski, publice defendit errorem ſuum ſub patrocinio Nicolai Oleſnicki de Pinczow, Nicolai Rey, Remigii Chelmski, ut Epiſcopus veritus ne contemneretur ſua ſententia, maluerit ſuperſedere à tali judicio) quod varie admonitus, & demum anathemate propterea à Ioanne Dziaduski Epiſcopo Præmiſlienſi percuſſus, non tantum non reſipuit, ſed etiam Ordinem Equeſtrem in Comitiis Petricoviæ Anni 1550, menſe Majo celebratis, pene ad ſeditionem contra Eccleſiaſticos concitavit: maxime pro abroganda Iuriſdictione Pontificali, contra quam hæreticis inſtigantibus, odia Politicorum tunc exarſerant. Et paulo poſt cum Epiſcopus Cracovienſis Andreas Zebrzydowski (ſucceſſerat in eo Epiſcopatu Samuëli Macieiowski in A. C. 1550, hydropiſi extincto) de hæreſi Lutheri accuſatum Krupka

Eccleſiaſtica Iuriſdictio reſtringitur in Comitiis 1552.

Przecławski judicaſſet, eumque propterea infamia pœnaria notaſſet, æque Catholici atque hæretici Equeſtres adeo inſurrexerant contra eandem poteſtatem Eccleſiaſticam, ut in Comitiis Petricoviæ A. C. 1552, celebratis, nulgotium publicum tractari permiſerint, niſi prius Rex illam judicii Epiſcopalis ſententiam, quoad pœnam infamiæ Iudicialis (de veritate fidei nonniſi Epiſcopos judicare poſſe nemo diffitebatur) abrogaſſet. Ac exinde omnium Iudicii Eccleſiaſtici contra Equeſtres decretorum executio fuit ſuſpenſa, quouſque inter utrumque ordinem intercedentium controverſiarum univerſalis compoſitio perficeretur, cum eouſque contra excommunicatum ab illo judicio, ſi intra unum annum abſolutionem non obtinuiſſet, conſueverit Cancellaria Regia dare ad Præfectos locorum Regios, mandata executionis qualia dari ſolent contra proſcriptos à Rege, vel judicibus Terrarum Equeſtribus. Lex quoque tunc fuit lata, ut excommunicati à Iudice Eccleſiaſtico, locum ſtandi haberent in Iudiciis Equeſtribus, quem antea non habuerunt:

Staniſlaus Orzechowski obtinet Romæ diſpenſationem pro retinenda uxore.

Et Orichovius non prius quievit, niſi in ſuo ſenſu (obtinuerat opera Samuëlis Macieiowski diſpenſationem à Summo Pontifice Romano ſuper illo ſuo matrimonio) hærere permiſſus. Atque ita advenæ hæreſes in Polonia, non ſolum Equeſtrium, ſed etiam Eccleſiaſticorum depravatis tunc moribus, enervaverant poteſtatem Eccleſiaſticam, remque Catholicam in ultimam pene diſcrimen adduxerant, niſi innata genti iſti pro veteri Religione ſervanda conſtantia, tantos impetus illius peregrinitatis fortius repreſſiſſet. Præſertim cum in brevi

Auguſto

Auguſto Regi (natus 2 Aug. 1520. deceſſerat Kniſinii die 7 Iulii A C. 1572. ætatis ſuæ 52.) vita functo, Principes Catholicæ pietatis tenaciores in iſto regno ſucceſſiſſent.

Auguſtus Rex Poloniæ obiit 1572.

Quod autem attinet Stephanum Regem, is munitis undique Poloniæ confiniis, & domi malevolorum conſiliis repreſſis, ſecurior ſui in corrigendis quæ in rectionis ordine malè cohærebant, ſeduli Principis partes exequebatur. Maximum autem erat, quod & perſonam Regiam gravabat, & Equeſtris Ordinis lites forenſes ac judiciorum curſum retardabat, à minorum Iudicum ſubſelliis ad ipſum Regem provocatio. Licebat enim tunc ab inferioris Iudicis ſententia Regem appellare, cujus decreto demum lis terminabatur. Sed promtioribus in dies hominum ad lites naturis, cauſidicorumque canina eloquentia recenter in iſtis partibus introducta, crevit numerus litigantium, & immenſa provocantium ad Regem agmina concurrebant, ut tam facile expediri non poſſent, Regiaque decreta in plures annos expectarent: Et Rex ipſe aliis haud levioribus Reipub. curis diſtentus, non ſine gravi moleſtia ſua aſſiduè examinandis controverſiarum ambagibus, & reddendo juri præſidere deberet. Vnde Henricus Gallus Rex pertæſus aliquando tanti laboris ajebat; *Per meam fidem*, inquit, *Poloni iſti faciunt, ut agam Iudicem Legiſperitum, in brevi volent ut agam etiam Cauſidicum.* nec expectavit.

Stephani Regis vigilantia.

Rex Stephanus itaque ſtatim à principio Regni ſui jam ante tentatam, ſed nunquam perfectam normam Iudicii, quod cauſis Equeſtris Ordinis vice Regis manum ſupremam apponeret, componi curavit, & feliciter perfecit in Comitiis Regni Generalibus Varſaviæ celebratis Anno Chriſti 1578. Ea ratione quod ſingulis annis ex Palatinatibus & Terris in decreto Comitiorum illorum ſpeciatim nominatis, menſe Septembri poſt Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis alicubi ſinguli, alicubi bini nobiles viri deputantur, qui Petricoviæ convenientes, & jurejurando de rectè judicando præſtito, ibidem decidere debeant lites Palatinatuum Majoris Poloniæ, adjunctis & Pruſſicis, toto ſemeſtri à primis diebus menſis Octobris, uſque ad ſacræ Hebdomadæ Paſchalis dies: & inde Lublinum progredientes, ibi alio ſemeſtri, nempe à diebus feſtis ſacri Paſchatis ad Octobr. (nunc jam ad Decembrem medium) Palatinatuum Minoris Poloniæ ac Ruſſiæ. Et ne Eccleſiaſtici ſuffragio quod Rege ipſo iſta judicia tractante habebant, (ſemper enim præter Senatores unus ex Cancellariis, & Referendarius Regni Eccleſiaſticus aſſiſtit cum jure dicendæ ſententiæ in Iudiciis Regiis) fraudarentur, iſtis quoque eſt proviſum eo modo, quod ex Pontificalium Eccleſiarum Collegiis, nempe ex Gneſnenſi & Cracovienſi bini, ex minoribus autem ſinguli Iudices annui eliguntur, qui aliis Palatinatuum ex Equeſtri Ordine deputatis conjuncti, cauſas Eccleſiaſticorum cum perſonis Ordinis Equeſtris incidentes, in illo judicio ſeni cum ſenis Equeſtribus ſtatuto die definiunt. *Tribunal Regni generale* hoc judicium nuncupatur, plane conforme Parlamento Pariſienſi, præter quod ibi judices inſtituuntur (immo & venduntur ibi talia officia) perpetui, vel diuturni, hic annui, ne forte efferantur tanti Magiſtratus poteſtate. Præſertim ſi meminerint ſe viciſſim quandoque judicandos fore ab eiſdem quos judicandos,

Stephanus Rex Iudicium Tribunalis Regni inſtituit.

Tribunalis Regni ſeu Parlamenti Regni Polon. Conſtitutio.

Eccleſiaſticorum in judiciis publicis Poloniæ authoritas.

Atque ita Stephanus Rex ſeipſum & Reges futuros gravi levavit onere, & Ordinem Equeſtrem inſigni auxit libertate, illius arbitrio permiſſis judiciis præter pauca, nempe criminum atrociorum, quæ ipſe Rex cum Senatu in Comitiis Generalibus Regni dignoſcere conſuevit, ac præter lites fiſci Regii, Civitatumque ipſi Regi directè ſubjectarum, quæ etiam in maximo numero, ad judicium Regium hucuſque confluunt, & perſonæ Aulæque Regiæ negotii ſatis adferunt,

Fiſci Regii lites Rex judicat in Polonia.

runt, ut mirum ſit quomodo olim ſufficere potuerit Regius labor, etiam univerſi Equeſtris Ordinis jurgiis audiendis. Idem Rex Stephanus meliore ordine diſpoſuit præſidia militaria, quæ jam Rex Auguſtus inſtituerat, pro eorum ſtipendiis quarta parte cenſuum fiſci Regii in Comitiis Anno C. 1562. Verſaviæ perpetuo applicata. Legibus enim Regni tenetur Rex ad propulſanda propriis impenſis pericula, quæ fortuito in confiniis Regni evenirent, ut ſunt incurſiones Tartarorum: Ad onera vero belli legitimi, Reipub. totius conſenſu decreti, omnes obligantur Ordines, qui tributum pro modo ſtipendiorum militis conſcripti ad hoc conferunt, & majori hoſtis vi ingruente, viritim in Equeſtri Ordine omnes cenſi, ſeu fundum aliquem Iuris nobilis obtinentes, ad bellum prodeunt, non alio tamen niſi ipſomet Rege præſente Duce.

Polonia Rex fortuita bella propriis impenſis gerit.

Auguſtus itaque Rex debiti ſui partes ut impleret, in ſtipendia militum, qui fortuita iſta pericula exciperent, quartam annuorum emolumentorum fiſci ſui portionem, ſeponendam in Caſtro Ravenſi, & eam in hujuſmodi ſtipendia diſpenſandam lata lege publica in Comitiis prædictis ordinaverat, præterea permiſerat delectum fieri ex colonis villarum Iuris Regii, ut nimirum vigeſimus quiſque colonus pedes militaret: hucuſque delectus iſte in caſu gravioris belli fit, & ex eo multa agmina peditum armatorum conſcribuntur. Ex illa itaque quarta fiſci Regii fructuum parte, ab Auguſto Rege militaribus ſtipendiis aſſignata, duo millia Equitum haſtatorum Rex Stephanus authorari fecit, eoſque collocavit in confiniis Regni contra Cherſoneſum Tauricam, & contra Bialogrodiam (Moncaſtrum Cromero) vulgo dictam, ut ibi ſtativa perpetuo agant, & excubias contra Tartaros teneant. Præcipuum robur equitatus Polonici ſunt iſti, & quaſi in Palæſtra inſtituti militaris, ibi juventus Regni profiteri militiam volens, tyrocinia ſua deponit, continuiſque cum Tartariis præliis exercetur, & ad omnes bellorum caſus fortiores, ac veterani non aliunde ſufficiuntur. Statim autem opulentiores Proceres, cum viderent confinia illa defenſa iri, innumeras colonias eò deduxerunt, lociſque opportunis præſidia munitiſſima excitarunt. Et cum ante ultra Kijoviam, Barium, & Braclaviam, omnium illorum confinium tractus deſertus, nonniſi feris eſſet habitatus, in brevi villis & oppidis populoſiſſimis eſt repletus. Hac occaſione illorum confinium poſſumus adnotare ſitum. Quicquid itaque Religionis inter Danaſtum ſeu Tyram, Hyppanimque & Boriſthenem fluvium continetur, id totum uſque ad littora ipſa Ponti Euxini cenſetur Iuris Regni Poloniæ ex pactis Solymani Turcarum Imperatoris, qui etiam cavit, quod habitatores Bialogrodiæ, quæ eſt in adverſa ripa Tyræ ex lacu Ovidii in Pontum Euxinum influentis, cum volunt ultra alteram ejuſdem Tyræ ripam ditionis Poloniæ uti paſcuis, debeant ſolvere Regi Poloniæ tributum, ſeu pretium illorum paſcuorum. Nonniſi tamen ad viginti milliaria Germanica latè protenditur illa ultimi littoris ora inter Bialogrodiam & Oczakoviam Turcica præſidia maritima, quæ concludunt intermedia littora Polonica contingentia Pontum Euxinum: ubi præſertim in faucibus Tyræ paulo ſuperius verſus *Thehina*, fuiſſe portum quondam Polonicum *Caczubey* dictum, ex quo frumenta Conſtantinopolim dum ea adhuc eſſet in poteſtate Chriſtianorum, petebantur; teſtatur *Cromer. lib.* 18. *ſuæ Hiſt.* ac hucuſque vicus ille retinet eandem denominationem, & totis illis littoribus infra Mohiloviam apparent rudera inſignium Civitatum ac Arcium. Sed adverſis ſuis aquis fluvii illi Tyras, Hippanis, & Boriſthenes, Occaſum & Septemtrionem verſus latiſſimas terras complexi, eas omnes cum fontibus ſuis Poloniæ attribuunt. Ac ultra Boriſthenem intervallo duorum, alicubi trium dierum itinere, verſus Tanaim fluvium & Moſchoviam regiones protenſæ, Regni Poloniæ ſunt propriæ. Ab illo etiam continente ultra Boriſthenem

Stephan. Rex præſidia militaria contra Tartaros diſponi.

Poloni colonias novas reſtituunt in campeſtribus verſus Tartariam.

Poloniæ fines verſus Tartaricas & Turcicas ditoines.

Tyra, Hippanis, Boriſthenis, fluviorum ſitus.

nem patente, excurrit Cherſoneſus Taurica ad meridiem & orientem Ponto Euxino, & à ſeptentrione palude Meoti, (in quam Tanaïs fluvius ex Moſcovia decurrens ſeſe exonerat) ac Boſphoro Cimmerio circumcluſa longitudine & latitudine penè æquali viginti milliarium Germanicorum. Vltra Tyram autem meridiem verſus eſt Moldavia, Dacia antiquioribus dicta, exulum Romanorum quondam receptaculum, quos in ſumma frequentia ibi habitaſſe confirmat idioma incolarum illius Regionis hucuſque Latinum, corruptum quidem, ſed ita ut facilè audiens dignoſcere poſſit à Latinis fuiſſe profectum. Iſta etiam eſt ſocialis Regno Poloniæ, ſed Turcæ tributaria. Nec minus providit confinium illorum ſecuritati Rex Stephanus, militia Coſacorum melioribus legibus ſociata: Iſta enim euſque in incerto conſiliorum fluctuans, & nullis legibus, nulla diſciplina militari cohærens, magis latrocinii, vel alicujus tumultuariæ manus ſpeciem præferebat. Et præmonemus, ne quis erret in nomine Coſacorum, ut plurimi rerum ignari putant eſſe gentem propriis Terrarum terminis, & proprio Reipub. vel Tetrarchiæ ſtatu conſiſtentem; ſed non ſunt, niſi ſpecies una ex genere militiarum Polonicarum, nempe militia celerum ſeu velitum, vel levis armaturæ. Quod ſatis exprimit Ethymon nominis *Koſacy* dictum à *Kosá* in Polonico idiomate, in Latino ſonante *Capra*, quaſi qui æquent vel aſſimilent captam agilitate & curioſitate penetrandi inacceſſa. Ac quicunque per Poloniam vel apud Regem, vel apud Principes ac nobiles privatos, aut etiam in exercitu ſtipendia levioris armaturæ merentur, nonniſi *Koſacy* nominantur, iiſque arma, arcus, & pharetra, acinax, & nunc etiam bombardis & loricis ferreis utuntur.

Taurica Cherſoneſi ſitus.

Moldavia ſedes exulum quondam Romanorum.

Coſacorum militiam Rex Stephanus ordinat.

Coſacorum nomen unde derivatum.

Omnes autem ſunt Poloni, ſeu ex Provinciis Poloniæ oriundi, & illi qui jam ſocietatem Coſacam Zaporovianam repræſentant, maxime ex Provinciis Poloniæ Ruſſicis vicinioribus Cherſoneſo Tauricæ prodeunt, potiſſimumque primo vere familiis, uxoribuſque domi quiſque ſuæ, donec pro hybernis ad eas redierint relictis, ad Inſulas Boriſthenis conveniunt. Fluvius enim iſte ducenta milliaria Germanica à fonte ſuo ex finibus Moſchoviæ per Severienſes & Lithuaniæ Provincias, ac demum per Ruſſiam Albam, & Kijoviam decurrens, innumeris minorum fluminum aquis auctus, ubi ſecundo curſu infra Kijoviam quinquaginta milliaria Germanica eſt præterlapſus, offendit in quodam flexu ſcopuloſo Polonicè ſeu Slavonicè *Porohi* vocitato, ex quo per ſaxa multis intervallis prærupta, quaſi per gradus delabitur, & in plana diffuſus, ac in plures alveos diviſus, ſeptuaginta Inſulas alluit, quæ à dictis gradibus decurrentium fluctuum Zaporohi, quaſi ultra gradus, quod ſint ultra illos ſcopulorum gradus nomen habent, & *Koſacy* inde, quod in illis Inſulis militiæ vacant, *Zaporohiani* denominantur, ac ibi congregati, ſi feriandum eſt, venationibus, & piſcatui intenti, piſces cineribus ſalis loco confricatos ad ſolem ſiccant, & illis vivunt. Obſident autem aſſiduè tranſitus omnes Tauricanorum Tartarorum, & obſervant ſi alicunde præda onuſti redeunt, eamque excutiunt ac continuis Tauricam excurſionibus divexant. Quatridui enim tantum itinere diſtant ab Inſulis illis Coſacorum Zaporohianis anguſtiæ peninſulæ Tauricæ, & ex ipſa Taurica natura ſaxea & arida, ac paſcuis carente, prodeunt Tartari extra anguſtias peninſulæ illius ad planities campeſtres, ibi à Moſchovia & ripis Meotis paludis ad ripas Boriſthenis latiſſimè patentes, ac in illis cum ſuis familiis & pecoribus degunt, nec habent domos, ſed protenſo velo aliquo à plauſtro, eo à pluviis vel à nivibus cum infantulis ac uxoribus ſuis defenduntur: ubi autem in uno loco depaſcunt herbas, promovent alio illa ſua plauſtra, atque ita vivunt, & inde vel in Moſchoviam per Campeſtria, vel Boriſthene tranſmiſſo, in confinia Poloniæ populabundi excurrunt, quamvis redeuntes vix aliquando effugiunt manus Coſacorum. Sed maxi-

Boriſthenes fluvius.

Coſacorum vivendi ac militandi modus.

Tartari Tauricam incolunt.

Tartarorum vivendi mos,

Coſacorum navigandi in mari modus.

maxime eminet induſtria rei militaris Coſacorum in præliis maritimis, quæ ea ratione ineunt: Tiliam arborem craſſitie præſtantem, & natura ad omnem flexum facillimam cædunt, & ſolidum ejus truncum excavant, ac tepefactum arte, in latum & concavum diducunt, ex eoque lembum ſeu ſcapham formant, quæ triginta vel etiam quadraginta armatorum eſt capax. Eam deinde coriis intus muniunt, & à lateribus appendunt juncos in manipulis accurate colligatis, qui irruentes æquoris fluctus leniter excipiunt, & à ſcapha in tantum arcent, quod etiam inter graviſſimas procellas totum illud mare nigrum illæſæ decurrunt. Iſtis igitur *Koſacy* armis & cibariis ad plures dies proviſi, per Boriſthenem (qui ab Inſulis illis Zaporohi ad fauces maris à præſidio Turcico Oczakovia cuſtoditas per triginta milliaria Germanica ſuum curſum proſequitur) invehuntur in mare Euxinum, fruſtra repugnantibus ab utraque ripa præſidiariis Turcicis, cum illud oſtium pareat latè ultra duo milliaria Germanica, nec facilè ex præſidiis offendi poſſunt, medio ejus alveo deſcendentes. Immo & ipſis præſidiis ſunt formidoloſi, ac ſæpius illa expugnant, fortes enim & in numero magno prodeunt, nonnunquam pluribus quam centum ſcaphis, ita quod applicantes ad littora Aſiæ, quæ nunc Natolia dicitur, plura millia armatorum exponunt, præter cuſtodias ſervandis navibus deſtinatas, ut non raro egreſſi in continentem, juſto quaſi exercitu prælio cum hoſte decertent, ac aperta vi munitas Vrbes oppugnent: prout noſtro tempore Trapezontum Vrbem Aſiæ illius opulentiſſimam aggreſſi, eam expugnarunt; & deinde Synopen æquè celebrem captam diripuerunt ac vaſtarunt: ac etiam in ipſa ſuburbana Conſtantinopolis effuſi, præda repletis ſcaphis ſpectante Conſtantinopoli abierunt. Sed maximè infeſtum reddunt mare Euxinum aſſiduè illud pervagantes: nec cohiberi poſſunt claſſe triremium Turcicarum, quinimmo eam quoque non raro perſequi audent, & ſæpius profligant. Et ſi major ingruat vis, locorum periti facile declinantes, quo majores naves non valent, ad littorum vadoſa in illo mari longe lateque patentia frequentiſſime evadunt. Innumera cenſeri poſſent militiæ iſtius Poloniæ fortia facinora, quibus Turcicum Imperium aſſiduè exercet, & longè in eo omnibus militiis Europæis præſtat, vel ipſis Turcis teſtibus, quibus nil eſt formidoloſius nomine Coſacorum, quantumvis alii Ordines militares Chriſtiani tumeant glorioſis titulis, & magnificis nominibus.

Coſacis Rex Stephanus attribuit Techtimirow Oppidum.

Hanc itaque militiam Stephanus Rex ordinatiorem habere deſiderans, attribuit illi Caſtrum Techtimirow cum ſuo Territorio, ſitum ad ripas Boriſthenis infra Kijoviam viginti milliaribus Germanicis, ubi conſiliorum & Magiſtratus militaris ſedem, ac armamentarium, receptaculumque bellicorum apparatuum habeat; cum ante nullo certo Magiſtratu, nulla firma ſede conſtaret, ſed ejus milites tumultuariè collecti ſingulatim, iterumque pro hybernis per Poloniam dilapſi ad propria, nullam ſtabilitatem ſocietati ſuæ providebant. Nunc unum Ducem, quem Rex Poloniæ illis præficit habent, Præfectos vero alios militares ipſi ſibi deligunt, & tam Dux quam Præfecti ſive Ductores Ordinum Techtimirii reſident, præſidiumque militare circum ſe ſufficiens retinent. Immo & ad cuſtodiam Inſularum Zaporohi, non minus quam bis mille viros ſelectiores relinquunt, reliquo vulgo per Provincias Poloniæ ad domos proprias hybernatum remeante. Iterum tamen facile conveniunt vocati, legitimum Magiſtratum & perfectioris jam ſocietatis leges ſtudioſius obſervantes.

Præcipua autem cura fuit Regi Stephano, ut recuperatam à Moſcho Livoniam ordinaret, & ad futuros belli vel pacis caſus ſtabiliret; præſertim regiminis norma, in qua eouſque varia, & nuſquam certa populi illius Provinciæ diſcrepabant, poſtquam excuſſis iniquis Dominis Magiſtris militiæ Teuthonicorum in liber-

in libertatem priſtinam ſe aſſeruerant. Originem enim trahunt ex gentibus Sarmatis Europæis, quas omnem oram ad Albim fluvium verſus occidentem, & à Dacia oriſque Danubii Pontum Euxinum contingentibus, ad Tanaim fluvium, & Meotim paludem in parte orientali, à meridie vero à Carpato monte, Alpibuſque Vngariæ ſive Vagriæ, ſeu à ripis Danubii, quibus nunc imminet Vienna Auſtriæ, & circa quas in præſentem uſque diem incolentes populi ut Moravi, Sileſii, retinent Sarmaticum ſive Slavonicum idioma, Septemtrionem verſus uſque & circa ſinum Venedicum inſediſſe communis Scriptorum ſententia fatetur. Vnde & Ptolomæus, qui floruit ſub Trajano & Adriano Imperatore, *Geographiæ ſuæ lib. 3. cap. 5.* aſſerit Sarmatiæ gentes Venedas (*Cromerus lib. 1, Hiſt. cap. 9. & 13.* luculenter deducit Venedos, & Slavos, Sarmataſque eandem gentem eſſe) tenere omnem oram Venedici ſinus, quæ nunc habitatur à Pruſſis, Samogitis, Curlandis, Livoniis, ita ut attingant Moſchos, quibus ut ait *Lucanus lib. 3.* (ſcripſit iſte ſub Nerone, & ab eo fuit necatus) *Sarmatia pœpulis omnem oram à monte Carpato ad fines Moſchovia incoluerunt.*

Saviſque affinis Sarmata Moſchis.

non tantum Terrarum vicinia, ſed & ſanguinis ac generis affinitate ſunt conjuncti, habitu & lingua invicem ſibi ſimiles. Et quidem iſtis gentibus Sarmaticis tam latè per orbem diffuſis, diverſa erant cognomenta, mores, armorum ſtudia, animique diſcordes, & linguæ ejuſdem pro vicinorum varietate confuſiones multiplices (poſſentque recenſeri plurimæ diverſiſſimæ, incipiendo à Marcomanis, Quadis, qui nunc ſunt Sileſii, & Moravi, aduſque ultimos fines Sarmatiæ totius, qua complectuntur Moſchoviam: ſed in illo tractu Livoniæ Moſchoviæ proximiori, fuerunt & nunc ſunt quam plurimæ, nullo ſimilitudinis conſortio ſociatæ. *Sarmaticarum gentium idioma diverſum.* Tamen ubi una gentium iſtarum Sarmaticarum, quæ dicitur *Slavona*, derivato nomine à *Sluwá*, quod in Latino ſonat Gloria, excellere cœpit multitudine nobilitatis, gloriaque armorum & Principatus potentia, ac vitæ Civilioris ſtudiis, facile aliæ in ejus linguæ Dialecton conſenſerunt. Atque eo vix aliquantum alicubi diverſo nunc utuntur omnes iſtæ gentes Sarmaticæ, Boëmi, Moravi, Poloni, Ruſſi, aut Roſſi ſive Roxolani, Bulgari, Raſcii, Dalmatæ, uſque & Moſchi univerſi. Immo ejuſdem gentis militaria agmina, (non gens univerſa ut aliqui errant, & iſto errore truduntur in alium, quod dicunt eam iterum quaſi poſtliminio rediiſſe ad primas has ubi nunc degit ſedes cum Lacho & Cecho, qui tamen nullas duxerunt colonias novas, ſed à clade Quintilii Varri ab Arminio Germanorum Duce, in Veſtphalia inter Amaſim & Lupiam amnes profligati, poſtquam ex Aquilis Romanis captis obtigerat auxiliariis Sarmatis, quos Germanis, contra Romanos ſuppetias ſæpe veniſſe certum eſt, nempe Lachis Alba, & Cechis nigra Aquila, quibus inſigniis utraque iſta gens hucuſq; utitur, gloria armorum majoris amplitudinis genti eidem initia fecerunt) emiſſa ex finibus ſuis verſus meridiem, ſuperatoq; in Dacia Iſtro, per Mæſiam, Thraciam, Illyricum, bellicarum expeditionum occaſione (bella cladeſq; in Thracia, Pannonia, Dalmatia, & Illyrico Romanis à Sarmaticis gentibus illatæ, legi poſſunt apud *Ammianum Marcellin. lib. 17.* tum & apud *Flavium Vopiſcum in Aureliano Imperat. Blondum ſuæ Hiſt. Decad. 1.* ad hoc ſervit quod *Cornelius Tacitus lib. 1. Hiſt.* refert, à Roxolanis Sarmatica gente in Mæſia cohortes Romanas, proxima poſt Neronis mortem hyeme cæſas, & ſub Ottone cum eis prælia commiſſa fuiſſe, quodq; *Eutropius hiſt. ſuæ lib. 7.* ſub finem narrat, ſub Domitiano in Sarmatia eiuſdem Imperatoris Ducem & legionem deletam periiſſe, & in Dacia ſeu Mæſia Oppium Sabinum, ac Cornelium Fuſcum, cum ſuis copiis ab eiſdem oppreſſum fuiſſe, hocq; idem memorat *Suet. in eodem Domitiano*) diffuſa, ibidemq; commiſta veteribus (forte à primis ſæculis ejuſdem idiomatis & habitus genere ſatis, qui militarunt uſq; & Alexandro Magno) incolis, ac multiplicata *Polonia inſigne Aquila capta de Varro Romano.*

idem

Sarmaticæ gentes poſſunt uti ſuo idiomate in ſacris peragendis.

idem idioma retinent, & etiam in ſacrificiis officiiſque Divinis peragendis, (& quidem conſentiente ſede Apoſtolica Romana) eodem utuntur à primævo Religionis Chriſtianæ ortu in iſta gente, ex qua natus D. Hieronymus, eadem lingua Slavonica ſacram Hebraicam Hiſtoriam vertit, ut ipſemet in *Apologia contra Ruffinum* teſtatur, eſtque conſtans majorum traditio, ab ipſo lingua Slavonica compoſitam fuiſſe officiorum ſacrorum formulam, quæ ſola hucuſque circa Divina apud iſtos populos, ut in Moſchovia, Ruſſia, Moldavia, Valachia, Bulgaria, religiosè obſervatur, cultior Polonia Latinam Romanam ſequitur.

Gothorum ſedes primæva apud Tanaim & Phaſim.

Gothi vero, illi inquam, bellicoſi Gothi ſive Gethæ, (idem enim ſonat utrumque apud omnes eruditos, ut *Ælius Spartianus in Antonio Caracalla prope finem. Blondus loco prædicto. Divus Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim fol.* 7. ac iſti præcipue credendum eſt, nam ejus ætate illi maximè invaluerunt, Romamque ceperunt ſub Honorio Imperat. Anno Chriſti 410. & tunc diligentius indagabatur, ſciríque potuit genus ipſorum) an ſint cenſendi inter gentes Sarmaticas, aliis diſcutiendum relinquo: unicum tamèn admoneo, quod veterum Hiſtoricorum (recentiorum in rebus antiquis, niſi nitantur antiquorum teſtimonio, parva fides) nullus uſpiam memorat eos ex Suecia prodiiſſe, vel ibi ſedem commerciumve aliquod unquam habuiſſe, ſed concordi ſententia omnes, præſertim *Oſorius Hiſt. lib.* 1. *cap.* 2. refert Gothorum ſedes eſſe contiguas Alanis & Dacis prope Pontum Euxinum & Iſtrum conſiſtentibus; *& Procopius ac Iornandes de rebus Gothicis*, aſſerunt eos ex finibus Aſiæ à Tanai & Meoti palude, Pontoque Euxino (quæ regio utique à primis ſæculis ſemper fuit & nunc eſt Sarmatorum ſive Slavonum, ut pote Ruſſorum ſeu Roxolanorum, Moſchorumque perpetua ſedes) ſeu ex iiſdem regionibus verſus Orientem protenſis ad Phaſim fluvium, ut Sydonius eorum ſedem deſcribit:

Indorum Ganges, Gothorum Phaſis, Araxes
Armenia, Gis Æthiopum, Tanaiſque Getarum.

circuitu facto à Septentrione circa Pontum Euxinum egreſſos verſus Meridiem, ſuperato in Dacia Iſtro, in Mæſiam, Thraciamque excurriſſe, & poſt varia bella pro Imperatoribus & contra Imperatores Romanos geſta, inde demum in Pannoniam, ac paulo poſt in Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africamque (Gothos Vandalis Alaniſque commiſtos, in Africam ex Hiſpania irruiſſe, teſtatur *Poſſidius apud Baronium*, Tomo 5, ſub A. C. 430.) penetrantes, obvia quæque armorum ſuorum vi perturbaſſe, nec fuiſſe unquam in Sueciam etiam pulſos alicunde.

Similiter & Vandalos cum conſtet omnium Hiſtoricorum teſtimonio flumini Sarmatiæ Vandalo, (non aliunde conjungi poterant Quadis, & Marcomanis apud Danubium contra Marcum Antoninum Imperatorem pugnantibus, ut eos adfuiſſe in ea pugna teſtatur *Eutropius Hiſt. ſuæ lib.* 8. *fol.* 2.) aut Viſtulæ fluvio nomen dediſſe, ſeu ab eo accepiſſe, ac circa ripas ejus habitaſſe, ſi quis litigioſus attribuat Sueciæ, doceat oportet, quando, quove teſte Viſtula deſerta in Succiam, aut ex Suecia ad Viſtulam per mare Balticum tranſnatarint. Quod vero potiſſimum, me procurante Adamus Makovius, dum in Hiſpania A. C. 1622 obiret Legationem à Sigiſmundo III Rege Poloniæ, apud Philippum IV Hiſpaniæ Regem, perquiſivit ibi ſumma diligentia monumenta Gothorum Vandalorumque, ac invenit multa, etiam ſacram Hebræorum Hiſtoriam Gothica lingua ſcriptam, quæ cum à Suecis, qui erant in Aula Sigiſmundi Regis non pauci viri docti, compararetur tum vulgari, tum obſoletiori, demumque cultiori ſcriptæ linguæ Sueticæ & Germanicæ, nec unicum verbum reperiri potuit, in quo una alteram vocis, aut ſyllabarum, vel Etymologiæ ſignificationiſve proprietate aſſimi-

aſſimilaret. Quinimo & in publicis inſcriptionibus vetuſtis, quæ in Suecia plurimæ, præſertim circa Oppidum *Telga* viſuntur, ne minima quidem ſimilitudo invenitur ſermonis vel characteris Gothici. Illudque vulgare *Gutthland*, non Gothicum ſed Germanicum eſt nomen, ob bonitatem ſoli certæ ibidem Regioni inditum, quod notant etiam Geographi, ut *Petrus Bertius* in deſcriptione illius Regionis. Imagines autem antiquæ Gothorum & Vandalorum, quæ ibidem in Hiſpania alicubi viſuntur, referunt veſtitum Sarmatico ſimilem. Sed his carptim annotatis, ad propoſitum redeamus.

Talis itaque natio Livones, cum ut omnes alii ejuſdem gentis populi liberi viverent, primum mercatores ex adverſa ſuo littori Germania, præſertim *Lubeca* adventantes commerciorum cauſa, ad oſtium Dzwinæ fluvii, ubi in mare Balticum exoneratur, ſedem figere incauti permiſerunt. Qui hoſpites, deinde ex occaſione Religionis Chriſtianæ propagandæ, in iſta gente numero aucti locum illum dictum *Riga* muro cinxerunt. Et demum introduxerunt in eam Provinciam milites Ordinis Teutonici, quaſi ſocios contra Moſchos & Lituanos auxilium genti laturos: ſed ſocii iſti graves Domini mox apparuerunt; exſtructis in locis opportunis firmioribus præſidiis, & locata ibi Magiſtri Ordinis ſuis ſede, qui in brevi totam Provinciam illam ad obſequium ſuum coëgit, & pene extinxit habitatores veteres, introductis eo innumeris ex gente Germanica coloniis, & ſtirpibus Germanorum ibidem propagatis, quibus etiam fundi meliores, ac poſſeſſiones opulentiores favore dominantium ceſſerunt, toto fere antiquo Livonum genere in plebem ruſticam redacto, ſimulque edocto ne more ſuo priſco abjiciat ceram exſucto melle.

Livoniam Germani mercaturæ occaſione invadunt.

Ordo Teutonicorum militum introductus in Livoniam.

Germani in Livonia extinxerunt veteres habitatores.

Vſurpata autem hac arte Livonia inſuper & ſciſſa, in duabus partibus parebat Magiſtro Ordinis Teutonici, in tertia Eccleſiaſticis, quorum fuit Caput Archiepiſcopus Rigenſis, & hic Civitatis illius Dominus. Hujuſmodique conſtitutio Provinciæ illius duravit ultra trecentos annos, donec Magiſter iſtius Ordinis Vilhelmus Furſtenbergius à Moſchis capta Felino, & ipſe captus, in vinculis eſt conſumptus. Eam vero demum occaſionem vindicandæ libertatis priſtinæ libenter arripuerunt Livones, non originarii tantum, ſed & illi recentes ex Germania advenæ, quibus æque exoſus eſſe cœperat Cruciferorum Principatus, ac ipſimet Cruciferi, & qui munus Magiſtri poſtea gerebat Gothardus Kethler, Provincialibus adhæſerunt non inviti. Corrupti enim hæreſi Lutherana palam Ordinis ſui, quo ipſis connubia vetabantur, deſerebant inſtitutum, ut connubiis initis, etiam agros ac prædia commodiora Ordinis propria, quiſque ad liberorum ſuorum traheret hæreditatem. Immo & Eccleſiaſtici eadem hæreſis labe infecti, paſſim malebant eſſe mariti, & etiam Archiepiſcopus Rigenſis Vilhelmus Brandiburgicus, non erubuit nuptiales thalamos Pontificali præferre dignitati. Vnde iſti quoque loco ceſſerunt, & pariter omnes incolæ conſpirarunt in exterminium principatus in illa Provincia Ordinis Teutonici, ac ſimul Eccleſiaſtici. Ita quod non amplius permiſerunt eligi Magiſtrum illius Ordinis in Livonia, poſtquam Gothardus Kethler Magiſter tunc ultimus renuntiavit jus Magiſtri in manus Regis Poloniæ, & Riga aſſeruit ſe hac occaſione in libertatem, excluſa Archiepiſcopi ſui poteſtate.

Livonia pars Archiepiſcopo Rigenſi, pars Ordinis Magiſtro ſubjecta.

Livoniæ Magiſter Ordinis Furſtbenberg captus à Moſchis.

Livoniam hæreſis invadit.

Rigenſis Archiepiſcopus Vilhelmus deſcivit à fide Catholica.

Livoniæ Magiſter Ord. renuntiat jus ſuum Regi Poloniæ.

Diutius tamen conflictabantur mutuis diſſidiis pro ineunda novi regiminis ratione; potentior enim quiſque eminentiam ambiebat Magiſtratus, & cæteri æquales dedignabantur ſubjici æqualibus. Et multo magis abhorrebant ab externo in Principem aſſumendo, cujus unius arbitrio regerentur, experti durum Magiſtrorum Cruciferorum Dominatum. Sed tandem maluerunt accedere ad Polonam Rempublicam, ut quam ſcirent moderatiſſimo ſtare colligatam imperio. In illa enim præeſt Rex ſummo contentus dignitatis gradu, & cenſu fiſci ſui à primordiis Regni præfinito, quem minuere vel augere lege prohibetur. Ac ille abunde ad

Polonorum Reſp. bene moderata.

Poloniæ Regis facultates ampla ad largitiones faciendas.

omnes ſumptus Aulæ Regiæ perquam magnificos ſplendori cujuſvis opulentiſſimi in Europa Regis æquales ſufficit, & ad munificentiam quantumvis excelſi animi Principe dignam. Nec aliunde niſi ex iſto cenſu fiſci proprii Rex Poloniæ liberalitatem exercet pene profuſam in tantum, quod in tam vaſto imperio, & populorum multitudine, pauciſſimi ſunt ex Nobilioribus & militaribus melioris, notæ, qui non participent ex gratia Regis aliqua emolumenta fiſci Regii, & plerique tam ampla, ut inde opes non mediocres comparent. Integras enim fiſci ſui Præfecturas Civitatum, & poſſeſſiones opulentiſſimas, cum earum fructibus univerſis Rex concedit, & ſæpe uni plures, ut non rari ſint, qui pluſquam ducenta millia nummorum aureorum (florenorum uſitato nomine) in annuis fructibus dum vivunt ex hujuſmodi donationibus Regiis percipiunt, ac etiam ad hæredes uſum fructum earundem Rege conſentiente tranſmittunt. Et plurimi tenuiores, tali beneficentia Regia ſuccreſcunt, ac ſtirpem ſuam provehunt in amplitudinem divitiarum parem locupletiſsimis quibuſque in eo Regno Proceribus, nempe talibus, quales etiam in Rep. Romana cum Craſſo divites cenſeri potuiſſent; ut qui legiones ex cenſu proprio alere valent atq; alunt. Nec tamen exhauritur hujuſmodi largitionibus Regiæ munificentiæ theſaurus; immo & materiam ac vires inde acquirit ad uſum continuum: E tanto enim Regiorum beneficiariorum numero, in dies aliqui decedunt, & ab illis ad fiſcum Regium recurrentia bona, iterum Rex aliis benemeritis diſtribuit, ad minimumque ducenta florenorum millia annui cenſus occurrunt, quæ Rex in annos ſingulos ex hujuſmodi munerum ſuorum privatorum circuitu prout voluerit diſpenſat.

Poloniæ Rex præeſt, ut ſubditis beneficia diſtribuat non pœnas.

In publicis etiam functionibus omnino ut Rex apum, nonniſi meila ſuis ſubditis exhibet: ille enim ſupremus meritorum cujuſque & virtutum arbiter, omnes in Repub. Magiſtratuum officiorum titulos, qui ſunt innumeri, ac plurimi poteſtatis eminentia ſublimes, ſolus confert. Eccleſiaſtici quoque Epiſcopatus, qui in illo Regno ſunt opulentiores, Abbatias, & alios Dignitatum in Eccleſiis Pontificalibus potiores gradus, nonniſi favore Regis adeunt. Et in eo Regiæ authoritatis nervus conſiſtit: Studia enim eorum quos Rex promovet, ſibi mancipat, & aliorum qui illos honores appetunt, ad obſequium ſuum allicit. Ac ita non vi, ſed lento ſuavique flexu animos omnium ad partes ſuas inclinat. Aculeo prorſus caret, nam in vitam, aut perſonam, & facultates nobilium poteſtatem nullam habet, & etiam manifeſte delinquentem, præter pauciſſimos recentis criminis caſus, vel niſi jure convictum, detinere, vel carceri tradere non poteſt. Sed omnis poteſtas de criminibus cognoſcendi, & pro eis pœnas irrogandi, vel controverſias Civiles diſcernendi, reſidet penes Iudices in quavis Provincia ad hoc ipſum deſtinatos: qui etiam ne metas excedant juſtitiæ, ſeverioribus legibus ſunt circumſcripti. Atrociora tantum crimina, & cauſas quaſdam graviores in Comitiis Generalibus Regni Rex cognoſcit, ſed nonniſi ex ſententia Senatorum decernit. Tributa nulla imponere valet Rex, niſi quæ Ordines Regni unanimi conſenſu concedunt, & ex eis collectis, in Regis privatum commodum nihil cedit, verum per Quæſtores publicos ad uſum ad quem ſunt inſtituta applicantur. Atque in tali æquilibritate pendet Reſpublica Polona; quiſque in ea perfecta libertate gaudet ab omnis poteſtatis vi ſecurus, & ab omni ſubjectionis onere vivit immunis, legibus tantum ne alteri inferat injuriam coarctatus. Rex adeſt armis & opibus potens, à quo ſubditi meritorum prœmia percipiunt, ſed offendi non poſſunt; retinet tamen eos in officio & obſequio ſuo non metu, ſed honorum beneficiorumque diſtributione, & ſupremæ authoritatis majeſtate moderatur conſilia gubernationis publica, ac continet concordes Ordines univerſos.

Poloniæ Rex in vitam ſubditi ſui nobilis poteſtatem non habet, præter paucos caſus.

Livonia itaque poſtquam immutavit priſtinum ſuum ſtatum, hunc Polonæ Reipub.

pub. eſt ſequuta, & illi voluit ſociari. Sigiſmundus Auguſtus tum regnabat in Polonia Princeps magnanimus, & omnibus virtutibus tanto faſtigio dignis excellens, licet in Religionis cultu remiſſior: ſed cumprimis habitu corporis, & moribus, magnificentia & humanitate temperatis ita compoſitus, ut facile quemvis in amorem & venerationem ſui traheret: ſicque cum omnium circumvicinorum populorum, tum & Livonum ſtudia ſibi devinxerat, eoſque 1560, Villæ, à Gothardo Kethlero Magiſtro tunc Ordinis Teutonici in illa Provincia, & ab Archiepiſcopo Rigenſi, ejuſque Adjutore Duce Mechelburgenſi, fidelitatis jurejurando recepto, in ſocietatem Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ admiſit.

Auguſto Regi Polon. jurant fidelitatem Livoniæ Proceres, 1560.

Semigaliæ quoque & Curlandiæ Provincias ſimili ratione qua & Livones à Gruciferorum jugo liberatas, in tutelam Polonæ Reipublicæ ſuſceperat. Et iſtarum quidem adminiſtrationem ſtirpi ejuſdem Gothardi Kethleri, eo quòd is ſummum jus Magiſtri in Livonia ceſſerat Reipub. Polonæ, fiduciario titulo commiſerat: Livonia autem alium gubernationis modum requirebat nempe nobilitatis Polonæ libertatibus æqualem: quem dum ibi introducere Rex ille ſtatuit, bello inopinato à Moſchis contra Provinciam illam, ac Lithuaniam (Poloeiam Moſchi tunc ceperant 15 Febr. 1563.) excitato impeditus, & paulo poſt morte immatura (nec dum enim quinquageſimum ſecundum ætatis ſuæ annum compleverat) præventus, tale negotium imperfectum reliquit. Idque neque à ſucceſſore ejus perfici potuit, niſi Moſchicis præſidiis & armis ex ea Provincia expulſis, quod regnante Stephano demum evenit. Hic enim ut alias attigimus, Moſchum compeſcuit; & ſtatim poſtquam illam Provinciam ab eo recuperarat, ad conſtituendum ejus ſtatum omnem operam admovit. Ac inprimis Rigam liberam manere permiſit, & nonniſi à proprio urbano Magiſtratu gubernari voluit, vectigalque tantum in illo portu de mercibus maritimis & navibus pendi ſolitum in ſignum Regii dominatus fiſco ſuo Regio (tertia ejus parte relicta pro reſtauratione portus illius) addixit, & Arcem illi Civitati conjunctam, in ſua poteſtate retinuit, ita ut nonniſi Præfecto gente Polono aut Lithuano cuſtodienda committi poſſet: ac alteri Arci Dinamunt dictæ à Riga duobus milliaribus diſtanti, marique imminenti, præſidium ſuum impoſuit, quo eum portum ab inimicis tutiorem præſtaret. Compoſita inſuper fuit formula, qua Magiſtratus illius Civitatis jurisdictionem ſuam in Cives & plebem temperaret, nec eam opprimere valeret. In qua conficienda enituit opera Demetrii Sulikowſki, viri gravitate morum & cultiori literatura eminentis, qui tali merito ad Archiepiſcopatum Leopolienſem paucos poſt annos fuit evectus. Inſtitutum autem fuit ut tota Livonia eſſet ſimul Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ individuum membrum, & Equeſtris in ea Ordo ea libertate ac legibus quibus utuntur Regni Poloniæ & Lithuaniæ Nobiles; gauderet, in tres Palatinatus ea Provincia partita, Vendenſem, Derpatenſem, Parnavienſem: & in ſingulis Palatinatibus creatæ ſunt ſingulæ dignitates Palatinales & Caſtellanæ Senatoriæ per vices alternas Polonis, Lithuanis, Livoniſque nativis cum vacarent conferendæ. Fuerant quoque ibi ordinati Arcium Præfecti, Locorum Præſides, Terrarum Iudices, ac alii dignitatum tituli ad normam Provinciarum Poloniæ; jure provocationis tamen reſervato ad Regem à Iudicibus Terrarum, cum ibi non potuerit inſtitui Tribunal, quod provocationes hujuſmodi, ut in aliis Poloniæ Provinciis, terminaret. Religio Catholica tota tunc à Livonia exulabat, ut ne quidem veſtigia illius ibi apparerent, præter Baſilicas ſacras & ædes Religioſorum, quorum opulentos fundos & poſſeſſiones, partim Rigenſes, partim nobiliores occuparant. Nec ſine gravi tranquillitatis ibi tunc coaleſcentis diſcrimine, ad ſtatum priſtinum hæc revocari poterant: Sed tamen & iſtis

Curlandia Kethlera familiæ fiduciario jure conceſſa.

Stephan. Rex primo Moſchum ex Livonia ejecit.

Deinde leges illi Provinciæ dedit.

Rigæ Civitati libertatis dat Rex Stephan.

Rigenſis portus vectigal Regis Pol. fiſco addictum.

Sulikowſki Demetrius vir eruditus.

Livonia in 3. Palatinatus diſtincta.

iſtis quantum poſt tantam rerum perturbationem licuit, eſt conſultum: Et loco Archiepiſcopatus Rigenſis, ac aliarum Eccleſiaſticarum in ea Provincia dignitatum, inſtituit ibi Rex Stephanus Epiſcopatum Vendenſem, ad quem promoveri fecit primum Ioannem Patricium Polonum, genere quidem plebeïum, ſed inſigniter eruditum, pro ipſius proviſione attributa Volmatia. Introduxit etiam in Civitatem Rigenſem Religioſos Societatis IESV, & unam ex Baſilicis in ea Civitate ab antiquo ſactis S. Iacobi dictam, cum ſuo Cœnobio illis addixit, ubi Collegium tenerent, & juventutem in ſtudiis literarum exercerent, Religionemque Catholicam promoverent. Sed hæc perpetua fuit turbarum Rigenſibus materia: obſtinatiores enim iſti pro hæreſi continuis diſsidiis inſectabantur rem Catholicam, tantoque tempore ex Civibus vix aliquis ad Fidem Catholicam eſt converſus, & nonniſi ab advenis ex Lithuania frequentabatur ille locus. Ac demum eò temeritatis ibi prorupetat plebis urbanæ audacia, ut concitato tumultu vim intulerit illi loco ſacro, & ejicere de Civitate voluerit ipſos Religioſos; unde ſubſequenti tempori acerbiora odia & flamma diſcordiarum, quæ non tam facile extingui poſſet, eſt exorta; dum Religioſi illi juris via, & Regiis mandatis ſecuritatem exercitio Fidei Catholicæ, & ſibi ac poſſeſsionibus, fundiſque quos eorum Eccleſiæ Rex addixerat, procurarent; & Magiſtratus Civitatis aſsidue in Aula Regis impenſa gravi aleret Syndicos & Cauſidicos pro objectis purgandis, & trahendis litibus, quæ nunquam ſopiri potuerunt, & tandem juverunt Suecos in capienda ea Civitate, ut ſuo loco adnotabitur.

Livoniæ Eccleſiæ dignitates ad unicum Epiſcop. Vendenſem reductæ.

Rigæ tumultus contra Religionem Catholicam.

Rigenſium odia contra Religioſos Societ. IESV.

Radziwil Card. adminiſtrat Livoniam.

Præfecerat autem Rex Stephanus eo tempore in Livonia cum Adminiſtratoris titulo Georgium Radziwil (paulo poſt fuit factus Cardinalis S. R. E.) virum omni Magiſtratus excellentia majorem. Is itaque vices Regis implebat in terminandis tunc litibus in illa gente ab inferioribus Iudicibus ad Regem provocantium, ne nimirum fatigarentur expenſis, ſi recurrere deberent ad ipſum Regem in longinquis agentem. Ejuſdem officii fuit, ſecuritatem illi Provinciæ à vicinis hoſtibus providere. Inſida enim erat pax cum Moſchis, & in brevi debebant finire Induciæ cum ipſis firmatæ. Vnde & legio Equitum haſtatorum ſelectior in præſidio illius Provinciæ aſsidue tenebatur, ſub Præfecto Stanislao Pækosławſki, viro militari fortitudine conſpicuo, vel ipſo Rege teſte, cui (hoc quoque notatu non indignum,) licet fuerit non leviter invifus, inde quod Nuntii officio fungens ex Palatinatu Sendomirienſi in Comitiis Regni, Regiis rationibus pertinacius obſiſtere ſoleret, ipſemet tamen Rex, ut natura erga viros fortiores fuit propenſior; non roganti, & ne quidem ſimile quid unquam ſperanti, Præfecturam Sendomirienſem ex melioribus Regiis Præfecturis potiſſimam detulerat, illo uſus dicto: *Male quidem Pakoslavius agit Nuntium, ſed militem optime.* Sane inſigni & memorabili magnanimitatis ac moderationis exemplo, ut cujus perſonam offenſus jure oderat, virtutem tamen adamavit, nec dolor ex injuria conceptus, rectum de bene meritis judicium perturbare valuit. Et hæc de Livonia.

Stephani Regis æquanimitas.

Degebat autem Rex Stephanus ut plurimum Grodnæ, ſpecie quidem quod venationibus aptior eſſet ille locus, ſed magis quòd evitabat Annæ Reginæ uxoris conſortium. Duxerat enim eam ex pacto Regni accepti vetulam ſexagenariam, & connubio inutilem, unde & mœrore conſumebatur, quod uxor ſterilis, vegeta tamen, omnem ſpem habendæ prolis ipſi adimeret; & totus ad agnatos converſus, eos ad ſucceſsionem Regni Poloniæ & Principatus Tranſylvaniæ deſignabat. Et in Principatu quidem Tranſylvaniæ hoc ipſi facile ſucceſsit; nam nemine adverſante, ſucceſſorem ſibi in eo inſtituit, primo Chriſtopherum germanum ſuum fratrem, poſtea Sigiſmundum ejus filium. Sed in Regno Poloniæ majoris moliminis

Stephani Regis uxor Anna Iagellonia ſterilis.

Stephanus Rex in TranſylvaniaPrin-

cipatu ſucceſſorem ſibi deſignat Sigiſ. Batori.

minis hæc res erat, majorique cura & mora longiori indigebat, præſertim ob alienatos ab ipſo Rege Stephano multorum Procerum animos partibus Zborovianis conjunctos, qui cum necem Samuëlis Zborowſki alia ratione vindicare non poſſent, rationibus ipſius adverſari, omnia ejus conſilia, quantumvis ſaluti Reipub. proficua criminari, illumque apud populum in ſuſpicionem affectati abſoluti & hæreditarii Dominatus trahere non deſiſtebant. Vnde licet jam ante omnibus Ordinibus Regni deliberatum ac firmum fuerit, præfinire Electionis novi Regis ſtabilem aliquem modum, quo incerto eouſque Interregna fluctuari, & transverſam in præceps agere Rempublicam ſolebant; tamen cum Rex Stephanus ex vi pactorum ſuſcepti Regni, hoc perficere conaretur, malevoli obſtabant: nimirum ne ille exinde aliquid emolementi ad ſtirpem ſuam (in ſucceſſionem Regni tali via eam vocare potuiſſet) derivaret; ſed ſuperaſſet virtute conſilia invidorum, niſi immatura mors præveniſſet: In dies enim magis elucebat ipſius in administranda Republica ſolertia, & maxime in retundenda ferocia hoſtium circumquaque Regno iſti imminentium, qui fortitudinem ejus experti, quieſcentem bello laceſſere nolebant. Tartari enim ſemel & iterum populabundi in Ruſſiam egreſſi, preda omni excuſſi retrocedere coacti, quieti in ſedibus ſuis ſeſe continuerunt: Etiam percuſſi contumelia Legatis ipſorum illata, cum petentibus donativa quaſi conſueta, Rex ſe tributarium tali beſtiæ nunquam fore reſpondiſſet, & vacuos dimiſiſſet. Vſus autem donativorum hujuſmodi inde proceſſit, quod Reges Poloniæ olim graviora bella contra Germanos & Cruciferos gerentes, copias Tartarorum auxiliares advocare ſolebant, & quo ea promptiora ad omnes caſus haberent, ſtipendium annuum, ſeu honorarium ipſis conceſſerant, quod duobus millibus veſtium ex melotis ſeu pellibus agnorum conſutarum; ac mediocri copia pannorum laneorum Anglicorum conſtabat, nimirum æſtimatione decem millium nummorum aureorum ſeu florenorum in Polonia uſitatorum.

A.C. 1586.

Tartari donativum à Rege Polon. conceſſum pro auxiliis ad bella contra Cruciferos.

Hoc igitur donativum Tartari obteſtati promptam ſuam operam militarem pertinacius repetere ſolebant: ſed ex quo tali eorum opera Reſpub. non indigeret, vel quod illi præſtare eam non poſſent, Turcis jam ſubjecti & ipſis ſolis militare coacti, vix aliquando petentibus conceditur, niſi quandoque difficiliori Reipub. tempore, ut ſic deliniti à latrociniis populationibuſque confinium retineantur. Iam vero à multis annis raro quid illis præſtatur, ſed potius certa ſtipendia ſolvuntur Coſacis, quorum ſex millia excubias contra incurſiones iſtius hoſtis, in illis confiniis agere obligantur. Turcarum etiam Imperator (Amurates tunc erat) nihil hoſtile eo tempore tentavit contra Polonos, ac ipſemet pacem poſtulavit à Rege Stephano & firmavit: ac Ianculam qui ſubornatus ab Achmete Veſiro Baſſa Moldaviam pulſo Petro illius Provinciæ Palatino, à Rege Poloniæ inſtituto invaſerat, inde decedere juſſit, requiſitus à Legato Regio tunc Thoma Droiowſki Præmiſlienſi Præfecto. Et cum à Coſacis Pontus Euxinus ſeu mare nigrum infeſtum haberetur; ac ab eis præſidium Turcicum Kozlow in Taurica expugnatum fuiſſet, ſatis habuit Amurates petiiſſe à Rege Stephano, ut violatores pacis punirentur, & querela hæc ipſius, nonniſi capite unius Ducis Coſacorum Ioannis Podkowá hominis facinoroſi, & jam ante ob incurſionem in Moldaviam factam, aliiſque in Rempub. commiſſis criminibus ad pœnam talem damnati, fuit ſopita. Immo idem Amurates ſequeſtro & interceſſore Rege eodem Stephano pacem conceſſit Principi Tartarorum Mechmet Gerei, quem tamen poſtea recrudeſcentibus odiorum utrinque fomentis, fraude Aſchlan Gerei oppreſſit. Et ab eo tempore primum, nempe ab Anno Chriſti 1584. Tauricam totam in Provinciam redegit, Tartaroſque ſubegit.

Tartari hoc tempore Turcis ſubjecti ſunt illiſque militant.

Coſacorum Dux Podkowá ob violatam cum Turcis pacem, capite plectitur.

Tauricam Turca in Provinciam redegit. 1584.

Stephani Regis authoritas apud Turcam.

cum à pluribus retro ſæculis in ea peninſula liberi & indomiti regnaſſent. Nec minus enituit obſervantia Amuratis erga Stephanum Regem in rebus Vngaricis, nam licet totam Vngariam bello premeret eo tempore, Tranſilvaniæ tamen Regi Stephano ſubjectæ pepecit. Et cum Sigiſmundum novum Tranſilvaniæ Principem filium fratris Regis Stephani majori tributo onerare propoſuiſſet, minaci iſtius Legatione deterritus quievit. Ipſe tamen Stephanus Rex, ut erat gloriæ ſuæ propagandæ cupidus, & fortitudinis propriæ conſcius, agitabat animo bellum contra hunc hoſtem nominis Chriſtiani ſuſcipiendum,& ſenſim vires tantis conatibus pares conquirebat. Et cum potentia Turcici Imperii major ſit,quam ut ab uno quantumvis opibus & armis præſtante Principe Chriſtiano ſuperari poſſit, advocabantur in ſocietatem belli iſtius alii Principes, opera Sixti V. Papæ, qui præcipuum nervum ad hoc ſubminiſtrare volebat, maximamque ſpem de hujuſmodi conſilii felici exitu conceperat. Nec ſolum Sixto V. PP. ſed toti Chriſtiano Orbi admirationi erat virtus illius Principis: unde tanto magis ſtudia quoque Polonorum ſibi devinxerat, quod inter laudes ejus,nomen quoque iſtius gentis ac armorum celebritas in ore omnium reſonabat. Succeſſionem in Regno Poloniæ ad ſuos Battoreos haud dubie traduxiſſet, authoritate, rerum præclare geſtarum gloria, beneficiorum in bene meritos æqua diſtributione, mancipatos pene omnium Nobiliorum jam tenens animos. Sed cum Comitia Generalia ad tantam rem perficiendam indixiſſet, 13 die menſis Decembris, Anni Chriſti, Milleſimi, Quingenteſimi,Octuageſimi ſexti, inopinato Epilepſiæ morbo imprudentia medici neglecto, intra paucos dies eſt extinctus Grodnæ, ſummo ſui deſiderio apud omnes relicto.

Sixtus V. PP. ad bellum contra Turcam apparari curabat.

Stephanus Rex obiit Grodna 1586, 13 Decembris.

Hic finiunt Miſcella ævi præcedentis tempora Regni Divi Sigiſmundi III. *inchoata Anno Chriſti*, 1587. *ut ſequuntur.*

Annus Chriſti, 1587.

Interregnum Poloniam poſt mortem Stephani Regis turbavit.

Poloni ſecuritatem Regno Provident ſub Interregno.

DEfuncto Rege Stephano, gravi motu concuſſa ingemuit Polonia; diſcordiæ enim inter Proceres, quæ jam reſediſſe videbantur, quaſi redivivæ, novo licentiæ Interregni ſtimulo exagitatæ, gravius exarſerunt, & dum ſinguli ſtudia populorum in ſuas partes traherent, rumpere Rempublicam conabantur. Sed opportune ſub ipſum tempus ſparſæ famæ de morte Regis Stephani, Comitia ſingularia, quæ Comitia Generalia antecedere ſolent, in Terris quæque ſuis celebrabantur. Vnde Equeſtris Ordo tali occaſione congregatus, ſtatim concordibus conſiliis ſecuritatem quiſque Territorio ſuo à vi repentina ſtabilivit. Ejus autem conſtituendæ ratio ea eſſe ſolet, quod in ſingulis Palatinatibus, præſertim ad confinia ſuſpectæ vicinitatis, collocantur præſidia militum ſtipendiariorum cum Ducibus ſolertioribus, qui ad omnes periculorum rumores invigilent. Statuuntur etiam pœnæ ſeveriores contra graſſatores viarum, contra eos qui aliquem lædere, vel violenter invadere, aut bonis ſpoliare tunc auderent, & inſtituuntur Iudices extra ordinem cum ſumma poteſtate vitæ & necis pro vindicanda ſola tranquillitate Interregni: quo ad alias vero forenſes lites, juſtitium uſque ad Electionem novi Regis ſervatur. Præcipua vero rerum agendarum authoritas tempore Interregni eſt penes Archiepiſcopum Gneſnenſem, qui eſt Primas Regni & Princeps Senatus, & vicem Regis gerit eo tempore; ille excipit & expedit Legationes ab exteris venientes extra Comitiorum tempus; ſub Comitiis autem ſi veniant, in conſeſſu totius Senatus audiuntur, & ex ſententia Senatus reſponſum recipiunt ab Archiepi-

Archiep. Gneſnen. Primatis Regni Polonia authoritas ſumma.

ſcopo,

ſcopo,qui & dirigit conſilia omnia Reipub. ac illius muneris eſt convocare Senatum, indicere Conventus Equeſtri Ordini, & proponere deliberanda. A.C.1587.

Secundo loco æque vivente Rege atque Interregni tempore eminet Mariſchalli ſupremi Regni poteſtas, cujus officii eſt Curiam ſeu locum agendis Comitiis præparare, ſtativa circumquaque Senatoribus & Ordini Equeſtri aſſignare: Legatis etiam ab exteris venientibus diverſoria idem Mariſchallus providet, poteſtatem accedendi Senatum & Legationem expediendi ipſe dat, & venientes ad Senatum Legatos introducit. Ipſe quoque ſententias Senatorum rogat: & ſi quis Senatorum extra ordinem; vel quiſpiam alius ex Equeſtri Ordine in Senatum veniens perorare voluerit, nonniſi petita prius à Mariſchallo dicendi facultate proloquitur. Maxime autem incumbit Mariſchallo cura, ut in loco Conventus ſeu Comitiorum, uti ſub Rege & in Aula Regia, ita & ſub Interregno omnia ſint ſecura, ne tumultus rixæque ullæ excitentur. Vnde ille ſolus militem armatum tunc habere poteſt, quem ad excubias locis opportunis diſponit, inſolentiis opponit, cauſas omnes injuriarum in illo Conventus loco exortarum ipſe judicat, delinquentes corrigit, & vitæ neciſque poteſtatem contra criminoſos exercet. Cæteri vero Magiſtratus, licet vivente Rege ſuas partes in adminiſtranda Repub. habeant, ut Cancellarii, Præfecti ærarii; tamen vacante ſede Regia, omnes eorum officiorum functiones ceſſant, niſi quid ex Senatusconſulto exequi debeant; in reliqvo æquali jure cum cæteris Senatoribus cenſentur, in loco ſui gradus in Senatu aſſidentes. Immo olim nullum locum in Senatu habuerunt, niſi etiam dignitatem aliquam Senatoriam, ut Palatinatum vel Caſtellaniam obtinuiſſent. Sed demum cum Magnus Ducatus Lithuaniæ à Rege Auguſto illius Ducatus unico hærede conſentientibus Lithuaniæ Ordinibus, Anno Chriſti, 1569. in Comitiis Generalibus Lublini, adjungeretur Poloniæ Regno; & aſſignaretur talibus Magiſtratibus Lithuanicis locus in Senatu quem in Lithuania habuerant, Polonicis quoque ne viderentur ipſis in hoc inferiores, cum authoritate præcedant, datus fuit locus Senatorius. Separatum autem ſeſſionis Ordinem iſti Magiſtratus in Senatu faciunt, nempe in extremo Coronæ conſeſſus, quaſi ad clavum Reipublicæ, & loco aptiore ad excipiendum venientia negotia publica, ut quæ tractare muneris eſt ipſorum. Extra Senatum tamen Regi proximiores incedunt, uti conſcii negotiorum, quæ aſſidue obvenire poſſunt: Vnde quantumvis inferiores loco inter Senatores cenſeantur, miniſterio tamen frequentiori Regem demerentes, gratia & familiaritate ejus excellunt, & cæteros in obſequium ſuum vel invitos trahunt, cum omnes nonniſi illorum opera & favore, honorum & beneficiorum gradus à Rege obtinere poſſint. Quinimo & ipſum Magiſtratus nomen, ſi non locum, certe titulum ſpecioſiorem in aliquibus præfert, ut in Mariſchallo & Cancellario ſupremo, quibus à Rege datur titulus *Illuſtris*, qualis nulli Senatorum præterquam Caſtellano Cracovienſi primo ſæcularium Senatori conceditur: nec pauci dignitates majores Senatorias dimittunt, ut aliquem ex iſtis Magiſtratibus obtineant, cum ſimul retineri non poſſint, præter Epiſcopias minores, ſi muneri Cancellarii ſeu Procancellarii jungantur. Sed hoc ſit parergon: redeamus ad moderatorem Interregni Archiepiſcopum, qui tunc erat Staniſlaus Karnkowski, vir ingenio & facundia vulgari promptus, actione vehemens, & moris patrii tenax.

Mariſchalli Regni Polon. poteſtas.

Magiſtratuum Senatoriorum in Polonia præeminentia.

Is itaque non multò poſt obitum Regis Stephani indixerat Senatui & Equeſtri Ordini ad menſem Martium, A. C. 1587. Conventum Varſaviæ, in quo deliberaretur de loco & tempore Electionis novi Regis, & de conſcribendo edicto, pro ſervanda interim mutua concordia & tranquillitate, paceque publica. Ac facilè convenit inter Ordines de tempore & loco Electionis; ei enim expedien-

Comitia in Polonia indicta pro decernenda Electione.

A.C. 1587. dæ Varſaviæ, concordibus omnium votis præſtitutus fuir dies ultimus menſis Iunii, ejuſdem Anni 1587. Sed deliberationem circa formulam edicti pacis Interregni mulrum diuque diſtinuit hæreticorum contenrio.

Religionum contrariarum Catholicæ libertas ſub Interregnis ſtabilita.

Iſti enim cum ab iniriis introductæ in Poloniam Religionis Catholicæ, legibus vetarentur conſiſtere in hoc Regno, & poſtea lege Comitiorum Corcinenſium damnarentur ad pœnas ſeveriores, nempe publicarionis bonorum, mortis, notæ infamiæ, & exilii perpetui: aucti tamen numero & potenria, ac uſi diſſolute ſub Interregnis diſciplinæ domeſticæ occaſione illas leges antiquari, & impunirarem hæreſim in Regno profitentibus concedi, non prece, ſed minis ac armorum ſeditioſorum oſtentatione urgebant, primum ſub Interregno poſt obitum Sigiſ. Auguſti Regis, ubi multitudine prævalentes, cum inſuper Catholicos ſæculares conſanguiniratibus, neceſſitudinibuſque diverſis ſibi devinctos, & (ut natura fert ſæcularium) infenſiores Eccleſiaſticis, in ſuas partes traxiſſent, facile libertatem Religionis ſuæ (*Fæderationem vulgo vocant*) hujuſmodi edicto pacis Interregni approbari fecerunt, repugnantibus Eccleſiaſticis, præter Franciſcum Krasinski Epiſc. Crac. qui ſolus illi fœderationi ſubſcripſerat, inductus precibus & perſuaſionibus Carholicorum ſæcularium, ut ipſius Apologia, ad Legarionem acerbiorem Collegii Cathedralis Crac. excuſat. Eò enim res devenerat, quod Collegium illud ſeceſſionem propterea minabatur; ſed tamen non ultra verborum querelas proceſſit. Nec mulro poſt Henrici Regis diſceſſum vacante Regno, iterum hæretici fruſtra omnibus in adverſum adnirentibus Eccleſiaſticis, eandem fœderationem ab Ordinibus confirmari procurarunt, & æque ut Henrico Regi, Stephano quoque in formula ipſius jurisjurandi approbandam obtruſerant, ſub rali verborum ſenſu: *Pacem inter diſſidentes de Religione tuebor, nec quempiam offendi opprimique cauſa Religionis permittam.* Demum vero ſub hoc Interregno poſt Regem Stephanum, licet jam numero & potentia Catholicorum parres prævalerent, tamen quià Catholici ſæculares oſcitantius agerent, & omnem curam Religionis rejicerent in Eccleſiaſticos, (plerique optabant ut Eccleſiaſtici tali via in ordinem redigerentur) hæretici tanto majori fervore pro ſtabilienda libertate ſua certarunt.

Zborovіorum factio contra Zamoyſcium.

Nec minus conflictarum fuit in illo Conventu propter diſſidia inter Ioannem Zamoyski Regni Cancellarium, & Zborovios pridem enata: Iſti enim affiniratibus & clientelis innumeris potenres, aliis inſuper quotquot erant Senatorii & Equeſtris Ordinis Zamoyſcio infenſi, in ſuam ſocietatem adſcitis, omnium reliquorum odia in eum concitabant. Et cum primis milirari Præfectura eum (ut qua maximè formidoloſus erat) ſub tempus Interregni exauthorari, vireſque ipſius ea ratione imminui, & authoriratem deprimi volebant.

Gorcanus Comes popularitate præſtabat.

Ac præcipuus conſiliorum hujuſmodi moderator fuit Staniſlaus Comes à Gorká Palatinus Poſnanien. gibbo deformis, alioquin magnanimus & mire ſolers in aucupando favore populi, quem non tantum humanitare comitateque morum, ſed & profuſa liberalitate demerebatur, præſertim epularum continuo & luxurioſo apparatu, ut vulgo publica convivantium officina, & magiſtra ſymphoſiorum Aula ipſius reputaretur. Nec impares tantæ munificentiæ ipſi aderant facultates, ingentem enim vim opum, & innumeras opulentiſſimorum caſtrorum & prædiorum poſſeſſiones conquiſierant majores ipſius: præcipue Vriel, qui inter privatas tenuioris patrimonii ſui curas, tandem inopinatam nuptiarum felicitatem adeptus, circa A. C. 1480. ſub

Gorcanorum Comitum ſplendorιs initia.

Caſimiro III. Rege Poloniæ majores ſpes ſequi cœpit. Adjutus enim ſoceri divitiis, publica Regis & Reipub. munia tractavit, & in eis dexteritate ſua ſingulari probata, Præfecturam Generalem majoris Poloniæ, ac etiam Palatinatum Poſnanień. conſequutus fuit. Demum ſocero & ſocru, nec multo poſt uxore ſua defuncta, ex qua duos filios, ſuſceperat, renunciata in filium Præfectura Majoris Poloniæ, & habitu

Digitized by Google

A. C. 1587.

bitu militari depoſito factus Sacerdos, Epiſcopatum Poſnanieñ. obtinuit, remque ſuam tanto magis auxit. Filii quoque & Nepotes ipſius eandem artem diteſcendi feliciter coluerunt, nempe connubiis amplas hæreditates acquirendo, & poſt connubia Epiſcopatus pinguiores adeundo, ac ne dum uno ſæculo elapſo, in tantum proſapiæ ſuæ patrimonium dilatarunt, quod hucuſque licet plures locupletiſsimi in hoc Regno (nempe qui legiones alere poſſunt, ut alibi diximus) numerentur, nullus tamen Gorcanorum opulentiam æquavit; ſed totum hoc una cum ultimo ſtirpis iſtius Staniſlao, à quo ſermo incœpit in brevi corruit, ac maledicta Pſalmi Davidici Centeſimi octavi, quæ Vriel poſteris ſuis, ſi quando fidem Catholicam deſererent, moriens imprecatus fuerat, omnia ad literam in hęreditate ejuſdem Staniſlai completa ſunt, quæ ſingula longum eſſet recenſere. Is itaq; Staniſlaus Comes à Gorká in illo Conventu Varſaviæ, Zborovianas partes maximè promovebat, & cum potentia, aſſectatorumque numero (Zamoyſciani tunc pauci adfuerunt) præſtaret, facilè evicit, effecitque ut fuerit decretum, (pro abroganda ſub tempus Interregni militari poteſtate Zamoyſcii) quod nonniſi authoritate ejuſdem Conventus conſcribendus eſſet miles, & illius Imperium cum cura confinium Ruſſiæ (quæ Zamoyſcio pro officio Præfecturę militaris incumbebat) Nicolao Herburt, ac diverſis aliis Zborovianarum partium aſſeclis, præſertim Iazłowiecio Caſtri Cameneceñ. cuſtodia committeretur: Quodq; Chriſtopherus Zborowski exul à Rege Stephano proſcriptus, ad Comitia Electionis Regis proxima liberè cum ſpe reſtitutionis ſuæ ab exilio poſſet venire. Diſſentientes quoq; in Religione poſt longas altercationes obtinuerunt, ut in edicto pacis Interregni publico, ſecuritas ipſorum Religionibus fuerit data, fruſtra repugnantibus Eccleſiaſticis, contra quos tali edicto ſubſcribere renuentes, Equeſtres omnes commoti æque Catholici atq; Hæretici, pacem publicam per ipſos turbatam iri querebantur, niſi edicto illi fœderiq; iſtius Conventus ſubſcriberent. Et cum Archiep. Gneſneñ. occaſione morbi quem graviorem contraxerat, è Conventu ſe ſubtraxiſſet, eumq; ſequutus Vladiſlavieñ. Epiſcopus Hieron. Rozrazewski inſalutatis reliquis abiiſſet, totum concertationis negotium Demetrio Sulikowski Archiep. Leopol. & Laurentio Goſlicki Epiſcopo Camenecenſi ſuſtinendum reliquerunt. Ac tandem cum culpa omnis diſturbati Conventus nonniſi in Eccleſiaſticos redundatura videretur, ſi ob ſeceſſionē ipſorum & ſubſcriptionem denegatam rebus infectis fuiſſet ſolutus, vel ſi ſæculares ſoli ſanciviſſent leges pacis, ab eis Eccleſiaſticos excludi oportuiſſet, in eo res ſtetit, quod Laurentius Goſlicki ſubſcripſit Actis illius Conventus adjecta cautione (*pro bono pacis*) nempe quod aliter pax communis eo tempore conſtare non poſſet, & nullos magis quā Eccleſiaſticos ſtatus Reip. diſtracto eo Conventu confuſus affeciſſet: contradictione enim ſua prorſus excidiſſent à beneficio pacis proviſæ illo edicto, in quo apponi ſolent hæc verba: *Quæ omnia ſub fide, honore, conſcientiis, ſervanda invicem promittimus: & ſi quis iſtis contravenire, & pacem publicam turbare auſus fuerit, contra talem omnes conſurgemus in ejus deſtructionem.* Non deerant tamen qui prudens illud in neceſſitate conſiliū carperent, & ipſum Goſlicium, alioquin virum in Religione Catholica propugnanda (ut ſæpius doctrina & eloquentia potens, impugnatores Eccleſiaſticorum fortiter in Conventibus publicis repreſſerat) probatiſſimum, etiam apud Sedem Apoſtolicam traducere, ac conniventiæ cū hæreticis inſimulare non vererentur, quo poſtea in aſſequendo majori Epiſcopatu Romæ, non parum ipſi fuit negotii faceſsitum: Archiep. autem Leopol. Sulikovius, & ipſe eruditione morumque gravitate inſignis tum redierat Româ, perfunctus Legatione à Rege Stephano ad Sixtum V. Papam, & ſuæ Legationis in illo Conventus conſeſſu recenſuit ſeriē. Sed cum in ea & in reſponſis Papæ, nonniſi laudes Stephani Regis reſonarent, omnium pene (nempe partium Zboroviorum

Gorcanorum Comitum Familia exſtincta.

Zamoyſcio Præfecturam militarem ſub Interregni tempus æmuli abrogari volunt.

Goſlicius Epiſcopus Camenecenſis ſubſcribit fœdus libertatis hæreſis.

Goſlicius vir doctus.

Stephani

Digitized by Google

A. C. 1587. Stephani nomini infenſorum) averſas aures à ſua oratione invenit. Nec alia in illo Conventu audiebantur, præter jactationes in defunctum Regem Stephanum variorum convitiorum, & maledictorum in Zamoyſcium.

Comitia pro Electione Regis Polon. indicuntur ad Iunium Varſ.

Dies tamen Electionis novi Regis ad finem proximi menſis Iunii concordibus ſuffragiis fuit indicta. Ad quam omnes penè Proceres, & Equeſtris Ordinis ingens turba convenit. Partium autem Duces, etiam militaribus turmis, & bellico apparatu inſtructi adfuerunt. Et quidem Gorcani cum Zbotoviis aliiſque eorum aſſeclis conjuncti, prope decem millia armatorum habebant, inter quos non paucæ cohortes externo conſtabant milite: ſolus Chriſtophorus Zborowski quingentos adduxerat Gallos, Germanis permixtos ſtipendiarios, eoſque exercitatiſſimos. Zamoyſcius autem numero militum fere inferior, ſed eo fortior advenerat, quòd totum robur militiæ Regni aderat in ejus comitatu: omnes enim veterani, qui cum Stephano Rege militarant, eum ſequebantur, atque una peditatus Stephani Regis Vngaricus ſelectiſsimus. Et cum primis artis & diſciplinæ militaris exercitus Zamoyſcii gnatus ſtationem ſuam in modum caſtrorum munierat, ducto circum vallo & foſſa apud villas Powaski & Folwárki, duobus à Varſavia paſſuum millibus diſtantes, ubi in proximo quoque fuit deſignatus circus ſeſsionis, ſive locus conſeſſus Comitiorum celebrandorum. Inchoatis autem Comitiis Electionis Regis, ante omnia laborarunt Senatores neutrarum partium, ut Zboroviani cum Zamoyſcio aliqua ratione reconciliarentur: ſed cum elatiores illorum animi nullum concordiæ modum admitterent, ita ſtatuerunt, ut nullus eorum armatus ad conſeſſum publicum veniret, & ne uterque eodem tempore, ſed alterni accederent. Quod tamen paucis diebus fuit obſervatum: nam in ipſo initio Comitiorum contentione excitata de Actis Convocationis præteritæ circa Præfecturam militarem, & modum colligendi regendique milites, quæ non tantum Zamoyſciani, ſed & Senatus univerſus, ac maturior quiſque abrogari volebat, nempe Comitis Gorkani, ejuſque aſſectatorum arbitrio compoſita, plurimaque mori antiquo contraria, Zboroviani ea ferocius propugnantes, multitudine armatorum ſtipati, Comitia frequentare cœperunt. Et demum cum in conceſſu illo Ordinum omnium generali nil ex ſententia ſua agi viderent, ſeceſsionem fecerunt diſturbatis Comitiis tumultu gravi, in quo plurimi fuerunt periclitati, & Venceſlaus Waſowicz vir nobilis, ac ex familiatibus Epiſcopi Vladiſlavieñ. unus Sacerdos percuſſus jaculo bombardæ interiit. Statim autem ſeceſsione facta, alium locum Zboroviani celebrandis Comitiis ſibi delegerunt, & declamantes quaſi libertas ſtatus Equeſtris in conſeſſu illo primo opprimeretur, omnes Nobiles ad ſuas partes attrahere conabantur. Denuntiarunt *Rokoſſ* vulgatum nomen: (eſt gentis Teſſera, qua audita omnis qui cenſetur juris & ſtatus Nobilis, licet ſit alligatus obſequio alicujus Principis vel Nobilis, relicto eo, ad communem concurrentis Nobilitatis cœtum venire pœnis gravioribus obligatur.) Nec parum commoverat Teſſera illa univerſos, niſi Staniſlaus Katnkovius Primas, convocato Senatu & Ordinibus, conſeſſum illum primum Comitiorum inſtauraſſet, in quo exinde congregabantur omnes, præter illos qui affinitatibus vel clientelis Comiti Gorcano & Zborovianis ſingulariter erant devincti: Lithuani etiam ultra flumen Viſtulam (junctam tunc ponte extructo à Iagelloniis inter Europæa admirabiliora opera celebrata, qui A. C. 1603. impulſu glaciei hyemalis in una tantum fornice, ut facili impendio refici potuiſſet, perfractus, ad uſum arcis Varſaviæ fuit ſucciſus, quaſi ſolidior muro ſeu lapide ſecto eſſet ædificandus) ad villam *Kámień* poſitis caſtris, ibi conſilia ſua agitabant. Et ita tripartita Repub. omnia in ſummo interitus diſcrimine pendebant: nec habebatur ratio, aliqua ſalubrioris in Electione Regis conſilii, ſed quiſque adnite-

Gorcanus Comes una cum Zborovius armati, venerunt ad Comitia Electionis Regis.

Zamoyſcium omnes veterani milites ſequuntur.

Comitiorum conſeſſus inſtauratur per Primatem.

batur,

batur, ut eligeretur non ille quem de Repub. eſſe bene meritum, & nomini Polono ampliando idoneum judicaret: verum quem ſibi benevolum & æmulo ſuo infenſum fore certò ſciret. Invidentiæ autem vitio invicem exercendo populi iſti, maxime circa Electionem Regis ſui adeo indulgent, quod propterea dignitatem Regalem, qua nulla uſpiam eſt ſublimior, malunt transferre ad alienigenas, & nomini Polono forte iniquiores, poſthabitis (non ſine ignominia ſua) generis & ſanguinis ſui viris Imperio paribus, ut nunquam in iſta gente deſunt: Omnino naturæ & rectæ rationis ſenſum exuunt, immo & Divinæ legis, ac Civilium, politicarumque diſciplinarum univerſa inſtituta in hoc evertunt, cum & lex Divina *Deut. c.* 17. diſertis verbis alienigenam Regem eligi prohibeat. Eccleſiaſticus vero clare monet: *Admitte ad te alienigenam, & ſubvertet te.* Ac concordibus ſententiis omnes Politiæ conclamant diverſarum nationum ingenia difficile convenire, & ex morum diverſitate factorum diſcordiam promanare, atque communiter externos nullo amore in Remp. duci, ſed quod ſibi commodum eſt facere, & prædam in ſuum ſinum conferre, hocque unicum maximè curare, ut accepta libera Regna, ſuis proſapiis hæreditaria faciant, vel earum robur in fulciendis propriis patrimoniis enervent; uti Vngariæ ac Boëmiæ liberrima Regna, tales Domini noſtro ſæculo in ſervitutem hæreditariæ ſucceſſionis ſuæ redegerunt, & Hiſpaniarum potentiſſimarum invictum robur immenſis earum opibus & armis ad bella ſua diſtractis nimium labefactarunt. In Principe etiam præcipue requiri nemo negabit, ut Remp. norit, nec protinus ejus ſtatum, ad alienæ ſibi congenitæ & cognitæ normam immutet. Et pro Colophone libet hic apponere verba Philippi Cominæi, rationum Politici ſtatus inveſtigatoris ſolertiſſimi. *Vix ulla eſt* (inquit ille) *natio, quæ ferat Imperium peregrinum: Galli certè non ferrent, & ubicunq; populus eſt aliqua mediocri potentia, videmus eum ferè ab indigenis gubernari:* Et poſt pauca: *Nam etiam ut Princeps aliquis externus bene rem gerat, & commode gubernet, tamen quia moribus & genio differt, nec eam erga populum repræſentare poteſt benevolentiam, ac ſi eſſet indigena, facile oriuntur diſſenſionum occaſiones. Itaque fit, ut ille quo Principatum ad ſe delatum, ſuaſque fortunas tueatur, aliunde milites & copias adducat; eorumque ſe præſidiis muniat, qui beneficiis deinde ſingulariter ab eo & honoribus aucti magnam multitudinis invidiam & odium in ſe concitant;* hæc ille. Infinitum eſſet recenſere ſingula, non ſolum ex arcanis Politicæ diſciplinæ, ſed ex rerum uſu à ſæculis continuis experimentis ſagaciſſimorum ingeniorum collecta argumenta, quibus concludunt cuilibet Reipub. infauſtum & noxium eſſe alienigenæ Principis Dominatum. Ac nonniſi iſtis edocti æq; Chriſtiani, & cultiores moribus populi, ac etiam barbari, proprii ſanguinis & gentis (ut facile videre licet) habent Principes: ſoli Poloni contra naturalem ad ſanguinem propriū propenſionem, & contra communem omnibus gentibus opinionem, non tantum alienigenam excluſis nativis ad Regnum admittunt, ſed quibuſlibet ſine diſcrimine petendā eam dignitatem exponunt, ut etiam Tartari Principis ambientis hoc Regnum Legati in Comitiis Electionis Regis Henrici fuerint admiſſi & auditi. In hac autem Electione præcipui celebrabantur Candidati, Maxim. Archidux Auſtriæ, frater Imp. Rudolphi II. cujus cauſam agebat Annibal de Capua, Nuntius Papæ, & Staniſl. Pawlowski, Epiſc. Olomucen. Imperatoris Legatus Aderant & Legati Ioan. Sueciæ Regis pro Sigiſmundo ipſius ex Catherina viduæ Annæ Reginæ Pol. ſorore filio. & alii Legati Magni Ducis Moſchoviæ Theodori Odonowic: Bathoreorum Nuntii ſpectatores magis quam competitores præſeferebant, quod repeterent derelictam ſuppellectilem poſt Regem Steph. ſuis hæris debitam. In tali itaq; competitorum ambitu, ſtudia Ordinum diſtracta hærebant. Sed maxime inclinabant primum ad Moſchorum Ducem, ut qui genere Slavonico & habitu ſimilis, nec idiomate linguæ multum differens à Polonis,

A.C. 1587.

Poloni ex odiis & invidiis mutuis malunt alienigena deferre Regnum quam indigenæ.

Princeps alienigena non poteſt Rempu. recte gubernare.

Candidati præcipui ad Regnum Poloniæ.

A.C. 1587. Polonis, ampliare Regnum Pol. adjuncto illi Moſchoviæ Imperio, promittebat. Et non pauci prudentiores ſuſpirabant *Piaſtum*, nempe ex gente Polona aliquem eligendum: hoc enim nomine vulgari deſignari ſolet ex gente propria Candidatus, eo quòd priſcis temporibus cum pro eligendo Rege decertarent Poloni, Principibus diverſis. Optimatibuſque poſtpoſitis, elegerunt nomine *Piaſtum*, è media plebe virum, ſub cujus ſtirpis bene auſpicato Imperio, res Polona annis (ſi credimus Ludovico Decio, antiquitatum Polonicarum Scriptori, qui Piaſti tempora refert ad Iuliani Cæſaris Imperium, ſub A. C. 363.) prope mille floruit, nempe ad Ludovicum Vngariæ Regem, qui natus ex Eliſabetha Caſimiri Magni Vladiſlai Loctici filii ſorore, eo defuncto A. C. 1370. 5. Novemb. aſſumptus fuit ad hoc Regnum, A. C. 1371. idque poſthabitis Ducibus Maſoviæ agnatis ejuſdem Caſimiri ejuſque Nepote ex filia Stetini Duce, tum & filiabus (Iſtis injurioſius impingebat vitium nativitatis Elizabetha, ut eis ita excluſis à ſucceſſione Regni, ipſamet cum filio ſuo Ludovico regnaret) Anna poſt modum Vilhelmo Comiti Ciliæ, & Heduigi Duci Romero in Vngaria, nuptis. Extincto vero Ludovico itidem ſine prole maſcula, A. C. 1382. 13. Septemb. Tirnaviæ in Vngaria, iterum Regnum hoc tranſivit ad externum Vladiſlaum Iagiello, cum Heduigi filia Ludovici natu minore, (nam majorem acceperat ſibi uxorem Sigiſm. poſtea factu s Imperator Rom. à Polonis pertæſis abſentiæ Ludovici in Vngaria continuo degentis ſpretus, eo quòd in Polonia reſidere non poſſet) qui quarto anno Interregni ea diſponſata A. C. 1386. 18. Febr. fuit inauguratus Rex Poloniæ, ut videri poteſt apud *Cromerum lib:* 13. & apud *Miechovium lib:* 4. *cap:* 38. Alterutrer autem ex iſtis eligeretur, magnorum incrementorum iſti Reipub. ſpes non dubia affulgebat; ſed hanc commodi publici occaſionem turbarunt Civium diſcordiæ, quæ exarſerant in tantum, ut inſtructâ utrinque acie, pene concurrerint aliquoties, niſi Primas & graviores ex Senatu inter arma & ſigna infeſta obequitantes, & precibus cum lachrymis per ſalutem Patriæ Duces partium obteſtantes, prælium diremiſſent. Nuntius autem Apoſtolicus Annibal Capuanus, claudus licet pede, aſcendebat turrim Templi Majoris Varſavieñ. quæ erat excelſior, ut inde ſpectaret (uti certò ſperabat) pugnaturos; nempe fax præcipua & incentor malorum; partes enim Gorcanorum & Zborovianorum (licet eſſent Hæretici) tuebatur, eorumque pro Auſtriacis largitionibus immenſis & promiſsis liberalioribus ſuffragia obligata habens, violentiora ubique ſuggerebat conſilia, quo diſſipati armorum tumultu Regni Ordines, Regem quem volebant nominare non valerent, vel metu ad Gorcanorum & Zborovianorum partes traherentur, ubi ſolus Maximilianus Auſtriacus nominationis prærogativam obtineret. Nullus tamen eo tranſibat, immo multi qui quouſque Gorcanus & Zboroviani Moſchorum Ducem (quo plures ad ſe allicerent) ſe nominaturos ſimularunt, illis partibus adhæſerant, ut primum Maximiliano ibi ſuffragia comparari ſenſerunt, retrocedebant. Suſpectum enim eſt Polonis nomen Germanorum, ut qui natura Vatinianum odium erga gentem Slavonam gerunt, ejuſque vaſtiſsimas Pomeraniæ Provincias ad Albim fluvium (ut etiam Germanici Hiſtorici teſtantur, & plurima loca cognomina idiomatis Slavonici ibi adhuc retinent) uſque protenſas, olim ademerunt, & recenter Auſtriaci iſtius gentis Regnum Boëmorum liberum acceptum, in turpem ſervitutem abſoluti hæreditariique Dominatus contra fidem datam induxerunt. Regnum quoque Vngariæ libera Electione Reges ſibi adſcire conſuetum, ut pedem eò intulerunt, perpetua hæreditate familiæ ſuæ mancipare contendunt; eandemque calamitatem libertatibus ſuis Poloni ab ipſis metuentes, omne cum ipſis circa Regis Electionem conſortium devitant. Et quidem palam prudentior quiſque

Piaſtum e medio plebe olim elegerunt Poloni ſibi Regem, qui cum ſuis poſteris regnavit ad 1370.

Maximiliani partes nitebantur ſuffragiis hæreticorum.

Polonis dominatus Auſtriacorum ſuſpectus.

quiſque obteſtabatur Germanorum Regem eligi non debere. Vnde & Archiepiſcopus Gneſneñ. Primas, cum ejus mentem exploraturi Zboroviani in privato colloquio interrogaſſent, quemnam Regem eligendum deſideraret, & necdum deliberarum haberet quem eligi vellet, pro communi tamen populi inclinatione reſpondit, ſe cum Rege Germano domum redire nolle: ſubjungente tamen altero, nunquid & Suecum pro Germano intelligeret, replicavit hunc quidem maternum genus ex Polonis ducere, & Suecos diverſam gentem eſſe. A.C.1587.

In altera etiam parte quæ contra Auſtriacum ſtabat, non ſatis conveniebant Proceres: Moſcho enim & Piaſto jam ſepoſito, recens fortitudinis, meritorum, & in plurimos benefactorum memoria Stephani Regis ſatis permovebat. ne Batorii excluderentur, cum & more antiquo fuerit receptum, quantumvis libere Rex eligeretur, Regi defuncto proximos ſanguine, & præſertim ejus fratris filios non præteriri. Sed Anna Regina fortius inſtabat pro ſororis ſuæ & Sueciæ Regis filio Sigiſmundo, adjuta non ſolum opera clientum & beneficiariorum ſuorum, quorum numerus tam in Senatorio quam in Equeſtri ſtatu erat ingens, ſed etiam Iagellonii ſanguinis majeſtate. Ejus enim obſervantiam ſummam in iſtis populis vigere, præcipuamque rationem illius haberi, omnibus anteactis Interregnis ipſamet Regina in perſona ſua fuit experta. Et quod potiſſimum promptam offerebat pecuniam in ſtipendia militum conducendorum pro reprimendo æmulo Auſtriaco, quem vel invitis Regni Ordinibus Zboroviani obtrudere decreverant. Promittebantur etiam in augmentum & ornamentum Reipub. à Suecicis Legatis ſat ſpecioſo ſi fuiſſet præſtita: offerebant reſtitutionem Eſtoniæ, quam Sueciæ Reges à Livonia bello tunc Moſchico implicita avulſiſſe, alio loco meminimus, quodque Sigiſmundus Regnum adeptus, quinque Arces ſeu propugnacula in finibus Poloniæ & Lithuaniæ omni armatura inſtructa, ſumptu ſuo ædificaturus eſſet, claſſem maritimam pro defenſione maris Baltici comparare deberet; machinas bellicas in Livonia ſub Moſcho intercepta reſtitueret: ſummas pecuniarias in Regno Neapolitano obligatas quondam Reginæ Bonæ, & hæreditate ad ſuam matrem Catherinam devolutas, Reipublicæ dono applicaret. Nec dubie innuebant credulis, eum magnam vim auri & argenti in Poloniam invecturum, quo debita & onera Reipublicæ ſublevarentur, & præſertim impenſæ iſtius Interregni ſarciri poſſent. Defatigati itaque moleſtioribus & tam diuturnis concertationibus Ordinum animi, in Sigiſmundi partes inclinare cœperunt: nec tamen prætermiſſum fuit quidquam, quo & Gorcani & Zboroviani ad concordiam communem reduci poſſent. Nam priusquam ad ſuffragia palam enuntianda deveniretur, diverſa colloquia graviorum Senatorum cum illis ſunt habita. Zamoyſcius quoque Cancellarius uti à primo Comitiorum initio ſe in poteſtate Senatus futurum declaraverat, omnia ejus arbitrio permittebat, quæ ex ſua parte ad conciliandam in Republica unanimitatem concedere vel perficere deberet. Commeabat illud iſthuc aſſidue Archiepiſcopus Primas concordiam ſuadens.

Polonorum mos antiquus in colendo ſanguine Regio.

Iagellonia ſtirpis obſervantia ſumma.

Sigiſmundi Legati promittunt multa Polonis.

Poloniæ Procerum ſtudia in conciliando mutua concordia pro eligendo Rege.

Et cum jam Maximiliano apertius adverſaretur, eum invitum ad partes ſuas traducere Zboroviani conati, ſubornaverant navim, qua demiſſa ſecundis Viſtulæ aquis prope Cœnobium Bernardinorum, ubi ipſe degebat, eum abducerent. Sed Zamoyſcius, ut erat ſagaciſſimus explorator conſiliorum adverſariorum, re cognita miſſo propere cum Staniſlao Pækosłáwski Præfecto Sendomirienſi, firmo præſidio munivit illud Monaſterium, & deinde tranſire fecit Archiepiſcopum ad tutius in Arce Regia hoſpitium. Lithuani autem vix ſibi conſtabant: Cardinalis enim Radziwil cum ſua proſapia (quæ ab Auſtriacis inſigne Principatus Imperii obtinuerat, & illis obſtrictior propterea fuit) Maximilianum vole-

Zborovii Primatem capere volunt.

F bat:

A.C. 1587. bat : Chodkievicii Zboroviis conjunctiores erant , & cæteri dubii quem ſequerentur , petebant diſſolvi Comitia & alia indici omine feliciore celebranda : magis tamen , nempe Senatores inclinabant ad Sigiſmundum ducentem genus maternum ex ſtirpe Lithuanica Iagellonica , & Equeſtres Lithuani ad Theodorum Moſcoviæ Ducem , Maximilianum prorſus recuſantes. Et tandem cum in conciliandis iſtis diſſentientibus voluntatibus , nil intentatum ſupereſſet , & trahi diutius Electio abſque periculo Reipub. non poſſet , indignumque videretur , ſi paucorum obſtinatio conſenſum univerſorum deberet remorari , ſuffragiorum collatione rem terminandam decernunt ; dieque nona menſis Auguſti convenerunt omnes in circo quem nigrum vocitabant , inde quod eò convenire ſoliti atrati omnes ob mortem Stephani Regis incederent. Senatus aderat frequens , nam & à Zborovianis redierant plerique contumelioſius à Gorcano habiti: Equeſtris autem Ordinis per campos in Tribus & Palatinatus diſtincta agmina ſtabant numeroſa : Ac præmiſſo ſententiarum calculo, Archiepiſcopus Gneſnenſis Primas, pauca præfatus in laudem Sigiſmundi, eum Regem Poloniæ & Magnum Ducem Lithuaniæ nominavit, legitimeque fuiſſe electum denuntiavit. Succeſſerunt deinde lætæ acclamationes novo Regi cum feſtivo ſonitu tubarum & bombardarum : & ſoluto conſeſſu proceſſerunt omnes ad Templum majus Varſavienſe , ibique Hymnum gratiarum , præcinente Archiepiſcopo Primate cantarunt. Expeditus etiam fuit ſtatim Martinus Leſniowolski Caſtellanus Podlachiæ cum Ioanne Boianowski in Sueciam , ut Sigiſmundum inde adduceret , & plures Proceres ſunt deſignati , qui illum Dantiſci exciperent, die pro eo Coronando Cracoviæ 17 Octobris proximi aſſignata. Tum Gorcani & Zboroviani , qui couſque compotationibus magis vacarant, maturare incipiunt, & conſeſſus ſuos frequentant, contra Electionem Sigiſmundi, quaſi minis extorram , & libertati Nobilis ſtatus adverſantem declamant, Chriſtopherum Zborowski ab infamiæ & proſcriptionis pœna, qua à Stephano Rege fuerat damnatus , immunem à novo Rege habendum fore decernunt, & multa ſtatuunt in forma publici edicti, quibus Electionem Sigiſmundi infirmarent, populoſque ab ejus partibus deterrentes, ad Maximilianum avocarent. Et quamvis Lithuani miſſo ad eos Ioanne Lebowicz Palatino Trocenſi, & Leone Sapiha Vicecancellario Lithuaniæ anxie hortarentur , ne nominarent Regem, quin potius Electionem ad aliud tempus differrent, quod & alteri parti ſe perſuaſuros promittebant ; tamen ipſi nominationem Regis Maximiliani 12 die ejuſdem menſis Auguſti, per Iacobum Woroniecki Epiſcopum Kijovienſem promulgari fecerunt, inſequentique die in Templo Bernardinorum in ſuburbio Varſaviæ (ad Templum majus Civitatis non admiſſi) laudes DEO pro ſua Electione ſolennes reddebant, Cardinale Radziwilo ſacra gratiarum celebrante. Conſcripſerant etiam conditiones quas Maximilianus juraret , deſtinaruntque ad eum cum decreto Electionis & pactis per Legatos ipſius ſtabilitis Epiſcopum Kijovienſem , Ioannem Zborowski Caſtellanum Gneſnenſem, & Alexandrum Prunſki. Sed ſtatim Ordines Regni divulgato edicto, hanc Maximiliani Electionem illegitimam & irritam eſſe declararunt, & nonniſi ad Electionem Sigiſmundi vita & facultatibus omnibus ſuis defendendam , fide ſibi invicem data , ſeſe mutuo obligarunt. Lithuani vero utramque Electionem rejiciebant, & oppreſſam potentiorum armis ſuffragiorum libertatem nova ac legitima Electione ſe vindicaturos comminantes, ad propria ſunt dilapſi. Non latebat autem Ordines , quod Maximilianiſtæ ſuffragiorum numero & favore populi longe inferiores , omnem ſpem excludendi Sigiſmundum in Auſtriaca potentia, & celeritate ad præripiendam Coronam Regiam reponerent,

Sigiſmundus Rex Poloniæ renuntiatur 9 Aug. 1587.

Zboroviani contradicunt Electioni Sigiſmundi.

Maximilianus nominatur Rex Poloniæ à paucis.

A.C. 1587.

Zamoyſcii conſilium in praevenienda Cracovia.

rent, & facile ſibi omnia ex animo ſucceſſura crederent, cum viderent Sigiſmundum ex Suecia longinqua accerſendum eſſe, ac ejus adventum navigatione maris Baltici autumnali (ut proxime inſtabat) tempore ſæpe dubia retardandam fore: Maximilianum autem in Moravia Olomucii deſidentem, intra paucos dies Cracoviam pervenire, occupateque poſſe. Vnde illi, priuſquam diſſolverentur Comitia, inito conſilio, commiſerunt Zamoyſcio Cancellario, ut interim donec veniret Sigiſmundus Rex Electus, curaret ne quid detrimenti Reſpublica pateretur, injunxeruntque ipſi ut conſcriberet exercitum, quantum neceſſitas præſens poſtularet, fide data de exolvendis publico ære militi quem conduceret ſtipendiis, refundendiſque omnibus in bellicos apparatus impenſis. Quam Provinciam ille uti prompte ſuſcepit, ita & naviter, fortiterque adminiſtravit: ſtatim enim Varſavia Cracoviam verſus movens, per medias Zboroviorum ſtationes (in villa Powſin qua iter erat Zamoyſcio morabantur) inſtructo exercitu primo diluculo tranſivit, & cum ſomno adhuc poſt nocturna convivia reperiſſet ſepultos, ut illis ſocordiam, & in re militari inertiam exprobraret, apprehenſos ipſorum excubitores flagris excipi fecit. In ipſo procinctu defecerat ab eo ad Maximilianiſtas Spytek Iordan, (promiſſa ſibi Præfectura Scepuſienſium in confiniis Vngariæ Civitatum corruptus) ſed non caruit propterea proditionis nota, ſiquidem jam acceperat à Zamoyſcio ſtipendia militaria, & non multum de illa fraude inultus exultavit; nam mox Velites Zamoyſcii celeri curſu deprehenſos illius manipulos diſſiparunt, licet ipſe elapſus adhæſerit nihilominus Maximilianiſtis. Et quidem exercitus Zamoyſcii recta Crocoviam contendit, ipſemet vero cum deflexiſſet Zamoyſciam (fida opera interim uſus Nicolai Zebrzydowski Præfecti Arcis Cracovienſis, & Andreæ Comitis de Tæczyn Cracovienſis Palatini in munienda, ac in fide Reipub. contra Maximilianum retinenda Civitate Cracovia) non multo poſt eò quoque advolavit, ut operi juſtaret. Accidit autem Cracoviam verſus è domo ſua iter ingreſſuro, quod inventus ſtudioſa Academiæ Zamoyſcenſis, dum eo die ludicra puerilia exerceret, in campo proximo cepit Aquilam ſerpentis vivi nexu colligatam, quæ bonum omen dedit liberandæ Aquilæ Poloniæ ab aſtu ſerpentino, ut in brevi feliciter ſucceſſit.

Iordan defecit à Zamoyſcio.

Zamoyſcii omen fauſtum de obtinenda victoria.

Sub hoc tempus Gallia novum fœtum concepit belli Civilis, quo poſtea graviſſime æſtuavit vigenti pene annis. Hencicus enim Valeſius, nupet ex Poloniæ Regno ad Gallicanum poſt mortem fratris Caroli IX. hæreditaria ſucceſſione tranſlatus, offenderat nimium animos Gallorum Catholicorum, quod impenſius favere & conſentire hæreticis videretur. Vnde Guiſii & cæteri partium Catholicarum injetant fœdus mutuum pro defenſione Fidei Catholicæ, denominatum *Liga ſacra*, ut alio loco attigimus.

Gallia turbarum initia. Henricum III Regem Guiſii in ſuſpicionem conſenſionis cum hæreticis adducunt.

Hoc vero anno majora animis conceperunt; cum enim ſterilis eſſet Henricus, nullamque prolem ex uxore Aloyſia Claudii Vaudemontii Ducis filia ſuſciperet, nec alius hæres Regni haberetur ex Domo Valeſia, ſed ejus ſucceſſio ex lege Salica ſpectaret Henricum Borbonium Regem Navarræ, qui tunc agebat Ducem hæreticorum, (anathemate propterea notatus à Sixto V. Papa) Guiſii cum ſociis volebant iſtum excludi à tali ſucceſſione Regni, & præferri ipſi Carolum Borbonium Cardinalem ejus Patruum (vel potius ut ipſemet Guiſius Regnum obteneret, cum & Cardinalis iſte eſſet effœtus ſenex.) Quo itaque tantis auſis pates vires conquirerent, traxerunt ad fœdus ſuum Regem Hiſpanum Philippum II. Ducem Sabaudiæ, ac Summum Pontificem, cum quibus conſpirarunt ad mutua ſubſidia pro non recipiendo ad Regnum Galliæ hæretico, & pro pellendis Hæreticis ex Gallia. Atque hinc proceſſit omnis malorum ſeries,

Valeſia ſtirps cum Henrico III. Rege defecit.

Henricum Navarreum excludere volunt Guiſii à ſucceſſione Regni.

Liga ſacra in Gallia adſciſcit externos Principes in ſuam ſocietatem.

A.C. 1587. ſeries, quæ deinde & Cardinalem Borbonium, & Guiſios, ac demum ipſum Regem Henricum perdiderunt, ac Henricum Navarreum in conſequendo Regno Galliæ multum diſtinuerunt, ut ſuis locis prout evenerunt (quo tempori res geſtæ reſpondeant) ſingula attingemus. Et quod attinet præſentia, Henricus III. Rex exinde Guiſiis cœpit eſſe inſenſior, ut quos videret nomen ſuum quaſi fidei Catholicæ defendendæ deeſſet, & hæreſi favetet, invíſum apud populum reddere, & tali via introductis in Regnum externorum Principum auxiliis nimiam potentiam ſibi comparare. Navarreus etiam (ita denominabatur ille priuſquam obtinuiſſet Regnum Galliæ) ſuum latus peti videns, & ſibi injurioſe hæreditatem Regni præripi non ferens, traxit in fœdus defenſionis cauſæ ſuæ Reginam Angliæ, Ordines Hollandiæ, & Germaniæ Principes, à quibus collecta quinque millia Equitum, & viginti millia peditum, ſub Ducibus Roberto Bullioneo, & Fabiano à Dona ſub hoc tempus conducebantur in ejus auxilium; & dum ipſemet ad eos excipiendos progreditur, Guiſianarum partium exercitum apud Coutraſium deprehenſium, commiſſo prælio profligavit; ubi & Ioieuſius Dux illius exercitus, cum multis inſignioribus Gallis periit. Illa tamen Germanica ſubſidia antequam perveniſſent ad ipſum, dum per inexplorata loca ſine excubiis, ordinibuſque ſolutis veniunt, prope Oppidum Enau, in finibus Lotharingiæ, Guiſius Dux incauta oppreſſit, plurimis cæſis, aliis captis, ut pauci ex tanto numero, iique inermes cum Donavio iterum in Germaniam evaſerint.

Henricus Navarreus init fœdus cum Anglia & Germanis.

Henricus Navarreus profligat Guiſianos apud Coutraſium.

Guiſii profligant auxilia Germanica Navarrei.

Sed ut Polonica proſequamur, dum expectatur Electus Rex Sigiſmundus ex Suecia, Conventus Ordinum Regni agebatur Viſliciæ, in quo frequens Procerum & Nobilium concurſus Electionem Sigiſmundi probavit, & contra Maximilianum injuſtum Regni competitorem, ut omnes qui jure nobili cenſentur arma ſumerent, conſtituit. In Ruſſia tamen Nicolaus Herburt vexillifer Leopolienſis cum ſectatoribus Iaſlowiecii, & æque in majori Polonia Gorcani populorum ſtudia varie diſtrahebant. Miſſæ quoque fuerunt literæ ad Romanum Pontificem, ad Imperatorem Rudolphum, ad Electores Imperii nomine publico à Senatoribus excubantibus Cracoviæ pro Republica cum Zamoyſcio, in quibus repræſentata Electionis ſerie, implorabant, ut paci Chriſtianitatis publicæ conſulerent, & Maximilianum nonniſi à ſeditioſorum, potiſſimumque decoctorum ac proſcriptorum exigua manu Regem acclamatum, à propoſito conſequendi Regni avertetent: Et ad Maximilianum datæ erant literæ, quibus eum iidem Senatores ab ingreſſu confinium Regni dehortabantur, & Sileſiæ Duces admonebant pactorum mutuorum, ne quid hoſtile per ſuas ditiones in Poloniam tranſire permitterent. Sed nihil his permotus Maximilianus, cum exercitu valido, machinis, & omni bellico apparatu inſtructo in Poloniam ingreſſus decima ſexta menſis Octobris die, viciniores Cracoviæ pagos occupavit, & ipſemet in Monaſterio Claræ Tumbæ, uno milliari Germanico à Civitate Cracovia diſtante, conſedit. Et mox datis literis ad Senatores, qui Cracoviæ aderant, ad Collegium Pontificalis Eccleſiæ Cracovienſis, ad Magiſtratum urbanum, ad Academiam Cracovienſem, requirebat, ut ſibi Electo Regi Vrbem & Coronam Regiam traderent, niſi vim armorum ſuorum experiri mallent. Sed reſponſum accepit, Sigiſmundo legitime Electo Regi, inſignia Regni ſervari, & ſi quid ille hoſtile tentaret, pari armorum vi repellendum fore. Significabatur interim Sigiſmundo Regi ut adventum acceleraret: jam enim dies Comitiorum ad eum coronandum aſſignatus prætererierat, & percrebuerat rumor Ioannem Sueciæ Regem ejus Patrem, circa pacta ab ejus Legatis in Electione concluſa dubia multa, præſertim circa reſtitutionem Eſtoniæ movere.

Poloni congregati Viſliciæ confirmant Electionem Sigiſmundi.

Maximilianiſta partes ſuas firmant.

Poloni Proceres ſignificant exteris Principibus, quod illegitime fuerit electus Maximilianus.

Maximilianus per literas admonetur à Polonis ne in Poloniam veniat.

Maximil. cum exercitu Cracoviam prope venit 16. Octobr. 1587.

Maximil. fruſtra monet Cracoviam ſervantes Polonos, ut ſibi Civitatem & Coronam tradant.

A.C. 1587.

Sigiſmundi adventus remoratur dubiis de reſtituenda Eſtonia.

movere. Ac propterea tardius ex Suecia dimiſſum Sigiſmundum, & demum ſub finem menſis Septembris in portum Gedanenſem invectum adhuc in navi ſeſe continere, dum quæſtiones quas Ioannes Rex opponebat cum Polonis qui eum præſtolabantur, Gedani diſputarentur. Aderant autem ibi Hieronymus Rozrazewski Epiſcopus Vladiſlavienſis, Albertus Báránowski Epiſcopus Præmiſlienſis, Cancellarius Regni minor, & plerique Palatini ac Caſtellani, & ex ordine Equeſtri complures ex præteritis Comitiis Electionis deſtinati ad excipiendum in illo portu novum Regem.

Poloni Proceres expectant Gedani adventum Sigiſmundi.

Sed hi cum reſponderent ſe in commiſſis nihil habere de tractando ſuper decretis & ſtabilitis in Comitiis Electionis Regis, ut quæ in dubium vocari poſſe nullus ſuſpicaretur, totum negotium reſtituendæ Eſtoniæ ad Ordines & Comitia proxima eſt rejectum, & poſt longiores altercationes, præſtitum fuit à Sigiſmundo Rege jusjurandum ex formula ab Ordinibus præſcripta, redditumque ipſi diploma Electionis Calendis Octobris in Templo Monaſterii Olivenſis prope Gedanum.

Eſtoniæ reſtitutionis dubium rejicitur ad Comitia.

Sigiſm. Rex jurat Polonis Kal. Octobr. 1587. Gedani, & accipit diploma ſuæ Electionis.

Ac poſt dies octo itineri terreſtri neceſſariis comparandis datos, Cracoviam verſus Rex contendit, Comitiis Coronæ ſuſcipiendæ ad diem quindecimam Novembris proximi per literas prorogatis. Quod ubi fuit annuntiatum Cracoviæ, tanto majori alacritate à mœnibus illius Civitatis propulſabatur Maximilianus. Iſte enim intellecto Regis Sigiſmundi adventu, & deſperata deditione, toto conatu oppugnationem promovebat, potiſſimam cauſæ ſuæ ſpem in eo reponens, ſi priusquam Sigiſmundus adveniſſet, Vrbe potiretur. Et primum excurſionibus tantum levibus certabatur: & cum Zamoyſcius contineret ſuos in caſtris, quæ præ ſuburbio Clepardia poſuerat, ac ducto vallo muniebat, præcluſeratque hoſti aditum ab illa parte ad Civitatem, caſtra hæc fortiter oppugnarunt Maximilianiſtæ. Et quadam die vallum illorum pene occuparant, ſed ipſemet Zamoyſcius (caſtra prope in Clepardia in domo Krzaczek ſtationem ſibi ſumpſerat; provido ſatis conſilio, ut ad omne periculum ubique præſens adeſſet) accurrens pugna inſtaurata eos repreſſit.

Cracoviam oppugnat Maximilianus Archidux.

Cumque nil proficerent in illis oppugnationibus, in quibus quotidie ſuccumbebant, & cadebant plures, ad dolos converſi, ſuburbanos *Garbárii* vulgo dictos (qua procul à ſtatione Zamoyſcii facilior ad mœnia Vrbis aditus patebat, & remotius à Caſtris Maximilianicis ſuſpicio fraudis minor erat) ad proditionem ſolicitarunt, nec alienos ab ea invenerunt, nempe Germanos Germanis addictiores: Germani enim omnes artis coriariæ incolebant illud ſuburbium, ac impetrarant inſidiis locum in domibus illorum ſuburbanorum Germanorum, ut in eas introducerent duas Legiones peditum, qui portam civitatis *Szewcza* dictam, ab exiguo præſidio tunc cuſtoditam, intempeſta nocte occuparent, & ſigno dato reliquus exercitus perficiendo tanto operi ſubveniret. Sed Zamoyſcius re cognita, & diſſimulata tantiſper, donec hoſtiles manipuli ad locum inſidiarum in illas domos *Garbariorum* introducerentur; poſtquam eo ſunt ingreſſi, interclufo omni reditu & aditu, ac ſuppoſito igne totum illud ſuburbium incendit, & una inſidiatores illos flammis abſumpſit; arſit & Monaſterium Carmelitarum S. Mariæ in Arena vocitatum ſitum in illo ſuburbio, cum ingentes incendii impetus pulvere ſulphureo, quem Maximilianiſtæ in magna copia eo conduxerant, nimium aucti, à proximis innocuis ædibus cohiberi non poſſent.

Cracoviæ ſuburbium Garbari exuritur.

Expedierant etiam Maximilianiſtæ Staniſlaum Stádnicki cum valida manu equitatus, qui venientem Sigiſmundum Regem, obſeſſis qua tranſeundum fuit itineribus diſtineret, vel ſi daretur opportunitas profligaret. Et cum jam ille una cum ſorore ſua Anna tanti itineris Comite perveniſſet Petricoviam, (Amitam Annam Reginam ibi obviam habuit, & primum ſalutavit) Stádnicius cum ſuis turmis eo quoque con-

Sigiſmundus Rex in itinere ſuo diſtinetur à Maximilianiſtis.

A.C.1587. contendit, magnumque metum Regio Comitatui incuſſit, cum in eo exiguum adeſſet militare præſidium; præſertim equitatus deerat, præter paucas turmas Andreæ Opalinſcii Archimariſchalli, quæ etiam primo cum hoſte congreſſu retroceſſerant pene profligatæ. Vnde capto tutiore conſilio Rex Rawam receſſit, & ibi collectis majoribus copiis, quas plures Proceres accurrentes ad famam adventus ejus intra paucos dies auxerant, per deflexa, & uſque Corcinum prope trajecta Viſtula (quo congreſſum cum Maximilianiſtis evitaret) progrediebatur.

Maximilianus autem deſtitutus omni remedio capiendæ Cracoviæ, & judicans, quod Zamoyſcius auctis ſuis viribus adventu Regis, difficilius vinci poſſet, prævenire; ultimamque belli aleam prælio experiri decrevit. Atque die 25 menſis Novembris in campo, qui inter villam Pramnik, & ſuburbium Cracoviæ *Biſkupie* late patet, aciem inſtruxit. Zamoyſcius quoque non detrectavit pugnam, ſed emiſſo equitatu haſtato, in cataphractos robur præcipuum hoſtis, eos ſtatim fudit, reliquæ etiam turmæ Zamoyſcii pugna inita, ubique ſuperiores intra duas horas ex eo campo hoſtem fugarunt. Machinæ majores bellicæ octo, minores magno numero, & omne inſtrumentum bellicum in poteſtatem victorum venit, cum ſignis militaribus viginti. Nec diutius morandum ſibi ratus Maximilianus, ea clade accepta reliquit Cracoviam, converſo itinere Czæſtochoviam, ubi novas ex Germania copias expectaret. Zamoyſcius vero Cracoviæ manſit operiens adventum Sigiſmundi Regis, nec perſequendum tunc putavit Maximilianum, cum crederet ſopiendas fore difficultates omnes Coronato Sigiſmundo, qui ſecurior jam Regni depulſo æmulo, via Vielicenſi ad Kalendas Decembris venit Cracoviam, & in campo Viſtulæ proximo infra Caſimiriam à Proceribus & Nobilibus obviis, Laurentio Goslicki Epiſcopo Camenecenſe, viro erudito & facundo perorante ſalutatus fuit; reſponditque ipſemet lingua Polonica, quam à matre Polona edoctus probe callebat. Inde tranſivit pontem inſtratum Viſtulæ, quæ in arcu triumphali ad caput pontis erecto repræſentata gratulabatur Regi, & ipſi ſoli non alteri aditum ad urbem concedi teſtabatur. Et prætergreſſus Caſimiriam ac Stradomiam Oppida ſuburbana Cracoviæ, ubi pervenit ad Civitatis portam *Grocka* denominatam, deflexit in circuitum mœnium Vrbis, eâque tranſiit ad campum ſuburbio Clepardiæ adjacentem, ubi explicatas acies ſpectavit, & ab eis ſpectabatur, ſalutabatur, Zamoyſcio Duce copiarum ſingulorum militum merita recenſente, & ſua ſigna ſemper victricia ac periculorum conſcia, indeque nimium lacera præſentante. Ad ingreſſum Clepardiæ ſtabat congeries armorum & machinarum bellicarum Maximiliano ademptarum, cum præfixo tali titulo:

Maximilianum Archid. Zamoyſcius prelio vincit.

Maximilianus Archid. relinquit Cracoviæ oppugnationem.

Sigiſmundus Rex Cracoviam venit.

Sigiſmundo III. *Electo Poloniæ & Deſ. Sueciæ Regi,*
Quòd ejus auſpiciis Maximiliani Archiducis Auſtriæ miles
Victus, magnaque cum cæde, tormentiſque ademptis, repulſus ſit,
Dux & milites, qui pro dignitate Regia, & libertate Patriæ excubarunt;
Vt de Chriſtianis, partim etiam Civibus mœſti,
Vt vero neceſſitate ac vi ſibi illata, ea ſuperata,
D E O, *victoriæ Authori gratias agentes, poſuere.*

Ibidem ab Academia & à Magiſtratu Vrbis ſalutatus Rex prope ſancti Floriani Templum, arcum tapetibus & picturis ornatum ſubiit; in cujus ſummitate effigies Stephani Regis ad vivum expreſſa hoc Epigrammate novum Regem excipiebat:

Proximus en Regni Stephanus Poſſeſſor, & idem
Affinis forti dat tibi Sceptra manu.

Sit

Sit virtute parens, qui non eſt ſanguine, ſic te
Victorem penna præpete fama feret.

A.C. 1587.

Ac inde per portam S. Floriani Vrbem ipſam ingreſſus, arcus plures inſigni artificio & ornatu in via ad Arcem ducente inſtructos tranſivit, in quibus Iagellonum Regum effigies expoſitæ, cum adſcriptis eruditis Epigrammatibus viſebantur, quorum primum libet referre, alia peti poſſunt ex divulgatis exemplaribus.

Quos deinceps cernes poſitos ex ordine Reges,
Clara Iagellonica Sceptra tulêre domus.
Omnes hi ſero gratantur Regna Nepoti
Exemploque volunt te erudiiſſe ſuo.
I felix, imitare tuos, imitando tuorum,
Cunctorum vinces inclyta facta tuis.

Cracovia Civitatis apparatus in excipiendo Rege novo.

Stabat & Aquila in nido unguibus tenens manipulum (nempe inſigne ſtirpis Regis) à pullis ſuis depaſcendum præbens, aderantque alia feſtiva Emblemmata ſingularis elegantiæ & artificii eximii, quæ tam auguſto nempe obſidionis tempore præparata, in admirationem ſpectatores trahebant. Nihil enim ibi defuiſſe videbatur, quod ad magnificentiam tanti triumphi Vrbs opulentiſſima & ſplendidiſſima quæque longo labore in pace altiſſima conferre potuiſſet. Licet autem dies quindecima Novembris, Comitiis celebrandis aſſignata præterierat, tamen Ordines Regni Conventu non ſoluto, adventum Regis expectabant, & poſtquam advenerat, ſalutationi ac congratulationi aliquanto tempore conceſſo, ad Comitiales conſultationes converſi, non prius coronari eum volebant, niſi dubia pactorum Conventorum præſertim de Eſtonia reſtituenda componerentur. Difficilis fuit illa controverſia, & propter eam pene excidiſſet Regno Sigiſmundus, niſi conſilia Ordinum Regni de eligendo Rege alio, nondum pacata Maximilianiſtarum ſeceſſio diſtraxiſſet. Eo enim proceſſerat iſta diſceptatio, quod fuerit reſponſum Regi, quandoquidem nollet ſtare pactis conventis, non deberet iniquè ferre, ſi Ordines ipſius Electione eo ipſo irrita facta ad aliam tranſirent: & pro Rege viceverſa replicatum fuit, eum potius Regnum iſtud relicturum, quam conditioni tali aſſenſurum. Eſt autem Eſtonia, ut alias attigimus pars Livoniæ, ab origine à gente Sarmatica habitatæ, quam cum milites Teutonici Cruciferi denominati invaſiſſent, multoque tempore tenuiſſent, tandem incolæ nativi libertatis avitæ cupidi, ipſorum jugum excuſſerunt, & Regno Poloniæ ac Lithuaniæ Ducatui, cum quo à primævo ſtatu erant, ſeſe adjunxerunt. Occupata vero poſtea Livonia à Moſcho, cum eam ut propriam Poloni bello repeterent, & ad eam ſibi reſtituendam Moſchum compuliſſent, interim dum reſtitutio paratur, Moſcho omnia Livoniæ uti Poloniæ debitæ negligente, & Polonis à Sueco fœdere pacis ſibi tum juncto, nihil tale ſuſpicantibus, iſte ex ea detraxit Eſtoniam. Et quidem Stephanus Rex bello vindicandam decreverat, cum Suecus reddendam differet, miſſis ultrocitroque Legationibus ut alibi diximus. Iam autem electo in Regem Poloniæ hærede Sueciæ, quo Regna hæc in perpetuum amicitiæ nexum coire deberent, talem (actionem repetundarum) occaſionem juſti belli tollere æquum erat, ne Poloni amiſſæ Provinciæ jacturam paterentur, inde quod gratuitò Regnum Sigiſmundo detulerunt, unde acceſſionem aliquam potius inſignem merito expectabant. Nec aliam Sueci Legati, qui aderant cum Erico Sparre Procancellario Sueciæ uſurpatæ Eſtoniæ cauſam adferebant, niſi quod Carolus V. & Maximilianus II. Imperatores, tutelam Livoniæ Regibus Sueciæ aliquando commiſerant, cum tamen Imperatores nullum unquam jus in Livoniam, quemadmodum

Comitia Cracovia pro coronando Rege primùm dubia pactorum cum Sigiſmundo examinant.

Sigiſmundi Regis difficultates circa reſtitutionem Eſtoniæ.

Eſtonia pars Livoniæ.

Eſtoniam Sueci uſurpârant.

 dum

A.C.1587.

Suecorum Legatorum cauſæ de non reſtituenda Livonia.

Eſtoniam reſtituere vult Sigiſm. Rex cum adiret poſſeſſionem Regni Succiæ.

Sigiſmundi Regis obſirmatus animus à Prima ætate.

Sigiſm. Rex coronatur 27. Decembr. 1587.

Sigiſmundo Regi præſtatur à Polonis juramentum fidelitatis.

dum neque in Pruſſiam ac Curlandiam habuerint, & nonniſi recepto inter Chriſtianos Principes more amice reſtitutionem ejus requirendam, vel denuntiato legitime bello repetendam ipſimet judicaturi fuiſſent, & cum tuendam commendarent, non invadendam jubebant. Nitebantur etiam Suecici Legati (riſu magis digna interpretatione) dubium facere de Eſtonia reſtituenda pactorum articulum, quaſi eſſet indifferens conditione appoſita circumſcriptus, ut cui eſſet adjectum Annæ Reginæ vadimonium cenſus in Regno Neapolis ipſi debiti, ex hæreditate Bonæ Reginæ, eaque conditione non impleta, vadimonii tantum talis eſſet facienda jactura ſponſori, cum tamen vadimonium appoſitum magis obliget ſtringendo æque ſponſorem, non debitorem liberando. Et in eo tandem res ſtetit, ut quæſtio hæc integra maneret, quouſque Sigiſmundus defuncto Patre Ioanne Rege Succiæ poſſeſſionem Regni Succiæ adiret. Sed terruit nimium Ordines illam tam repens in ipſis initiis promiſſorum converſio: jamque inde omnes, taciti licet de reliquis illis pactis addubitare cœperant, & Regem novum in implendis munijs ſuis obfirmatiorem futurum ominabantur, non vana conjectura, ut conſequentia docebunt. Non parum etiam fuit ibi decertatum cum diſſidentibus in Religione, qui flagitabant, ut in formula Iurisjurandi Regii apponerentur hæc verba: *pacem diſſidentibus in Religione tuebor.* Et cum Catholici ſæculares Eccleſiaſticos acrius reſiſtentes non juvarent, pervicerunt illi, ut clauſula talis opponeretur. Ac ita demum decretum fuit, ut coronaretur Rex 27. menſis Decembris, feſto Divi Ioannis Euangeliſtæ, quo die ritu ſolenni adhibita unctione ſacra, coronavit eum Staniſlaus Kárnkowski Archiepiſcopus Gneſnenſis Primas Regni, frequenti Senatorum & Equeſtris Ordinis numero Procerum adſtante: Et inſequenti die Senatus omnis ei fidelitatem juravit. Magiſtratus etiam Cracovienſis, in circo Civitatis excitato theatro illum excepit, & jusjurandum fidelitatis ipſi præſtitit. Deinde tractabantur negotia publica Comitiorum Generalium propria. Et cum adhuc Maximilianus intra fines Regni hæreret, ac licet monitus alio diſcedere nollet, immo in dies majoribus viribus & copiis ex Germania ad eum confluentibus augeretur, armis reprimendum, ut hoſtem Ordines cenſuerunt.

Annus Chriſti, 1588.

A.C.1588.

Poloni decernunt bello perſequendum Maximilianum Archid. injuſtum Regni competitorem.

Zamoyſcius movet exercitum contra Maximilianum Archid.

VNde ſtatim poſtquam Rex Coronatus fuerat, initio A. C. 1588. Zamoyſcius Cancellarius juſſus eum inſequi, intra paucos dies collecto milite ex ſtativis, magnis itineribus verſus hoſtem promovit Caſtra. Animos addebant Polonis victoriæ jam de eodem hoſte obtentæ, tum & ſubſidia (erant tria millia Equitum) quæ adduxerat Baltazar Battoreus & Boromiſſa Vngarica. Itaque alacres rigida licet hyeme noctibus non parcentes, Wieluniam ubi Maximilianus Ioannem Zborovium & Iazloviecium, novaſque cum ipſis copias expectabat, intra paucos dies ad 15 Ianuarii pervenerunt. Cumque Maximilianus audito hoc Zamoyſcii præter ſuam ſpem celeri inceſſu, relicta Wielunia in Sileſiam feſtinanter conceſſiſſet, ratus Zamoyſcium ultra fines Poloniæ in alienam ditionem infeſta arma non prolaturum; vel ſi tranſiret limites, facile profligandum fore majori potentia, nempe Sileſicis copiis quas Melchior Rederus adducebat, ac Vngaricis cum quibus Præpoſuarius Vngarus in Sileſia aderat: Zamoyſcius tamen nihil cunctatus perrexit in Sileſiam quoque veſtigiis abeuntis inſiſtens hoſtis, qui jam ſecurior ſui in dolo pro-

prio,

prio, & ponè Oppidum *Biczyna* bene munitum ad omnem belli caſum opportunum Caſtra metaverat. Nec tantum periculum evaſiſſe, ſed & rei bene gerendæ occaſionem jam ibi habuiſſe Maximilianiſtæ videbantur, niſi elatioribus ipſorum animis contemptus periculi conſilium ademiſſet: Longe enim ſuperiores erant numero ac robore copiarum, quæ magna parte cataphractis, & ſelectiore peditatu Germanico conſtabant, machinis majoribus, & omni bellico apparatu ſatis inſtructæ, cum Zamoyſcius tormenta bellica nulla haberet, præter minores bombardas paucas, quæ properante curſu vehi poterant, peditatus tam feſtinanter incedentem conſequi non poterat, præter paucas cohortes; Equites vero aderant juſto numero, & fortes quidem, veterani omnes exercitatiſſimi, ſed habebant equos in inopia pabulorum continuo itineris & vigiliarum ſemper ſub dio gelido toleratarum labore fatigatos. Ac facile prohiberi poterat tranſitus Zamoyſcio, præſertim cum *Byczynæ* appropinquaret, & tranſeundum illi eſſet per aggerem anguſtum, quà nonniſi duo vel tres ſimul Equites incedere valebant, paludibus vaſtis & limoſis hinc inde aggerem illum alluentibus. Sed Maximilianiſtæ viribus ſuis confiſi, eum ad locum aptum pugnæ educere, & à tergo includere voluerant: Et cum jam partem meliorem exercitus traduxiſſet, illam etiam adoriri, & delere haud difficile fuiſſet, priuſquam reliquæ turmæ ſubſequerentur; fatali autem errore hoc quoque neglecto, tempus datum fuit ipſi omnes copias congregandi & inſtruendi: nempe integram victoriam Maximilianiſtæ volebant, ut qua ſumma rerum conſtaret, & ea parta, rectà inde reditus ipſis Cracoviam ad depellendum Sigiſmundum tutus paruiſſet. Alioquin in arte confligendi nihil illis inſcitiæ imputari poterat, cum bene ordinatam aciem conſtituerint, & ſatis fortiter dimicaverint, niſi quod compendia nimium præſumptæ victoriæ quærentes, hoſtem contempſerant.

A. C. 1588.

Maximilianiſtarum error in non prohibendo tranſitu Zamoyſcio.

Primus autem die 25 Ianuarii hujus A. C. 1588. Zamoyſcius ſigna ad pugnam promovit, & ut tentaret ſi ordinem cataphractorum Germanorum, qui in fronte hoſtili ſtabant, turbare poſſet, Coſacorum turmas eò irruere juſſit: ſed iſtis repulſis, & cæſo ictu bombardæ Holubek illorum Duce, Staniſlaus Sradnicius partium Maximiliani cum legione haſtatorum Polonica cui præerat, invectus in alam dextram Zamoyſcii, acre prælium excitavit, & dubium Martem aliquantum ſuſtinens, fortius adnitente Staniſlao Zolkievio illius alæ Tribuno victus tandem, & in fugam eſt compulſus. Verum læva ala atque frons Zamoyſcii gravius laboravit contra Germanicas legiones, quæ bombardarum frequentibus jaculis Polonos levi armatura tectos facile ſubmovebant, & diutius anceps prælium protrahebant, donec à Tribunis Staniſlao Pækoſlavio Sendomiriæ, ac ab Alexandro Koniecpolſcio Wieluniæ Præfectis, iterato haſtatorum impetu loco moti, & in ordine ſuo confuſi, ope bombardarum ſuarum ſunt deſtituti; tunc enim manu conſerta pugnare minus aſſueti, à Polonis in eos promptis, armiſque ad talem pugnam inſtructis acerrimè conficiebantur, ac armatura gravi onuſti, cum fuga evadere non poſſent, pene omnes in eo loco ſunt cæſi, ex Zamoyſcianis pauciſſimis deſideratis; ſoluſque ex inſignioribus Tribunis militaribus Staniſlaus Zolkiewski in genu dextro grave vulnus accepit. Vngari à Præpoſuario in auxilium Maximiliani conducti, ſub initium pugnæ venerant, & dubii quo loco ipſis conſiſtendum eſſet, dum imperium Præfecti Maximilianici expectant, profligatoſque interim alios, in fugam alios converſos Maximilianiſtas vident, rati ſe eſſe impares inſtaurando prælio, immoti ſteterant, & demum à Zamoyſcio ad eam partem ſubmiſſa valida equitatus manu ad pugnam provocati, ea de-

Zamoyſcii pugna cum Maximil. Archiduce apud Byczynam.

Maximilianus Archidux vincitur prælio à Polonis.

trectata

A.C. 1588. tractata nullo edito facinore in Vngariam abierant. Maximilianus autem cum ex proximo ſpectaſſet pugnantes, debellatum videns, ac fugæ locum non inveniens, Zamoyſcii velitibus circumquaque campeſtria omnia obſeſſa tenentibus, Byczynam ſe recepit, quo Zamoyſcius quoque recta à prælio omnes copias duxit, & circumſepto Oppido, machinas majores bellicas Maximilianiſtis ereptas admovit. Statim etiam occupari fecit proximas mœnibus illius Oppidi domus, ex quibus facile incendium tectis inrro Oppidum ligneis injicere valuiſſet. Vnde Maximilianus omni opi reſiſtendi deſtitutus, miſſo Caduceatore, querebatur quod pacta Imperatori cum Poloniæ Regno communia, ingreſſu illo in Sileſiam hoſtili fuiſſent violata, & talem injuriam ab Imperarore vindicandam fore minabatur. Sed ſtatim reſponſum rulit, ut ſaniora remedia quæreret, alioquin vim oppugnationis experturus: & celeriter comportabantur ſcalæ, ſarmenta, ac omnia oppugnationi, excitandoque incendio neceſſaria. Quod ille videns, petiit inducias ad triduum; & eis negatis, cum petiiſſet alias ad proximum mane, offenſus ea cunctatione Zamoyſcius, machinas promoveri, & muros Oppidi quati juſſit, ominbus qui intro erant atrociori nece denuntiata, niſi ſponte ſe dederent. Ac tum demum Maximilianus petito colloquio, emiſit duos ex Conſiliariis ſuis, qui tractarent liberationem ipſius. Proponebantur varii ſponſionis modi, quibus ipſe obligaretur ſiſtere ſe ad condictum locum, quantumvis tunc abiret, vel etiam ut Byczynæ ſub cuſtodiis permaneret. Sed Zamoyſcius omnia componi ad eludendam neceſſitatem præſentem cogitans, nullus conditionibus aſſentiri voluit, niſi ut ſe captivum dederet Maximilianus cum toto ſuo Comitatu.

Zamoyſcius Byczynæ obſidet Maximilianum Archiducem.

Maximilianus Archidux captivum ſe dedit Zamoyſcio.

Duravitque concertatio illa ad tertiam noctis horam, & ea primum prodiit Maximilianus ex Oppido, eumque exeuntem in ponte portæ Oppidi conjuncto obvius Zamoyſcius modeſta oratione affatus, manu ſua honoris cauſa ſubnixum ad locum ſuæ ſtationis deduxit. Comprehenſi fuerunt ſimul, qui cum eo erant Proceres Poloni, Iacobus Woroniecius Kijovien. Epiſcopus, Comes Gorcanus, Andreas Zborowski Mariſchallus minor Regni, Alexander Dux Prunski, Staniſlaus Ciolek Zelechowski, & nonnulli alii inſigniores; Staniſlaus Stádnicki recta ex prælio fuga ſe ſalvavit: Germani omnes ſunr dimiſſi, præter paucos obſequio Maximiliani neceſſarios. Proximo mane præda collecta inter milites dividebatur, omnia enim quæ in Caſtris & in Oppido Maximilianiſtæ habuerunt, interceperant victores. Zamoyſcio ipſi tormenta bellica ceſſere; ſuppellectilem autem argenteam & auream Maximiliani, ſoluta ejus æſtimatione à militibus Zamoyſcius redemit, & Maximiliano nonnullam utendam conceſſir. Iſtis autem non contenti milites, donativum à Maximiliano poſtulabant, pro quo ille mutua accepta à Zamoyſcio triginta millia nummorum aureorum ſeu florenorum communium dedit.

Maximiliani Archid. ſupellex ceſſit in prædam militum.

Maximilianus Archid. Craſnoſtavia ſub cuſtodiis detinetur.

Er convaſatis impedimentis omnibus, poſt dies tres reficiendis equis datos, collecto exercitu in Poloniam rediit Zamoyſcius, (Cracoviam non ivit parcendo Maximiliano, ne ſpectaculo eſſet populo ibi ex omni gente frequentiori) deflectens recta Craſnoſtaviam, ubi Proceres Polonos captivos (vehebantur curru & habitu vili, cum omnem apparatum equorum & ſupellectilium ipſis miles diſcerpſiſſet, donec ab amicis & domeſticis de neceſſariis fuerunt proviſi) ſponſione accepta quod ſiſterent ſe judicio, volentes abire ad propria, permiſit. Maximilianum vero in Arce illius loci firmo præſidio munita, incluſit, diligentiuſque cuſtodiri fecit, præſertim poſt compertum dolum; parum enim abſuit, quin elaberetur cura Zborovianorum, qui poſt alterum detentionis ejus menſem ſubordinaverant quomodo ex Arce pariete cubiculi ipſius ad hoc effracto, demitteretur,

retur,& celeribus equis ad hoc in itinere qua tranſeundum erat,diſpoſitis,ad confinia Sileſiæ vel Vngariæ viginti tantum milliaribus Polonicis inde diſtantia abduceretur, quem tamen dolum cum jam jamq; perficeretur,deprehenderat Marcus Sobieski Vexillifer Regni,illius cuſtodiæ Præfectus.De cætero in honore & ſplendidè fuit habitus,& à Zamoyſcio ad levandum ex fonte Baptiſmi filium ex Griſelide Batorea Cæſium ipſi ſuſceptum,ac quandoque ad convivia feſtiva Zamoyſcium inde vicinum invitabatur. Sparſa autem famâ de profligato atque capto Maxiliano cum ſuis aſſectatoribus, reliqui earum partium, qui adhuc in Polonia latebant,palam Sigiſmundo adhærere cœperunt. Venerat ſtatim Sulikovius Archiepiſcopus Leopoldus Crocoviam,& cum eo multi ex Ruſſia,qui eò uſque nutabant: & Lithuani nil morati cum obſequio advolarunt, ac omne commotionis illius murmur mox conquievit. Auſtriaci quoque non jam de Regno, ſed magis de liberando Maximiliano ſoliciti, Sixtum V. PP. induxerunt prece, ut miſerit in Poloniam Legatum à latere Hyppolitum Aldobrandinum Cardinalem (poſtea electus fuit PP. Clemens VIII. denominatus) qui de eo eliberando ageret; quod tamen proponendis & diſputandis hinc inde conditionibus ad annum ſubſequentem, & ad Comitia Regni proxima Generalia fuit protractum.

A.C. 1588. Maximil. Archid. è cuſtodiis evadere conatur fruſtra.

Sixtus V. PP. Legatum miſit in Poloniam Card. Aldobrand. pro liberando è captivitate Max.

Nec aliud memorabile in Polonia hoc anno eſt geſtum, præter pompam lugubrem Stephano Regi defuncto factam, cujus funus menſe Majo iſtius anni ſolenni ritu Grodna Cracov. fuit deductum, ibique in Capella Templi Pontificalis, retrò Altare majus ad Arcem patente reconditum honorificè ſatis, omniſque apparatus funebris ære publico conſtabat, qui honor nonniſi Regibus ſingulariorem gentis iſtius benevolentiam demeritis tribui ſolet, cæterorum funeribus ex peculio cujuſque proprio, quod ſemper habent opulentiſſimum, ſumptus providentur.

Stephani Regis funeris pompa ſolennis Crac.

In hunc annum incidit portentoſa clades Claſſis Hiſpanicæ,quæ integro triennio apparata, navibus militaribus grandioribus 125 conſtans, ac in eis 20 millia veteranorum ex tota Hiſpania & Italia collectorum militum, & 10 millia nautarum ferens, duobus millibus tormentorum navalium,copioſoque pulvere ſulphureo, & omni apparatu claſſico, ac annona in 6 menſes inſtructiſſima,ad invadendam Angliam contendebat. Hæc enim vix in conſpectum Angliæ appulſa prope Geſſoriacum littus Galliæ, dum aliam claſſem auxiliarem Duncherca à Farneſio Belgii tunc Gubernatore præſtolaretur, à Carolo Hovardo & Franciſco Draco Angliæ claſſis Præfectis, à tergo ſemper (cum viribus longe inferiores palam eam aggredi non poſſent) laceſſita, & variis ſtratagematibus in arenoſa impulſa, pluribus navibus colliſis, aliis interceptis, tandem apud Caletum immiſſo ab Anglis incendio diſſipata, menſe Auguſto tota pene interiit; pauciſſimæ naves in Norvegiam, & ad Iuttiam infeſtis ventis delatæ, inde demum converſæ circumnavigata Anglia in Hiſpaniam ingloriæ redierant, ſummo rei Catholicæ diſpendio, ut quæ crudelius in Anglia afflicta, ea expeditione ſublevanda videbatur, & parta tanta victoria illa Regina ſecuriorà vi externa, in Catholicos à quibus ſibi maxime metuebat, & quos Hiſpanicorum conſiliorum atq; illius expeditionis conſcios, ſocioſque fuiſſe ſuſpicabatur, tanto diligentius inquiri, eoſque è Regno ſuo exterminari præcepit. Vnde plurimi inde tunc in exilium conceſſerant, & alii deprehenſi, præſertim Sacerdotes continue ſeverioribus ſuppliciis ſubjiciebantur.

Hiſpanus Rex claſſem expedivit contra Angliam.

Hiſpani Regis claſſem diſſipant Angli.

Angliæ Catholici diſpendia patiuntur ob bellum illatum ab Hiſpano Anglis.

Eadem calamitas Mariam quoque Scotiæ hæredem Reginam Regis Iacobi VI matrem oppreſſit; hæc enim, ut alias diximus, propter ſeditiones Scotorum cum in Angliam ſeceſſiſſet, criminationibus ibi onerata, quaſi propinaſſet venenum Regi marito ſuo Henrico Arleyo, ac conſpiraret contra Reginam Angliæ Elizabetam, ab iſta per 18 annos ſub cuſtodiis tenebatur, & hac occaſione belli

Hiſpanici

A.C. 1588.

Maria Scotia Regina capitis ſupplicium ſubit.

Hiſpanici auctis ſuſpicionibus, ne Catholica eaque etiam Angliæ Regni proxima hæres inſidiis contra Reginam ſtruendis anſa eſſet, menſe Febr. proxime præcedentis anni in Arce Foderinga capite truncata ictu iterato, ærumnoſam vitam finiit. Romano Cotholicam autem ſe vixiſſe & mori teſtabatur ad extremum anhelitum: & Elizabetha Regina ob ejus mortem ſimulavit lachrymas, ac ſe inſciam talis damnationis ſeu executionis acceleratæ, lugubremque veſtem ſumpſit, tum & Regali magnificentia ipſius funus curari, balſamo condiri, pompaque ſumptuoſa efferri fecit, & deponi Peterborgii in ſepulchro Catherinæ Aragoniæ Regis Henrici VIII. uxoris primæ.

Hollandi dimittunt præſidia Anglica.

Mauritius Auranius ſuſcipit munus Præfecti bellici apud Hollandos.

Hoc eodem anno cum Hollandi auxiliares Anglos ſuſpectos haberent, ne ſenſim impoſitis omnibus Civitatibus præſidiis, illam Rempub. opprimerent, commota ea de re quærela, Regina Angliæ Dudleum Comitem Leyceſtriæ ſuum in Hollandia Vicarium, & omnes qui cum eo erant, militares Præfectos in Angliam revocavit, paucis remanere juſſis ad cuſtodiam certorum locorum, quæ ibi pignoris loco pro mutuata pecunia tenebat, & nihilominus omne patrocinium & ſubſidium contra Hiſpanos ſe ſubminiſtraturam illi Reipub. promiſit. Imperium itaque bellicum Mauritio Principi Auraniæ Vilhelmi filio, exinde totum fuit commiſſum, cum titulo Marchionis Veræ.

Hetruria Dux Franciſcus veneno tollitur.

Hetruria Dux novus Ferdinandus renunciat Cardinalatui.

In Italia vero hoc anno Ferdinandus Mediceus, ſine prole maſcula legitima extincto Franciſco Duce (venenum à ſecunda uxore ſua Blanca Capella Veneta dubiæ pudicitiæ Ferdinando paratum, venatum iturus ad merendam fortuito primus accurrens ſumpſerat) Principatum Hetruriæ ad ſe devolutum inivit, & Sacerdotali ſtatu, una cum Cardinalitia quam gerebat dignitate depoſito, Chriſtianam Lotaryngiæ Ducis filiam uxorem ſibi deſponſavit. Scelus autem illud Blancam Capellam morte luere fecit.

Guiſii Ducis Regi Galliæ ſuſpecta potentia.

Sed majorem hic Annus Gallicis rebus viciſſitudinem attulit, eo enim feralis carnificina inſtituta, ingens belli Civilis incendium in illo Regno commovit. Iam verò memoravimus, quod Henricus Dux Guiſius cum colligatorum ſuorum magno numero contexuerat fœdus *Ligam Sacram* appellatum, Hiſpanumque Regem ac plures alios magni nominis Principes externos ad illud adſciverat, Religionis Catholicæ defenſione prætexta: ſub qua ſpecie nimiam ſibi poteſtatem uſurparat, exercitus armabat, indicebat Conventus & contributiones pro ſtipendiis militum, præſidia prout libuerat Civitatibus melioribus imponebat; & tantum populorum applauſum (præſertim poſtquam nuper Germanicas legiones cum Fabiano à Duna in auxilium Navarrei venientes diſperſiſſet) ſibi comparaverat, ut omnes ab ipſius arbitrio penderent. Hocque Regis offenſam ab initio Ligæ illius Hiſpanis ſociatæ contra eum conceptam, auxit, ac fidem addidit conjecturis de ipſius contra Regem ſtirpemque Regiam molitionibus divulgatis. Multo magis cum ipſe Guiſius veniſſet Pariſios hoc anno, & Rex ab hac rei novitate (monuerat eum ne veniret ad Aulam niſi vocatus) inſidias metuens, accitis pluribus cohortibus Helvetiis excubias augeri, opportunaque Civitatis loca cuſtodiri juſſiſſet.

Pariſiis tumultus contra Regem Henricum III.

Cives autem Guiſianarum partium populo ad tumultum concitato, illos excubitores Regios invaſerant, & plurimis trucidatis, reliquos intra palatium Regium compulerant. Tunc enim Rex (Carnutum tepente ex tumultu tranſierat) eam injuriam authore Guiſio ſibi illatam fuiſſe reputans, graviora ab ipſo Regni ſedem in poteſtate jam habente expectanda eſſe judicavit, ni tempeſtivè tolleretur. Aderant & literæ ejus interceptæ, ac manifeſtè patebant, ejus cum Rege Hiſpano tractatus de innovando Regni ſtatu, & transferendis ſceptris è domo Regia Religionis ſpecie. Nec aliud defuit juſtitiæ cauſæ Regis, niſi quod ſubditus tam

moleſtus

Digitized by Google

A.C. 1588.

Guiſiorum conſilia de mutando Regni Galliæ ſtatu.

moleſtus obſequio populorum & fœderis Hiſpanici viribus ſubnixus, ad judicium legitimum, in quo rationem redderet machinationum hujuſmodi, aperta vi trahi non poſſet. Præferebat tamen Rex (erat ſimulator Tiberio non diſſimilis) placatiorem erga ipſum animum, ut eo ſecuriorem caperet. Subſcripſit poſtularis fœderatorum, quæ ad eum paulo poſt miſerant de proſcribendis hæreticis, & ſola Catholica Fide retinenda.

Henricus III. Rex Galliæ ſimulator inſignis.

Conventum vero quo Guiſium alliceret, indixit Blæſis, ut cum Principibus conſuleret (ita ajebat) de ſucceſſore Regni deſignando. Et cum Guiſius ad initium illius Conventus non veniſſet, maximos honores ipſi decrevit, nec ambigue innuebat ſe conceſſurum ad vitam quietam, gubernationem vero Regni ei commiſſurum.

Guiſius Dux occiditur.

Hacque demum eſca allectus Guiſius, venerat tandem menſe Decembre ad illum Conventum, & benigne exceptus primum, tandem vocatus ad colloquium Regis in penitiori cubiculo, ab apparitoribus in hoc ſubordinatis latitantibus ſub aulæis occiditur.

Guiſius Card. occiditur.

Subſequenti die ejus quoque frater Ludovicus Cardinalis, eundem mortis caſum ſubiit, ac utriuſque cadaver exuſſit ignis, cineresque ſparſos Ligeris excepit.

Carolus Borbonius Card. traditur cuſtodiæ.

Carolus Borbonius Cardinalis (hunc Guiſii ſucceſſorem Regni deſignabant, ut Navarreum eluderent) & Petrus Archiepiſcopus Lugdunenſis, ac filius cæſi Guiſii Ianvilleus cuſtodiæ fuerunt traditi, aliis ejuſdem farinæ fuga elapſis.

Pariſienſes deficiunt à Rege ad Guiſios.

Dum autem hoc modo Rex Henricus dolori ſuo non injuſto indulget, fatali ſuo infortunio majora incurrit odia populorum, qui licet extinctis Guiſiis, favere non deſierunt. Pariſienſes enim publice acerbioribus dicteriis propter illam cædem proſcindebant nomen Regis, & impetu facto in Palatium Regium, ipſius imagines variis probris affecerunt, omnemque ſupellectilem, & tot Regum opulentorum monumenta ſuperba (perditurum quondam Regum Perſarum gazæ æmula) diripuerunt.

Galliæ Regis dives ſupellex direpta à Pariſienſibus.

Sorbonenſium judicium de nece Guiſiorum.

Quin & Sorbonenſes conſultos reſpondiſſe teſtatur *Thuan. lib.94. ſua Hiſt. fol.3.* in caſu tali ſubditos ſolutos eſſe Sacramento fidelitatis, & poſſe arma ferre, fœdera inire contra ſuum Principem. Plane formidoloſo exemplo Theologiam invitam in necem Principum armarunt, ac ſi hæc doceret, quod quilibet ſubditus, immo & vulgus imperitum, ſit judex & vindex factorum Regis ſui, liceatque ei Principem arte malevolorum vocatum in ſuſpicionem hæreſis ſtatim tollere, & eſſet inexpiabile legitimo Principi, ſi ſubditorum in perſonam ſuam conſpirationem evidentem, eamque armatam devitando populi furorem, quo executio juſtitiæ impediretur, ſolertiori proviſione coërceat. Infra alio loco allegavimus Concil. Conſtantienſis ſeſſ. 15. decretum, quo damnatur talis doctrina; in hac autem ſecunda editione placuit ipſummet textum talis decreti apponere, ut ſequitur:

Propoſitio. *Quilibet Tyrannus poteſt & debet licite & meritorie occidi per quemcunque vaſallum ſuum vel ſubditum, etiam per clancularias inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocunque præſtito juramento, ſeu confœderatione factis cum eo, nec expectata ſententia vel mandato Iudicis cujuſcunque.*

Adverſus hunc errorem ſatagens hæc San. Synodus exurgere, & ipſum funditus tollere, *declarat & definit hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide, & in moribus, ipſamque tanquam hæreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem reprobat, & condemnat. Declarat inſuper decernit & definit, quod pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſerentes, ſunt hæretici, & tanquam tales juxta Canonicas ſanctiones puniendi.*

Catherina Medicea Galliæ Regina moritur.

Duodecima poſt cædem Guiſii die, Regina Catherina Laurentio Mediceo nata, non Regis tantum, ſed illarum omnium turbarum illius ævi in Gallia fœcunda mater (mœrore dicunt animi) obierat, cujus memoriam hoc Elogio conſignarunt Galli:

A.C.1588.

Tres Erebi furias, ne poſthac dicite Vates,
Addita nam priſcis eſt Catherina tribus:
Quod ſi tres illas à ſe dimitteret Orcus,
Hæc illi fuerit pro tribus una ſatis.

Gallia diviſa in factiones à morte Guiſiorum.

Tota vero Gallia Civilia arma exinde ſumpſit, Lutetiam Mænius Dux frater Guiſii cæſi occuparat: Aumalius Ambianum, & alii Guiſiani alias diverſas Vrbes ad defectionem à Rege induxerunt. Navarreus quoque Niortium, & multa loca Pictaviæ pro ſuis partibus munierat, gravioreſque bellorum tumultus ex illo tempore in eo Regno invaluerunt, ut infra patebit.

Daniæ Rex novus Chriſtiernus IV.

Hoc etiam Anno Fridericus II Daniæ Rex defunctus,ſucceſſorem Regni reliquit filium unicum undecim annorum Chriſtiernum IV, denominatum, cui donec adoleſceret, quatuor præcipui Conſiliarii qui Regnum gubernarent fuerunt attributi. Nempe Nicolaus Kâas Cancellarius, Georgius Rozenkrantz, Petrus Munck Amyralius, Chriſtopherus Valkendorff Theſaurarius. Demum vero A. C. 1593. 4 Id. Septembr. annum ſuæ ætatis 18.ingreſſus Flensburgi in magna Procerum frequentia adiit poſſeſſionem Regni, præſtito jurejurando de ſervandis libertatibus ſubditis ſuis, & viciſſim ab eis jusjurandum fidelitatis accepit, ac ipſemet incœpit regnare; demum vero A.1596. die 20 Aug. Hafniæ ſolenni pompa fuit coronatus: ut ſuo loco dicetur.

Annus Chriſti, 1589.

PRoximi autem A.C.1589. initio in Polonia tractatus de liberando Maximiliano Auſtriaco inchoati continuabantur, & tandem in Comitiis illius Regni Generalibus Varſaviæ coaluerunt non infeliciter, adnitentibus Legatis Summi Pontificis, Imperatoris Rudolphi, & præcipuorum in Europa Principum Catholicorum, iſtis pactis præcipue; quod Maximilianus juri ſi quod prætenderet, & titulo Regis Poloniæ renuntiaret, ac tam ipſe quam Imperator jurejurando verbis conceptis præſtito caveret, quod eo uti non deberet. Amneſtia perpetua injuriæ omnes utrinque ſopirentur, & reſtitueretur Polonis Arx Luboulenſis cum Comitatu Scepuſienſi in confiniis Vngariæ nomine Maximiliani intercepta. Lytro exigendo abſtinuerunt Poloni, cujus tamen exemplum clarum habebant à Carolo V Imperatore, qui Franciſcum Regem Galliæ captivum nonniſi ære gravi nomine impenſarum belli mulctatum dimiſit. Sed hic impenſæ impenſis, & damna damnis utrinque fuerunt compenſata. Nimirum Rex Sigiſmundus omni lucri ſpecie poſtpoſita, ſolidam pacem cum Domo Auſtriaca quærebat: quare inter primos concordiæ articulos, etiam fœderum Polonis cum Regno Vngariæ & Boëmiæ jam ante communium renovatio & confirmatio mutuo fuit ſtabilita. Addita quoque erant nonnulla minutiora, quæ Sigiſmundus Rex in Polonia, Imperator vero, ac Domus Auſtriacæ Legari Pragæ jurare, & omnes obligationes articulos adimplere debebant ad proximum menſem Iulium, quo demum adimpletis conditionibus Maximilianus dimitteretur. Præcipuus autem moderator fuit iſtius concordiæ cum tractaretur Bædzini in confiniis Sileſiæ per Legatos utriuſque partis, Laurentius Goſlicki Epiſcopus tunc Camenecenſis, non ſolum diſertus,ſed & omni Politica ſcientia inſtructiſſimus. Vnde ibi concluſa, haud difficili negotio Ordines Regni in Comitiis illis probarunt. Sed non minor in eiſdem Comitiis Ordinibus fuit cura, ut diſcordes Procerum animi, qui ex Byczynenſi nonnullorum captivitate tanto majoribus mutuo exarſerant odiis, reconciliarentur.

Maximiliani Archid. conditiones pro libertate obtinenda.

Goſlicius conſcribit pacta liberationis Maximiliani; Archid.

Quan-

Quantumvis enim victrix cauſa triumpharet, ut tamen hominum raro non diſſentiunt ingenia, præſertim in Repub. mente & lingua libera, etiam victa non carebat fautoribus, qui hanc juſtam, illam injuſtam taciti æſtimarent: & prudentiores dubitabant, ne hæc ſcintilla male ſopita, periculoſius aliquando incendium excitaret, maxime ſi contra reos criminis in judicium illorum Comitiorum vocatos, ſeveriores pœnæ decernerentur; hæ enim altius inſidere ſolent animis, & dum paucos reprimunt, plures irritant, læſiſque ſocios facile comparant ad vindictas jurgiaque exercenda. Ac licet Polonorum ſit natura aperte odiſſe, nec pertinacius inimicitias fovere, cautius tamen effecit tunc ſolertia vigilantior communium amicorum, ut mutuis illis Civium compoſitis offenſis, etiam legum in accuſatos rigor temperaretur, omnibuſque plena immunitas fuit conceſſa, præter quod Andreæ Zborovio Mariſchalli minoris Regni officium fuit abrogatum, & collatum Staniſlao Przyemski.

Poloni in inimicitiis mutuis fovendis non ſunt pertinaces.

Civiles diſcordia in Polonia mutua Amneſtia ſublata.

Voluerant quoque Ordines Regni in eiſdem Comitiis præfinire certum Electionis Regiæ modum, ne in poſterum Reſpublica in tantum diſcrimen ſuffragia ferentium contentionibus adduceretur; ſed cum plerique requirerent, ut inprimis lege caveretur, ne quis Auſtriacus in Regem unquam eligi deberet, nempe ne ſemel Electus, ut in Vngaria & Boëmia hæreditarium uſurparet Dominatum, ſeu vindicaret repulſam Maximiliani: ab alia vero parte Archiepiſcopus Gneſnenſis Primas cum Eccleſiaſticis timeret, ne excluſis Auſtriacis, pateret ad Regnum aditus alicui hæretico, deliberatio illa poſt longas diſceptationes fuit intermiſſa, & ad proxima Comitia rejecta ſunt plurima quæ Rempub. tunc premebant, maxime proviſio bellica contra incurſiones Tartaricas & Turcarum, à quibus arma contra hoc Regnum apparari exploratores referebant. Vacarunt tamen Comitiales conſeſſus rogandis legibus pro Livonia in Provinciam redacta, & circa ſtatum Civilem diverſorum Palatinatuum ac locorum Regni, ut in codice Actorum Comitialium habentur. Ac poſt multa dubia conſenſerunt Ordines, ut Rex tranſiret Revaliam inviſurus Patrem Ioann. Regem Sueciæ, qui eò ad præfinitum diem venire debebat.

Et in brevi profectus Rex Varſavia, Maximilianum Craſnoſtaviæ ſub cuſtodiis hærentem inviſit, quo offenſam omnem familiariori cum ipſo conſuetudine aboleret. Nec ibi tamen defuit, quo offenderet Maximilianus Polonos; volebat enim eam quam parem Regibus Archiduces gravitatem præſeferunt, retinere, nec deſcendebat ad infimos gradus obviam Regi: ſed Archimariſchallus Andreas Opalinski non permiſit progredi Regem, niſi Maximilianus proceſſiſſet obviam ulterius. De cætero humaniſſime à Rege ſalutatus, celerioris liberationis obtinuit promiſſum, licet hoc aliquantum fuit retardatum ob non adimpletas, uti Bedzini condictum fuerat conditiones. Et quidem Imperator Rudolphus ſtato tempore pacta illius concordiæ ſubſcripſerat, & firmaverat jurejurando, hac formula concepto ac enuntiato:

Sigiſmun. Rex Poloniæ inviſit Maximil. Archid. ſub cuſtodiis hærentem Craſnoſtavii.

Rudolphus II. *Dei gratia Electus Imper. Rom. ſemper Auguſtus & Cæſar, juro, ſpondeoque ac promitto per hæc ſancta Dei Evangelia, quod omnia ea quæ S.D.N. & Legati ejus de latere Reverendiſſimi Cardinalis Aldobrandini interventu, inter Delegatos meos, cæteroſque Sereniſſimorum Principum, Patruorum & fratrum meorum ex una, & Sereniſſimi Principis D.D. Sigiſmundi* III, *Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, &c. parte ex altera Bithomiæ & Bedzini congregatos pacta ſunt, in omnibus eorum clauſulis firme inviolateq́; obſervabo, iiſque ſatisfaciam; pacem & amicitiam cum eodem Sereniſſimo Principe Regnoque Poloniæ Magno Ducatu Lithuaniæ &c. cæteriſque conjunctis Provinciis & ditionibus juxta eandem compoſitionem pacta perpetua & fœdus, perpetuo conſtanterque colam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

Rudolphus Imperator jurat pacta pro liberatione Maximiliani.

 Simili

A.C. 1589. *Boëmi jurant pacta pro liberatione Maximiliani.* *Maximilianus retrahitur ad cuſtodias ob non impletam conditionem.* Simili forma jurarunt Legati Boëmiæ & Archiducum Auſtriæ, in præſentia Legatorum Regis Poloniæ, qui etiam nomine Regis ſui jurarunt ea quæ Maximiliano & Regnis Boëmiæ ac Vngariæ, domuique Auſtriacæ erant ſervanda à Poloniæ Regno. Sed cum Legati Regni Vngariæ non advenisſent, nec ab illo Regno conditionibus confirmationis pactorum ſatisfactum fuiſſet, Poloni quibus negotium dimittendi Maximilianum commiſſum fuit, tali dubio non adimpletarum conditionum oppoſito, Maximilianum iterum ex itinere retraxerant. Non multa tamen mora interpoſita, proceſſeruut ad confinia Sileſiæ, vadimonio recepto, quod Vngari in Comitiis ſuis proximis, quæ eòuſque celebrari non poterant, & nonniſi illorum authoritate ſimiles obligationes inire liceret, pacta illa rata haberent ac jurarent. Laurentius Goślicki Epiſcopus Camenecenſis, & Nicolaus Zebrzydowski Præfectus Arcis Cracovienſis præcipui erant, qui nomine Regis & Ordinum deducebant Maximilianum, ab ipſo in ingreſſu Sileſiæ recepturi jusjurandum confirmationis pactorum. *Maximilianus Archid. fallit Polonos in promiſſis.* Qui nihil jam adverſum ſuſpicantes, cum exiguo & inermi comitatu, nempe pacati pacato, uti utrinque convenerat, aſſiſtebant eunti Maximiliano. Tranſgreſſi autem Poloniæ fines in primo Sileſiæ confinio, ubi ipſe jusjurandum reddere ex pacto debuerat, invenerunt validum exercitum Germanorum cum Duce Melchiore Redero operientem ejuſdem adventum. Ac ſtatim audiunt ibi Maximilianum jurare nolle, omniaque ipſo in detentione invito tranſacta in dubium vocare. Nullus ſupererat modus retinendi abire volentem jam armatum, ſed tamen cum Bithomiam ſecuti, gravius ipſi exprobraverunt deceptionem hanc Principe indignam, violatamque fidem ipſius verbo, Summi Pontificis, imperatoris, & tot Principum ſponſione firmatam, & omnino ſervandam, quantumvis ipſe fallere vellet leviorum tunc conſilio perſuaſus. Zebrzydovius autem, ut erat excelſo & forti animo, ſe & Collegas ſuos ſtulto illo dolo deluſos fuiſſe indignatus, & nonniſi ſibi qui pro præſidio delegatis additus fuerat, errorem circa hæc omnem à Repub. imputandum fore recogitans, vitam propriam devoverat, ut Maximilianum in colloquio privato occideret, niſi Goſlicius obſtitiſſet, vanam illam colluſionem nulli uſui, ſatiuſque dedecori Maximiliano, non autem damno futuram reputans Reipublicæ, quæ jam pacem ab Imperatore juratam in ſecuro teneret, ut poſtea evenit; nam & Imperator illam cunctationem Maximiliani improbavit, pacemque perpetuam cum Polonis coluit, & ipſe Maximilianus jurare demum à ſponſoribus coactus quievit.

Interea Tartari (de quorum adventu rumorem in Comitiis præteritis allatum, Nuntii Terrarum tributa ſubterfugientes vanum fuiſſe affirmarunt) excurſione *Tartari excurrunt in Ruſſiam.* facta; confinia Ruſſiæ crudeli depopulatione vaſtarunt. Zamoyſcius enim cum præter paucas cohortes Quartianas vocitatas militem non haberet, hoſtem tam potentem reprimere non potuit, redeunti tamen in fluminum tranſitu Coſaci, *Turca Polonis bellum denuntiat.* majorem partem prædæ excuſſerant. Sed graviora pericula intentabat Turca, qui incurſionibus Coſacorum damna ſibi illata ulciſci volens, bellum Regno iſti denuntiarat; ejuſque exercitus cum Beglerbego Siliſtriæ (ſeu Rumeliæ vocant) tranſgreſſus Danubium, Tyræ ripas jam inſederat, ut ditiones Polonicas invaderet. Vnde illorum confinium incolæ, in tam ancipiti rerum ſtatu deſtituti ſpe ſubſidii, ultimum exitium ſuum expectabant, gemitibus incuſantes turbulentorum conſilia, qui in Comitiis proximis ſubſidia ad talem caſum provideri non permiſerunt. Zamoyſcius autem cum non haberet exercitum juſtum quem tanto hoſti ad defendenda campeſtria opponeret, Leopolim conceſſerat, eamque Civitatem firmioribus propugnaculis contra majores hoſtis conatus muniri curabat, ac demum aſſumptis animis, Optimates quoque Ruſſiæ Leopolim conve-

A.C. 1589.

convenerant invicem conſulturi, qua ratione imminens hoc periculum evaderent, & precibus in tantum fatigarunt Sulikovium Archiepiſcopum Leopolienſem, quod iret in Poloniam ad diverſos Proceres & Conventus imploraturus opem, & perſuaſurus ne in tam ancipiti ſtatu Provincias Ruſſiæ desererent, ſed extra Ordinem contributiones pro conſcribendo milite indicerent. Nihil tamen præter bona verba ille obtinuit, omnibus ad Comitia Generalia tantam rei molem rejicientibus.

Cum itaque nulla auxiliorum ſpes ſupereſſet, Zamoyſcius collecta ex clientibus propriis, & ex Nobilibus Ruſſiæ, qui prompte ad eum concurrebant manu non exigua, proceſſit ultra Leopolim, & fama ſparſa majoris exercitus, ut eam auxerat nominis ejus magnitudo, aliquantum detinuit hoſtem, ut non ultra progreſſus expectarit Nuntium ipſius pacem tractaturum. Atque miſſis ultro citroque fecialibus, tandem in eo res ſtetit, quod Rex Reſpublica prohibere deberet, ne Coſaci mare Euxinum & Provincias illi adjacentes Turcicas incurſionibus vexarent, & Legatus ad portam Ottomanam pro ſtabilienda pace firmiori mitteretur; ac nihil hoſtili tentato, Beglerbegus ad propria recedens, eo tunc metu Ruſſiam liberavit. Rex autem Sigiſmundus ut in Eſtoniam abierat, ad finem menſis Auguſti hujus anni Revaliam pervenit, ubi Patrem Ioannem Regem Sueciæ una cum noverca Gunilla, uno menſe prius claſſe ex Suecia eo delatum invenit. Ac ſecretioribus inter Reges colloquiis omnia agitabantur: Vnde forte enatum de cedendo Regno Poloniæ Auſtriacis, avulſa Lithuania & Livonia, poſtea à malevolis divulgabatur, cum gravi Reipub. commotione, ut ſuo loco adnotabitur.

Sigiſmundi Regis Poloniæ congreſſus cum Patre Ioanne Rege Sueciæ Revaliæ.

Tunc autem Revaliæ intra paucos dies illud palam erupit, quod Ioannes Rex nollet dimittere Sigiſmundum in Poloniam. Nec penetrabant Poloni arcana talis conſilii, ſed in illud ſolum intenti, quod Poloniæ Regnum à Rege in longinquo degente adminiſtrari non poſſit, pro celeri in Poloniam ipſius reditu inſtabant, repræſentata incurſione Tartarorum & Turcici ad confinia Regni exercitus adventu, de quo Zamoyſcius ſignificarat.

Aderant autem cum Rege Sigiſmundo Albertus Báránowski Epiſcopus Præmiſlienſis Minor Cancellarius, Staniſlaus Przyemski Minor Mariſchalcus Regni; Martinus Lesniowolski Caſtellanus Podlachiæ, Ioannes Tarnowski Referendarius Regni, Chriſtopherus Radziwil Palatinus Vilnenſis, Præfectus militiæ Lithuanicæ, & multi alii: præſertim Aulicorum magnus numerus; qui omnes ducebant frequentia agmina famulorum in ſplendido apparatu, ſoluſque Chriſtopherus Radziwil habebat in ſuo Comitatu pluſquam mille homines. Et ut vulgatiora quoque attingamus, commeatu ſublevari juſſerat tantos hoſpites Rex Ioannes, & cum pro Radziwilo deſignarentur duo boves, ac aliquis ſuggeſſiſſet eum plurimos habere ſtipatores. Reſpondit ejus Quæſtor; addendas eſſe ei toridem capras: nempe alia frugalitate conſtant res Suecorum quàm Polonæ, quæ in luxum effuſo toto cenſu, ſæpe uſque ad egeſtatem conſumuntur. Sed ut ſeria continuemus, Rex Ioannes, ne rogatus quidem à Proceribus Polonis deſiſtebat à retinendo filio Sigiſmundo, ac eouſque proceſſerat, quod convaſatam ejus ſupellectilem importari faciebat in naves, quibus veheretur in Sueciam; ſerione an arte, ut experimentum caperet quo in eum eſſent Poloni animi affectu, & quomodo paterentur abeuntem, omnino tamen ſeverioribus reſponſis rejiciebat petitiones eorum, ut pene deſperaverint de eo reducendo in Poloniam; jamque divulgatum fuit per Poloniam ipſum in Sueciam abjiſſe. Nec ingratus fuit ille rumor novatoribus, ac etiam non nullis inſignioribus; perſenſerant enim refractariolum ejus animum & propenſiorem in Germanos, nec facile conſentientem ingeniis Polonorum.

Ioannes Rex Sueciæ non vult remittere Sigiſm. filium in Poloniam.

Poloni malluiſſent ut non rediſſet in Poloniam Sigiſmundus.

 Vnde

A.C. 1589.

Sigiſmundus Rex Poloniæ Revaliâ redit in Poloniam.

Vnde Zamoyſcius Cancellarius fertur acerbius reprehendiſſe Baranovium Procancellarium, quod inconſultis aliis retinuerit abire volentem; iſte enim præ cæteris laboravit obſtititque ne abiret; haud dubie feciſſent, quod & in diſceſſu Henrici Galli. Tandem tamen permiſſus redire in Poloniam, ultimis diebus menſis Septembris hujus anni Revalia movens Rigam, inde per Boruſſiam Varſaviam uſque tranſivit. Conſiliorum quæ cum Patre Ioanne Rege habuit, nullus ex Polonis fuit conſcius: Vnde ſuſpiciones ſumptæ fidem auxerunt rumori mox ſparſo, quaſi tunc Pater & filius condixerint tradendum Regnum Poloniæ Archiduci Erneſto, & tantiſper redeundum in Poloniam, donec arcanum illud perficeretur, ac pacta traditionis hujuſmodi implerentur, quorum ſeries quoque fuit divulgata talis: *Quod Erneſtus uxorem duceret Annam Germanam Sigiſmundi, Livoniam totam & vectigalia Pruſſiæ addiceret Regno Sueciæ: Ratione juris hæreditarii Lithuaniæ, ſolveret Sigiſmundo quingenta millia nummorum aureorum communium. In caſu mortis Annæ Reginæ ſenioris materteræ Sigiſmundi, ſupellectilem ejus redderet Sigiſmundo: Summas in Regno Neapolis olim Reginæ Bonæ obligatas, reddi procuraret Sigiſmundo, uti ejus hæredi. In Regno Sueciæ pacificando, & contra Moſchos auxilia ipſi ferret. Certo numero perſonas à Sigiſmundo nominandas beneficiis in Polonia & Præfecturis ornaret.*

Rigæ puniuntur authores tumultuum & reſtituitur Ecckius Conſul.

Non multo poſt Legati Regii, quorum præcipuus erat Leo Sapiha minor Cancellarius Lithuaniæ, Rigam ingreſſi turbatores illius Civitatis, jam ante per Regem Stephanum damnatos & proſcriptos, cum interim ad Civitatem rediiſſent, nempe Tribunum & Advocatum olim Civitatis comprehenſos in foro publico erecto ſupplicii loco, inſpectante toto populo, capite truncari fecerunt, ejectum autem populari tumultu Conſulem Ecckium in priſtinum locum & honorem reſtituerunt. Omneſque diſſenſiones Civicas ibi compoſuerunt, gravioribus controverſiis ad deciſionem Comitiorum Regni Generalium rejectis.

Cromerus Epiſcopus Varmienſis moritur.

Battoreus Cardinalis Epiſcopus Varmienſis.

Hoc eodem Anno 5 Martii, Martinus Cromerus Epiſcopus Varmienſis, ſcriptor Hiſtoriæ Polonorum celebris, eruditione & ætate grandævus, fatis conceſſit, & in ejus locum ſuffectus fuit Andreas Battoreus Cardinalis affine Zamoyſcio adnitente. Cujus promotioni fruſtra reſtitit Collegium Pontificale Varmienſe, cum & Electionis libertati quæ opponebatur Regis jura aſſumendi in Senatum, quem ea dignitate magis idoneum judicaret derogarent, & Eccleſiæ illius ſtatuta de non eligendo Epiſcopo niſi aliquo ex medio illius Collegii, Principes ſanguinis Regii, ut fuit Battoreus non excluderent.

Anglica claſſis expeditio in Hiſpaniam.

Eodem quoque Anno Angli poſt victoriam, quam nuper repulſa claſſe Hiſpanica à littoribus ſuis obtinuerant, quo vicem redderent, Hiſpaniam invadere propoſuerant, Antonium Ludovici Regiæ ſtirpis Luſitanicæ hæredis filium nothum ad Regnum Luſitaniæ, quod ille tali ſucceſſione ut hæreditarium repetebat, inſtituturi. Itaque Ducibus Franciſco Draco & Ioanne Noricio cum inſtruxiſſent claſſem validam, quindecim millibus armatorum oneratam, Galliciam petentes, primum Coronim maritimum ejus oræ ſeu Aſturiæ oppidum oppugnarunt, & capta inferiori parte, cum ſuperiorem defendentibus ſtrenue oppidanis obtinere non poſſent, direpta inferiore quam interceperant verſus Luſitaniam digreſſi, Penicham Arcem deditione ceperunt. Inde ad Tagi oſtium milite expoſito, Caſcaim Oppidum vicinum Vliſſiponæ interceperunt, ſed ſuburbia Vliſſiponæ (quæ Bona Viſta vocantur) ingreſſi, ab erumpentibus ex Civitate Hiſpanis cum fortius reprimerentur, fame etiam & morbis Epidemicis innumeri interirent, plurimis ex ſuis deſideratis in Angliam redierunt.

Angli Vliſſiponam fruſtra oppugnant.

Henricus III. Galliæ Rex Luteriam obſidet.

Maxime autem Gallis hic annus infauſtus fuit ob mortem Henrici Regis ex ſtirpe Valeſia ultimi. Hic enim cum poſt illam cædem Henrici Guiſii, defectionem con-

A.C. 1589.

contra ſe in Gallia tota à Guiſiis concitatam coërcere ſtatuiſſet, & quo augeret vires ſuas, Henricum Navarreum partibus ſuis adjunxiſſet, Lutetiamque (quæ excuſſo ejus Imperio, Mænium Proregem ſibi conſtituerat) rebellium caput edomare niteretur, in Caſtris ad S. Clodoveum die 1 Aug. hujus anni, ab infami cucullato ſicario cultro in ilia adacto fuit percuſſus. Nec nominari dignus ille ſceleſtus, ut qui & Religionem S. Dominici, & doctrinam ſacram tam deteſtandi criminis nota fœdavit. Nec quis excuſet zelum, quem non ſociatum ſcientiæ, omnis ſacra doctrina damnat: tanto magis ſi incerta tantum ſuſpicione nitatur; nihil enim tuti ſupererit Principibus, ſi opinione inani cujuſque calumnioſæ hæreſis inſimulati à quocunque licenter poſſint occidi; & eo deteriores eſſent privatis etiam vilioribus quod iſti indicta cauſa nunquam puniuntur. Ac quantumvis plures iſte zelus tunc habuerit laudatores certe tempus probavit illos omnes erraſſe, & circa Valeſium, qui Catholicam Fidem ſemper profeſſus Catholicus obiit, & circa Henricum Navarreum, qui factus Rex non detrimento ſed incremento non vulgari rei Catholicæ fuit, ac uterque non contra Religionem, ſed contra Guiſios Regni ſuos graves æmulos decertavit juſte, cum nullus alterius, idque ſui ſubditi libidini Regnum proprium cedere teneatur. Non autem Apologiam hic texendam ſuſcepimus, cœlo & ingenio longe ab illa gente diſſiti, nec aliquo animi affectu plus in unum quam in alterum propenſi; ſed ſi geſta præterita ſunt magiſtra futurorum, tam acerbæ in Regiam ſtirpem machinationis exemplum detracta omni fraudis ſuperficie poſteritati memorare tenemur: Nimirum, ut quanta fides habenda ſit iis, qui ut regnent, defenſionem Religionis ſimulant quiſque erudiatur hoc funeſto Galliarum Civili bello, in quo tot Monarchæ in fœdera & profuſionem immenſarum opum convenerunt, tot ædes, tanta Vrbium & populorum excidia ſunt parrata ad Claſſicum Guiſii, quaſi fides Catholica rueret ſi vinceret regnaretque Henricus Navarreus, quo tamen vincente & regnante nil illa detrimenti & multum incrementi accepit, nec plus accipere à Guiſiis potuiſſet.

Henricus III. Galliæ Rex à Monacho occiditur, die 1. Aug. 1589.

Conſpiratione. ſubditorum in Principes ſemper damnoſa.

Supervixit autem Henricus Valeſius poſt acceptum lethale vulnus ad diem tertiam: Et quidem ab initio curari poſſe videbatur, ſed inſequente die ſub noctem cum magis ac magis langueſceret, & Medici de ejus ſalute deſperarent, accerſitum Henricum Navarreum in præſentia Procerum Regem Galliarum ſucceſſorem ſuum deſignavit, ei ultionem necis ſuæ commendans; nec multo poſt vocato Sacerdote Religionis Capucinorum, cui de more Catholico peccata ſua confitebatur, vix ſacro viatico ſumpto, viribus & loquela deficiens, animam exhalavit. Statimque Henricus Navarreus Borbonius Rex Galliæ in caſtris proclamatus fuit, & in præſentia Principum ſanguinis, ac aliorum Procerum qui aderant, ſolenne jusjurandum enuntiavit, quo ſe obligavit ſanctam Fidem Catholicam Romanam in Gallia ſalvam conſervaturum: nihil in ea innovaturum, legitimi Generalis Concilii decretis pariturum: Principibus, Proceribus, & omnibus Regni incolis, privilegia ſua confirmaturum, & ſervaturum. Et viceverſa Principes ſanguinis, Pares, & Proceres Franciæ tunc ibi præſentes fidem, obedientiam, & obſequium omne illi jurârunt. Sed Guiſiani fœderati Duce Mænio hoc intellecto, novo ſeſe fœdere contra ipſum colligarunt, ac contra ejus inaugurationem *Arreſtum*, (ut dicebant) in ſuis locis promulgari fecerunt. Cardinalem autem Borbonium Carolum X, denominatum, qui à defuncto Henrico Rege traditus cuſtodiæ, in ea adhuc detinebatur, eſſe ſucceſſorem verum Regni Galliæ denuntiarunt, & Romam miſerunt Commendatorem Monſiu de Diu, menſe iſtius Anni Septembre, qui à Sixto V. tunc Summo Pontifice petiit, ut in Navarreum prolatam excommunicationem iteraret; eumque

Navarreus renunciatur Rex Galliæ.

Navarreus jurat quod ſervaturus eſſet jura Gallorum.

Navarreo jurant fidelitatem Galliæ Principes.

Guiſii novum fœdus ineunt contra Navarreum.

A. C. 1589. eumque minus eſſe idoneum Regno declararet, ac omnes Gallos Catholicos, qui eum ſequerentur, excommunicaret, ſive comminata tanta pœna ne ipſi adhærerent, deterreret. Sed plurimi malebant eſſe medii inter Catholicos & Navarreum, propriumque cognomen Politicorum habebant, licet magis ad Navarreum inclinarent. Vnde & Romam miſerant iſti Comitem Lucemburgium Legatum, qui Pontificis animum à fœderatis diverteret, & mitioribus conſiliis cum Navarreo, ac cum Nobilitate Galliæ agendum ſuaderet. Navarreus verò, primum funeris Regis Henrici ſecuritati ut provideret, ne maneret expoſitum conjuratorum contumeliis, illud cum exercitu ad oppidum Compendium (in eo itinere capto Meulantio, Giſſortio & Claromontio in Bellonacis) deduxit, ibique depoſuit in templo Divi Cornelii. Tum Legatos dimiſit ad Venetos & alios colligatos, ut ejus cauſam juvarent, & publico edito ſcripto obteſtatus ſe Fidem Catholicam integram conſervare, omniumque libertatis manu tenere velle, ſtudia populorum ſibi devinciebat. Omnibus etiam Principibus & Ordinibus ad finem menſis Octob. indixit Turoni Conventum, in quo ex mutuis conſiliis de conſervatione & tranquillitate Regni certi quid decerneret. Nec ſegnior parando bello, tripartito exercitu, nempe una parte in Picardiam, & ad territoria Lutetiæ infeſta tenenda cum Longevillio, altera in Campaniam cum Aumontio ablegata, ipſemet cum tertia parte adjunctis ſibi Principibus ſanguinis Condæo, Birronio, Momorantio, Eſpernonio, in Normaniam proceſſit, & prætereiens Rothomagum pro fœderatis occupatum, ad Diepam Mænium ſubſequentem fudit, & mox Oppida Eſtampes, Ianvillam, Vendomanum cœpit, totamque pene Normaniam præter Rothomagum in ſuam poteſtatem redegit. Inde Turonum profectus à Cardinale Vandomio ac à Parlamento & Regni Principibus qui ibi aderant, magnificè fuit exceptus: ibidemque audivit Legationem Venetorum, ac cum eis amicitiam à Regibus Galliæ cum illa Repub. cultam renovavit. Helvetiorum quoque Legati ad eum venerant, & fœdera ſua antiqua cum Gallia ſe ſervaturos promittentes, operam ipſi ſuam obligabant. Nec multum moratus ſub finem Novembr. ad caſtra revertebatur, & promovens in Monſtranſiam, Lavanium, Majerram, & Alenſonium obſidione gravi ad deditionem coëgit, Oppidumque Faleiſe, ac una Comitem Briſaçæ partium fœderatorum qui in præſidio ibi aderat, cepit. Mænius quoque interim Pontiſatram oppugnavit, quam ipſi Buyus gubernator, cum reſiſtere non poſſet, certis conditionibus dedidit, ac hyeme urgente, mox utraque pars in hyberna receſſit.

Galli neutrarum partium Romam mittunt Legatum.

Navarreus obteſtatur quod fidem Catholicam integram in ſuo Regno conſervare velit.

Navarreus in Normaniam movet.

Navarreus plura oppida in ſuam redigit poteſtatem.

Annus Chriſti, 1590.

A. C. 1590. PRoxime autem inſequentis Anni Menſe Martio, in Polonia Comitia Generalia fuerunt celebrata: In quibus ſoliciti Ordines Regni, quod interim Turca ſpretis antiquis pactis, & cum Beglerbego nuper à Zamoyſcio Cancellario ſtabilitis indiciis bellum Regno iſti denuntiarat, ſepoſitis aliis omnibus curis, de nervo ad id quam maximo comparando deliberabant. Redierat enim ad tempus Comitiorum ex Turcia Nicolaus Cizewski, qui defuncto Conſtantinopoli Paulo Vchánski Palatino Belzenſi Legato ad Turcam, Legationem illam uti Conſiliarius à Rege eidem Legato additus expedivit, nullamque pacem æquam ibi impetrari potuiſſe referebat, Turcis pertinacius damna ſibi à Coſacis in mari Euxino Pyratica ſua illata vindicare volentibus. Vnde nimium difficile ac diuturnum illud bellum futurum ſperabatur, & ad quod univerſæ vires Regni eſſent convertendæ. Primum itaque pro-

Vchanski Legatus ad Turcam pacem non impetravit.

Poloni de bello cum Turca ducendo deliberant.

A. C. 1590.

Maximil. Archid. praecluditur omnis ſpes ad Regnum Poloniæ.

providendum erat, ne quid illi domeſticarum turbarum obſtaret, præſertim ex parte Archiducis Maximiliani, qui cum contra fidem datam, compoſitionis Bedzinenſis conditiones jurejurando ſuo confirmare renuiſſet, titulumque Regis Poloniæ uſurpare non deſiſteret, plures in hoc Regno aſſeclas ſuos novandarum rerum ſpe erigebat: nec aliter ſecuritas Regis & Reipublicæ conſtare poterat; niſi ipſi omnis via ad effectandum hoc Regnum præcluderetur. Ac lata lege declaraverant Ordines, quod neque antecedentis Interregni geſtorum titulo, neque alia aliqua electione ad hoc Regnum ſi vacaret promoveri ille poſſet; & ſi qui ex Regnicolis in ipſum ſuffragia conferrent, vel partes ejus literarum commercio aliovè modo foverent, pro infamibus & perduellibus habendi eſſent, pœniſque criminis læſæ Majeſtatis ſubjacerent. Pro reprimenda autem vi Turcica ſi ingrueret, diverſa promanarant ex conſultationibus Comitialibus decreta, de muniendis confinium Arcibus, & ſede Regni Cracovia; de diſciplina militari & juſtitio quoad militantes: de conſiliis bellicis, circa poteſtatem Præfecti Generalis bellici, cujus judicio ſummum rerum bellicarum arbitrium fuit permiſſum. Datum etiam fuit negotium ærarii Præfectis, ut in fidem publicam conquirerent in Regno Poloniæ decies centena, in Lithuania verò quinquies centena nummorum aureorum communium ſeu florenorum millia pro uſu ejuſdem belli, præter conſuetam collectam agrariam & cenſum novum in ſingula Regnicolarum capita pro conditione cujuſque æſtimandum. Verum iſta omnia magis ad refricandas diſſenſionum Civilium recens obductas cicatrices valuerunt; populis enim ad nomen tributi novi frementibus, æmuli Zamoyſcii (tali occaſione ad eum reprimendum arrepta) famam belli Turcici ejus artificio divulgari, pecuniamque publicam nonniſi pro augenda ipſius potentia imperari facilè perſuadebant, & indignatione exinde apud omnes concitata, ad eum in ordinem redigendum ea uti decreverant, tanto majori fiducia, quod etiam Archiepiſcopus Gneſnenſis Primas Regni tunc Staniſlaus Karnkowski iniquius ferens felicitatem ipſius, eandem ſententiam defendendam ſuſceperat, redieratque propterea in gratiam cum Staniſlao Comite de Gorká Palatino Poſnanienſe, hæreticorum & Maximilianiſtarum conſiliorumque hujuſmodi anteſignano. Nec multum morati illi poſt expedita Comitia Generalia Varſaviæ, effecerunt ut Archiepiſcopus (deteſtabili infirmandæ authoritatis Comitialis exemplo) indixerit Conventum in Oppido *Kolo* Majoris Poloniæ Palatinatibus (præter morem agendi Conventus publicos, quos convocari niſi Regis præſertim in Regno degentis mandato, vel eo abſente ſeu decedente, inconſultis Regni Proceribus leges publicæ vetant) ad deliberandum ſuper decretis Comitiorum præteritorum. Ac concurrerant eò frequentes & Senatorii & Equeſtris Ordinis ad vocem tam gratam tollendorum tributorum, lubenteſque conſenſerant, ut Comitialia illa decreta abrogarentur. Verum his expeditis, longè diverſa fuerunt ibi introducta, ad quæ moderatores illius Conventus collimabant. Proponebantur multa contra Zamoyſcii potentiam, quod futura eſſet gravis & periculoſa Reipubl. innixa Præfecturæ generali militari, conjunctaque cum Archicancellariatus officio, ac propterea conſultores illi eam reſtringere volebant, tali legi:

Cenſus capitis in Polonia non uſitatus decernitur pro bello Turcico.

Polonia major tumultuatur ob novum Tributum.

Carncovius Archiep. indicit Conventum abroganda Comitiorum decreta.

Zamoyſcii potentiam volunt æmuli deprimere.

Ducis militaris potentia reſtringenda modus.

Vt præfectus militiæ obligaretur in confiniis Regni cum exercitu excubare; Electioni Regis præſens non adeſſe, & ne quidem per ſummiſſas perſonas in ea intercedere: vocatus nonniſi ut privatus Nobilis inermis, & abſque Comitatu militari, non plus quam cum triginta familiaribus ad locum Comitiorum venire: Militem ne conſcriberet, niſi juſſu Regis & Senatus, & auctionarium nullum haberet: Interregni

tem-

A.C.1590. ***tempore obſequium juraret Senatui : Legatos externorum Principum ne ipſe audiret, ſed ad Regem vel Senatum integras Legationes remittere teneatur, nec quicquam cum hoſte Rege & Senatu inſcio tractare ſeu tranſigere auderet.***

Repetundarum eum quoque reum arguentes, ex hoſte capta ſpolia uti inſignia victoriæ (non obſcure innuebant manubias apud Byczynam ex Maximiliano quæ ceſſerant militi) Regi & Reipublicæ, ut ab ipſo conſignarentur urgebant. Modum demum ferendorum & colligendorum ſuffragiorum pro eligendo Rege, quando eligendus eſſet præſcribere, & leges publicas (quæ in multis à ſuo tramite deflexiſſe videbantur) ad meliorem normam reducere contendebant, quadam poteſtate convolvendi, univerſi Reipub. ſtatus ſibi ipſis uſurpata. Idque ita palam, ut Archiepiſcopus hilarior in convivio (ubique gloriabundus, ſed maximè ad menſas) Comiti Gorcano dixerit; ***Nos duo Regem eligemus, dum in futurum erit eligendus.*** Perſuaſum autem habebatur, quod omnes alii Palatinatus tale exemplum commovendæ Reipub. ſequerentur : ſed magis indignabantur Archiepiſcopo, qui dignitate Primatiali ad convellendum (unicum firmamentum iſtius Regni) Comitiorum conſenſum abuteretur, eamque inquietis ad ſeditiones ciendas præſtaret: immo odia inde concepta, redundarant in omnes Epiſcopos, quibus ad curam Eccleſiarum non pauci Proceres ſeveriores iique Catholici Monachos mendicantes ſufficiendos cenſebant. Cæterum collectæ illæ in Comitiis Varſavienſibus indictæ non exigebantur, cum metus Turcici belli evanuiſſet. Miſſus enim Conſtantinopolim alius Nuntius poſt graves difficultates (cum nimirum Turcæ compenſationem damnorum à Coſacis illatorum, & Arcium finitimarum demolitionem requirerent, priuſquam arma ſiſterent) tandem opera Legati Anglici in illa Aula Ottomanica tunc reſidentis, confirmationem pactorum antiquorum obtinuerat, cauſa incurſionum maris Euxini in Pyratas à fluvio Tanai ex Moſcovia prodeuntes rejecta, & promiſſo quod Coſacorum inſolentiæ eſſent coërcendæ.

Carncovii Archiepiſcopi oſtentatio.

Turcæ pacem renovant cum Polonis.

Sub hoc tempus in Livonia Rigæ, ſeditio contra Religioſos Societatis IESU à populo illius Civitatis excitata, fuit ſopita à Delegatis Regiis, & Religioſi iſti revocati ad Civitatem, domicilium ſuum ibi inſtaurarunt. Extremam autem Livoniæ partem Eſtoniam gravius afflixit hoc Anno Theodorus Moſchoviæ Dux, qui intercepta à Rege Sueciæ Ioanne (bello cum Rege Stephano Moſchis diſtentis) repetiturus, cum numeroſo exercitu eò advenerat, & Narvam poſt gravem oppugnationem cepit, compluraque viciniora Oppida, in ſuam poteſtatem ejectis Suecicis præſidiis, redegit: Demum vero Sueco conceſſis ad unum annum indiciis ad propria rediit.

Riga Civitatis tumultus componitur.

Moſchus in Eſtonia Suecis multa adimit.

Sed in Gallia fortioribus ſtimulis incitatum bellum, diuturniori contentione trahebatur. Et Navarreus quidem celeritate utendum ratus, non expectato primo vere menſe Februario exercitum ex ſtativis moveri juſſit, ac collectum, interceptis prius quibuſdam Oppidis, in agros Druidarum (vulgo Dreux) ad oppugnandam illam Civitatem duxit. Quo Mænius fœderatorum Dux non minori celeritate feſtinans, contracto numeroſo exercitu, primum obviam ivit Philippo Egmundano à Parmenſi cum Belgicis copiis adventanti, quo eum ſecuriorem ab inſidiis hoſtilibus conduceret, & communi cum eo opera hoſtem adoriretur. Ac cum jam juncti ſimul propius Navarreum caſtra promoverent, iſte relicta obſidione Druidarum, verſus Iurium proceſſit, ibique Mænio conſpecto, aciem inſtruxit, nihil tamen eo die tentavit. Inſequenti autem die (14 Martii fuit) utraque acies inſtructa, cum ad conflictum progreditur, Navarreus conſpicatus Mænium, ferocius urgere ſuos in prælium, tormenta majora retro Equitum ſuorum turmas feſtinæ conduci, & converſis à

Navarrei cum Mænio pugna apud Iurium.

fronte

A. C. 1590.

Egmundanus caſus apud Iurium.

fronte Equitum ſignis, in hoſtes explodi jubet. Turbata itaque ea parte Mænii acie, aggreſſi Navarrei pugnam, primo concurſu Egmundanum & Prætoriam cohortem Mænii profligarunt, deinde reliquos facile diſſiparunt. Pedites Mænii pene omnes ſunt cæſi, præter paucos qui armis abjectis evaſerunt, & Helvetii traditis vexillis & armis, Navarreo ſe conjunxerunt. Magnam ea Navarrei victoria fœderatis cladem attulerat, præſertim ob mortem Egmundani Ducis tam clari, & aliorum virorum inſignium, qui in illo prælio ex partibus Mænii ceciderant, & plurimi fœderatis relictis, jam inde Navarreum ſequebantur. Lutetiæ quoque populi tumultuari pro Navarreo recipiendo incœperant, ſed Mænius accurrens, paucoſque periiſſe & facilè exercitum reparari, damnumque reſtaurari poſſe perſuadens, omnem motum compoſuit. Ipſe vero nihil animo fractus diſperſos milites ſuos mox recollegit, novaque ſupplementa conſcripſit, profectus per Picardiam Cameracum ad Balignium ejus Provinciæ Gubernatorem : & miſſo ad Parmenſem Nuntio, auxilia inde accelerari procurabat.

Navarreus victoriam obtinet.

Mænius vires ſuas inſtaurat.

Druidas capit Navarreus.

Navarreus vero proſequens victoriam, Druidanos oppugnavit, & ad deditionem compulit : & licet fallere voluerint, ejecto ipſius Præfecto poſt primam deditionem, iterata tamen oppugnatione eos in ordinem redegit. Mælodunum etiam cepit, & præſidio ſuo munivit : Et mox Longevilleum ad Sequanam prope Pontiſaram cum copiis ſuis præmiſſum, ipſemet (apud Monteſios aliquanta pro reficiendo exercitu facta mora) ſubſequebatur. Lutetiæ appropinquans, Corbelium & Lagnii Oppida illi Vrbi vicina occupavit, & ultra procedens Charentonum cepit, eodemque die vigeſimo quinto Aprilis in conſpectum Lutetiæ adveniens, Arces, Pagos, pontes omnes in ejus circuitu occupavit. Vnde magna fuit in illa Vrbe trepidatio, & longe major confuſio, cum in tanta multitudine ad ſuſcipiendum imperia difficili, nullus certus Magiſtratus cum plena poteſtate adeſſet. Nuſquam tamen major eſſe potuit, quam ibi concordia ad reſiſtendum pro Religione Catholica, omneſque unis ſtudiis, non recipiendum Regem hæreticum conſentiebant. Et licet plures in tanto populo adeſſent Vgonoti, qui impenſius favebant Navarreo, eumque recipi deſiderabant ; poſtquam tamen aliqui deditionem ſuadentes (viginti erant numero) comprehenſi, illico in Sequanam dejecti & demerſi pœnas dederant, cæteris exemplo fuerunt, ut communia populi vota ſequerentur. Electus etiam fuit Gubernator Dux Nemourius, qui Vrbis mœnia pluribus locis neglecta, diruta, inſtaurari ſumma feſtinatione curavit. Deinde recenſita nomina Civium & inquilinorum, ducenta millia ſunt conſcripta, pro quibus annona dum inſpiceretur quanta adeſſet, inventa eſt, quæ in ſingula capita in diem per unam libram diſtributa, nonniſi ad unum menſem ſufficeret. Sed tantus fervor inerat populo ad ſuſtinendam oppugnationem, quod etiam Saguntinam famem experiri potius, quam ſe dedere maluiſſent. Et in unum congregati, jurejurando omnes ſeſe invicem obſtrinxerunt, quod nullum Regem niſi Catholicum reciperent, & quicquid conſilii clandeſtini aut proditionis aliquis inaudiret, abſque mora ad Præfectos Vrbis referre deberet. Nec plures habebantur niſi mille pedites, & centum quinquaginta equites ſtipendiarii, in ipſo obſidionis tumultu ægrè conquiſiti: ſed quiſque ex populo habilis armis ferendis, munia militaria obibat, & etiam Sacerdotes ac Religioſi ipſimet ad arma ferenda ac ſtationes ſinguli ſuas tenendas ſeſe obligarunt : ſub Præfectis tamen Eccleſiaſticis, quorum unus fuit Epiſcopus Sylvanectenſis, alter Monaſterii Carthuſianorum Prior, ac illorum vexilla unum Chriſti crucifixi, alterum Beatæ Mariæ Virginis imaginem præferebant.

Pariſios obſidet Navarreus.

Pariſienſium concordia pro non recipiendo Rege hæretico.

Pariſiis Eccleſiaſtici munia militaria in obſidione obeunt.

Navarreus autem habebat duodecim millia peditum, & tria equitum, quibus

cum

A.C. 1590. cum tam vaſtam molem arctius complecti non valeret, vias tantum & pontes, qua commeatum intro inferendum prohiberet, inſederat, ultra teli jactum ab Vrbe ſtationibus ſuis collocatis. Interim obierat Cardinalis Carolus Borbonius Fontaneis, necdum è ſua detentione liberatus, quem Guiſiani Regem renunriari volebant: Nec habebant iſti alium quem Navarreo opponerent ex ſanguine Regio, cum nullus tanto periculo (nempe vitæ propriæ & bonorum jacturæ) Regnum alteri jure debitum petere auderet: Sed tamen opportunè illa mors Cardinalis Borbonii accidiſſe ipſis videbatur; nam licet jam Regem Hiſpaniarum fœdere junctum ſibi haberent, ut ejus auxiliis fulcirentur, tamen tanto magis cauſæ ſuæ eum addictum forte ſperabant, quod jam majori ſpe (nempe Regni conſequendi) oblata, omnem belli & victoriarum fructum in ſuum commodum redundaturum videret. Itaque Mænius Cameraco ad Parmenſem miſſo Nuntio, congreſſum cum ipſo poſtulavit, conveneranrque in Condæo Oppido menſe Maio, ubi ſemotis arbitris, mutua colloquia aliquot diebus protraxerunt.

Carolus Borbonius Cardinalis moritur.

Guiſii Hiſpano injiciunt ſpem conſequendi Regni Galliæ.

Ad Regem quoque Hiſpaniarum celeri curſu Mænius expedierat Nuntios, qui ad ſubveniendum Lutetiæ fœderatorumque partibus, nova hæc ipſi incitamenta proponerent: nempe ampliſſimam occaſionem occupandi Regni Galliæ, quam ſpes major ac evidens Monarchiæ totius Europæ comparandæ ſequeretur. Eam itaque Rex ille arripiens, Parmenſi imperat, ut cum exercitu qui in Belgio habebatur in Galliam tranſiret, & quamprimum Pariſiis ſubveniret. Et cum Navarreum fortiorem eſſe ad reſiſtendum videret, inde quod plurimi Galli etiam Catholici ipſum jam ſequerentur, indignati Hiſpanos in Galliam dominaturos induci, majori molimine negotium hoc promovendum decrevit: nempe trahendum in ſocietatem belli hujus Pontificem Romanum, cujus anathemate Catholici omnes à non ſuſcipiendo Rege hæretico revocarentur, & nervus belli opibus Pontificiis, ac etiam omnium Eccleſiaſticorum facultatibus (uti pro Religione Catholica vindicanda) pararetur.

Forneſtus deſtinatur ad ſubveniendum Pariſiis.

Hiſpaniæ Rex trahit in ſocietatem belli Gallici Papam.

Præerat autem tunc Eccleſiæ Romanæ Sixtus V. Gregorio Tredecimo ſuffectus, genitus in Piceno, patre Pieretto genere Dalmata ſeu Slavone, qui cum Turcæ eam oram popularentur, vel etiam pauperiem fugiens, tranſierat in Italiam, homo fortunæ tenuioris, unde & filium hunc ſuum nomine Felicem puerulum gregi paſcendo applicuerat, & ea tranſiens quidam Religioſus Ordinis Franciſcanorum, eum induſtrium videns, abduxerat ad Monaſterium ſuum, ubi educatus, literis imbutus, & ad ſummam eruditionem provectus, officiorum quoque in ea Religione minorum & maximorum honore, & inſuper Generali totius Ordinis ejus Præfectura cum laude perfunctus, in tantum virum evaſit, quod Pius Papa V. æquus virtutum & ingeniorum æſtimator, eum Cardinalitia dignitate inſignivit, & deinde ſecundum ſucceſſorem in Pontificatu habuit ſummo Eccleſiæ bono. Erat enim omni eruditione, præſertim ſacrarum literarum ſcientia inſtructiſſimus, longo rerum uſu exercitus, ingenio acri, & ad ſingula ſolerti, in omnibus quæ deliberaverat exequendis, pene ultra humanum efficax, & tanto par imperio. Auſterior quidem, ſed ea auſteritate, qua & Septimus Severus Impurator Romanis malum neceſſarium. Omnino talem tunc virum Pontificatus Romanus requirebat; necdum enim ſolide Dominatus ejus conſiſtebat, cum Romani potentiores in diverſum diſtraherent Pontificum poteſtatem. Quod ut etiam obiter delibemus: Erant runc Romæ præcipui Anteſignani partium, Vrſini & Columnenſes, apud quos patebant libera refugia reis, & ſi Magiſtratus Pontificis in aliquem delinquentem ſeverius pro criminis qualitate animadvertere voluiſſet, is ad alterum iſtorum confu-

Sixti V. PP. genus & juvenilis educatio.

Sixti V. PP. virtutes.

A.C. 1590.

confugiens, velut ad Aſylum liber evadebat: Immo & Legatorum ac Cardinalium inſigniorum domus, eandem ad ſe confugientibus ſecuritatis prærogativam uſurparant. Latrocinijs etiam & hominibus pœnæ capitis addictis, ac propterea bannitis ſeu proſcriptis, totus Eccleſiaſticus ſtatus in tantum ſcatebat, quod etiam ad portas Romanas non ſatis tutum ab ipſis eſſet. Sixtus itaque Pontificatum ingreſſus, Aſyla illa omnia (Tyberii Cæſaris exemplo apud Suetonium in ejus vita) illico abrogavit. Et quo partium capita deprimeret, ſeu eorum vires enervaret, titulos plures Ducum, Principum, nobilioribus & ditioribus Romanorum diſtribuit, qui jam Columnenſibus & Vrſinis tituli inſigni majores vel æquales, eorum Principatum ſequi dedignantes, quiſque ſeorſim clientelas & partes ſibi parabat, ac ita in plures Romanorum diviſa ſtudia debiliora ad reſiſtendum reddita, ad obſequium poteſtati legitimæ, Pontificis prudentia teduxit. Proſcriptos autem & latrocinia ea arte delevit: Primum militia Eccleſiaſtica conſtabat ex delectu Provincialium, quorum plurimi erant vel ipſis proſcriptis, vel eorum cognatis aliqua neceſſitudine conjuncti, unde lentius in illis perſequendis agebanr. Sixtus vero externum militem, nempe Corſos auctis ſtipendiis adſcivit, qui nullo jam reſpectu (ultra ſtipendium ordinarium munuſculis etiam à Pontifice interſectori ſingularis banniti aſſignatis incitati) in brevi totum ſtatum Eccleſiaſticum illa labe purgarunt. Et plurima ſimilia recenſeri poſſent præclata illius Pontificis in imperando ſpecimina, ut nec militaris aliquis, & longo imperandi uſu edoctus, majora præſtare valeret.

Sixtus V. PP. ſtabilivit potentiam Summorum Pontificum.

Sixtus V. PP. purgat ſtatum Eccleſiæ à latrociniis.

In ornanda autem Vrbe operis magnificis, inſtaurandis antiquorum memoriis, aquarum torrentibus à longinquo in Vrbem inducendis, dudum collapſis Imperatorum Pyramidibus erigendis, fidem excedit, quam nullis ſumptibus pepercerit, omnemq; diligentiam & artificum ſolertiam fatigarit. Plane alter poſt Cæſarem Auguſtum qui Romam accepit lateritiam, & reliquit marmoream. Sed quam maxime ejus vigilantia enituit in reſtituenda integritate & nitore Sacrarum Scripturarum, in ſanciendis legibus, quibus collapſam diſciplinam Eccleſiaſticam mirifice correxit, Cardinaliumque numerum ad ſeptuageſimum reſtrinxit. Ingentem autem auri vim iſte Pontifex congregarat, repoſitis in ſingulis annis decies centenis millibus nummorum aureorum Romanorum in caſtro Molis Adriani, ac quinto tum ſui Pontificatus anno completo, quinquies mille millia (noto nomine milliones quinque, veteri vero uſu talenta auri octies mille) compleverat: Et caverat lege quam & ipſemet juravit, ac à ſucceſſoribus ſuis in ingreſſu Pontificatus jurari voluit, ne ex illo ærario depromi poſſet extra neceſſitates tales, ut ſi Principes Chriſtiani inirent fœdus generale pro recuperatione Terræ ſanctæ, & eo caſu ærarium non prius eſſet aperiendum, donec exercitus Chriſtianorum in hoſtico conſiſteret: ad ſublevandam annonæ caritatem, vel peſtilentiæ alicujus luem, ex qua graviſſima populi Romani calamitas metuenda eſſet: item pro vindicando vel recuperando Regno aliquo, vel Provincia Chriſtianorum, ſi à Turcis vel hoſtibus Eccleſiæ occuparetur, vel jam eſſet occupata. Et demum ſi bellum ab aliquo immineret ditionibus & patrimonio Eccleſiæ Romanæ. Habetur ipſius Conſtitutio in volumine Conſtitutionum Summorum Pontificum Romanorum, cum his conditionibus diſpenſandi iſtius depoſiti. Quæ ſi perpendantur, mirandum eſt quod tanta collegerit potius ex parſimonia, quam ex cenſu Eccleſiæ, qui alioquin aliis Pontificibus vix ad neceſſaria ſuſtentandi gradus ſui ſufficere ſolet, & non minus dilaudanda ſolicitudo ipſius ingens, qua non tantum dum viveret Eccleſiæ univerſalis ſalutem procuravit, verum & perenni ejus ſecuritati conſulere voluit tam magnifico peculio, quod alioquin in Nepotes, ſi libuiſſet, licuiſſet convertiſſe. Sed proprium tractatum laudes tanti Pontificis requirunt, nos noſtra proſequamur.

Sixtus V. PP. ornavit Vrbem ſtructuris magnificis.

Sixtus V. PP reſtituit nitorem Sacræ Scripturæ.

Sixtus V. PP. ingentes theſauros collegit in uſum Pontificum.

Iſtum itaque Pontificem Rex Hiſpanus cum hactenus contra Navarreum fruſtra ſæpius interpellaſſet, iterum fortius ſolicitare cœpit, ut pro Religione Catholica in Galliis conſervanda, ſummus Religionis Antiſtes fœdus ſecum iniret, theſauris quos habebat profundendis non parceret, Catholicos omnes (tanto magis Epiſcopos & Cardinales) Navarreo conjunctos anathemate feriret. Cumque nihilominus obtineri non poſſent à Pontifice officia hujuſmodi, etiam minis, ac pænè improperiis adhibitis exigebantur. Legatus enim illius Regis Comes de Olivares palam circumferebat in Curia Romana expoſtulationes, quaſi Pontifex in cauſa tuendæ Religionis Catholicæ officio & debito ſuo deeſſet, & futurus eſſet cauſa ejus excidii in Gallia, ſi fœdus hujuſmodi non ſanciret, ſeu denegaret ipſi opportuna auxilia. Sed Pontifex convocato Purpuratorum Patrum Senatu, diligentius negotium examinavit, & ex communi conſilio (licet quidam Cardinales Hiſpanicarum partium diſſentirent) in ſententia perſtitit. Et cum adhuc Legatus ille pertinacius inſtaret, ac Regis ſui nomine ſe publice de hoc obnuntiaturum (Concilium indicendum) minaretur, obnuntiationemque interpoſiturus ad Pontificem veniſſet, priuſquam poſſet proloqui, Pontifex ait; Vide ad quid veneris, & quæ loquaris, ne viciſſim audias reſponſa ſeveriora, (ne ducaris ad Pontem, locus eſt ſupplicii publici, dictum ipſi fuiſſe, narrabat memini Staniſlaus Reſcius, qui tunc Referendarii ſacræ Pœnitentiariæ munus gerens, aderat ibi inter familiares Pontificis.) Tenuitque ille ſupplex pedes Pontificis, & nihil ſe adferre profitebatur, quod aures Pontificis offenderet. Ac Rex Hiſpaniæ ut primum hoc inaudivit, quaſi ſe inſcio Legatus ad tam acerbam contentionem proceſſiſſet, in ejus locum alium Legatum Ducem Seſſanum ſuffecit.

Sixti V. PP. contra importunas preces conſtantia.

Reſcius Polonus Referendarius Pœniten. Romæ.

Et quidem vulgo ac rerum ignaris admirationi fuit ea Pontificis cunctatio; tanto magis quòd ipſe jam eundem Navarreum in principio Pontificatus ſui anathemate notaverat, minuſque habilem ad ſucceſſionem Regni, eò quòd contra Catholicos Dux fuiſſet Vgonotis, declaraverat; nempe ut eum ab eo propoſito deterreret, & quod tunc ſpes ſucceſſionis Regni adhuc (ut ajunt) in herba latebat: immo vix aliqua apparebat vivente Henrico Valeſio ætate florida, necdum quadragenario, & ad excitandam propriam ſucceſſioni ſuæ prolem idoneo, nam recens duxerat ipſe uxorem Aloyſiam Claudii Ducis Vaudemontii filiam virginem formoſiſſimam. Verum eò antequam prolem ſuſcepiſſet inopinato caſu ſublato, cum jam ſucceſſionis jus ad Navarreum perveniſſet, catus Pontifex rem altius conſiderat: nempe excluſa à ſucceſſione Regni Galliæ vera ſtirpe Regia, Hiſpanis ad occupandum illud Regnum viam aperiri; & ſubacta Gallia, Monarchiam totius Europæ quæri: Italiæ libertatem unica ipſius vindice Gallia edomita oppreſſam iri. Romam potentiæ Hiſpani ſervituram, atque Electiones Pontificum ipſius arbitrio vel invitam permiſſuram: ac in perpetuo metu futuram, ne ſibi quandoq; ab ejus Ducibus ac Proregibus obveniant crudeliores calamitates, quarum triſte nimis & formidoloſum exemplum præceſſerat Carolo V. Imperatore, cum ejus exercitus A. C. 1527 die 6 Maii Duce Carolo Borbonio illam Vrbem hoſtiliter invaſit, (in prima mœnium oppugnatione occubuerat Borbonius, & quadringenti ex Pontificiis Helvetiis qui ſe oppoſuerant) cædibus, rapinis, æque Divinorum atque profanorum direptionibus immaniſſimis, execrandis in omnem, etiam ſacrarum Virginum ſexum turpitudinibus ac violentiis fœdavit: Summum Pontificem tunc Clementem VII. in mole Adriani ſeptem menſibus obſeſſum tenuit: & quantumvis ipſemet Carolus V. ſe inſcio illud ſucceſſiſſe affirmaverit, eum tamen liberari non fecit, niſi pacto inter alias duras conditiones, ut Cruciarium vectigal, nempe decimam fructuum annorum Eccleſiaſticorum in Hiſpania ei addixerit, & ſolverit quadringenta millia nummorum aureorum in ſtipendia illius

Sixti V. PP. rationes propter quas noluit auxilia dare Hiſpanis contra Navarreum.

Roma direpta à milite Caroli V. 1527.

A.C. 1590.

Neapolis Prorex bellum infert Papæ 1556.

manus flagitioſæ ut Roma abiret. Aliud quoque talis ſcenæ recentius exemplum vidit A.C.1556.cum Dux Albæ Neapolis Protex Paulo IV. PP.indixit bellum,cò quod non reſtitueret montem Neptunum Columnenſibus, & cum armis infeſtis ingreſſus ditionem Pontificis, diverſa ejus oppida ac portum Oſtiam cœpit, multumque terrorem Romæ incuſſit. Neque rei Catholicæ in Gallia vim externam profuturam ſperari potuit, præſertim Hiſpano Duce, quem palam jam dominarum Galliæ ambientem, Galli æque Catholici atque hæretici oderant, & extrema quæque perferre volebant, priuſquam jugum Hiſpanicum ſubirent. Immo & nomen Catholicum exoſum ibi futurum apparebat, ut quod præferret Hiſpanus & quod Hiſpanum adduxerit in Gallias. Vnde bellum illud in cujus ſocietatem ſedes Apoſtolica tunc vocabatur,damnum certius quam commodum Religioni Catholicæ & Gallicæ genti de Eccleſia tam præclarè meritæ (ut cujus ope prope ab interitu ſæpius emerſerat)calamitates ingentes, vel ultimum excidium allaturum, & profuſionem immenſam ſanguinis Chriſtiani exinde ſequuturam prudens Pontifex judicans, ab eo abſtinuit,ſed ſalubriori conſilio fluctuanti in illis partibus Religioni ſubveniendum cenſebat. Ita nimirum ut Navarreus in Regnum Galliæ ſuccedens renuntiaret hæreſi, ac Fidem Catholicam profiteretur. Nec dubia ſuggerebat ipſi talis inclinationis Navarrei argumenta Orator Venetus, Leonardus Donatus, Andreas Baduarius,ac Comes Lucemburgius Legatus nobilitatis Gallicæ, ac Proceres Galli Catholici qui Navarreum ſequebantur: aſſiduè enim eorum literæ commeabant ad Pontificem, & palam erat quod Navarreus affirmabat, ſe natum enutritumq; in Fide Catholica, eam nunquam impugnaſſe, ſed ſartam atque integram conſervare; & ſi in fide erraret à peritis doceri velle, non tamen ſe cogi debere ab æmulis & ſubditis ad profitendam fidem: innuens ingenuum decere ſponte profiteri. Mors interrupit ſapientiſſimum Pontificis conſilium, quod tamen paulo poſt Clementi VIII. optime ſucceſſit, ut ſuo loco dicetur. Sixtus autem eodem Anno menſis Aug. 27. die deceſſerat ſeptuagenarius, cum ſediſſet annos quinque, menſes quatuor, dies tres: ſed operum magnitudine æquavit, vel etiam ſuperavit, quantumvis longævos Pontifices: Nec unquam decubuit, licet ægritudine fatali debilitatus, ingeminans ſæpe illud Veſpaſiani Imperatoris, Principem oportere ſtantem mori. Malevoli qui Gallicos motus nonniſi armis Hiſpanicis componi optabant, dum ejus ſalubre conſilium vituperando agnoſcunt, magis celebrarunt hoc Diſticho:

Galli de Eccleſia Rom. præclarè meriti.

Navarrei propenſio ad profitendam fidem Catholicam.

Sixtus V. PP. moritur 27. Augusti 1590.

Fac in amicitiam coeant, & fœdera jungant
Galli omnes: dixit Sixtus, & occubuit.

Ac plura dedit illi virtus quam invidia potuit abſtuliſſe; innumera enim leguntur erudita Elogia ipſius magnificis operis adſcripta Romæ. Vacavit eo defuncto Sedes Romana diebus octodecim, & ſucceſſit in Pontificatu Ioannes Baptiſta Caſtaneus, denominatus Vrbanus VII. ſed & is ſeptuagenarius cum nihil magis quam animum ad genus Sixti V. divexandum promptum præferret, tredecimo Pontificatus ſui die obiit, ac ſucceſſorem accepit Nicolaum Sfondradum Mediolanenſem, appellatum Gregorium XIV. Hiſpanis devinctiorem, ut in ſubſequentibus apparebit.

Vrbanus VII. PP. creatur & 13 die Pontificatus ſui moritur.

Pariſiorum obſidio.

Nunc ad obſidionem Pariſienſem, & Mænium auxilia procurantem redeamus, ne longiori intervallo ab illis incœptus ſermo disjungatur. Arctius itaque premebat obſidione Navarreus Vrbem illam; & à vigeſima ſeptima Iulii occupatis ſuburbiis, omnem aditum eo inferendi à foris commeatus præcluſerat, cum oppugnatione ejus mœnium ſæpius tentata, fortius obſeſſis reſiſtentibus, & in oppugnatores audacius erumpentibus, nihil proficeret, nec dolus ſucceſſiſſet. Inſtructa enim ab Vgonotis, qui erant intro Duce Reginaldo quodam, proditio ſtatim fuit

A.C. 1590. *Pariſiis ingens fames.*

derecta, & de authore ſumptum ſupplicium. Verum tanta erat in Vrbe annonæ penuria, ut defecerit ibi uſus panis, præter quod ditiores ex avena facto pane utebantur parce ſatis, cum dimidia tantum libra in die ſingulis daretur, pauperiores nonniſi herbis vilioribus abſque pane veſcebantur: nec canum carnibus parcebant, equis in cibos abſumptis, quos & Legatus Hiſpanicus quorquot habebat præſidiariis comedendos, omnemq; ſuam argenteam ſupellectilem in alimoniam pauperum diſtribuerat, præter unum cochleare argenteum, quod uſui ſuo reſervarat, inde nonniſi odium apud populum conſequutus, quaſi per eum ſtaret quo minus pax cum Navarreo ſtatueretur. In S. Dionyſio ſimili fame laborabatur, ubi cum omnia abſumpſiſſent obſeſſi, deditionem fecerunt. Sed Pariſiis cum obſidio in ſextum Menſem duraret, in tantum invaluerat fames, ut ducenti aliquando in una die ex inedia morerentur, & etiam lues contagioſa inde provenerat. Immo & Hieroſolymitanæ obſidionis exempla, nempe viginti duo pueri ibi occiſi & comeſti numerabantur. Vnde audiebantur ſæpius populi miſerabiles ejulatus pacem aliquam componi poſtulantis, & demum etiam ad arma & ſeditionem concurrebat vulgus, in qua Centurio Gæſius cæſus occubuit.

Pariſienſes Proponunt conditionem deditionis ut Navarreus renunciet hæreſi.

Sedato autem tumultu & ejus authoribus comprehenſis, ac capitis pœna caſtigatis, viſum fuit experiri an Navarreus ad aliquas juſtas pacis conditiones flecti poſſet? Et expediti fuerunt Cardinalis Condæus, & Archiepiſcopus Lugdunenſis ad caſtra ipſius pacem tractaturi, ſed nullo fructu; cum enim illa ſola ratione deditionem promitterent, ſi Rex Fidem Catholicam prius profiteretur, indigne ferens Rex ab una Civitate ſibi legem (ut ajebat) imponi, vacuos dimiſit: & cum iterum venientes licentiam adeundi Ducem Mænium peterent, ſine quo nihil firmum de pace totius Regni ſtatui poſſe dicebant, Rex tanto magis indignatus, quod ex iſtius arbitrio penderent, eos re infecta in Vrbem redire juſſit: tamen ad deliberandum diligentius de deditione, conceſſit eis dies octo, quibus durantibus inutilis turba emiſſa eſt ex Civitate, & aliquanta annona intro conducta.

Fertur etiam tum Magiſtratus Pariſienſes invito Nemourio, & aliis Ducibus conſuluiſſe Theologos inſigniores qui aderant cum Cardinali Cajetano, Franciſcus Panigarola Epiſcopus Aſtenſis, Robertus Bellarminus, Tertius Societatis Ieſu, an ſi neceſſitate tanta cogente Principi non Catholico Vrbem traderent, tenerentur pœnis interdicti à Summo Pontifice Romano in hoc conſtitutis, æquè ac ſi aliqui Turcis dederentur conſtricti ſuprema vi, ac defenſionis deſperatione; & ſi obſidio aliquanto longius duraſſet, recepiſſent Regem, maxime urgente extrema victus inopia, quæ ultra paucos dies nulla humana ratione tolerari potuiſſet. Sed opportune allata fuit fama de adventu Ducis Parmenſis obſeſſis opem ferentis, qui ex Belgio cum ſelectiori exercitu quindecim millium veteranorum Galliam ingreſſus, per Picardiam & Veromandos Lutetiam verſus contendit.

Farneſius Parmenſis Dux ſubvenit Pariſiis.

Et cum Vrbi appropinquaret, Navarreus quoque dimiſſis obſidionis ſtationibus copias ſuas collegit, aleam prælii qua in Druidis Mænium ſuperaverat tentaturus. Nunquam tamen elicere potuit Parmenſem ad prælium: iſte enim contentus quod ſibi acceſſus pateret Pariſios, eo maximam commeatus copiam introduci curavit. Hocq; peracto, quo melius proviſum eſſet illi Vrbi, viciniora oppida, ut Laignii, pontem Charenton, pontem S. Clodovei oppugnavit, coactaque ad deditionem, propriis præſidiis munivit. Demum vero Vrbem ingreſſus (pompa triumphali exceperant venientem) exoratus a Pariſienſibus, etiam Corbellium Oppidum illis nimium infeſtum non ſine maxima eorum cæde expugnavit. Quæ tamen omnia loca in manus Navarrei redierunt poſt paucos dies, cum Parmenſis inedia & laboribus afflictum exercitum ſuum in Belgium ſub finem menſis Novemb. reduxiſſet. Fructum etiam illius expeditionis Parmenſis in Galliam,

A.C. 1590.

Belgium damna accepit ab Holland. abſente Farneſio.

Bredam capit ſtratagemate Mauritius.

liam, damna Belgica abundè compenſarunt: Hollandorum enim Dux Mauritius proximo menſe Martio Bredam ingenioſo ſtratagemate ceperat, ſummiſſa navi mercatoria, cujus alvo ſeptuaginta ſelectos milites incluſos, & deſuper ceſpitibus arefactis loco lignorum nutriendo igni adhiberi ibi ſolitis (*Turff* Belgæ dicunt) contectos, intro Arcem Bredanam conduxerat, & ad datum ſignum ipſe accurrens per portas illo dolo apertas Civitatem intravit, occupavitque. Ac dum Parmenſis in Gallia moratur, Noviomagum oppugnavit, liberamque ibi ſuis navigationem extorſit, & propugnaculum eam Vrbem prope extruxit: Arcem Dodendael expugnavit, & plures Arces ad Moſam ac Bredæ propiores Terheiden, Roſendalium, Steenbergam cepit. Quo majoribus autem curis diſtraheretur Navarreus, ſub idem tempus Rex Hiſpaniæ miſerat Duci Sabaudiæ magnam manum Hiſpanorum militum, cum quibus ille in Delphinatum ac Provinciam excurrit, uſque ad Aquas Sextias, & in vicinia Marſiliæ, ſed à Franciſco Ladigerio Delphinatus pro Navarreo Præfecto ab Obſidione Oppidi Berray rejectus, alia quoque loca occupata in brevi amiſit. Viennam quoque ad Rhodanum idem Ladigerius pro Navarreo tunc recuperavit, & Grationopolim cepit.

Sabaudia Dux cum copiis Hiſpanicis in Galliam venit.

Sabaudia Ducem Ladigera fugat.

Nec omittendum videtur, quod hoc Anno in Germania memorabile accidit, nempe colloquium Theologorum Catholicorum cum Lutheranis à Iacobo Marchione Badenſi inſtitutum, in quo à Catholicis Ioannes Piſtorius Societatis Ieſu, & à Lutheranis Iacobus Smidelinus præſidebat. Et cum Smidelinus omnium qui aderant ab utrinque judicio turpiter ſuccubuiſſet, Marchio Badenſis Cathechiſandum ſe tradidit Patribus Societatis Ieſu Noviomagenſibus, & publicè renuntians hæreſi, Catholicam Religionem ſuſcepit, cum ſummo gaudio Sixti V. Papæ adhuc tunc viventis, qui in ſignum lætitiæ gratias acturus Deo, pedes deſcenderat ad Templum Teutonicorum Romæ ſanctæ Mariæ de Anima denominatum.

Badenſis Marchio inſtituit colloquium Theologorum de dubiis fidei.

Badenſis Marchio converſus ad fidem Catholicam.

Hoc eodem Anno Iacobus VI. Rex Scotiæ in Norvegiam Aſloium ad accipiendam Annam Chriſtiani IV. Daniæ Regis ſororem ſibi deſponſatam transfretavit, & ibi Cronebergi hyeme exacta, proximo vere in Scotiam rediit ſuamque ſponſam Reginam Scotiæ convocato Procerum Conventu Lethæ coronari fecit. Ad finem ejuſdem Anni, 5. die menſis Octobris Romæ poſtquam defuncto Vrbano VII. PP. Sedes Pontificia vacaſſet menſibus duobus, diebus novem, renuntiatus fuit Summus Pontifex Nicolaus Sfondratus Mediolanenſis, immutato nomine Gregorius XIV. denominatus, ut paulo ante diximus: Quinquaginta quatuor Cardinales pro illa Electione Pontificis conclave erant ingreſſi, inter quos adfuit & Cardinalis Georgius Radziwil Princeps, ob eximiam morum Comitatem toti Cardinalium Collegio gratiſſimus, ſed nec dum annis ad Pontificatum habilis. Aderat Romæ & Bernardus Macieiowski Epiſcopus tunc Luccorienſis ad Sixtum V. à Sigiſmundo Poloniæ Rege deſtinatus pro obedientia reddenda Legatus: Et cum illo Pontifice jam fataliter decumbente adveniſſet Romam, ac Vrbanus VII. priuſquam munia Pontificalia obiret, intra paucos dies deceſſiſſet, alium Pontificem expectavit, cui ſuam Legationem repræſentaret.

Iacobus VI. Rex Scotiæ ivit in Daniam ad levandam ſuam ſponſam ſororem Daniæ Regis.

Gregor. XIV. PP. creatur.

Radziwil Card. aſſiſtit Electioni Pontificiæ.

Poloniæ Regis Legatus Macieiowski Romam miſſus.

Annus Chriſti, 1591.

IN Polonia autem Comitia Generalia Regni Varſaviæ ultimis diebus Decembris cœpta, menſe Ianuario inſequentis Anni continuabantur in maximo hominum concurſu & celebritate, quam frequentia Legatorum Principum externorum auxerat. Omnes enim pænè Principes Chriſtiani ſuos Legatos ad iſta

Polonia Rex Comitia celebrat Varſaviæ.

A.C. 1591. Comitia miſcant. Ab Imperatore Rudolpho miſſus Andreas Epiſcopus Vratislavienſis, adduxerat in ſuo Comitatu pluſquam trecentos Nobiles Sileſios, & unà cum Legatis aliorum Principum Auſtriacorum, quærebatur de lege in præteritis Comitiis lata, qua Archidux Maximilianus inhabilis ad petendum hoc Regnum ſi quando vacaret fuerat declaratus, & qui ſuffragia in eum conferrent infames denuntiati. Toti enim domui Auſtriacæ injurioſiſſimam eſſe & ignominioſam illam repudiationem dicebat, & longiori oratione amicitiam domus Auſtriacæ iſti Regno utilem & proficuam ſemper fore demonſtrans, eam in bona æſtimatione haberi, legemque illam aboleri poſtulabat. Sed Rex ex conſilio Senatus reſponderi juſſit, eam legem ex occaſione Archiducis Maximiliani latam ad cæteros Auſtriæ Principes ita demum pertinere, ſi Maximiliano contra hoc Regnum patrocinarentur, Angliæ autem Reginæ Legatus pro permittenda Anglicis mercatoribus in portu & Civitate Elbingenſi commorandi libertate interceſſit, & facile obtinuit, gratior Polonis ob navatam nuper operam Conſtantinopoli, in confirmanda ipſis pace cum Turca. Reliquorum Principum Legati diverſi, diverſorum cauſas privatas agebant præſertim pro dignoſcendis in Pruſſia & Livonia quorundam juribus prætentatis. Auditus etiam fuit Tartarici Chami Nuntius, qui cum compenſationem damnorum à Coſacis in Taurica illatorum requireret, reſponſum tulit; majora damna Ruſſiæ confinia ex incurſionibus Tartarorum pati, atque tali commutatione damnorum utrinque pacem ſtabilitam cum Turcis fuiſſe. Nec donativum quod petebat (cum hoſtilitet Tartari in annis præteritis egiſſent) obtinuit, ſed promiſſum ipſi fuit; ſi illi in poſterum quietius viverent, ac injuriis abſtinerent: eoque contentus pacem tunc cum hoc Regno compoſuit. Civica autem Reipublicæ negotia paulo pacatioribus quam ante conſiliis agitabantur; omnium enim præteritarum inter Proceres diſcordiarum materia videbatur extincta, & redintegratis communicatione officiorum animis, mutua confidentia & convivalis ſocietas genti uſitatior fuit reſtituta.

Auſtriaca domus conqueritur de lege lata ne Maximilianus Archid poſſet ſperare Regnum.

Angliæ Reginæ Legatus in honore habitus.

Tartarorum Legatis denegantur donatiua.

Et quidem à principio Comitiorum Carnkovius Archiepiſcopus Gneſnenſis ad Acta Conventus ſui Kolenſis defendenda ſeſe comparabat, ſed cum ab omnibus improbarentur, Zamoyſcio Cancellario, quem ſcivit exinde fuiſſe merito offenſum opera communium amicorum ſibi reconciliato, ſatis habuit quod non publico decreto, ſed ſilentio ea abolebantur. In privatis tamen colloquiis multoties exprobratus illi fuit tantus error, tamque pernicioſum convulſæ authoritatis Comitialis exemplum, & Ioannes Tarnowski Vicecancellarius Regni, (ipſi alioquin obſtrictior & familiarior) cum aliquando gloriantem de ſuis geſtis audiſſet, reſpondiſſe fertur; quicquid maximum præſtaret, & etiamſi centena Gymnaſia (uti Caliſſii extruxerat unum ſtructura & cenſu perpetuo magnificum) conſtrueret, nunquam damnum quod illo ſeditioſo Kolenſi Conventu Reipub.intulerat, compenſare poſſet. Tributa tamen & proviſiones de quibus in Conventu Kolenſi controvertebatur, abrogatæ fuerunt, poſtquam evanuerat metus belli Turcici. Reſtitutus quoque fuit Chriſtopherus Zborowski honori priſtino, relaxatis decretis proſcriptionis Regis Stephani contra eum latis: ea tamen lege, ne intra fines Regni durantibus viginti annis morari poſſet: nempe ferocior moribus, & pronior in rixas inſtaurandaſque recens tanto patriæ periculo ſopitas ſeditiones. Nec rediit unquam in Poloniam, paucos enim poſt annos circa ludum aleæ perierat, dum Cæſari Rudolpho in Vngaria militaret.

Carncovius Archiep. reconciliatur Zamoyſcio.

Zborovius Chriſtopherus honori priſtino reſtituitur cum conditione.

Zborovius periit in Vngaria.

Sed quantumvis Reipublicæ pacatæ ſpeciem illa Comitia præferrent, in eis tamen fundamenta ſunt jacta, diuturnæ & pæne perpetuæ inter Regem & Ordines diſſenſionis. Ibi enim Rex quod animo multo ante conceperat, ſtrictiorem cum Auſtria-

Sigiſmundus III. Rex Poloniæ invitis Polonis Auſtriacis conjungitur.

Auſtriacis amicitiam inire conſtituit. Vnde omnis ſubſequentium ſuſpicionum ſeries proceſſerat. Et cum eouſque arcani ſui conſilii arbitros haberet, qui nonniſi ex ſententia concordi Senatus, & ex legum Regni præſcripto, ipſi dirigendam actionem ſuarum inſtitutum ſuadebant, & ſingula quæ in privato, Regi intervenirent, inſignioribus Proceribus, ut leges diſponunt, communicabant, ille inprimis tales moroſos Magiſtros ex Aula ſua ſummovendos decrevit, nempe omnes qui cum Zamoyſcio Cancellario conſentirent, ut quem ſciret eſſe ſeveriorem patrii moris vindicem, & eorum anteſignanum, qui ſuſpectam Regno cum Auſtriacis amicitiam devitandam cenſerent. Omnia autem agebantur nonniſi Sacerdote Bernardo Ieſuita, qui adhuc in Suecia tenello ætate Regi à Confeſſionibus ſacris fuerat, conſcio & arbitro; & etiam Alberto Radziwil Mariſchallo Lithuaniæ in Auſtriacos propenſiori Rex plurimum confidebat. Aderat autem occaſio tunc primum loco movendi Albertum Baranovium Cancellarium minorem Zamoyſcio familiariorem, cum paulo ante inchoata Comitia deceſſiſſet Petrus Dunin Wolski Epiſcopus Ploçenſis. Iſtum itaque Epiſcopatum, licet jam ante Laurentio Goſlicki promiſſus fuiſſet, contulit Rex Baranovio: nempe quod eo accepto, ex lege teneretur dimittere officium Vicecancellarii, & dare in eo locum alteri, quem Rex obſequentiorem ſibi deligeret. Et licet non obligabatur Baranovius abdicare ſe tali Magiſtratu ſtatim, niſi prius Roma confirmatione accepta poſſeſſionem Ploçenſis Epiſcopatus adiiſſet, unde ad Comitia proxima metamorphoſis iſta potuiſſet differri, tamen ſolertiori artificio expugnatus, eum ſponte depoſuit, ac gravius ſtudia partium diſtraxit, hac unum, illa alium in illo officio ſuccedere deſiderante, omnibus pæne inſciis quid Rex intenderet. Zamoyſcius enim Cancellarius pro eo authoritate quam maximam ſibi compararat, & quod ipſius potiſſimum intereſſet, quem muneris ſui Cancellarialis haberet ſocium, Petrum Tylicki Secretarium Regni Majorem devinctiorem ſibi promoveri optabat. Radziwil autem cui jam ſuboleverat quo Rex inclinaret, favebat Ioanni Tarnowski Referendario Regni, ut quem ſciret infenſiorem eſſe ZamoyſcioCancellario, eoque partes Regias fortius defenſurum. Atque ita Tarnovius pervicit, & mutato Magiſtratu, penes quem eſt ſumma rerum in Aula Regia, præſertim cum Cancellarius Magnus Zamoyſcius moraretur ſemper in Ruſſia remotior à Rege, omnia Aulæ conſilia fuerunt immutata. Nec multo poſt ejectus etiam fuit à familiari converſatione Regis præcipuus ob ex amicitiæ Auſtriacæ Martinus Lesniowolski Caſtellanus Podlachiæ, Zamoyſcio Cancellario conjunctior. Iſte fuit Legatus à Republica in Sueciam ad conducendum hunc Regem, & exinde ei ſemper adhæſit, ipſius juvenilis & inexpertæ ætatis fidus inſtructor, conſiliorumque privatim moderator, & vir tanto par muneri, habitu & moribus graviter compoſitus, ac Politica ſcientia probe inſtructus, modeſtior etiam, & quod rarum in tanto gradu, omnibus æquabilis. Et tamen non valuit evitare invidiam, & inſidias criminationum ſecretiorum, quibus obnoxios eſſe ſemper Aulicos præmonuit *Tacitus*; nempe parum cautus, & ſibi nimium confidens. Vnde & poſt lapſum in exteriori pariete domus tunc Gorcanorum, quam inhabitabat Cracoviæ in platea Canonicali, depingi fecerat duas coronas laureas, unam cum tali ſchemate: *Ipſa ſibi virtus.* altera cum tali: *eſt meruiſſe ſatis.* Dicere autem ſolebat cum ex Suecia adduxiſſet Regem, nempe juvenem, innocentem, in puris dici poteſt naturalibus: Adduximus, inquit, vobis raſam tabulam, qualem habitum illi primum impreſſeritis, talem ſemper habebitis. Et vere dixit: nam cum iſti monitores à principio inſtruxiſſent Regem, ne rogantibus aliquid unquam reſponderet, niſi cum ipſis prius rem contuliſſet, eum tam taciturnum & tardum ad reſponſa formaverant, ut etiam cuſtodibus remotis liberior, in ætate quoque ma-

A.C. 1591.

Sigiſmundus III. Rex removet à ſe Auſtriacis adverſos.

Sigiſmundi III. Regis Poloniæ conſiliorum conſcii.

Tarnovio defertur munus Vicecancellarii.

Sigiſmundi III. Regis Aula immutatio.

Lesniovolſcius excidit à gradu & gratia Regis.

Sigiſmundi III. Regis primæ ætatis habitus perſeveravit ad ſenectam.

A.C. 1591. maturiori, & in ſenecta ad interrogationes taceret, nec aliquid niſi poſt repetitas longo intervallo petitiones ægre reſponderet; quæ remora graviſſimarum ſæpe rerum momenta ipſi intervertit. Mox autem in apertum prodire cœperunt tractatus de ducenda Regi uxore ex Domo Auſtriaca, Græcienſis Caroli Archiducis filia, quamvis in proximis Comitiis nihil de hoc fuerat ſtabilitum, nec præciſe de ducenda uxore Auſtriaca in Senatu propoſitum; ſed generaliter de connubio Regis deliberatione inſtituta, cum plures Senatores ne Auſtriacam deſponſaret ſuaderent, & nonnulli palam obteſtarentur, totum negotium fuit intermiſſum. Et videbatur Rex non tractaturus de nuptiis, niſi expectaris aliis Comitiis, ac concordi ſuper hoc Senatuſconſulto, ut ex vi pactorum juratorum obligabatur. Vnde cum præter ſpem omnium celerius negotium hoc promoveretur, pacta & jusjurandum à Rege violari maturiores non ſolum querebantur, ſed & ſuſpicari cœperant, ne illa conjunctio cum Auſtriacis eſſet pignus occultioris alicujus vinculi, quod mercede libertatum Polonorum ſoceris veniret. Quodque tacito eouſque rumore premebatur, quaſi Revaliæ adhuc in congreſſu Regum filii cum Patre fuerit definitum, tradere Poloniam Auſtriacis, avulſis ad Sueciam Pruſſiæ vectigalibus ac Livonia, tunc paſſim per ora omnium volitabat. Sed tanta jam erat in Aula adulatorum turba, ut nullus eſſet qui Regi non applauderet, & contemnendos ſuaderet iſtos moroſos Magiſtros (ut Aulici ajebant) adulti Regis, qui contentioſe aſſererent, matrimonii libertatem in perſona Regia arctiori neceſſitate legis poſſe coarctari. Atque ita poſtpoſitis omnibus quæ obſtare videbantur, in brevi nuptiarum hujuſmodi tractatus fuit concluſus, earum ſolennitate ad annum proximum dilata.

Sigiſmundi III. Regis conſilium de uxore Auſtriaca ducenda.

Poloni Proceres nolunt Auſtriacam Regi conjungi.

Tumultus autem magnus fuit excitatus eo anno Cracoviæ, cum enim plurimi Germani hæretici Aulam Regiam ſequerentur, & etiam Regis ſoror Anna hæreſim Lutheranam profiteretur, publicum exercitium quiſque ſectæ ſuæ uſurpare volebat, & ſynagogam unam in platea S. Ioannis, alteram in platea S. Spiritus diſſentientes in Religione ſibi conſtituerant. Perhorruit Civitas Catholica ad ea monſtra nunquam ibi figere pedem auſa, & monitus fuit Rex ab Eccleſiaſticis de ſorore ſua, cujus, præcipue authoritate hæretici omnes niterentur: Sed cum hæc non ſufficerent, concitato tumultu Studioſorum nomine, quorum in illius Civitatis in Academia frequens & florens eſt numerus, ſynagogæ illæ fuerunt oppugnatæ. Et cum Regii ſtipatores ac miniſtri nonnullorum Procerum qui aderant hæretici, illas turbas repreſſiſſent, iterum aſſumptis animis noctu irruens populus, eaſdem ſynagogas evertit, & ſubjectis flammis exuſſit. Quo gravius commoti Equeſtris Ordinis hæretici, Conventiculo facto in Oppido *Chmielnik*, legationem expedierant ad Regem, ut eam injuriam ipſis illatam vindicaret, & juberet reſtaurari dirutas ſynagogas, niſi ex proximo omnium diverſæ Religionis Conventu, quem Radomiæ indixerant, majores querelas audire vellet.

Cracoviæ tumultus contra ſynagogas hæreticorum.

Academia Cracovienſis florens.

Hæreticis ad querelas de tumultu Cracovienſi datum reſponſum.

Sed reſponſum retulerunt, illum Conventum quem propria authoritate collegerant, & quem collecturi eſſent, adverſari legibus, & ſeverius puniendos fore ejus authores. Injuriam autem ſi quam haberent ex tumultu Cracovienſi, jure vendicarent. Data quoque fuerunt ſeveriora Regia mandata ad Anteſignanos eorum, ne ullum Conventum Rodomiæ alibive locorum inſcio Rege cogere auderent; & paruerunt, nec ſynagogas Cracoviæ devaſtatas amplius inſtaurarunt.

Romæ autem Papa Gregorius XIV, ab ipſo exordio Pontificatus ſui non alio converſus, niſi ad promovendum Hiſpanum in ſubjuganda Gallia, ſtatim initio iſtius anni publicato Iubilæo pro felici illius belli Gallici exitu, Navarreum iterum excommunicavit, & uti hæreticum poſt priorem reconciliationem relapſum, indignum eſſe Regno denuntiavit. Contra ſectatores quoque ipſius Principes & No-

Gregor. XIV. PP. Navarreum excommunicat.

A.C. 1591.

Nobiles Galliæ, niſi eum deſeruerint, excommunicationem intentavit; & contra Eccleſiaſticos, niſi ab ipſo intra quindecim dies à publicatione illius mandati receſſerint, ultra excommunicationem, etiam pœnam privationis beneficiorum ſuorum interpoſuit. Exercitum etiam ſeptem millium peditum Helveticorum, & mille Italicorum, ac mille quingentorum Equitum conſcribi fecit, eumque in Galliam miſit Duce Franciſco Sfondrado fratris ſui Germani filio, cui peritiores militiæ Duces Virgilium Vrſinum, & Octavium Cæſium adjunxerat. Sed neque exercitu miſſo, neque excommunicationis fulmine multum profecit: Ille enim in finibus Helvetiorum hærens, atque expectans donec Parmenſis cum ſuis copiis ex Belgio in Galliam veniret, interim defuncto Pontifice, majori parte fuit dilapſus, eo Anno vicies centenis nummorum aureorum millibus ex depoſito Sixti V, nullo operæ pretio abſumptis. Excommunicatione quoque magis irritati Galli, eam contempſerunt. Parlamentum Turonenſe publico edicto eam damnavit, irritamque eſſe, & immunitatibus Eccleſiæ Gallicanæ contrariam denuntiavit: ejus diplomata & exemplaria publice ante ſuam Curiam per carnificem lacerari, & igne cremari fecit, ac eorum latorem Marſillium Landriantim Nuntium Apoſtolicum comprehendi & puniri juſſit, niſi celerius ad tutiora ſeceſſiſſet. Ipſum quoque Papam Gregorium XIV, juratum pacis Catholicæ & Regni Franciæ hoſtem declaravit. Archiepiſcopis vero, Epiſcopis, & Eccleſiarum Gallicarum Antiſtitibus mandavit, ut non curantes illam excommunicationem, Regi obedirent, & edictum hocce Parlamenti obſervarent, ac in ſuis Eccleſiis publicarent. Simile interdictum promulgavit ſupremæ Curiç Cathalauni Prçſes, damnando illam excommunicationem, & ejus exemplaria per carnificem cremari præcipiendo. Sed & Rex ipſe publico ſcripto de hoc edicto conqueſtus eſt, quod inique quaſi perſequeretur Catholicos accuſaretur, & obnuntiabat quod nihil immutari velit in Fide Catholica, nec temerarius ſit; ſed ſi erraret, doceri, ſanioraque conſilia ſequi cuperet.

Gregor. XIV. PP. exercitum mittit in Galliam.

Galli excommunicationem PP. non recipiunt.

Navarrei contra Excommunicationem PP. obnuntiatio.

Et alio ſcripto edito, revocavit omnia ſua edicta (inquit) violenter ſibi extorta in Anno 1585, & 1588, ante deceſſum Henrici III, quibus pax Religionis turbari videbatur. Ac convocatis ad Civitatem Cenomannorum Mantes Archiepiſcopis & Epiſcopis, eis iterum promiſit quod Religionem Catholicam Romanam in Regno Galliæ ubi eſſet, integrã conſervare & defendere velit, Eoſdemq; rogabat, ut Summo Pontifici reſiſterent, nec eum permitterent convellere dignitatem Regni & Regum Galliç, exemplo majorum ſuorum in Philippo Auguſto, Philippo Pulchro, & Ludovico XII, ac Patriarcham Galliç ex ſuo Ordine eligerent; Romam annatas (circa A.C. 1400, à Bonifacio IX, Papa primum lege ſtabilitæ) non mitterent, ſed communem ſalutem patriæ una ſecum defenderent. Nec ſurdis auribus ea fuerunt excepta, nullus enim à Navarreo poſt illam excommunicationem defecit; quinimo non minus Eccleſiaſtici, quam militares, inclinationem Pontificis ad Hiſpanas partes animum intuiti, de ipſius erga Gallos çquanimitate deſperabant, & pariter Hiſpanum ac Pontificem pro hoſte reputabant, unica ſpe Galliç ſalutis repoſita in eo, ſi Navarreus palam hæreſim damnaret: ad quod ille in dies propenſior eſſe videbatur. Novis etiam victoriis vires illius aſſidue augebantur, nam poſt Carnutum primo hujus anni vere diuturna obſidione & oppugnatione ad deditionem coactum, Noviodunum magna vi adortus, licet Oppidani fortius reſiſterent, & multam ſtragem oppugnatoribus inferrent, poſt multos labores expugnavit, & omnes qui ibi in armis erant trucidari fecit. In Delphinatu quoque Duces ipſius Aldigerius & Valetta contra Sabaudum ſatis proſpere certarunt, & recens iſtius exercitum obſidionem Grationopoli minitantem fugarunt: Vnde Sabaudus majores vires comparaturus ad ſocerum Regem in Hiſpaniam conceſſerat. Novæ etiam copiæ in Germania comparatæ in auxiliũ Navarreo adveniebant cum Duce Chri-

Navarreus Carnutum & Noviodunum capit.

Sabaudiæ Ducis in Gallia copiæ cæduntur.

ſtiano

A.C.1591. ſtiano Principe Anhaltino, quæ octo millibus equitum, & viginti millibus peditum conſtabant, inſtructæ machinis & omni inſtrumento bellico trium millium currubus conducto: Regina quoque Angliæ ducenta millia, Ordines Angli centum millia, & alia centum millia Angellotorum (monetæ Anglicæ) mercatores Angli pro ſubſidio ipſius contulerant. Vnde Mænius tanto diligentius ſolicitabat, ut Parmenſis cum copiis Belgicis in Galliam properaret: Sed ille domeſticis Belgii neceſſitatibus irretitus, tunc venire non potuit, verum cum Comite Briſaaco, qui interim ex diuturna captivitate ſua evaſerat, aſtu aſſumpto coci ſui habitu, in Galliam magnam ſummam pecuniæ fœderatis pro impenſis iſtius belli miſit. Neque tamen à Belgio avertere valuit damna ingentia, quæ eo anno ab Hollandis accepit. Nam iſti (ut ad eos pauliſper digrediamur) congregatis in hunc annum quam maximis poterant viribus, cum montes S. Gertrudis vel Sylvam Ducis oppugnandam præſeferrent, improviſo Mauritius Naſſovius eorum Dux Zutphaniam aggreſſus, primum ejus arcem aſtu ſubornatis militibus habitu ruſtico, quaſi venum legumina præſidiariis adferrent, intercepit: & deinde Civitatem quoque ipſam, cum præſidiariis omnis commeatus, ſed præcipue ſal & pulvis nitratus deeſſet, deditione occupavit, tanta celeritate, ut prius omnia perfecerit, quam fama obſidionis ad vicinos perveniſſet. Nec moratus impoſito valido illi Vrbi & Arci præſidio, Daventriam contendit, & excitatis munitionibus, viginti octo tormentis majoribus muros Civitatis, ea maxime parte, qua à flumine tutiores vallum non habebant, quati juſſit tanta vehementia, ut quatuor millæ pilæ bombardarum majorum in uno die ex ejus ſtatione intro Civitatem emiſſæ numerarentur. Proveravitque eò Parmenſis à Noviomagenſibus excitatus, cum propterea & Noviomagum periclitaretur: Sed priuſquam adveniſſet, Daventrienſes ſuſtinere diutius oppugnationem non valentes, ſeſe dediderant Mauritio. Qui inde in Friſiam occidentalem movens, Groningæ vicina loca, ut Damnium, Delfrilium, & Immentolium facili negotio cepit. Groningam autem oppugnare contendens, ut intellexit Parmenſem Noviomagum adveniſſe, & nuper ibi prope à ſe propugnaculum Cnodſeburg dictum expugnare velle, ipſe quoque eò perrexit. Sed congredi cum Parmenſe non auſus, eum ex inſidiis carpens illam oppugnationem deſerere coëgit, & ipſius cohortem Prætoriam in inſidias evocatam fudit, pluribus captis ex ea inſignioribus, inter quos fuit Præfectus ejuſdem cohortis, Franciſcus Rigallius Marchionis de Guaſti (illius celebris Ducis qui ad Paviam Franciſcum Regem Galliæ ſuperarat ceperatque Nepos,) & ejus Vicarius Antonius Senagallius. Viribus etiam corporis languere cœperat Parmenſis: unde relicto pro præſidio in Geldria circa Neomagum Verdugio, ipſe ad Aquas Spatanas conceſſerat. Et ne hoc modo diſtineretur Rex Hiſpanus à rebus Gallicis bello Hollandorum, majori ſtudio adnitebatur hoc anno Imperator Rudolphus, ut inter eos pacem componeret: ſed omnes tractatus reſpuebant Hollandi, nunquam ſecuriores ſe fore arbitrantes ab Hiſpanis, quam cum armati viverent, ac plurima opponebant, ex quibus nunquam pacem tutam Hiſpanos quærere appareret. Seu quod fœdere cum Angla & Navarreo à paciſcendo prohiberentur, tenerenturque conferre operam contra Hiſpanum communem hoſtem conjunctim oppugnandum. Non tamen intermiſit Hiſpanus ab alia parte eo anno ſubvenire fœderatis in Gallia, expedita enim claſſe inſtructiſſima, (quaſi contra Anglicam, quæ ad navigationem Indicam impediendam prodierat) Britanniam Galliæ peti juſſit, eademque claſſis ex inopinato Blavetum, illius Provinciæ nobilem portum occupavit, ac firmo præſidio ſtatim munuit. Locum maxime opportunum & ad Galliam oppugnandam, & ad infeſtam habendam Angliam, ad cujus littora inde tranſitus eſt commodiſſimus. Aliam vero cauſam illati eo belli præ-

Navarreo ex Germania auxilia mittuntur.

Angli dant auxilia Navarreo.

Mauritius Dux Hollandorum Zutphaniam & Daventriam capit.

Farneſius concedit ad aquas Spatanas.

Rudolphus Imp. tractat pacem inter Hiſpanos & Hollandos fruſtra.

Hiſpani Regis claſſis invadit Britanniam Gallicam.

Hiſpani Regis prætenſiones ad Britanniam.

prætexebat Hiſpanus, nempe jus hæreditariæ ſucceſſionis in illa Provincia filiæ ſuæ Iſabellæ, quam ex Eliſaberha Henrici Valeſii Galliæ nuper Regis ſorore ſuſceperat. Cum Anna enim hærede Britannica, illa Britannia ſeparato jure ferebatur fuiſſe devoluta ad domum Valeſiam, cujus ultima reliqua ſtirps cum Iſabella ſola ſupereſſet, ei hæreditatem illius Provinciæ deberi Hiſpanus prætendebat. Sed ſtatim eodem Navarreus quoque bonam partem exercitus cum Lanovio, & Angliæ Regina ſex millia peditum expedivit, qui Hiſpani progreſſus majores impedirent. In mari vero prohiberi non potuit Hiſpanica illa claſſis, quin Anglicam inſidiantem Hiſpanicis venientibus ex Indiis apud fretum Gaditanum ſeu Herculeum profligarit, multis navibus Anglicis ibi demerſis, cæteris laceris, & magno remigum numero deſiderato fuga elapſis. Iterum etiam eodem anno claſſis illa Hiſpanica prope Biſcajam (in mari Cantabrico) in naves Anglicas incidens, aliquas demerſit, & novem ex eis mercibus onuſtas in Hiſpaniam captivas duxit, inter quas erant quinque Hollandicæ, & duæ Rupellenſes. Sed magis augebat Angliæ Reginam, quod præter Seminaria pro erudiendis in Fide Catholica Anglis Romæ, & Rhemis in Gallia fundata, in Hiſpania quoque Vallidoleti Rex Hiſpanus erexerat tunc unum, ex quo Catholicis Anglis ſuppeditabantur Sacerdotes, & hoc anno eorum duodecim inde emiſſi, mutato habitu, quo exploratores fallerent, in Angliam tranſierant. Unde Regina illa quo ſe vindicaret, in Catholicos judicium ſeverioris inquiſitionis inſtituit, ac promulgato edicto, (in eo querebatur quod Religionis nomine Hiſpanus conaretur ab ejus obedientia ſubditos abducere, & ad ſe attrahere, Hyberniamque illorum opera invadere) exquiſitiſſimis modis indagari præcepit, quæ perſonæ in Regnum intrarent, & quæ ab uno anno intravetint, deprehenſoſque Catholicos pœna criminis læſæ Majeſtatis puniri juſſit. Ac ea occaſione crudelior in Catholicos carnificina inſtituta diutius ibi perſeveravit, deprehenſique plurimi non advenæ tantum, ſed & indigenæ veteres Angli, vita & bonis ſpoliabantur.

A.C. 1591.

Hiſpanica claſſis diſſipat Anglicam claſſem.

Hiſpanus Rex Vallidoleti fundat Seminarium pro Anglis Studioſis.

Angliæ Regina edicta contra Catholicos.

In Gallia autem cum jam auxilia Germanorum de quibus attigimus, adveniſſent, Navarreus inſigne quid tanto militum robore perficiendum deſignans, Rothomagum aggredi conſtituit. Lutetia enim lenta licet, ſed quia perpetuo obſidione premeretur, nempe quod undique oppida & arces viciniores præſidiis ipſius munitæ commeatum perferri in eam Vrbem non permitterent, ac in dies major ibi fames, & omnium eſculentorum extrema penuria invaleſceret, ſponte ſua, ſeu tali neceſſitate adacta, ad obſequium reditura videbatur. Itaque ſub finem anni (iniquiori tempore) omnem exercitum ad Rothomagum promovit, illudque undique erectis caſtellis & munitionibus cinxit. Nec tamen potuit elicere ad aliquos tractatus obſeſſos, qui obſtinatioribus animis reſiſtere decreverant, omniaque ad defenſionem neceſſaria comparaverat, & eruptionibus frequentioribus fatigare oppugnatores non ceſſabant. Expedierat etiam Mænius propere ad Parmenſem in Belgium, ut cum auxiliaribus copiis feſtinaret, cum aliæ quoque ex Italia à Summo Pontifice miſſæ in finibus Lotaringiæ eouſque hærerent, progredique nollent, niſi eum venire certo reſcirent..

Navarreus Rothomagum obſidet.

Diſtinebatur autem Parmenſis domi Legatione Imperatoris Rudolphi, qua iſte pacem cum Hollandis componere nitebatur, & magis Hollandorum auſis, qui poſtquam eo anno plurima loca Geldriæ ademiſſent, reliquum illius Provinciæ Caput Neomagum obſidione conſtrictum, & demum fortiori oppugnatione, etiam ad deditionem menſe Octobre coëgerant, Parmenſi irrito ad omnia profectu propugnante: forte quod fortuna ejus jam ad viciſſitudinem inclinabat. Colligebat tamen militem in Galliam ducendum, & in Hannonia omnes copias ſuas congregabat. Cumque jam ibi adeſſent quatuor millia peditum, & tria millia

Neomagum Hollandi capiunt.

A equi-

A.C. 1591. equitum, ipſe dimiſſo Imperatoris Legato, & adminiſtratione interim Belgii Petro Erneſto Comiti à Mansfelt commiſſa, Bruxellis profectus Valencenas contendit, ut ubi reliquum contraheret & luſtraret exercitum.

Gregor. XIV. PP. moritur. Interim Romæ Gregorius Papa XIV, die 15 menſis Octobris febri deceſſit, decimo menſe Pontificatus ſui vix dum completo: nec videre potuit fructum profuſarum tantarum opum in expeditionem Gallicam. Sub ejus Pontificatu fames nimium invaluerat in Italia, quæ maxime Vrbem ipſam Romam afflixerat. *Hollandicæ naves primum cum frumento in Italiam penetrant.* Sed Divina plane providentia ſubvenit tantæ neceſſitati; nam tunc primum (nonniſi tali inſtinctu) Naves Hollandicæ onuſtæ frumentis penetrarant in Italiam, à quibus ea fames ſublevata fuit in tantum, quod frumenti modius, qui triginta nummis aureis Italicis couſque venibat, mox emebatur duodecim nummis aureis. Pontifex ſumme lætatus nuntio de illarum navium adventu, annuntiatori ptimo mille nummos aureos donaverat. *Morbi in Italia graſſantur.* Huic malo ſucceſſerat non levius, febres acutiſſimæ ex corruptione ciborum, quibus in annonæ caritate, pauperioribus utendum fuit. Feruntur illo morbo Romæ intra unum annum extincti fuiſſe ſexaginta mille homines, iique ætatis virilis à trigeſimo quinto anno ad quinquageſimum: fœminæ pæne nullæ. Erant tandem menſe Auguſto hujus anni morbus ille ceſſavit, nec erat contagioſus. *Eſtenſis Dux Ferrariæ Romæ excipitur.* Idem Pontifex exceperat Romæ Ducem Ferrariæ Eſtenſem, & per quadraginta dies ibi ſubſiſtentem, Regali magnificentia tractavit. Volebat Dux ille ratam haberi ſucceſſionem Ducatus Ferrariæ pro filio fratris ſui Cæſare Eſtenſe; ſed dum advocati de illius jure ſucceſſionis diſputarent, Pontifex in morbum lethalem incidit: & ita Dux rebus infectis Roma abiit. *Ferrariæ Duci locus datur in Conſiſtorio Cardinalium.* Dum autem moraretur Romæ, honoris cauſa invitabatur ad ſacrum Cardinalium Senatum, & locum inter Cardinales capiebat ante ultimum Cardinalem Diaconum. Nec ſolum in tractando illo Duce expenſas liberaliores faciebat iſte Pontifex, ſed & in privato ſuo victu fuit profuſior: præſertim ejus affines & familiares Lombardi aſſueti pinguioribus epulis, facile conſumebant cenſus Pontificatus, & eis abſumptis delibabant ex depoſito Sixti V occaſione belli Gallici; nec dubie evacuaſſet totum, ſi aliquando plus hic Pontifex ſupervixiſſet. Paucos autem poſt dies à morte Pontificis, in locum ejus à Cardinalibus concordi voto electus fuit 29 ejuſdem menſis Octobr. in Pontificem Ioannes Antonius Fachinettus Bononienſis, nomine aſſumpto Innocentii IX. *Innocentius IX. Papa eligitur, & poſt duos menſes moritur.* Sed & iſte poſt duos menſes Pontificatus ſui, die 29 menſis Decembris ejuſdem anni obiit ex languore virium, cum exceſſiſſet annum ætatis ſeptuageſimum; Creaverat tamen Cardinalem Nopotem ſuum Antonium Fachinettum, & Segam magni nominis virum. Factus Pontifex, viſitatus fuit à Duce Mantuæ, quem magnifice & humaniſſime habuit, locumque ipſi in Congregatione Cardinalium, quem nuper Dux Ferrariæ habuerat, concedebat.

Annus Chriſti, 1592.

ANni autem inſequentis, Milleſimi Quingenteſimi, Nonageſimi ſecundi initio, nempe 30 die menſis Ianuarii, Collegium ſacrum Cardinalium Romæ pertæſum frequentium funerum, quæ ter pæne intra unum annum tribus Pontificibus defunctis repetierat, vividiorem ætate Pontificem eligere maluit, ac concordia ſuffragia contulit in Hypolitum Aldobrandinum Florentinum Clementem VIII, denominatum, *Clemens VIII. PP. creatur.* qui Auditoratu Rotæ ſumma cum laude perfunctus, deinde à Sixto V. Datarius factus, & paulo poſt ad Cardinalatum provectus, Legationem in Polonia pro eliberando Maximiliano Archi-

Archiduce tanta induſtria obivit, ut exinde omnes illum ſummo in Eccleſia obtinendo gradu dignum judicarint. Nec fefellit talia de ſe judicia, ut ſubſequentia docebunt. A.C. 1592.

Et dum hæc ibi aguntur, in Polonia dilatæ Regis Sigiſmundi cum Anna Auſtriaca nuptiæ ſollicitos tenebant Proceres, ſi quomodo poſſent adhuc impediri. Majora enim in dies deprehendebantur ſuſpicionum indicia, quod illæ eſſent ſymbolum tradendi Regni Erneſto Auſtriaco, uti jam à Conventu Regum Revalienſe in vulgo increbuerat. Nec jam rumore vano illa fama divulgabatur, ſed rei veritas adſtruebatur prototypo literarum manu Regia ſignatarum ad Erneſtum Archiducem, quæ ſagaciori induſtria interceptæ in manus Zamoyſcii Cancellarii Regni devenerant. Inſtabant itaque Proceres, qui partes ſervandæ Reipublicæ aſſumpſerant, ut Rex ab illis nuptiis, quas ſine conſenſu Senatus tractabat, deſiſteret; vel ſi eas vellet exequi, ad minus Comitia Generalia prius indiceret, in quibus obtineret conſenſum Senatus, & Reſpublica ſuæ ſecuritati caveret. Sed Rex tantò magis accelerandum ratus, commiſit negotium conducendæ ſuæ ſponſæ Georgio Radziwil Cardinali, quem anno proximè antecedenti defuncto Petro Myſzkowski in Epiſcopatu Cracovienſi ſuffecerat; & ille nil moratus cum aliis Collegis Legationi ſuæ à Rege adjunctis, Pragam menſe Martio ivit ad Imperatorem Rudolphum, cujus authoritate, uti ſummi in domo Auſtriaca rerum arbitri, nuptiæ illæ conciliarentur. Nec defuit ſplendor tantæ Legationi; nam non tantum ipſe Cardinalis, ſed & Collegæ ejus Comitatum adduxerant, viris, equis, ac ſuperbo apparatu inſtructiſſimum. Legatione autem expoſita, humanius & liberalius ab Imperatore excepti, nulla remorante deliberatione, (cum & Imperator celeritate eſſe utendum præſenſiſſet) conſenſum accipiendæ Sponſæ obtinuerunt: & rectâ Praga Viennam Auſtriæ tranſierunt, ibi expectaturi Sponſam conducendam Græcio Styriæ, ubi cum matre morabatur, Patre Carolo Archiduce ante biennium defuncto. Cæterum Proceres Regni Poloniæ angebat nimium, & violentius trahebat in ſuſpicionem doli illis nuptiis (ut ajebant) occultati, quod Rex conſilium de convocandis prius Comitiis poſtpoſuerat, & propoſitum adducendæ Sponſæ accelerabat. Vnde nulla jam modeſtiora remedia profutura judicantes, apertam contradictionem Regi opponere ſtatuerunt. Et Conventum Ordinibus Andreioviæ indixerant, in quo conſultaretur, quid in tali caſu agendum expediret. Eo autem collimabant, ut omni aditu in Regnum a Sileſia & Vngaria militaribus præſidiis intercluſo, Sponſam intrare in Regnum non permitterent. Ac convenerant Andreioviæ frequentes Nobiles, aderat & Zamoyſcius Cancellarius Regni cum nonnullis Senatoriis: Sed maturius tranſgreſſa Sponſa confinia Regni, conſilii illius ſpem præcidit, omniumque vota eò fuerunt converſa, ut Comitia Generalia Regni celebrarentur, in quibus ſuper indiciis de tradendo Auſtriacis Regno deprehenſis inquireretur. Non deerant etiam, qui ea occaſione ejiciendum Regno Sigiſmundum Regem cuperent, dummodo ipſimet ſuccedere in regno potuiſſent: & aliquis ſive feriò, ſive exploraturus hominum ſtudia, in privato primariorum illius Conventus colloquio, injecerat quæſtionem: An eligendus eſſet Rex nativus, ſi quando eligeretur? & cum Staniſlaus Stádnicki omnium qui nativo Regi contradicebant ferociſſimus reſpondiſſet, ſe vereri ne tali via ad Regiam dignitatem patefacta, auriga quoque ſuus ageret Piaſtum, ac affectaret Regnum, & Ioannes Kázimierski factioſorum præcipuus nonniſi Auſtriacum præferret, velis converſis, ex fervore impugnandi nuptias Regias fuit remiſſum, & Conventus ille intermiſſis longioribus deliberationibus eſt ſolutus. Zamoyſcius Cancellarius inde deflectens Stobniciam ad Staniſlaum Comitem de Tarnow Caſtellanum Sendomirienſem, filiam ejus Barbaram

Poloni obſiſtunt Regi ne ducat uxorem Auſtriacam.

Radziwil Card. Legatus ad conducendam Regi ſponſam.

Andreiovia Conventus pro impediendis nuptiis Regis Sigiſmundi.

Zamoyſcii nuptiæ cum Tarnovia.

A.C. 1592. ram uxorem duxit in locum Griſelidis Batoreæ ante biennium ſibi defunctæ, & nuptias ibidem celebravit, nec ivit ad Regis nuptias.

Sigiſmundi III. Regis ſponſa Anna Auſtriaca, venit Cracoviam.

Confluxerant tamen plurimi Proceres & Nobiles Cracoviam, & eò vigeſima ſexta menſis Maji Regiam Sponſam pompa majeſtatis plena introduxerunt. Triginta erant turmæ equitum militares, quarum ſingulas ſinguli inſigniores Proceres ſplendidiſſimo ornatu æquicolores ducebant & Civitatis viæ arcubus triumphalibus, ac domus omnes, qua tranſeundum fuit, aulæis pretioſiſſimis exornatæ lætitiam ad adventum tantæ Hoſpitis præferebant. Trigeſima autem die ejuſdem menſis Maji Regina Sacro ritu in Templo Cathedrali uncta, & diademate Regio inſignita fuit, matre ejus ubique præſente, atque Anna Regina Stephani Regis vidua matertera Regis, ac Anna Regis ſorore infante Sueciæ. Octiduumque conſequens ludis, ſpectaculis, haſtiludiis magnificentiſſimo apparatu inſtructis trahebatur. Spargebantur in vulgus & nummi argentei, & nonnulli aurei in quorum uno latere palmæ tranſmedio mari adinvicem inclinatæ illud ſymbolum habebant: *Amor diſtantia jungit.* ab altera parte Aquila Imperii, & Aquila Regni Poloniæ ſubtus pendentibus Auſtriæ inſigniis cum alio ſymbolo: *Aſt animos ſociaſſe juvabit.* Recenſeri ſingula vix poſſunt, ſed omnino nihil in illa nuptiarum ſolennitate defuit, quod à quantumvis potentiſſimo & opulentiſſimo Monarcha in lætitiam effuſo ſumptuoſiſſimum deſiderari poſſet. Convivali autem illa feſtivitate peractâ, ut illis quoque qui nuptiis hujuſmodi obſtrepebant ſatisfieret, Rex ad menſem proximum Septembrem Comitia Generalia Regni Varſaviæ celebranda indici juſſit, Inquiſitionis Comitia denominata, ab examine ſuſpicionum & conjecturarum faſtidioſo, quod in illis tractabatur, ut paulo infra attingemus, poſtquam apud exteros huculque geſta retulerimus, ne longiori intervallo relinquantur.

Anna Regina Poloniæ Auſtriaca coronatur.

Comitia Inquiſitionis contra Regem Sigiſm. in Polonia.

Præcipue Gallica, quæ maximè tunc Chriſtianam Rempublicam premebant. Parmenſis itaque conſilio bellico habito Valencenis, inde movens Cameracum prope, propugnaculum invitis Cameracenſibus extruxit, & præſidio ſuo munivit, ac per Campaniam iter in interiorem Galliam inſtituens, primo verſus Feram contendit, quam una cum Perona & Hano Regi Hiſpaniæ pro receptaculo ejus armorum fœderati conceſſerant. Et ibi quoque præſidiis firmioribus relictis, lentis itineribus progrediebatur, donec confluentibus ad eum majoribus copiis, prope Calleium conjunctus Mænio, & aliis Fæderatis in Normaniam ingrederetur. Cumque jam propius Rothomagum eſſet, & Navarreum confidentem multitudini ſui exercitus prælio confligere velle intellexiſſet, perſuaſus à Mænio ne ſe periculo unius prælii committeret, retroceſſit verſus Ambianum ſummiſſis prius aliquibus militum cohortibus Rothomagum, ut præſidia Vrbis illius & Arcis frequentibus cum hoſte præliis diminuta ſuppleret. Navarreus autem cum hoc inaudiſſet, non tam cito Parmenſem inde rediturum judicans, ipſe quoque equitatum ſuum, præſertim Nobilium ad ſtativa dimiſit, ut aliquantum ex inedia & hyemis laboribus reficeretur. Magna enim erat penuria commeatus in exercitu ipſius, & præſertim pabulorum pro equis. Sed Parmenſis ut intellexit diminutas fuiſſe vires ipſius equitatu illo diſperſo, celerius rediit, & Caſtra ſua caſtris hoſtilibus propius oppoſuit, ac oſtentato quaſi prælium non detrectaret, inter velitationes aliquantum commeatum Rothomagum introduxit. De cætero in Caſtris ſe continebat, ut hoſtem cunctatione fatigaret, quem ſcivit longiori bello ſufficere non poſſe, & ea deſperatione illud ſolum intendere, ut prælio de ſumma rerum quam primum decertaret; cum & pecuniæ in ſtipendia militum ipſi deficerent, & non ſolum annonæ; ſed & omnis apparatus bellici penuria laboraret, ac propterea miles ejus ægrè imperia

Farneſius in Galliam cum exercitu movet.

Farneſius ſublevat commeatu Rothomagum.

ſuſci-

A.C. 1592.

ſuſciperet, tumultuſque in exercitu, & ſeceſſiones exinde timerentur. Quo tamen Rhotomagenſibus majori copia commeatum ſuppeditaret, ea qua minime Navarreus prævidit divertens Caudebecam à mari adverſi fluminis ripis inſidentem, & Rothomagum à portu Gratiæ tranſitum navibus impedientem, priuſquam à Navarreo ſubveniri poſſet, cœpit, atque inde adverſo flumine commeatum ſufficientem ad medium annum Rothomagenſibus ſubminiſtrari fecit. Nec unquam pugnæ ſe commiſit, ſed identidem prælium oſtentans, hoſtem detinebat excurſionibus, in quibus nonnihil damni ſenſit, & ipſemet vulnus inter collum & humerum dextrum accepit, nec unquam bene ex eo convaluit. Et cum à Navarreis in dies magis coarctaretur, tranſmiſſo Sequana per Carnutos Lutetiam deflexit, ac inde in Belgium redivit, ſatis præſtitiſſe viſus, quod Rothomago ſubvenerit.

Farneſius vulnus accepit in conflictu.

Damno autem Belgii, nam ſub id tempus cum Hollandi viderent nulla ſubſidia poſſe advenire Steenvico, Tranſiſalaniæ, & Friſiæ Occidentali, eò exercitum duxerunt, & plura ibi loca expugnarunt: Nec multo poſt, Ootmarſum & Coverdam ceperunt cæſo Hiſpanorum exercitu, qui obſeſſis opem laturus caſtris jam eorum imminebat. Navarreus autem ab inſequendo Parmenſi reverſus, ſtatim Caudebecam recepit, & mox redeunte Anhaltino cum Germanicis copiis in Germaniam, ac magna parte Nobilium Gallorum dilabente aliquantum quievit, donec nova auxilia colligeret. Lutetiam tamen ex Arcibus & Oppidis quæ tenebat vicinis, nunc vi aperta, & prohibendo commeatum, nunc ex inſidiis infeſtam tenere non ceſſabat. Vnde ſemper Vrbs illa ſummis rei frumentariæ anguſtiis conflictabatur. Nec aliquid magni momenti utrimque hoc anno amplius eſt geſtum, niſi quod Dux Mercurius in Britannia Gallica, pro Rege Hiſpaniæ aliqua loca Navarreis ademerat; & Dux Nemourius Lugduni, cum poteſtate præſidens Viennam circa Rodanum pro confœderatis receperat. Mænius quoque Caudebecam iterum expugnavit, & ſolo ejus munitiones æquavit.

Hollandorum progreſſus in Friſia Occidentali.

Pariſiorum obſidio continuatur.

Sed dum Chriſtiani hoc modo inter ſe digladiantur, tamque crudeliter civilibus bellis invicem conſumuntur, Turcarum Imperator (Amurathes tunc fuit) eam opportunitatem propagandi in Europa imperii ſui nactus, bellum Imperatori Rudolpho intulit, quod deinde magna Chriſtiani ſanguinis & orbis jactura ad plures annos duravit. Hoc autem anno juſſu Turcæ, Haſan Baſſa Boſnenſis conſcripto quinquaginta millium exercitu, primum Croatiam invaſit, & ejus Metropolim Vihitz graviori oppugnatione ad deditionem coëgit, Germanico præſidio quadringentorum militum, qui ibi erant libero dimiſſo. Et inde progreſſus apud Thuropoliam Thomam Erdeud, Slavoniæ Banum, qui cum parva manu Croatorum in tam anguſto tempore collecta illi loco ſubvenire voluerat, circumventum profligavit, ejuſque tormenta bellica cum impedimentis omnibus intercepit, ſolo æquitatu fuga elapſo. Petrinam quoque munitionem ad Colapin roboribus armorum firmavit, unde viciniores terras aſſiduè excerſionibus populabatur. Deinde Siſecum ad confluentem Savi & Colapis ſitum, eo quod ea tranſitus facilis in Styriam, Carynthiam, & Carniolam pateret, magna contentione oppugnavit, & viginti quatuor tormentis majoribus pulſavit, ſed à præſidiariis fortiſſimè rejectus, ea vice re infecta retroceſſit. Nicolaus Miccatius Vngarus illud Monaſterium tunc cuſtodivit, & defendit.

Turca Amurathes bellum infert in Vngaria Rudolpho Imperatori.

Turca in Croatia multa loca capiunt.

In Polonia autem ad menſem Septembrem Rex cum Regina Varſaviam Comitia Generalia celebraturus tranſivit: quo etiam maximo præter ſolitum numero & Senatores & Equeſtris Ordinis Proceres confluxerant, plerique militaribus turmis circumſepti. Cum enim pro materia in illis Comitiis tractanda,

Siſecum Turca fruſtra oppugnant.

A.C. 1592. *Comitia Inquiſitionis in Polonia armata.* nempe Inquiſitionis inſtituendæ contra Regem, perturbato rerum conſueto ordine gravior confuſio in Republica timeretur, quiſque contra vim ſi ingrueret, ſeſe munire volebat. Præſertim autem ii, qui partes promovendæ contra Regem Inquiſitionis aſſumpſerant, ne Regii nominis & poteſtatis fulgor juſtitiam cauſæ obrueret, vires tali periculo pares opponendas comparaverant. Quorum præcipuus Zamoyſcius Cancellarius, ut qui curam jura Reipublicæ ſarta tectaque ſervandi, & ad omnia quæ illam turbarent invigilandi in ſe aſſumpſerat. Ei itaque omnes qui Rempublicam ſequebantur ſeſe conjunxerant, ac diviſi Cives, qui adhærebant Regi Regaliſtæ, qui Cancellario Cancellariſtæ vocitabantur. Et primo *Mariſchallo Nuntiorum in eligendo certamen partium.* ſtudia partium pertinacius certarunt pro eligendo Mariſchallo Nuntiorum Equeſtris Ordinis: iſte enim (ut apud Romanos Tribunus plebis) cum ſit ſupremus moderator animi affectuum, & conſiliorum illius ordinis, facile, ſi ſapit, flectere poteſt popularem conſenſum in unam vel alteram ſententiam. Vnde & exitus univerſorum Comitiorum ab illius induſtria potiſſimum dependet. Iſtum itaque dum unaquæque pars nonniſi conjunctiorem ſibi eligere contendit, tempus dimidiorum Comitiorum fuit extractum, & tandem poſt trium hebdomadarum concertationes, electus fuit Mariſchallus Nicolaus Dánielowicz juvenis, & tum primum tyrocinio depoſito curas publicas aggreſſus, atque eo neutri parti ſuſpectus. Nec permiſerunt Cancellariſtæ poſt electum Mariſchallum ullam aliam publicam cauſam in Comitiis illis tractari, niſi prius de indiciis contra Regem deprehenſis cognoſceretur, in eoque reliquum tempus Comitiorum fuit inſum- *Accuſationis contra Regem Sigiſm. indicia.* ptum. Producebantur literæ manu Regis ſignatæ ad Archiducem Erneſtum: aderat Martinus Leſniowolski Caſtellanus Podlachiæ, paulo ante Cubiculi Regii præcipuus cuſtos, qui diverſas legationes ſecretas à Rege ad Auſtriacos, & ab Auſtriacis ad Regem, Suecis, & Germanis ſolis quibuſdam conſciis habitas demonſtrabat, & remoto Rege Senatus cum nuntiis iſta diligentius pluribus ſeſſionibus examinavit, ut vero non diſſimilia viderentur. Sed Rex omnium eorum ſe eſſe inſcium ajebat. Et quidem character manus Regiæ in literis productis expreſſus, verus eſſe negari non poterat, aliis exemplaribus ſubſcriptionis manus Regiæ comparatus per omnia ſimilis, ut etiam à Rege agnoſceretur. Regaliſtæ tamen commentitias illas literas ementitaſve fuiſſe declamabant, ac imputabant cuidam ſcribæ Cancellariæ, qui manus Regiæ characterem probè imitari didicerat, licet is poſtea comprehenſus, & in carcerem Mariæburgenſem detruſus, tormentis quoque ſuppoſitus, nunquam hoc fateri voluerit. Et ſi characterem manus Regiæ finxiſſet, certè tam ſublime argumentum literarum illarum mente concipere, & in incertum ſcribere non poterat homo juvenis, vilis, plebeius, & ſtatus *Sigiſmundi Regis partium defenſiones.* politici prorſus ignarus. Alii alias Regem defendendi rationes proferebant, & quiſque data illa occaſione eum demereri, ſeu in gratiam ipſius redire contendebat: Maximè ex illis qui nuper in ejus electione pro Maximiliano ſteterant. Quare illarum partium præcipuus Zbigneus Oſſolinski Succamerarius (ſeu Prætor finium regundorum) Sendomirienſis Palatinatus in ſe receperat, ut accuſationem in Zamoyſcium Cancellarium retorqueret, & ei crimen affectati Regni objiceret.

Verum cum rem ſerio agi, & tantum motum altercatione verborum non poſſe componi maturiores Senatores (etiam Regaliſtæ plurimi, ac primas Archiepiſcopus Gneſnenſis alioquin ſemper infenſior Zamoyſcio) adverterent, ſuadebant ut Rex pacatioribus mediis paci & ſecuritati publicæ provideret. Nec ſola affirmatione Regis, quod nihil de objectis ſibi criminationibus ſciret, illa controverſia ſopiri potuit, cum Cancellariſtæ temeritatis & levitatis notam (quaſi vana de Rege ſparſerint) ſubire, fortiter recuſarent, & populus ea quæ objiciebantur

ciebantur

ciebantur Regi vera fuiſſe, jam perſuaſum habens, conceptas ſuſpiciones non tam facilè depoſiturus eſſet, niſi ab illis cautione evidentiori liberaretur. Quin immo quanto vehementioribus ſtudiis propugnabantur partes Regiæ, tanto major creſcebat fides contra Regem propoſitis, & quiſque defenſor partium Regiarum, uti Regi conjunctior vel familiarior, præſertim Radziwilii, & Epiſcopus Vladiſlavienſis Rozrazevius, eſſe conſcius illius facti reputabatur, fideſque ipſi non dabatur, atque ex longioribus diſceptationibus illud ſequuturum timebatur, ut Cancellariſtæ ſeceſſione facta, alium Conventum convocarent, in quo remotis Regaliſtis uti ſuſpectis, ſoli quod impetus popularis ſuaderet decernerent, & ne exinde à Rege propterea ſibi infenſo vindictam timere cogerentur, novum ſibi Regem eligerent. A.C. 1592.

Devinctus itaque Rex precibus & perſuaſionibus Procerum, quantumvis omnium eorum (ut conſtantiſſimè etiam in ſenecta affirmare ſolebat) innoxius, *pro bono pacis*, (præfationis ejus in Senatu verba hæc erant) factum agnovit, nunquam autem ſe de ſucceſſore tractaturum Repub. inſcia & non conſentiente, & ſi in Sueciam aliquando Patre defuncto abiturus eſſet, de reditu ſuo in Poloniam ſe cautionem Ordinibus ſufficientem daturum promiſit. Vixque ſuffecit tam acerbis querelis integrum Comitiorum tempus, & eis finitis graviora quæ aderant publica negotia ad Comitia proxima rejicere fuit neceſſe. Reconciliati tamen mutuo omnes, quietis animis illum Conventum ſolverunt, & Zamoyſcius Cancellarius, quod couſque diſtulerat, novam Regis nuptam Reginam tum demum ſalutavit. Nec multo poſt, nempe die vigeſima ſeptima proximi menſis Novembris Ioannes Rex Sueciæ Sigiſmundi Regis Pater obiit, occaſionemque diſceſſus in Sueciam Sigiſmundo dedit, ut paulo poſt dicetur.

Sigiſmundus Rex de objectis cavet Reipub. ſecuritatem.

Zamoyſcius Annam Reginam primum ſalutat.

Sub finem hujus anni Parmenſis ab Aquis Spatanis reverſus reditum in Galliam ut ibi Electioni Regis novi aſſiſteret apparabat, & congregatis copiis promoveri juſſit ſigna ad confinia Galliæ, ipſe ſubſequens via per Atrebatum inſtituta. Quo ut venit debilis, majori languore correptus ſubſtitit ultra quindecim dies, & tandem fatali hora ſuperveniente, ſecunda die menſis Decembris obiit, ab uſu Aquæ Spatanæ, quam eouſque in lagenis allatam potitabat, extenuatus, & in phtiſim delapſus, uti aperto ejus cadavere inventa fuerunt præcordia & pulmones tabifico hoc morbo corrupti.

Farneſius Parma Dux moritur 1592.

Sed ſummum deſiderium ſui apud omnes reliquit; præſertim apud militares, qui nullum Ducem eo meliorem optabant, & ardua quæque ſubire, ac vincere ſub ejus imperio didicerant. Quatuordecim enim annis quibus cum imperio in Belgio præfuit, plurima bello præclare geſſit, & ſummos ante ſe in Belgio Duces armorum tractandorum dexteritate æquavit, manſuetudine & æquanimitate ſuperavit; ultimis demum annis viciſſitudinem fortunæ expertus, quibus Hollandi tota pænè Geldria, Tranſiſalania, & Phriſia Occidentali Hiſpanos ejecerant. Licet & hoc potius intempeſtivo in Galliam introducto per Hiſpanos bello imputari deberet. Parmenſis enim abſens à Belgio, vel dum ad Gallica attendit, damna in Belgio evitare vix potuit, comitante præſentiam & perſonam ipſius fortuna, ac virtute, qua bina expeditione binas in Galliis obtinuit memorabiles nomini ſuo victorias, liberata prima Lutetia, altera Rothomago ab obſidione graviori. Omnium autem operum ejus glorioſiſſimum fuit capta Antverpia, cujus alias meminimus, & dicitur fuiſſe admonitus à quodam familiariori amico, ut ea parta victoria, bello valediceret, ne ipſius fortuna ad ſummum apicem ſupergreſſa, curſum in declive mutaret. Nec erravit conjector, ab eo enim tempore nil præclari fuit geſtum in Belgio, & plurima amiſſa, niſi ut diximus iſta diſtractis ejus Gallico bello viribus tribuantur, vel etiam livori Hiſpanorum qui ex-

Farneſii Parmenſis Ducis laudes.

A.C. 1592. terni Ducis cujuſvis fortitudinem quantumvis ſibi utilem oderunt, & propterea hunc quoque ex quo felicioribus progreſſibus in Belgio inclaruerat, divexare non ceſſarunt, ſæpe tempeſtiva ſtipendiorum militum ſolutione denegata, ſæpius ut à bello offenſivo abſtineret, defenſivum ſuſtineret imperato. Et quo maximè conſumebatur, ejus geſta nunquam non in ſuſpiciones moleſtiores Aula Hiſpanica trahebat. Nec deerant ex Hiſpanis qui & Gallicam expeditionem proſperiorem illi inviderent. Vnde adhuc eo vivente Dux de Feria cum Imperio militari in Gallias, & Comes Mansfeldius Gubernator Belgii fuerat deſignatus. Cum quibus mandatis paulò ante deceſſum ipſius Atrebati Comes de Fontibus in Belgium venerat, eaque ipſo defuncto annuntiavit in conſilio Belgii Bruxellis convocato, aſſerens pro tali caſu ſibi fuiſſe à Rege Hiſpaniæ concredita.

Annus Chriſti, 1593.

PRimi dies Anni iſtius Milleſimi, Quingenteſimi, Nonageſimi Tertii, ſignandi ſunt Gallicis rumoribus; nam ipſo initio Anni hujus Gallorum fœderatorum ſocietas, quod euſque conceptum in immo pectore caute foverat, in lucem producere majori molimine tentavit. Pertæſis ſiquidem iſti fœderi conjunctis, quod tanto ſanguinis & fortunarum diſpendio bellum ducerent, & neſcirent Regem, à quo tandem tanti laboris prœmia repeterent, ac ægrè ferentibus Hiſpanis, quòd ſuæ operæ & tantarum impenſarum mercedes ſibi ſecretioribus pactis ſtipulatæ adhuc in incerto manerent, ne diutius eos ſpe vacua diſtinerent Duces fœderis, excluſo Henrico Navarreo, alium Regem Galliæ eligendum decernunt, ex quo in utroſque fructus exoptatus redundaret. Itaque Dux Mænius ejus fœderis ſummus Præſes, 5 die menſis Ianuarii iſtius anni Pariſiis publicari fecit edictum, in quo poſtquam commemoravit Fidem Catholicam in Gallia introductam à temporibus Clodovei Regis per conſequentes Regum ſucceſſiones incorrupte floruiſſe, & Principes nonniſi Catholicos regnaſſe, legibuſque antiquis & noviſſimis ſub Henrico III. ſancitis, ne hæretici ad Regnum hoc inaugurarentur prohiberi, ac Henricum Navarreum toties monitum ut hæreſi renuntiaret, Catholicamque Fidem ſequeretur, nunquam tamen ad hoc induci potuiſſe, deinde aliqua in juſtificationem ſui & totius ſuæ ſocietatis adjunxit, demumque Conventum omnibus Principibus & ſtatibus Franciæ ad diem 27 menſis Ianuarii indixit Pariſiis, in quo de remediis reſtituendæ tranquillitatis Regni, & de eligendo Catholico Rege ageretur. Ad quem Conventum deſtinarat Rex Hiſpaniæ Ducem de Feria Legatum ſuum, Clemens autem PP. VIII miſerat eò Philippum Cardinalem Placentinum, cui dederat diploma in illo Conventu publicandum, quo excommunicabat Navarreum, minuſque habilem Regno declarabat, & Gallis permittebat, ut alium Regem ſibi poſſent eligere. Et quidem Hiſpanicus Legatus Dux Feriæ adventum ſuum tardavit uſque ad menſem Martium, ſed Papæ Legatus ſtatim ad initium adfuit præſens, illudque decretum Pontificis ſummi publicavit. De cætero Conventus ille raris ſeſſionibus trahebatur, donec Dux Ferienſis & plures Galli Principes convenirent. Navarreus autem ut intellexit publicatam fuiſſe contra ſe illam excommunicationem, coram Concilio Cathalaunii ad hoc convocato per Nuntium ſuum de ea conquerebatur, & demonſtrando eſſe injuſtam, & procuratam ab eis, qui legitimum ſucceſſorem Regni Galliæ tali arte abdicere, Regnumque ad alios, nempe Hiſpanum nominis Gallici perpetuum hoſtem transferre vellent, appellationem contra eam interpoſuit, & malis quæ adferret, remedium provideri poſtu-

Galliæ fœderati alium Regem eligere volunt.

Mænius Dux indicit Electionem Regis Galliæ.

Clemens VIII PP. dat poteſtatem Gallis eligendi ſibi Regem.

Gallorum Conventus Pariſiis de eligendo Rege.

Excommunicatio Clemen. PP. contra Navarreum non admittitur.

poſtulavit. Nec longa deliberatione præmiſſa, Concilium illud, excommunicationem hujuſmodi, ejuſque promulgationem & executionem irritam declaravit, factamque à Nuntio Regis appellationem ipſummet Concilium illud nomine ſuo aſſumpſit. Citari quoque juſſit Cardinalem Placentinum adminiſtrum illorum fulminum Pontificiorum, ſi provocationem contradictionemque talem oppugnare vellet: & prohibuit ne ullus edictum illud Summi Pontificis tenere, circumferre, ac loca in quibus de Electione Regis tractaretur adire auderet, & ſi quis mandatum hoc ſuum violaret, Nobilibus amiſſionis gradus ſui, & infamiæ; Eccleſiaſticis, privationis beneficiorum; cæteris autem læſæ Majeſtatis, turbatæ pacis publicæ, & proditorum pœnas denuntiavit. Loca etiam in quibus Electio fieret funditus evertenda, & ſolo æquanda in perpetuam ſceleris abominationem decreverat. *A C. 1593.*

Indixit etiam Navarreus Carnuti Proceribus omnibus Conventum, quem opponeret Conventui Pariſienſi, & in eo frequentes Principes, & Eccleſiaſtici, & ſeculares plurimi Catholici congregati, poſtquam ſuper indicto Pariſiis Conventu deliberaſſent, eum illegitimum eſſe declararunt. Dicebant enim Ducem Mænium poteſtatem convocandi Conventum Regni nullam habere, & ſe ipſius edictis parere non teneri, indignumque fore, ſi unus cum paucis aſſeclis ſuis, univerſis Ordinibus, Principibus ſanguinis, & primis Proceribus legem de Republica conſultandi, Regemq; eligendi præſcriberet. Quod ſi præſens Regni turbatiſſimus ſtatus requirat, ut de ejus reſtituenda tranquillitate conſulatur, hoc Mænium uſurpare ſibi ipſi non poſſe, ſed ad eum qui in ſucceſſionem Regni jure vocatur, & ad ſe Principes ſanguinis, omneſque Proceres æqualiter pertinere. Atque his aliiſque ſimilibus rationibus ſcripto conceptis, eos qui Pariſiis congregabantur, omneſque alios invitabant, ut relicto illo Pariſienſi, & alio quovis illegitimo conventiculo, ſecum de communi ſalute conferrent in loco quem unanimi conſenſu inter Lutetiam & S. Dionyſium eligerent. Hocque edictum per tibicinem Pariſiis 27 die menſis ejuſdem Ianuarii publicari fecerunt.

Navarreus indicit Conventum Carnuti Proceribus Gallis.

Gallorum Conventus Carnuti damnat Pariſienſem Conventum.

Pariſiis fœderati inchoant ſuum Conventum.

Iamque ibi inchoabantur confœderatorum Comitia, in quibus primus Dux Mænius peroravit; & gratiis Deo actis, ac Summo Pontifici, ac maxime Regi Hiſpano, quod illorum ope Gallia è faucibus Calviniſtarum fuerit liberata: hortabatur omnes, ut in illis Comitiis providerent perpetuam ſecuritatem Gallis ab hæreſi, electo Rege Catholico & potente, qui molem ab hæreticis illati belli ſuſtinere valeret, hancque ejus orationem eadem verborum ſententia excepit Nicolaus Pelleveus Cardinalis Archiepiſcopus Remenſis. Neque ultra tunc proceſſit deliberatio Comitialis, ſed tantum illud ſcriptum per tibicinem à Principibus partium Navarrei Carnuto miſſum legebatur: deliberatio autem de dando reſponſo ad frequentiorem conſeſſum fuit dilata. Et cum interim nulla eſſet armorum ceſſatio, ſed utrinque in diverſis partibus acrius bellum promoveretur, Mænius quoque ad Carolum Mansfeldium, qui cum Belgicis copiis dubiis quas Civitates oppugnaret in Picardia præſtolabatur, Pariſiis diſceſſit, & diſcedens ordinaverat, ut Comitia lentis deliberationibus ducerentur, nec de Electione Regis quicquam decerneretur, donec ipſemet rediret. Parum autem intereſt, ut ſingula quæ tunc armis gerebantur, recenſeantur; variante enim fortuna nunc hæc, nunc illa pars prævalebat, & loca capta iterum amittebat ac recipiebat: hoc ſingularius ſucceſſerat, quod Carolus Mansfeldius prima oppugnatione à Novioduno rejectus, conjunctis paulo poſt cum Mænio viribus, ſecundo Civitatem illam oppugnavit, & ad deditionem coëgit. Nec dubie in Picardia potentiores partes erant fœderatorum, propter auxiliares copias Belgicas & Pontificias: ſed in Delphinatu ac Provincia Ladigerius cum Pernonio viceverſa pro Navarreo feli-

Mansfeldius Noviodunum capit.

I 4

Google

A.C. 1593.

Navarreorum & fœderatorum varians fortuna.

Fœderati colloquium mutuum concedunt Regiis.

felicioribus progreſſibus prœliabantur, & etiam Pinatolum tranſgreſſi, ditiones Sabaudi partium Hiſpanicarum Ducis vaſtabant. Conventus autem Pariſienſis interim protelabatur, & cum Regii urgerent, ut daretur reſponſum ſuper ſuo ſcripto per tubicinem nuper porrecto, ad colloquium cum ipſis habendum Pariſienſes conſenſerunt, loco Vallettæ ubi utrinque convenirent aſſignato. Tandem vero & Dux de Feria venit Pariſios ſub finem menſis Martii, à Mæniæ Ducis filio, & omnibus qui aderant Pariſiis in ejus occurſum effuſis, plane Regali pompa exceptus.

Feria Dux venit Pariſios.

Feria Dux Legationem ſuam exponit in Conventu Pariſienſi.

Ac poſt paucos dies quieti datos, in publicum Conventus illius conſeſſum deductus, loco honoratiori accepto, legationem ſuam expoſuit. Et primo commemoratis plurimis Regis ſui neceſſitudinum cum Regibus Galliæ,& amicitiæ cultę cum Regno eodem ſymbolis, quantumvis ſæpius (inquit) ingrata habebantur, & injuriis compenſabantur; ea tamen ſemper Regem ſuum continuaſſe, & in præſentibus Regni iſtius periculis tot exercitibus, tanta auri atque argenti, vi (ſexies mille numerorum aureorum ibi communium millia, vel noto nomine ſex milliones aureorum nummorum excedente) in ejus defenſionem profuſis abunde probaſſe deducebat, atque affirmabat Regem ſuum talibus ac tantis officiis impenſis non defatigatum iri, immo majora præſtaturum, dummodo conſervationi Fidei Catholicæ in eo Regno conſuleretur, univerſumque illud Regnum ad priſtinum nitorem ac libertatem rediret. Deinde præſentavit literas ſui Regis ad Ordines Galliæ, eandem paucioribus verbis expreſſam ſententiam continentes, in quibus ad finem Rex hortabatur Ordines Galliæ, ut memores beneficiorum acceptorum, expectationi ſuæ ſatisfacerent. Promiſit etiam Dux de Feria ſe oſtenſurum, ſi quæ pleniora vel ſingulariora mandata ſibi à Rege ſuo data Ordines requirerent.

Pelleveus Cardinalis nomine Conventus reſpondet Ferienſi.

Ad hanc Ferienſis orationem, Ordines facta deliberatione, commiſerunt, ut reſponderet omnium nomine Nicolaus Pelleveus Cardinalis; qui congratulatus inprimis optatiſſimum & jucundiſſimum tribus Ordinibus Galliæ,Ducis ejuſdem adventum, & teſtatus literas Regis Hiſpaniarum & ejus Legatum cum ſummo honore & reverentia ab Ordinibus lætis plaudentibuſque ſuſcipi, nullumque ex Proceribus Hiſpaniarum aptiorem gratioremque ad tantam functionem potuiſſe mitti, quam ipſum Ducem Ferienſem, generis nobilitate & preclare geſtorum ſuorum gloria conſpicuum; Deinde comparationem primævi & præſentis ſtatus Galliæ Regni prolixo & cultiori ſermone repræſentavit. Hæc eſt, inquit, rerum humanarum ſors, ut nihil ſtabile aut perpetuum durare permittat, ſed volubili quadam viciſſitudine ludens in humanis, opes, Principatus, gloriam eruditionis, pietatis laudem transferat de gente ad gentem. Cujus rei exemplum ſingularius elucet in hoc florentiſſimo quondam, nunc autem afflictiſſimo Galliarum Regno, quod olim Fidei Catholicæ firmiſſimum propugnaculum, nunc hæreſis immani tempeſtate concuſſum extrema periculorum timet, niſi ope aliena fulciatur. Regum enim Galliæ ſemper fuit præcipua laus, ut ſectas hæreſium evellerent, & Chriſtianæ Fidei ac imperii terminos longe lateque dilatarent.

Clodoveus primus Rex Galliæ Chriſtianus.

Viſigothos Arrianos Rex Gall. Clodoveus devicit.

Clodoveus primus Regum Galliæ ſacto Chriſtianæ Fidei Baptiſmo & nomine inſignitus, Viſigothos pertinaciſſimos Arrianæ perfidiæ ſectatores, omnem oram inter Ligerim & Pyrenæos jacentem incolentes, ad veræ Fidei Catholicæ cultum coëgit, uno prælio apud Pictones fuſo eorum Rege Alarico, & manu ſua interempto. Et ejus filius Childebertus Almaricum Alarici filium in Hiſpaniam cum Arrianiſmo tranſgreſſum, cum fidefragus quod promiſerat Arrianam hæreſim non deſereret, & Clotildem uxorem ſuam Almarici ſororem Religionis cauſa contumelioſius haberet, præliis ſæpius iteratis profligavit, & populos qui ei parebant,

rebant,ab hæreſi revocavit, repetitiſque vicibus Pyrenæos tranſiens,Fidem Chriſtianam ab Apoſtolo Iacobo in Hiſpanias introductam priſtinæ integritati & nitori reſtituit. Dein Carolus Martellus Saracenos, qui totam Hiſpaniam & Africam ſubegerant,uno prælio ad Ligerim fudit,& eoſdem poſtea Viſigothis junctos, Narbonenſemque Provinciam occupare contendentes, ſtirpitus delevit. Ac præ cæteris Carolus Magnus, non alia arte & cognomen Magni quæſivit, & Imperii titulos à Conſtantinopolitanis Imperatoribus in Occidentem ac in ſeipſum transtulit, niſi quod Saracenos Hiſpaniam incolentes bello perdomuit, Baleares Inſulas Majoricam & Minoricam nunc dictas, Mauris ejectis in clientelam ſuam recepit, & plurima bella pro religione feliciter geſſit. Tum & Carolus V, qui miſſo in Hiſpaniam Bertrando Gueſcelino militiæ ſuæ Magiſtro, Petrum Caſtellæ Regem in Iudæos propenſiorem Regno expulit, & in ejus locum ſuffecit Henricum de Tranſtamara, cui Caſtillienſes, & Legionenſes, excluſo hæreditario Rege in tyrannum degenerante, libenter paruerunt, ut non ſit novum hæreditarium Regem, poſtquam mutavit parentum morem, abjici. Sæpius denique arma Gallica Hiſpanis opem ſalutarem tulerunt, & affinitates ſtrictiores gentes iſtæ inter ſe coluerunt, prout uſque cum Divo Ludovico matre Blancha Hiſpanica genito, in Familiis Regum Galliæ Clodovea, Carolina, Hugocapetea frequentiſſima hujus rei poſſunt numerari exempla. At tunc vice fortunæ converſa, Gallias univerſas virulenta hæreſi depaſcente, opis domeſticæ inopes Galli, ab Hiſpanis eam implorant; ſpe tamen non inani, nam eam liberaliter ſuppeditavit Philippus Secundus, qui divinitus plane excitatus, Fidei cuſtos Catholicæ & defenſor, majores ſuos Ferdinandos, Maximilianos,Carolum V, Patrem rebus pro Religione geſtis longe ſuperavit, cum præter alia præclara multa, miſſo Parmenſe Duce ſolertiſſimo ab obſidione Lutetiam primum, & ſecunda expeditione Rothomagum liberavit, ut eum ſecundum poſt D e v m liberatorem ſuum Gallia agnoſcere debeat. Et licet ab octo Pontificibus Romanis in iſtis anguſtiis ſuis Gallia adjuta fuerit, horum tamen omnium operam unius Philippi Regis munificentia ſuperatam eſſe etiam futuris ſæculis teſtabitur. Immortales itaque Galli referunt ipſi gratias, ac obnoxius precantur, ut ad finem illis ſubveniat, donec à tam immani incendio liberentur. His gradibus aperiet ſibi majeſtas Catholica ad aſtra facilem viam, & nomini ſuo immortalitatem compatabit.

Carolus Martellus Saracenos apud Ligerim fudit.

Carolus Magnus Saracenos in Hiſpania edomuit.

Carolus Magnus Baleares Inſulas Saracenis ademit.

Carolus V, Rex Gall. in Hiſpania ejecto Petro Rege Henricum ſuffecit.

Ludovicus S. matre Hiſpana genitus.

Sperabat Legatus quod Galli tam blandis verbis, & tantis in ſe benevolentiæ Regis Hiſpaniæ memoriis deliniti, protinus acclamationibus ſuis eum renunciarent Regem Galliæ, vel ad perficiendam ex ipſius voto Electionem novi Regis eſſent feſtinaturi. Sed ut maturioribus ſubolevit res inſtructa ad transferendum Regnum in Auſtriacos, Regia ſtirpe Gallorum excluſa, morâ remedium quærere maluerunt. Ac inprimis ſuaſerunt, ne Electio Regis tractaretur, niſi vocatis illis quoque qui plurimi Catholici & Principes ſanguinis,officiaque publica gerentes à partibus Navarrei ſtabant. Et cum iſti Pariſios venire detrectarent, ne Majenæ ſeu Mænii juſſis & publicationi Conventus obſequi viderentur, colloquium jam ante utrinque expetitum & conceſſum, in loco dicto Valletæ inter Pariſios & S. Dionyſium cum ipſis fuit inſtitutum. Quod ad finem menſis Maji protractum, etiam induciis prolongari placuit, nempe ad quindecimam diem menſis Iulii proximi, pro quo Navarreus Conventum omnibus Carnuti indixerat, in eo declaraturus animum ſuum de profitenda Fide Catholica. Omnis enim illius colloquii deliberatio in eo hærebat: quod ex lege Salica Navarreo ad ſucceſſionem Regni nil aliud obſtaret, niſi ut Fidem Catholicam profiteretur: quod ſi præſtaret, uti ſe facturum jam non obſcure præferebat, fruſtra aliam electionem Regis tentarent Ordines Regni, ex qua cum Rege novo & forte

Galli Electionem Regis procraſtinant ne Auſtriacum eligant.

Colloquium fœderatorum cum Regiis differtur.

Iſabellam ex Hiſpania Gallia natam volunt Hiſpani eligi Reginam Galliæ.

A.C. 1591.

Salica lex excludit fœminas à ſucceſſione Regni.

Philippum Regem vel Erneſtum Archid. volunt eligere in Regem Galliæ.

Salica lex excludit externos, nec ſanguine Regio cretos à Regno.

Guiſius Dux nominatur Rex Galliæ.

externo contra Regem nativum bellum perpetuum in Gallias introduceretur, & ſtudiis diviſi Galli, ad extremam vaſtitatem & mendicitatem redigerentur. Sed Hiſpani & Pontificii videntes ſe ea via ab optato fine longe abduci, colloquium illud & omnem tractatum de induciis abruperunt. Electionem etiam non diutius differendam eſſe rati, eam expediri urgebant, & tandem arcanum omnium iſtorum Conſiliorum ſuorum manifeſtarunt. Propoſuerunt eligendam in Reginam Galliæ Iſabellam ex Iſabella Valeſia Henrici III, Regis Galliæ ſorore Philippi Regis Hiſpaniæ filiam, ut quæ ſola nominis Valeſii hæres ſupereſſet, & accepto Erneſto Archiduce marito, Regnum hoc Catholice adminiſtrare valeret. Cui propoſitioni oppoſuerunt ſtatim Galli legem Salicam, quæ fœminas à ſucceſſione Regni excludit, tanto magis extra Regnum natam. Poſtea Regem ipſum Philippum Hiſpanum, vel Archiducem Erneſtum eligendum inſinuabant. Sed & iſtis lex Salica obſtabat, ut quæ externum Principem eligi Regem vetaret. Ac demum ad Guiſios eſt devenrum, ex quibus Henricus Henrici à Rege Henrico III, interfecti filius viginti trium annorum juvenis Rex nominabatur. Contra quem ſtatim Parlamentum Pariſienſe interceſſit, nonniſi ſanguinis Regii Principem Regem legitime creari poſſe denuntians.

Guiſii electionis proclamationem tumultus populi impedit.

Et dum nihilominus electio ipſius proclamari deberet, tantus tumultus in populo ad arma concurrentre fuit concitatus, ut in eo unus ex præſidibus Conſilii ad proclamandam illam Electionem deſtinatus fuerit occiſus, & Mænius Dux multum laboraverit priuſquam tumultuantes turbas ſedaſſet: unde & denuntiatio illa fuit intermiſſa, & Guiſius Regis titulo abſtinuit. Atque ab eo tempore Dux Ferienſis aliquantum ex cura promovendi Regis electionem remiſit, honeſte ſe excuſans, eam cauſam Legationis ſuæ non eſſe primariam, ſed ut hortetur, ne hæreticus Rex admitteretur. Non deſiſtebat tamen ſolicitare animos Ordinum pro Rege ſuo atque Archiduce Erneſto, promiſſis largioribus propoſitis, quorum nervo, ut ajebat, priſtina tranquillitas Galliis reſtitueretur: quod non latebat Navarreum, qui propterea veritus ne tandem ſtudia ſibi devinctiorum tam ſpecioſis blanditiis corrumperentur, & ſi iterum inſtauraretur Regis electio, feliciorem Hiſpanis adferret exitum, declarationem quam animo conceperat, de confirenda Fide Catholica perficiendam decrevit. Et cum à Principibus ſibi addictis pro eo requireretur, quod antea verbis ambiguis expedire ſolebat; tunc reſpondit, ſe in Fide Catholica natum, educatum, ſed à prima pueritia ſemper in armis & caſtris verſatum, altioribus ſtudiis vacare non potuiſſe, nec ſingulariora Fidei ſcire, ſed doceri velle, & ſi à ſe partite ſingulatimque arcana Fidei requirantur, per Theologos peritiores explicari debere, ex eorumque expoſitione, ſe quod ſentiret declaratum eſſe. Vocatus itaque Pariſiis Benedictus Renatus Sorboniſta erudidiſſimus Theologus, ad S. Dionyſium ubi Rex morabatur, & conjunctis Epiſcopis qui ibi aderant, in præſentia Regis rationes Fidei diſſeruit, dubia aliqua à Rege allata diſſolvit. Nec multum cunctatus Rex eo audito, omnino, inquit, hæc ego credidi, & credo, hancque non aliam Fidem profiteri volo, ac ſtatim Calviniſtas prædicatores Rupellam ablegavit, nec alias conciones niſi Catholicas deinceps audivit.

Ferienſis Dux ſolicitat ne Rex hæreticus eligeretur.

Navarreus declarat ſe quod velit inſtrui in Fide Catholica.

Navarreus Fidem Catholicam profitetur & Calviniſtas Doctores à ſe relegat.

Navarrei pœnitentia.

Paucos autem poſt dies natali ſuo Idibus ſeu quindecima menſis Iulii, rarum pœnitentis exhibuit exemplum, poſteris non minus quam Theodoſii à S. Ambroſio reprehenſi memorandum. Vnde licet jam ab aliis fuerit relatum, hic quoque ponendum voluimus, quo multiplicatis exemplaribus facilius ad plurium notitiam perveniat. Progreſſus iſte Rex à Palatio Regio, quod eſt in Oppido S. Dionyſii, ac ſacco lineo ſuperinductus, nudis pedibus, capite aperto, & cereum accen-

A.C.1593.

accenſum manu tenens, ivit ad Templum primarium illius loci, magna populi multitudine inſpectante, nam & Pariſiis viciniis advenerant eò multi ſpectatum. Ad valvas Templi cum acceſſiſſet, & clauſas inveniſſet, eas ipſemet manu pulſavit: & interrogatus ab Epiſcopis qui Templum occupabant quis eſſet? Reſpondit, ſe eſſe Regem Navarreum Galliæ Regni verum hæredem: Epiſcopus replicavit, quid hoſti Eccleſiæ? quid lupo cum Paſtoribus? At ille ait: ſe ſimulata Apoſtaſia graviter in Deum & Eccleſiam deliquiſſe, ſed propterea dolere, & ex animò pœnitere, ac ad gremium Eccleſiæ reverti, petereque ut à Matre pia non ſecus quam à Patre filius perditus recipiatur. Tunc valvæ Templi fuerunt apertæ, & ſtans in porta Archiepiſcopus Bituricenſis cum Cardinali Vandomio, aliiſque decem ſeptem Epiſcopis Pontificali habitu indutus, interrogabat Regem juxta Ritum in Pontificali libro præſcriptum ſingulos Fidei articulos àn crederet? an abrenuntiaret omni ſocietati hæreticæ, & vellet adhærere Romanæ Eccleſiæ, & ejus Summo Præſuli Chriſti in terris Vicario? an velit permanere in ſocietate Fidei Catholicæ, & hæreſes atque hæreticos execrari, & eos exterminare ex Regno Galliæ quantum poſſet? & Rege ad ſingula affirmate reſpondente, ac omnia promittente: concludendo Archiepiſcopus dixit: Et ego te ſalva Summi Pontificis cenſura, à crimine Apoſtaſiæ abſolvo, Eccleſiæ reſtituo, & ad Sacramenta ejus admitto; additis ex libro Pontificali precationibus, & ceremoniis ad hoc præſcriptis. Poſtmodum introductus Rex in Templum, & ab Epiſcopis qui aderant ad Altare majus ductus, illis ad partem recedentibus, Archiepiſcopo Bituricenſi de more Eccleſiæ ad aurem peccata ſua fuit confeſſus, depoſitoque pœnitentiæ habitu, ſacram Miſſam ſumma cum ſolennitate decantatam, in Regali throno ſedens, magna cum devotione audivit. Miſſa ſacra autem finitâ, ab omnibus Proceribus & Epiſcopis qui aderant, ad Palatium Regium fuit reductus, & ſumpto prandio, iterum in Templum rediens, concionem ſacram audivit, diebuſque inſequentibus frequentationem Templi Catholici continuavit. Statim autem in illo loco & vicinoribus, plurima lætitiæ ſigna fuerunt edita, & ipſe Rex ſcripſit literas ad Parlamentum Catalaunenſe, ac ad diverſas Civitates converſionem ſuam annuntians. Nec oberit ad cognitionem univerſæ rei geſtæ, ſi illarum ſenſum referamus.

Navarreum abſolvit Archiepiſcopus Bituricenſis.

Navarreus denuntiat ſuam converſionem.

Iuxta fidem, inquit, *ab initiò poſt obitum Henrici Valeſii Fratris noſtri, dum ad Regnum aſſumeremur datam, ſæpius convocationem Antiſtitum & Doctorum Regni, à quibus in fide inſtrueremur, deſideravimus, quæ machinationibus hoſtium ſemper impediebatur. Nunc autem cum licuit, in S. Dionyſio cum Antiſtitibus & Doctoribus de rebus fidei ſermones habuimus, in quibus nobis ſatisfactum, & quas deſideravimus difficultates explicatæ ſunt, gratiaque Divina, quam per Spiritus Sancti ſui inſpirationem largiri nobis voluit, abunde cognovimus Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam Romanam, veram eſſe Eccleſiam Dei, veritate plenam quæ errare non poteſt, & in ea Eccleſia, ac ejus fide deinceps vivere & mori decrevimus. Nec alia intentio noſtra unquam fuit, quam velle inſtrui, & bonam inſtructionem depoſita omni pertinacia admittere, quod ut opere perficeremus, hodierna die Eccleſiæ reconciliati, Miſſam ſacram audivimus, & reliquum vitæ in hac Religione continuabimus. Quæ idcirco ſignificamus, ut inde gaudeatis, & calumnias redarguatis hoſtium, qui populo promiſſiones à nobis factas vanas eſſe, abſque voluntate eas implendi perſuadebant. Volumus etiam ut propterea publicas ſupplicationes Deo in omnibus templis faciatis, & eum exoretis, ut nos confirmet, & in hac Sacra Religione toto vitæ tempore conſervet.*

Deſtinaverat quoque ſtatim Romam Ludovicum Ducem Nivernenſem, & manu ſua ſcripſit literas ad Summum Pontificem, quas etiam hic referri non erit injucundum.

San-

A.C. 1593.

Navarreus ſcribit ad Papam de ſua converſione.

Sanctiſſime Pater. Cum Dei inſtinctu, ut ei placuit, cognoverim Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam Romanam veram eſſe Eccleſiam, plenam veritatis, in qua repoſita eſt hominum ſalus, & confirmatus ſim in hac Religione & fide, doctrina Antiſtitum & Doctorum S. facultatis Theologicæ, quos eo fine congregavi, ut mihi ea dubia ſolverent, quæ hactenus tenuerunt me ab ea ſeparatum, ſtatui me cum hac Sancta Eccleſia ſociare, cogitans in ea vivere & mori auxilio ejus, qui me pro bonitate ſua compellavit. Ac ut bonum opus auſpicarer, quod mihi licuit per Antiſtites, inſtituto & ceremoniis, quas judicarunt neceſſarias ſubmiſi me. Dominico die 25 Iulii audivi Miſſam, junxi preces meas cum precibus Catholicorum, ut membrum Eccleſiæ, cum decreto perſeverandi totius vitæ meæ ſpatio, deferendæque obedientiæ & honoris debiti Sanctitati veſtræ, & S. Sedi, more à Regibus Chriſtianiſſimis majoribus meis accepto. Et certo mihi perſuadens SS. Pater, quem Deus in quo eſt loco voluit conſtituere, Sanctitati veſtræ ſanctam hanc actionem meam jucundam fore, volui priuſquam ample ſatis faciam, quemadmodum diebus hiſce poſt decrevi, hac de cauſa ſolennem Legatum mittere, virum magnæ dignitatis, paucis lineis autographis teſtimonium exhibere pietatis meæ, ut filius erga Sanctitatem veſtram, ſupplicans ex animo tenerrime, ut habeat acceptam, & ita boni conſulat, ut à bono & ſincero corde procedit, cupidiſſimoque promerendæ ſanctæ benedictionis tuæ actionem meam. Hiſce SS. Pater rogo Deum, ut velit quam diutiſſime ſervare S. V. in continua ſanitate, & felici gubernatione S. Eccleſiæ. Ad fanum S. Dionyſii, 18 Auguſti 1593. Veſter bonus & devotus filius Henricus.

Navarreus Rex Galliæ renunciatur & ei jurant Principes.

Feria Dux procurat ut Guiſius Rex Galliæ creetur.

Pariſienſes inducias ab Henrico Rege propo, tas ſuſcipiunt.

Lugdunum ad partes Regis Henrici concedit.

Paulò poſt Rex ille pompa Regali fecit celebrari ſacra parentalia Regi Henrico III, à monacho interfecto; Et dimittebantur Nuntii ad Præſides Provinciarum ac ad Arcium Præfectos cum literis annuntiantibus de tali ipſius converſione & abſolutione, quæ ubique, præter pauca loca Mænii præſidiis munita, ſummo applauſu populorum excipiebantur. Pariſiis tamen Legatus Summi Pontificis irritam conabatur declarare abſolutionem illam, & Archiepiſcopum Bituricenſem ejus adminiſtrum anathemate propterea notare. Cum autem Hiſpanus Legatus res in tantum pro Navarreo inclinare videret, nec ſpes eſſet poſſe perſuaderi Gallis, ut Regem Hiſpanum vel Archiducem Erneſtum Regem ſuum nominarent, ſaltem Henrici Guiſii electionem populo propter nomen Guiſianum non adeo ingratam ab Ordinibus ratam pronuntiari urgebat, aſſerens Navarreum toties relapſum omnia ad decipiendum componere, & converſionem ejus vanam eſſe, ut quod Reginæ Angliç & Hollandis ob multimodas obligationes fœduſque initum adhęrere deberet, & quantumvis vellet, ab eorum ſocietate & hæreſi non tam facile recedere valeret. Sed nihil profecit, fatigati enim omnes bellorum incommodis, breviora reſtituendę pacis compendia quærebant, & inducias trimeſtres, quas jam Rex cum aliis Principibus in S. Dionyſio ſtabilierat, ultimo die Iulii Pariſienſes quoq; invito Legato Hiſpano ſuſceperunt, eaſque etiam Mænius, ut populo ſatisfaceret, ſubſcripſit, & proclamari permiſit per tubicinem Pariſiis ad Kalendas Novembris proximi duraturas, ac demum ad alios tres menſes prorogatas. Interim plures Civitates & Provinciæ in partes Regis concedebant, at Lugdunum ut interceptis literis præſenſit Hiſpanicas copias ex Italia conduci, quæ eam Civitatem & totam eam Provinciam fortioribus præſidiis munirent, & pro Hiſpano tenerent, diuturnumq; in Galliis bellum ducerent, Nemourium Mænii uterinum fratrem eouſque illius Civitatis cum ſummo imperio Præfectum concitato tumultu comprehenderunt Menſe Septembri iſtius anni, & in cuſtodia arctiori detinuerunt: Qui poſtea anno proximo evaſerat quidem, ſed Lugdunum nulla amplius fœderatorum pręſidia recepit. Quæ autem fuerunt ſubſequuta in iſta Gallicarum rerum inverſione, anno ſubſequenti attingemus, nunc aliis locum concedamus.

In

A.C. 1593.

Ioannes Rex Sueciæ moritur. *Sigiſm. Rex tranſire in Sueciam decernit.* *Caroli Sudern. Patrui Sigiſm. Regis moleſtiones.*

In Polonia poſtquam Ioannes Rex Sueciæ, ſub finem præcedentis anni fatis conceſſerat, Rex Sigiſmundus illius Regni hæres in Sueciam ad aſſumendam Coronam Regni iter parabat. Et quidem fama erat quod Patruus ejus Carolus ad ſeipſum traheret ſucceſſionem illius Regni, & ad excludendum Sigiſmundum vires & modos compararet. Nec vanus ille rumor fuit, nam munitiora in Filandia & pluribus aliis Provinciis loca occupârat. Sed cum Proceres Suecos à Rege Ioanne beneficiis, officiis, dignitatibus auctos, ob hocque Sigiſmundo ejus filio devinctiores in tam recenti obligationis memoria expugnare ſe tunc non poſſe judicaret, conſilium preſſit, quod poſtea meliori occaſione perfecit. Scripſit autem ad Sigiſmundum Regem ut iter acceleraret, & ea loca quæ ſuis præſidiis munierat, ne externo, inquit, hoſti eſſent præda, in nomen ipſius retineri affirmabat. Atque ita Sigiſmundus, Rex omni ſuſpicione doli poſtpoſitâ (qui non neglectus facile in ipſis initiis opprimi potuiſſet) tranſire in Sueciam decreverat. Et cum inſciis, nec volentibus Regni Poloniæ Ordinibus id fieri non poſſet, Comitia Generalia menſe Majo Varſaviæ celebravit, in quibus multum diuque contradicentibus Proceribus diſceſſum ſuum ægre perſuaſit; data cautione de reditu intra unius anni decurſum, & quod compoſitis rebus Regni Sueciæ in Polonia perpetuo reſideret. Auditus etiam fuit in illis Comitiis Legatus Cæſaris Rudolphi, qui primo Regi de obitu Patris Ioannis Regis condolebat: Deinde retulit Maximilianum Archiducem fuiſſe admonitum à Cæſare de confirmanda jurejurando compoſitione Bedzinenſi, & ſi quid moliretur contra hoc Regnum, à Cæſare cohibendum fore. Rogavit etiam, ut Poloni ſuſpiciones de Auſtriacis, quaſi Regnum hoc artibus inſidioſis peterent, tanquam vanas deponerent. Nata autem fuit Regi filia ſub hoc tempus, quæ demum quarta die menſis Iulii è ſacro fonte Baptiſmi ſolenni ritu Chriſtiano Eccleſiæ Catholicæ fuit levata à Cardinali Georgio Radziwil, aſſiſtentibus Patrinis Cæſaris, & ex Styria Legatis, ac præſente Reginæ matre Archiducis Caroli vidua, Regina Anna Stephani Regis vidua, Anna Regina ſex ſeptimanarum puerpera, & Anna Regis ſorore.

Sigiſm. Regem permittunt Poloni abire in Sueciam. *Rudolphi Imperat. Legatus teſtatur monitum fuiſſe Maximil. de ſervandis pactis.* *Radzivil Cardinalis baptizat filiam Regis Sigiſmundi.*

Sub finem deinde Iulii Rex cum Regina ac ſorore Anna Varſaviæ ſcaphas conſcendit, & ſecundo flumine Viſtula *Ploczkam*, ac inde Toruniam tranſiens Mariæburgumque prætervectus, die 4 Auguſti Gedanum appulit. Vbi cum maximis lætitiæ & honoris ſignis fuit exceptus. Ac ibidem unum menſem moratus plures controverſias Civitatum Pruſſicarum compoſuit: Toruniæ, & Elbingæ ſingula templa pro Catholicorum uſu tradi fecit. Quod cum & Gedani Roztrazevius Epiſcopus Vladiſlavienſis ejus Diœceſis Paſtor urgeret, & B. Mariæ Virginis templum magnum pro Catholicis vindicaret, Magiſtratus Gedanenſis pertinacius reſtitit. Neque Rex aliquid certi in eo negotio decernere voluit, dehortantibus maxime Suecis, ne populi Suecici eo exemplo reformandæ Religionis terrerentur. Dum autem Rex moratur Gedani, caſu inopinato excitatus fuit ibi maximus tumultus: Aliquis ex famulis Polonicis à bajulo onere quod portabat gravato fortuito truſus, eam injuriam vindicaturus extractâ frameâ illum bajulum gravius percuſſit, & vulneravit; concurrentibus deinde aliis bajulis, quorum Gedani inſolens eſt numerus, & etiam Polonis Polono opem afferentibus, correptis armis quæ furor ſubminiſtrârat, univerſa plebs in omnes ſine diſcrimine Polonos cædibus graſſari cœpit. Cumque numero tantæ multitudini impares illi in hoſpitia receſſiſſent, fores domuum effringere populus adoriebatur, ut nec parceret ædibus in quibus Rex cum Regina degebat, aliquot jaculis bombarda in feneſtras cubiculi Regii exploſis: opportune vero interecluſæ fuerunt ponte penſili ad portam ſublato turmæ militares Regiæ, & Polonorum Procerum ex ſuburbanis ſtationibus ſuis ad fragorem ſtrepitumque

Sigiſm. Rex diſcedit verſus Sueciam. *Gedani excipitur Rex Sigiſmundus.* *Sigiſm. Rex Toruniæ & Elbingæ unum templum pro Catholicis tradi fecit.* *Gedanenſes nolunt tradere templum Catholicis.* *Gedani tumultus in præſentia Regis.*

 armo-

A.C. 1593. armorum ingredi Civitatem volentes, nam multo ſanguine ille tumultus Gedanenſibus conſtitiſſet: ſed Polonis quia pauciores intro aderant, facilius mitigatis, & è conſpectu turbæ ab Archimariſchallo Regni Andrea Opalinski ſubductis, Magiſtratus quoque Gedanenſis longo labore furorem populi ſedavit, poſtquam ex Regiis viginti, ex civibus aliquot ceciderunt, præter vulneratos utrinque plurimos. Nec alia cauſa ſeditionis iſtius deprehendi potuit, præter illam fortuitam rixam bajuli, quamvis biduo inſequenti clauſis Civitatis portis ſeverius fuit inquiſitum per Delegatos Regios & Magiſtratum Civitatis de alio authore, & maxime de illis qui feneſtras Regiæ habitationis jaculis petierant, quorum nullus fuit inventus, etiam præmio inſigni denuntiatori propoſito. Culpa tamen in hoc vacâſſe Civitatem declarare Rex noluit, ſed ad diligentiorem diſquiſitionem, & ad reditum ſuum ex Suecia totum illud negotium indefinitum reſervavit: Ac Regina fœtu gravida iteratam tumultus commotionem metuente, ad aliam ſtationem extra Civitatem prope litus maritimum oſtiaque Viſtulæ transfierat, ibique convaſata ſuppellectili ſua, ſexto poſt die in Sueciam ſolvit, circa medium Septembris, cœlo ſereno ac vento ſecundo. At poſtridie adverſo Aquilone navigatores illi disjecti, alii ad portum Gedanenſem, alii alio aberrârunt, Rex ipſe cum Prætoria & paucis minoribus navibus Helam evaſit, ibique hæſit, donec poſt octiduum recollecta tota claſſe, quæ 34 majoribus navigiis & 9 triremibus conſtabat, felicioribus ventis in Sueciam appulit, primiſque diebus Octobris Stocholmiam Regni ſedem intravit, pompa Regia à Proceribus Sueciæ exceptus. Quæ autem ibi egerit, in anno ſubſequenti adnotabimus, nunc Vngarica videamus.

Tumultus Gedani authores.

Sigiſmundus Rex ſolvit Gedano in Sueciam.

Sigiſmundi claſſis tempeſtate disjicitur.

Sigiſm. Rex Stocholmiam venit.

Diximus autem in præcedentibus bellum ibi à Turcis inchoatum, non parum Chriſtianos terruiſſe. Sed hoc anno gravius invaleſcens, ſatis admonuit, ut Chriſtiani depoſitis mutuis odiis, arma ſua civilibus rixis diſſociata concordiæ nexu conjungerent, & converterent contra hoſtem hunc communem. Nam Haſſan Baſſa irritatus nuper illuſionibus præſidiatiorum Arcis Siſecenſis, qui deditionem fingentes plures inſigniores Turcas, quaſi ad recipiendam illam arcem intromiſſos trucidârant, hoc anno vindicaturus injuriam, cum meliori apparatu & exercitu veniens, primo oppidum Trenſchin oppugnavit atque cepit, plurimamque prædam & Chriſtianos plus mille in ſervitutem abduxit. Inde movens Siſecum obſedit, & vehementiori conatu oppugnavit, ſuo quidem malo; nam Imperatorii Ducibus Bano Slavoniæ, & Ruberro Egenbergio, ac Melchiore Redero collecti, cum Baſſa diviſum flumine Colapi haberet exercitum, eam ejus partem quæ cis flumen erat adorti, ac celerius ponte qua potuiſſet à reliquo exercitu ſubveniri præoccupato, fortius pugnantes contriverunt, pluribus in Colapi demerſis, & ipſo Baſſa una cum præcipuis Turcarum cæſis: Reliquus autem exercitus, qui ultra Colapim erat, caſtris ſuis prædæ Chriſtianorum relictis fuga evaſit. Verum Turcarum Imperator ut primum eam cladem ſuorum intellexit, aperte bellum Cæſari denuntiavit, & miſſo Sinan Baſſa Veſiro, qui ejus loco ſummum in exercitu imperium gereret, Beglerbego Græciæ juſſit, ut omnes copias in Vngariam ex Græcia promoveret. Budenſi quoque & Temeſuarenſi Baſſæ injunxit, ut apparatum quam maximum bellicum compararent, & quo Sinan Baſſa deſtinaret, ducerent. Nec intermiſit Cæſar Rudolphus, ſi quomodo barbarum à tali propoſito diverteret; & offenſum fuiſſe arbitratus, eò quòd à biennio honorarium ipſi ex pactis debitum non fuerat ſolutum, confeſtim illud comparari & Comorrham conduci fecit. Sed Turcæ per fecialem de hoc, & de tractanda pace admoniti, non honoraria quæri, ſed Vngariam ab eorum Imperatore debellandam fore reſponderunt. Et Beglerbegus Græciæ Sinanum

Turca in Vngaria bellum promovent.

Turca caduntur cum ſuo Baſſa à Chriſtianis apud Siſecum.

Rudolphus Imper. mittit Turca honorarium, ut bellum ſiſtat.

Turca reſpuunt honorarium & bellum denuntiant.

num Baſſa anteveniens, Cæſarianos ab obſidione Petrinæ (eò enim applicuerat) recedere coëgit, indeque rectâ Siſecum contendens, illud pæne ſpectantibus Cæſarianis vi cepit, præſidiarios ejus omnes necari, alios in Colapi demergi fecit, crudelius deſæviens ob tot inſignes Turcas ibi ante bimeſtre deletos. Ipſe etiam Sinan Baſſa magnis itineribus Conſtantinopoli advolans, ſtatim ad Veſprinum proceſſit, & excitatis aggeribus ac majoribus machinis duodecim admotis, propugnacula & muros ejus dejecit: quatuor diebus ſuſtinuerunt oppugnationem præſidiarii mille ducenti, qui ibi erant ſub Præfecto Ferdinando Samaria Vngaro, & Andrea Hoffkirchen: ſed cum diutius reſiſtere non valerent, noctu evadere conati, à Turcis partim intercepti, partim cæſi, vix centeni ex illo numero evaſerunt. Veſprinum captum Baſſa ſtatim muniri fecit, & Palotam progreſſus, præſidiarios qui ibi erant quadringenti, ad deditionem coëgit, promiſſâ ſecuritate abeundi, quam tamen non ſervavit, fere omnibus trucidatis immiſſo equitatu, poſtquam ultra unum milliare ex pacto à cuſtodiis Baſſæ deducti tranſierant. Arcem etiam Vezzam occupavit, ac longe lateque direptionibus graſſatus ultra quinque millia hominum Chriſtianorum in ſervitutem Turcicam abduxit. Vt vero ad hiberna receſſerat, Cæſariani reſumptis animis & viribus Duce Ferdinando Comite ab Hardek & Comite Serino, Palfio, verſus Albam Regalem iverant, & licet ibi fruſtra oppugnationem tentâſſent, rejecti à Turcis, tamen forte fortuna victoriam habuerunt. Cum enim recedentibus incauti Turcæ acie confuſa avidius inſiſterent, illi converſo curſu magnam ſtragem in eis ediderunt, Ianzar Aga fuit captus, & Baſſa Budenſis, qui tum primum in auxilium Albæ Regali veniebat, graviter ſauciatus, ex eo vulnere paulo poſt Budæ interiit, ac multi Begi (Provinciales militum Præfecti) in illa pugna occubuerant, omniumque cæſorum numerus decem millibus conſtabat, cum ex Cæſarianis pauciſſimi fuerint deſiderati. In ſuperiori quoque Vngaria cui Turcæ minus contra vim hoſtilem providerant, Tiffenbachius Filecum & circum viciniores minoris nominis arces intercepit, pleraſque ipſiſmet Turcis non viſo hoſte deſerentibus, ut Dregelium, ac Palankam, quas Palfius à Turcis relictas, impoſito ſuo præſidio occupavit. Et cum hyems ingrueret, ad hiberna miles, ut à laboribus reficeretur, fuit dimiſſus. Atque ad futurum ver majores vires comparaturus Cæſar, Conventus agebat Bohemorum, Sileſiorum, & Auſtriacorum, ac Germaniæ Statibus Ratiſbonæ pro Martio Proximo Comitia indixerat: Nec Turcæ ſegnius futuro bello neceſſaria comparabant, ut ſuo loco patebit.

A.C. 1593.

Siſecum Turcæ capiunt.

Sinan Baſſa in Vngariam venit, Veſprinum capit.

Palotam capiunt Turcæ.

Chriſtiani in ſervitutem abacti.

Turcæ cæduntur apud Albam Regalem.

Filecum capiunt Chriſtiani.

Eodem anno in Belgio Hollandi non otiabantur, ſed menſe Martio Mauritius Princeps eorum militiæ Præfectus Montes S Gertrudis obſidione cinxerat, & cum obſeſſi omnem vim oppugnatorum fortitudine & induſtria militari irritam redderent, fame & neceſſariorum egeſtate edomandos conſtituerat. Vnde vallo ac foſſis propugnaculiſque excitatis totam Civitatem ita conſtrinxerat, ut nullus ad eam aditus pateret, & venienti in ſubſidium obſeſſis Petro Erneſto Mansfeldio Belgii poſt defunctum Farneſium Gubernatori, difficilius eſſet ad aperiendum ſibi tranſitum oppugnare caſtra Mauritii, quam iſti mœnia Civitatis invadere. Venerat enim ille eo (ſed tardius) cum quindecim millibus armatorum, & propius caſtris Mauritii caſtra ſua oppoſuerat, ſed velitationibus tantum fuit certatum, nec elici potuerunt Mauritiani ad prælium, certiorem victoriam à vallo & foſſis expectantes. Quod ipſis bene ſucceſſit: Nam poſt trium menſium obſidionem, fatigatos vigiliis continuis & laboribus defenſores, expugnato primum majori vi propugnaculo Civitatis Stelhoviano dicto, ad deditionem coëgerunt; ſexcenti qui ibi ſupererant præſidiarii cum ſuis armis

Mauritius Hollandorum Dux obſidet Montes S. Gertrudis.

Montes Sanctæ Gertrudis deditionem faciunt.

 fuerunt

A.C. 1593. fuerunt dimiſſi ſalvi, tres inter eos inventi ex illis qui eam Civitatem Farneſio vendiderant, ſtatim in furcam acti pœnas proditionis luerunt. Hoc damnum ut vindicaret Mansfeldius, feſtinanter tranſiens Buſcoducum, munitionem Hollandorum Buſcoducenſibus infeſtam *Crevecourium* dictam expugnare conabatur, ſed oppugnatione inchoata, Mauritius poſtquam munitiones S. Gertrudis inſtauraverat, cum ſuis copiis eò divertens, eum rejecit, & abeuntem in aquis à flumine Deiſa ab Hollandis obſtructo excreſcentibus, gravem militum & armorum jacturam facere coëgit. Nec aliud ſingulare ſucceſſit hoc anno in Belgio, præter quod Mauritius Princeps ſororem ſuam Loyſiam Iulianam ex diverſa matre, nempe Carola Mompenſiera natam Friderico Electori Palatino Ludovici filio in matrimonium collocavit.

Mansfeldium fugat Mauritius.

Mauritii Auraniis ſoror nubit Palatino Rheni.

Clemens VIII PP. viſitat Eccleſias Romæ.

Romæ autem Clemens VIII muneri ſuo ſedulo invigilans, viſitationem Eccleſiarum Vrbis Romæ inſtituerat, ac ipſemet præſens ubique ſingulas inviſens, defectus earum corrigebat, & ad finem in templo S. Laurentii in Lucina omnes Parochos Vrbis (centum & decem numerantur) congregatos proprio ſermone ad devotionem compoſito, debiti & officii ſui admonuit. Nec ceſſavetat in ea urbe annonæ caritas, unde Pontifex ex proprio ærario pretium moderatum excedens ſupplevit, & minori annonam divendi juſſit: Opportune etiam appulerant naves Gedanenſes & Hollandicæ Genuam, Livurnum, & ad Civitatem veterem Pontificis portum frumentis onuſtæ, & illam penuriam annonæ ſublevârunt, ipſæmet damna ingentia perpeſſæ, prope enim 40 ex illis fuerant demerſæ maris tempeſtate, quæ ea hyeme in omnibus partibus maris ultra modum ſæviit. Eodem tempore Pontifex legem ſancivit, ne Iudæi Talmud ſuum & alios in Indice expreſſos ac prohibitos libros legerent, & omnes tales libros ab officio Inquiſitionis conquiſitos cremari juſſit: In ſola Civitate Bergomenſi fere 10 millia hujuſmodi librorum fuerunt collecta, & igne abſumpta.

Clemens VIII Papa annonæ caritatem ſublevat.

Maris tempeſtates ſævierunt hoc anno præter ſolitum.

Talmud Iudæorum damnatur.

Clemens VIII mittit Roſam auream Annæ Reginæ Pol.

Bavariæ Ducis filius Romam venit.

Idem Pontifex hoc anno miſerat Roſam auream benedictam Annæ Reginæ Poloniæ, & pileum gladiumque Bavariæ Duci Vilhelmo, cujus filium Maximilianum primogenitum excepit etiam tunc Romæ hoſpitio honorifice, ac à Romano populo in Capitolio magnifice ſalutari permiſit.

Melitenſium Magiſter traditur in cuſtodias.

Melitenſis Magiſtri theſaurus.

Moſchoviæ Dux petit titulum Regis à Clemente VIII, ſed non obtinet.

Sub hoc quoque tempus inciderat diſſenſio inter milites Melitenſes, qui Magiſtrum ſuum quaſi theſauros illius ſocietatis duabus triremibus impoſitos in Galliam amandaſſet (Gallus erat) & cum Turca conſentiret, ſub cuſtodiis detinuerunt. Sed cauſa ad cognitionem Summi Pontificis delata priuſquam definiretur, ille magnus Magiſter ex mœrore obiit trecentis millibus aureorum nummorum in privato ſuo ærario relictis: Ac in ejus locum fuit ſuffectus Martinus Arcius Aragonius, cum alternus ordo eligendi Magiſtrum poſt Italum & Gallum, in Hiſpanum incidiſſet, ſolicitatus etiam tunc multum pro Theodoro Duce Moſchoviæ iſte Pontifex, ut illum Regio titulo donaret, conſtanter recuſavit, niſi ſchiſmate Græco relicto, ad conſortium Eccleſiæ Romanæ Dux ille cum ſuis ditionibus rediret.

Farneſio Parmenſi Duci juſta funebria ſolvuntur.

Hoc eodem anno 3 Aprilis Romæ in Templo Capitolino Ara cœli priſcis Romanis Iovis Capitolini dicto, juſta funebria Alexandro Farneſio fuerunt perſoluta, in quibus quicquid glorioſi, quicquid magnifici excogitari potuit, profuſe fuit cumulatum, omnibus Cardinalibus & nobilioribus Romanis, ac populi totius Vrbis concurſu illam pompam cohoneſtante. Comparaverat ille Princeps magnam nomini ſuo gloriam in adminiſtratione Belgii plurimis bello præclare geſtis, ſed tamen primorum annorum ejus feliciores ibi ſucceſſus, damnis ultimorum, nempe Zurphania, Daventria, Hulſto, Neomago, Breda, plurimiſque aliis locis amiſſis, prope fuerunt compenſati, & duabus expeditionibus in

A.C. 1593.

Galliam Pariſiis & Rothomago ſubvenerat quidem, prælio tamen non ſatis proſpere certavit, immo vulnere circa Rothomagum accepto, ex quo nunquam convaluit, pæne inferior in Belgium receſſerat. Nec feſellit quod aliquis amicus ipſum moverat, ut capta Antverpia, bello valediceret, ac viciſſitudinem fortunæ metueret, ut alio loco attigimus.

Farneſiorum genus.

Origo iſtis Farneſiis & generis & opulentiæ à Paulo Papa III, qui natus in Oppido Farneſio, agnomen quoque inde ſibi & Familiæ ſuæ traxit, & à Pontificatu opes, poſſeſſiones Ducatus Parmæ, Placentiæ, Caſtri, nominiſque amplitudinem, quam ipſius pronepotes conjugio Margaritæ filiæ nothæ Caroli V naviter auxerunt, atque provexerunt uſque ad affinitates Regum ac Imperatorum. Antiquorum vero Farneſiorum, & dominorum loci Farneſii ſtirps, continuatur in familia Marii Farneſii, quem cum morarer Romæ familiarius cognovi, ſed iſta dedignata agnationem Pauli III, cum adhuc eſſet Cardinalis, ex commodis ejus Pontificatus participare nil potuit.

Hiſpaniæ Regis valetudo infirma.

In Hiſpania Philippus II Rex non multo ante graviore febri afflictus, demum tertio repetita venæ ſectione, & in ſingulis ſectionibus 12 unciis ſanguinis emiſſis ſanatus, eo uſque debilior aliquantum viribus confirmari cepit, poſtquam quater in die refectionem ſibi ex conſilio Medicorum ſumebat. Ipsâ tamen ſenectâ exhauſtus, curas publicas tractare non potuit, ſed omnia Comiti Cirienſi & Confeſſario ſuo expedienda demandabat. Et cum in dies langueret, menſe Septembre vocato Archiduce Alberto, qui tunc Luſitaniam Prorex gubernabat, eo præſente adminiſtrationem Regni Philippo filio ſuo reſignavit, Archiducique commiſit, ut conſilio & authoritate ſua Regni gubernationem moderaretur donec ille adoleſceret. Adjunxit etiam aliquos primarios ex Hiſpanis quorum operâ fideliore ille Rex juvenis uteretur, ipſe ſenex quieti vacare decrevit in Monaſterio S. Laurentii Eſcuriale denominato.

Hiſpaniæ Rex ſenex Philippo III tradit Regnum.

Angliam graviſſima peſtis affixit.

Angliam autem felicitate luxuriantem, quod nulla incommoda belli ſentiret, & alios prout libuiſſet impune laceſſeret, hoc anno à Deo immiſſa clades peſtilentiæ gravior quam unquam in illa regione fuerit audita, afflixit: in ſola enim Londinenſi Civitate quandoque duo millia, quandoque viginti millia hominum in una hebdomada ex lue extinguebantur, & uſque ad ſeram hyemem malum illud duravit.

Germaniæ in multis Civitatibus ſevit tumultuantes hæreſes.

In Germania nil accidit hoc anno memorabile, præter tumultus à Calviniſtis & Lutheranis invicem digladiantibus excitatos, præſertim Francofurti ad Mænum, Aquiſgrani, & Brunſvigæ, Lipſiæ. Sed iſti indigni ſunt ut ſingularius apud aures honeſtas memorentur; & ne futura quoque ſæcula afflatu talis vertiginis corrumpantur, conſultius eſt eam alto ſilentio ſepelire, ſuis tamen locis exitus talium turbarum attingentur.

Annus Chriſti, 1594.

Sigiſmundi Regis difficultas in adeundo Suetiæ Regno.

ANnus Milleſimus, Quingenteſimus, Nonageſimus Quartus, initia habuit pleriſque locis Europæ turbulenta. Sed à noſtris incipiamus. Sigiſmundus Rex Poloniæ ut in Succiam tranſierat ad ineundam poſſeſſionem illius Regni hæreditate paterna ſibi debiti, difficiliorem quam putârat rerum ibi ſtatum invenit, Carolo Duce Patruo ſuo cum aperte Regnum petere non poſſet, variis technis omnia intervertente, quo ſibi viam aliquando ad idem Regnum pararet.

Cum enim Sigiſmundus Rex Catholicam Religionem profiteretur, diverſa inde

A.C. 1594.

Caroli Ducis criminationes in Regem Sigiſmundum.

inde Carolus ſumebat argumenta, quibus illum apud populum Luthetaniſmo corruptum exoſum redderet. Eum omnes Doctores Lutheranos exterminaturum, templa omnia pro Catholicis vindicaturum in vulgus ſpargebat, & ad eam operam ipſum in Regnum ultra mille Ieſuitas (peditatum omnem Vngaricum ſimulato interim nomine & habitu militari Ieſuitas eſſe inſinuans) mutata veſte introduxiſſe. Abſententem nonniſi ex arbitrio Polonorum, & per externos hoc Regnum gubernaturum, legeſque Patrias immutaturum dicebat. Nec ſatis cautus Sigiſmundus quoque Rex fuit ad hujuſmodi fraudes; plura enim diſſimulari ad tempus poterant, quæ celerius propalata nullo fructu, animos illorum populorum irritârunt. Habebat in Comitatu ſuo Nuntium Papæ Germanicum Malaſpina Epiſcopum S.Severi, virum ſagacem, ſed nimium præcipiti conſilio: aderant & Ieſuitæ plures, quorum apud Regem præcipuam authoritatem fuiſſe, ab ejus infantia Sueci noverant. Horum itaque vehementiore & intempeſtiva pro Religione Catholica contentione Sueci provocati, tanto magis ſuſpecta Regis conſilia habebant. Templum primatium Stocholmiæ pro uſu Catholico Regis occupare illi voluerant, & Concionator aliquis hæreticus ad concionandum eo veniens injurioſe habitus, tantum tumultum populi concitavit, ut nonniſi multo labore potuerit cohiberi. Carolus autem quaſvis occaſiones traducendi Regem captans, omnia illa, ac Regis dicta, facta ſingula, majoribus ſuſpicionibus apud populum attollebat. Nihil autem magis occultabat, quam quod Regnum ambiret, Leges & libertates patriæ ſolummodo ſe defendere præſeferens.

Sigiſmundus Rex incautus ad dolos Caroli.

Religionis intempeſtiva promotio Sigiſmundo nocuit in Suecia.

Stocholmiæ tumultus excitatur contra Regios.

Deſtinaverat autem Rex diem Sacrum Epiphaniarum actui Coronæ Regiæ ſuſpiciendæ, ſed tribus fere à ſuo adventu in Sueciam jam elapſis menſibus, nihil adhuc ibi fuit circa negotia publica, quæ præcedere debuerant ſtabilitum: Immo majoribus in dies dubiis omnia involvebantur, unde & coronandi Regis tempus pendebat in incerto. Ac præcipuis circa adminiſtrationem Regni Rege in Polonia degente dubiis ſopitis, legibuſque concinnatis, maxime ſolicitum tenebat Regem, quod volebant Sueci caveri jurejurando Regis, quod ſola Lutherana (Auguſtanam dicunt) Religio excluſa Catholica, in eo Regno conſervanda eſſet, cum tamen nunquam ante fuerit Catholica excluſa; ſed ſub eo demum Interregno Ordines Sueciæ Vpſaliæ congregati, eam excludendam ſtatuerant. Et cum in eodem Conventu Abrahamum Andreæ Archiepiſcopum Vpſalienſem in locum alterius Archiepiſcopi recens defuncti arbitrio ſuo elegiſſent, cujus electio nonniſi Regis authoritate ſubſiſtere debebat, Rex eam juri Regio præjudicantem irritam habebat, nec coronari volebat ab hæretico, ſed munus Coronationis, ut Nuntio Papæ committeretur urgebat, Suecis pertinacius repugnantibus, & contentius adnitentibus, ut electio illa Archiepiſcopi rata maneret, Regemque nonniſi ille Archiepiſcopus electus Abrahamus coronaret, cui ſoli de conſuetudine Regni antiqua illam functionem comperere probabant. Nec abs re erit ſi cujuſdam Politici conſilium tunc Regi datum referamus, non ineruditum enim nec inelegans.

Sueci excludi volunt Religionem Catholicam ex Suecia.

Vpſalienſis Archiep. hæretico defertur.

Sigiſmundo Regi conſilium datum pro rebus Sueticis.

Sereniſſime Rex, Potentiſſime Princeps, ac Domine D. Clementiſſime. Accipe paucis à ſervitore quem conduxiſti conſilium hiſce temporibus, & Regno, & rebus tuis accommodatum, nec non ſpecimen fidelitatis & Iudicii ex ſincero & candido pectore profectum. Hac eſt præſens rerum facies in hoc Regno, (proh dolor) ut omnia videantur eſſe plena timoris & periculi, quibus ſuccurrendum eſt duplici conſilio; tum pacis & concordiæ, tum contra vim & rebellionem. Et quia certum eſt in arte gubernatoria Principem non poſſe ſuâ ſcientia cuncta complecti, ut dicit Tacitus, nec unius mentem eſſe tantæ molis capacem: ergo eſto Princeps ſapiens ſapientûm conſortio, & adhibe in conſilium, morum hominumque, & Provinciæ peritos; non enim ex-

teros

teros temere, non advenas, quia veriloquium eſſe putatur, ad conſilium de Republ. A.C. 1594.
dandum eſſe noſſe Rempublicam, hiſque fidendum, nec temere ab eorum ſententia diſ-
cedendum. Tritum enim eſt Poëtæ veteris: Laudatiſſimus eſt ipſe, qui cuncta videbit,
ſed laudandus & is, qui paret recta monenti. Cui & adſtipulantur alii, cavendumque
ne ad illud dictum res redeat, qui recta conſilia ſequi noluerit, pereat ſuis rationibus,
cum alterius prudentia poſſit eſſe ſalvus.

Sed hic ſubſiſte parum & attende; hæc omnia locum habent, cum ſceptrum Regni
teneas, non cum de adipiſcendo labores. Nam in hoc poſtremo valeat Regula; Fieri
quid debeat cum multis tracta; quid facturus ſis cum paucis, quid volueris, aut ipſe te-
cum. Caſu itaque quo Conſiliarii cum Rege ſuo ſunt diſſidentes, caveat ſibi Princeps
& ſecretum hoc habeat, nulla eſſe meliora conſilia, quam quæ ignoraverit adverſarius
antequam fierent. Sed tamen quia conſilio & adminiculo opus eſt, habeatur conſilium
non Conſiliariis, ſed Regi, hoc eſt ſemper in conſpectu & præſentia Regis de ſumma
Republica deliberandum: omnia privata & ſeparata Conventicula, uti peſtis perni-
cioſa in Republica exterminanda, quia facies hominis facies leonis, & in ejuſmodi ca-
ſibus quicquid agitur abſente Rege, in caput ejus plerumque redundat, & arctius vin-
culum parit, non ſine ſuſpicione periculi: Vulgare enim eſt, quod nimia familiaritas
ſervorum, eſt conſpiratio adverſus Dominum. Cave igitur ac iterum cave, ne ſine tua
præſentia moderni temporis negotia tractentur, ſed tu ipſe qua de re neceſſario conſul-
tandum eſt, certam deſignationem in ſcriptis tibi dari jubeto, & diem & locum conſi-
liis præfige. Et ubi ad deliberationem perventum fuerit, libertatem dicendi ſingulis
permitte, ne cum fortuna tua, quam tecum potius loqui videantur, idque tibi gratum
fore non obſcure præſeferas. Deinde benigne & liberaliter tractentur, quia dextera
præcipue capit indulgentia mentes, aſperitas odium, ſævaque bella movet. Et hoc tibi
peculiariter uſurpa, & amorem apud populares, & metum apud hoſtes quærendum.
Nec ad conſilium taceas, ſed breviter te explica, aut tibi placere, aut Religione & con-
ſcientia te impediri, quominus ea facere poſſis. Quo caſu urge aliud conſilium de in-
veniendis mediis ad præſentem ſtatum temporis accommodatis, quo ſine periculo &
impedimento id quod velis conſequi poſſis, aut ſi dubitas, te cogitaturum, aut ſenten-
tiam tuam per alium indicaturum oſtende.

Et quia, ut ego animadverto, tria ſunt quæ tibi negotium faceſſunt capita: Religio-
nis, Archiepiſcopi, & Coronæ accipiendæ. De ſingulis his pauca referam: Religionis
cauſa popularis eſt, quia magnum ejus in animos imperium: Religione enim vita con-
ſtat, & omnes Religione moventur, ac Deos patrios quos à majoribus acceperunt, co-
lendos ſibi diligenter & retinendos arbitrantur. Itaque qualiſcunque ea hauſta, ægre
educitur, quoniam cuique ſua optima videtur, ut quæ non ratione, ſed affectu dijudi-
catur à ſingulis. Et cum Ordines hujus Regni in ea jus acquiſitum teneant, non penes
Principem eſt illud tollere aut debilitare. Extat enim prudens monitum Mæcenatis
apud Dionem Caſſium ad Auguſtum, cujus ſunt hæc verba: Eos vero qui in Divinis
aliquid innovant, odio habe & coërce; non Deorum ſolum cauſa, ſed quia nova quæ-
dam Numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum, unde
conjurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt: Res profecto minime conducibilis Prin-
cipatui, ac legibus quoque expreſſum eſt, ut quod in Religionem committitur, in om-
nium feratur injuriam. Qua in re cum ſubditorum animos incredibili quodam ardo-
re hic concitatos comperiamus, adeo ut ſine publicis turbis nihil mutari poſſit, nullum
hic extremum eſt, quam ut S. R. M. de Religione pure & ſimpliciter caveat more præ-
deceſſorum, non facta mentione hæredum, quos tamen ſi obligatione comprehendi ve-
lint, prius naſci quam obligari rationis eſt, & hic paſſus placidis conſiliis componi po-
terit. Neque prius de templo hoc rerum ſtatu, quam de ſceptro urgendum & laboran-
dum cenſeo, ne contra ordinem naturæ particularis quæſtio univerſum præcedat &

A.C. 1594. *impediat. De Archiepiſcopo fateor, inſpectione juris & conſuetudine gentium, hanc facultatem inſtituendi & confirmandi nominatum & electum ſupremo Præſidi competere, ſed religionis cauſa quia eſt individua, & quod de toto, idem de qualibet ejus parte judicium, in hoc præſertim tam perturbato rerum ſtatu, inſpicienda ſunt tempora quibus parere omnes Politici præcipiunt. Nam in morbis quoque nihil magis periculoſum quam immatura medicina. Et expertum eſt, medicos plus interdum quiete quam monendo & agendo proficere. Suaſerim ergo, cum proteſtatione ne ea res tibi ac ſucceſſoribus præjudicet, ipſum electum, præſertim gravioris periculi declinandi cauſa admittendum eſſe.*

De Coronæ accipiendæ ritu, ſiquidem antiquis temporibus coronandi poteſtas penes milites & ſæculares erat, neque uſpiam legitur certum præceptum, quomodo ea in re procedere oporteat, niſi quod Eccleſiaſtici temporum lapſu ſibi conſuetudine veteris Eccleſiæ aliquid juris ea in re vendicarint, exiſtimarim ſi Archiepiſcopo, aut alteri ejuſdem profeſſionis id tribuere nolis, aut non poſſis, ut placide cum Ordinibus agas, ut te quadem ex parte ceremoniis iſtis liberent, aut ipſi Proceres ſine miniſterio Eccleſiaſtico inſignia Regni tibi deferant, atque commodent, aut te pro Coronato abſque ceremoniis habeant atque ſuſcipiant. Quod ſi vero (ut puto) id fieri non poſſit, ad eum caſum res redit, ut inter duo mala, illud quod minus eſt eligatur, quia tempore cedere & neceſſitati parere ſapientis ſemper eſt habitum. Neque enim in ceremoniis ſed fide conſiſtit Religionis profeſſio. & hæc quantum ad prudentiam togatam de acquirendo. De acquiſito autem quid fieri debeat circa Religionem, juſtitiam, & Oeconomiam, deque conſtituenda tota Republica, ex ſententia, ex utili & bono, præſentis quæſtionis non eſt. Si ea de re aliquando interrogatus fuero, ſententiam meam libere dicam.

Nunc contra vim & rebellionem hæc tibi paucis fideliter ſuggero: Contra vim nullum fortius inſtrumentum quam præſidium militare, commeatus, pecunia, munimenta, & conſilia; Nam ut Lampridii verbis utar, nemo provocare audebit aut facere injuriam ei Regi, quem intelligit expeditum & promptum ad vindicandum. Sed cum iis maxima ex parte nunc deſtituaris, conſilio tibi opus eſt, quomodo ſine vi atque armis cum tuis tutus eſſe, ac omne periculum declinare queas. Primum eſt, ad coronam ſumendam ne propera, niſi prius diſcuſſis & compoſitis iis quæ in quæſtionem veniunt. Secundum, ne te in locum demittas, ubi obſidione cingi, commeatu & exitu poſſis prohiberi; ſed pro tertio certam tibi arcem, & quidem maritimam deſigna, ad quam tempore neceſſitatis poſſis confugere, eamque multo ante & frumento & commeatu & aliis neceſſariis muni. Et ex elogio Vegetii pro certo habe, qui frumentum neceſſariumque commeatum non præparat, vincitur ſine ferro. In reliquis enim caſibus poteſt in tempore ſubveniri, pabulatio & annona in neceſſitate non habet remedium, niſi ante condita. Quartum, Præfectum iſtius arcis & alios officiorum miniſtros, antequam ad tractatus deſcendas, arctiſſimo fidelitatis vinculo tibi obſtringas, ut receptaculum omni hora ſecurum invenias. Quintum, ubi ad conſilium publicum perveneris, certos tibi Coryceos conſtitue, per eoſque ex doctrina Ariſtotelis diligenter inquire, quid quiſque ſubditorum faciat, aut dicat: ſubditorum dico maxime Illuſtrium; nam in omnes quæ acies inquirat, hoc cum ad alia utile, tum contra inſidias & rebellionem valebit firmiter, quoniam raro niſi male locuti, male faciunt, remque factam habes ſi detectam. Sed in deliberationibus ex monitu Mæcenatis non opus omnibus quæ ab hit talibus dicuntur fidem habere, ſed acriter ea examinare atque diſcutere. Sextum veritate facti comperta, aut ex circumſtantiis veriſimili, (ſi melioribus conſiliis res flecti non poterit) non quid ad poſtulata reſpondeas, ſed quemadmodum non reſpondeas cogita, hoc eſt, te quam commode poteris ſubducito, & ad locum tutiorem cum tuis concede, ac conventum nonniſi poſt diſceſſum diſſolve, & leniter futuri temporis occaſiones meliores rerum agendarum te daturum promitte. Septimum, Claſſem, naves, & omne

omne inſtrumentum Nauticum, ut in tua ſolius poteſtate maneat operam dabis, & ita ſtatue, ex arcibus maritimis, & Claſſe navali, te utrumque Regnum & conſervare & perdere poſſe. Plura nunc non addam. Sed Deus Opt. Max. in quo vivimus, movemur, & ſumus, per quem Reges regnant, & Conditores legum juſta decernunt, ille erit à latere tuo, & cuſtodiet pedum tuum ne capiaris, & ego pro te vota ſuſcipio, & ago cum Deo, ut ſoſpitem te incolumemque præſtet ſi tu cæteros. Dat. Stocholmii, 5 Ianuarii Anno 1594. A.C. 1594.

Magis autem Sigiſmundum Regem premebat, quod ſub primis ejus Regni auſpiciis res Catholica tantam jacturam (nempe excludenda è Regno) referre deberet, cum eo uſque nonnulli ibi Catholici inſigniores adeſſent, & officia ac dignitates publicas gererent, exinde autem ſola hæreſis privilegio legis publicæ conſervanda eſſet, & Catholici quaſi indigni ab omni honoris gradu arcerentur. Vnde fortius reſiſtebat, ne alia formula jurare obligaretur, quam ejus Pater Ioannes Rex, libero exercitio Religionis æque Catholicis atque hæreticis permiſſo. Nec pauci aderant, qui partes ipſius tuebantur, ſed contrarias tenentes, Carolo Duce audaciam & conſilia ipſis ſuggerente, nullis rationibus ab obſtinatione ſua dimoveri potuerunt, ac niſi Rex juxta propoſitam ab ipſis formulam de ſola Auguſtana confeſſione in Regno retinenda juraret, ac ab Archiepiſcopo Vpſalienſi hæretico coronari vellet, denegandam ipſi fore Coronam & Adminiſtrationem Regni palam jactabant. Quinimo & apud Senatores Polonos, qui cum Rege advenerant, porrecto ſcripto obteſtati ſunt, quod ex illo Conventu qui jam quatuordecim dies duraverat re infecta dilaberentur, niſi Rex illorum propoſitiones probaret. Tandem itaque Rex perſuaderi ſibi permiſit, ut talibus eorum poſtulatis annuerit, eo unico per longas ratiocinationes ægre impetrato, ut Catholicis in Suecia liceret degere, dummôdo officia nulla gererent, Eccleſias non haberent, & quiete viverent. Vnde hoc caveri debuit expreſſe in Regio diplomate, quod hic inſerere voluimus, ut ſequitur:

Sigiſmundus Rex pro Catholica Religione retinenda in Suecia laborat.

Sigiſmundus Dei Gratia Sueciæ, Gotthiæ, & Vandaliæ Rex, Magnus Dux Finlandiæ, Petini, Ingerniæ, &c. *in Ruſſia Eſtonum, & Liefslandiæ Dux,* &c. *Rex inſuper Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Boruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque. Notum facio, Me clementiſſima Dei Omnipotentis providentia & hæreditario ſucceſſionis jure communi conſenſu omnium hujus Regni Ordinum, fideque data ad Coronam & Imperium Regni Sueciæ omnibus pariter aſſentientibus, & ſponte volentibus perveniſſe. Quare viciſſim ſubditis meis omnibus gratiam & benevolentiam Regiam ſpondeo & promitto. Primum quod omnes ſuperioris & inferioris conditionis Eccleſiaſticos & Politicos, Nobiles & Ignobiles in ſua Religionis libertate conſervabo, ac ut ea libere & ſine ullo impedimento fruantur, juxta tenorem & præſcriptum veræ confeſſionis Auguſtanæ, Carolo V in Comitiis Auguſtæ Anno* 1530 *exhibitæ, ſicut poſtremis annis Imperii avi mei beatæ memoriæ Guſtavi, ac initio paternæ gubernationis in hoc Regno floruit, & ſicut anno* 1593 *menſe Martio, conſentientibus omnium Ordinum hujus Regni ſuffragiis, Vpſaliæ denuo comprobata & recepta eſt, tuebor ac defendam, nec contra eam in ullis hujus Regni locis per Scholas vel Eccleſias, amice & violenter aliquid intrudi, nec impedimentum vel fraudem quocunque modo in his fieri permittam; Nec in Eccleſiaſticis aut Politicis officiis in hoc Regno utar illis hominibus, qui à communi hac hujus Regni Religione diſſentiunt. Extra hæc officia publica quando ſe continent & quiete vivunt, communi Sueciæ jure privilegiis atque libertatibus cum aliis Regni Sueciæ ſubditis pro cujuſque ſtatus & Ordinis ratione frui poterunt. Deinde charam habebo noſtram dilectam patriam Regnum Sueciæ, & incolarum ejus fidelium ſalutem, & commoda fideliter quæram: ad juris normam omnia componam & ordinabo, & ſingulos ſuperioris & inferioris conditionis homines Eccleſiaſticos*

A.C. 1594. *ſiaſticos & Politicos, Nobiles & Ignobiles, Egenos & Divites, in ſua dignitatis & honoris gradu, eorumque jura & commoda conſervabo. Similiter Ius Sueticum, in omnibus articulis, & punctis, & legitimo intellectu tuebor, excepta Regni ſucceſſione hæreditaria, quæ uno omnium conſilio liberaque voluntate confirmata eſt. Similiter etiam omnia Privilegia & libertates, quas tempore ſuperiorum Regum habuerunt, & uſi ſunt, ut Regiæ noſtræ literæ, quas peracta inauguratione Regia ſingulis tribuemus, pluribus indicabunt. Et in ſumma fidelis & juſtus Rex Sueciæ ero, & jus Sueticum in quibuſcunque caſibus tam inferioris quam ſuperioris, tam egeni quam divitis, tam alieni quam amici, manu tenebo, omnem injuſtitiam & perverſitatem opprimam & auferam. Poſtremo, omnes Regni noſtri Ordines Eccleſiaſticos & Politicos, Nobiles & Ignobiles, Egenos & Divites cum ſuis quas jure tenent fortunis, in noſtram Regiam tutelam & protectionem accipio. Viciſſim omnes Regni Ordines præſentes & abſentes pro ſe ſuiſque poſteris fidem dederunt mihi, aut in Regno, aut extra Regnum verſanti, & etiam meis poſteris maribus, ſubjectionem, amorem, fidem, & obedientiam quamdiu vivent præſtandi, ſicut ſcripta eorundem obligatio, reciproca literis expreſſa teſtatur. Majoris autem ſecuritatis cauſa, quo fideles mei ſubditi omnibus his plene confidere poſſint, promitto me cunctos commemoratos articulos per Chriſtianam fidem meam, & Regium honorem & veritatem, quamdiu vitæ hujus uſura mihi concedetur perpetua fide obſervaturum eſſe. Ideoque propria manu hiſce ſubſcripſi, Regiumque ſigillum noſtrum imprimi curavi. Datum in Arce noſtra Regia Vpſalia, 19 Februarii, 1594.*

Hanc obligationem per articulos diſpoſitam eodem die juravit Rex in Templo primario Vpſalienſi hæretico, flexis genibus ante Altare majus Erico Sparre Cancellario ſingulos articulos ipſi prænunciante. Ac fuit additum in ipſo jurejurando, quod limites & Provincias Regni non alienaret: quod ex proprio cenſu viveret: nec nova onera Regnicolis imponeret: quod Regnum gubernaret ex conſilio Ducis Caroli & Senatus. Et hinc proceſſit omnis rebellionis ſeries; Carolus enim acceptis gubernationis habenis, omnis poteſtatis vim ſibi arrogavit, pro arbitrio ſuo officia Regni diſtribuit, & demum Regium quoque nomen in ſe tranſtulit, ut in ſequentibus apparebit.

Sigiſmundus Rex jurat & Sueci ei jurant fidelitatem.

Sigiſmundus Rex & Anna Regina coronantur ab Archiepiſcopo Vpſalienſi hæretico.

Sigiſmundo Regi natus in Suecia filius moritur.

Sigiſmundus Rex compoſitis rebus Suecia in Poloniam redit.

Gedani Proceres Regni Pol. Regi occurrunt.

Tunc autem jurejurando per Regem præſtito, & viciſſim per ſubditos obedientia Regi reddita, funus Ioannis Regis, quod eo uſque inhumatum ſervabatur, ſolenni pompa fuit elatum, & in templo Vpſalienſi reconditum. Aliquot autem poſt dies in eodem templo Rex & Regina fuerunt coronati ab Archiepiſcopo Luterano Vpſalienſi Abrahamo Andreæ, qui ritus omnes Catholicis uſitatos in eo actu exercuit. Nec multo poſt Regina pepererat maſculum, ſed ex incommodis maritimi itineris & inſueti aëris, nonnihil afflicta partum illum debiliorem edidit, unde intra paucos dies eum extinctum luxit. Comitia autem Regni Sueciæ generalia poſtmodum Rex ſub finem Martii celebravit, & conſtituta forma, qua in abſentia ſua Regnum illud gubernaretur, adminiſtratione quoque ejus Carolo patruo uti in pactis erat conventum, commiſſa, adjunctis ei Erico & Guſtavo Brahe, reditum in Poloniam apparavit, & cum 44 navibus Menſe Iulio Stocholmia ſolvens, ſuperatis anguſtiis, quæ ſinum maris ſcopulis continuis inde per decem milliaria Germanica incluſum in apertum mare effundunt, ad Pucenſem Regni Poloniæ portum appulit, ac inde ad oſtia Viſtulæ ſubvectus, Gedanum intravit, ibique ab Epiſcopo Vladiſlavienſi Rozrazevio, & pluribus Regni Proceribus exceptus, poſtquam aliquot diebus à labore navigationis quieverat, Poſnaniam, ac inde Cracoviam pervenit Menſe Septembri. Interim autem dum Rex abeſſet, Proceres Regni rumoribus belli in Vngaria Turcici excitati, ac pro auxiliis ab Imperatore Rudolpho interpellati, Conventum indictum à Staniſlao

A.C. 1594.

Conventus Varſavia in abſentia Regis.

Tartari per Pocuciam, in Vngariam tranſeunt.

niſlao Carncovio Archiepiſcopo Gneſnenſi Varſaviæ ſub finem Aprilis celebrârunt. Sed abſente Rege cum de ſumma rei decernere non poſſent, nec pacem cum Turcis ſtabilitam auxiliis Cæſari dandis infringi tutum Reipublicæ fore judicarent, Cæſaris Nuntio illud ſolum reſponderunt, quod exercitus Regni cum Duce Zamoyſcio Cancellario, Tartaros ne in Vngariam tranſirent, diſtinere deberet. Tranſierant tamen à Sniatino per Pokuciam, & Haliciam prætergreſſi, inde flexo itinere Stryium, tanta celeritate Alpes Carpatias ſuperârunt, ut equitatus Quartianus, tunc primum ad famam ipſorum adventus conveniens, eos conſequi non potuerit abeuntes. Czauſius autem Turcicus, qui interim in Poloniam venerat, & de pace cum ſuo Imperatore ſervanda Ordins admonebat, ad adventum Regis fuit detentus.

Minski Legatus cum obedientia ad PP. Clem.

S. Hyacinthus Polonus canonizatur à Clemen. VIII.

Miſerat quoque Rex Sigiſmundus ſub hoc tempus Staniſlaum Minski, Palatinum Lenciciensem Romam, ad teſtificandam ex more Principum Catholicorum obedientiam Summo Pontifici Rom. tunc Clementi VIII, nuper in Polonia pro liberando Archiduce Maximiliano è ſua captivitate à Sixto V Papa, Legati à Latere munere perfuncto. Qua occaſione Legatus iſte Regius obtinuerat, ut Pontifex Sum. retulerit in Sanctorum numerum B. Hyacinthum genere Odrovaſium ex Ordine Dominicanorum Monachum, die quindecima Aprilis ejuſdem A.C. 1594, apud S. Petrum celebritate tanta peracta, ſplendido apparatu, ad quem ſumptum magnificum idem Legatus Regius liberaliter ſubminiſtravit.

Turcæ in Vngaria initio anni damna accipiunt.

Batorius Tranſilvaniæ Princeps Temeſuarum obſidet.

Raſcii à Turca deficiunt.

Strigonium obſidet Matthias Archidux.

Sinan Baſſa venit in Vngariam.

Strigonii obſidionem deſerunt Cæſariani ad famam adventus Sinan Baſſæ.

Nec aliud tunc incidit notabile in Polonia, niſi quod Rex pro initio Anni proximi Comitia Generalia Cracoviæ celebranda indixerat, in quibus ageret cum Ordinibus, ſi qua ratione Imperatorem contra Turcam bellantem juvare poſſet. Omnino enim juvandus erat ab omnibus Chriſtianis, cum Turcæ magni progreſſus in Vngaria toti Chriſtianitati, haud dubium adferre videbantur exitium. Et quidem prima meliore parte anni priuſquam Turcæ novos ac majores in Vngariam conduxiſſent exercitus, Imperatoris proſperiori fortunâ utebantur. Matthias Archidux ſupremus Dux Cæſarinarum copiarum, menſe Martio Novigradum majus firmo Turcarum præſidio munitum ad deditionem coëgit: Comes Serinus circa Caniſiam collectis copiis ex arcibus Zigetho vicinis, ut Sigeſta, Serſchino, Babotſcha, Berſenza, Turcica præſidia exturbavit. Tranſilvaniæ quoque Princeps Sigiſmundus Batori eo uſque Turcis Tributarius ab illis deſciverat, & Temeſuarum obſederat Imperatoris partes adiuturus. Immo & Raſcii populi gens Slavona ripas Danubii à confluente Tibiſci & Savi uſque ad confinia Valachiæ & Bulgariæ incolens, eo uſque Turcis ſubdita, congregata multa armatorum manu excuſſit jugum Turcicum: & cum ea tranſitus per Danubium in Vngariam Turcis commodior pateret; eum infeſtum reddiderunt, plurimumque inſtrumentum bellicum Turcis interceperunt. Tieſenbachius quoque in ſuperiori Vngaria Hathuam munitiſſimum oppidum oppugnavit, & cum venientes in ſubſidium illi loco Turcas magna ſtrage profligaſſet, Iaſperinum & Zabolam arces à Turcis diffugientibus deſertas in ſuam poteſtatem redegit. Deinde Matthias Archidux congregatis univerſis copiis menſe Majo Strigonium obſedit, fortiſſimeque per duos menſes oppugnavit, quater acerrimis irruptionibus repetitis, ſed ſub finem menſis Iunii ad famam advenientis Sinan Baſſæ cum centum quinquaginta millium ex Turcis & Tartaris exercitu, nondum viſo hoſte, qui adhuc in longinquo erat, in tantum animis Cæſariani conciderunt, ut & obſidionem Strigonii multa impenſa & ſanguine virorum fortium eo uſque ſuſtentatam, ac victoriæ proximam turpiter ſolverint, munitiones in ſuburbiis, & Caſtellum S. Thomæ Civitati imminens immenſo labore partum, & ad iterandam eandem oppugnationem opportunum deſeruerint, ac inde revenientes ad caſtrum Kokorn

ditionis

A.C. 1594. ditionis ſuæ, otioſi deſidere maluerunt. Demum vero decima nona Menſis Iulii adveniente Sinane Baſſa Comorrham receſſerunt, ac ab adverſa ripa Danubii

Tottim Sinan Baſſa capit.

hoſtem in obvia quæque ſævientem ſpectârunt. Et primo Tottim quinque milliaribus à Iaurino ſive Rabba diſtantem Sinan Baſſa aggreſſus, eam majoribus tormentis concuſſam, & cuniculis ſuffoſſam, intra quatuor dies cæpit, ac inde mo-

Iaurinum Turca obſideit.

vens, montem S. Martini Iaurino viciniorem occupavit, ipſumque Iaurinum ſub finem Iulii obſedit, ac Caſtris propius Civitatem collocatis, aggeres, vineaſque producendo, intra paucos dies ad ipſas mœnium foſſas pervenit, ut ſclopetorum jaculis pertingere defenſores poſſet. Cæſariani vero excitârant ab adverſa Danubii ripa propugnaculum, unde conatus hoſtis præpedirent, ibique prope caſtra habebant, & melior eorum exercitus pars conſederat in inſula Schutia Danubii verticibus circumfuſa, qua per anguſtius brachium fluminis Iaurinum commea-

Tartarorum audacia in trajiciendo Danubio.

re, & ſubſidia ferre facile erat. Sed admirabili audacia, Tartari præmiſſis aliquot centenis equitibus, qui periculum tranandi facerent, & viſo quod illis bene ſucceſſerat, majori numero denſis agminibus, tam rapido flumini ſe committentes, alii à jubis, alii à caudis equorum pendentes, acinaceſque ore tenentes, ſpectanti-

Tartari ſpectantibus Cæſarianis Danubium trajiciunt.

bus Cæſarianis ad illam Inſulam Schutiam natando tranſierunt, & illos ſequuti 4 millia Turcarum trabibus pectore tenus innixi eadem fortunâ tranârunt, ſtatimque propugnaculum illud Cæſarianorum occupârunt. Ac expulerant quidem ipſos poſtmodum inde Cæſariani reſumptis armis, ſed iterum pulſi reliquerunt illum locum in poteſtate Turcarum una cum machinis, quibus poſtea illi præſidiarios Iaurinenſes maxime afflixerunt, ac nemine jam prohibente ponte fluvium ſtraverunt, majoreſque copias ad eam partem ubi Cæſariani erant, traduxerunt.

Matthias Archidux ægre evadit Caſtris deſertis.

Nec amplius auſi Cæſariani reſiſtere, Caſtris ſuis relictis, in turpem fugam effuſi miſere plurimi perierunt: ipſe Matthias Archidux ac primarii militares præfecti, cum ſolis equis quibus inſidebant, ægre evaſerunt.

Turca ingentem prædam acquirunt ex Caſtris Matthiæ Archiducis.

Caſtra opulentiſſima hoſtium prædæ ceſſerunt, cum apparatu bellico omni, & pecunia in ſtipendia militum eò nuper conducta, ac ducentis navibus commeatu plenis, inter quas erant triremes centum viginti, tormentis ac copioſo pulvere ſulphureo inſtructæ. Sed majus damnum fuit, quod ea clade tota Auſtria ac Moravia vicinior in tantum fuerant conſternatæ, ut ultimum jam exitium ſibi ad-

Turca late populantur omnem regionem ſupra Iaurinum.

veniſſe arbitrarentur, & hoſtes nemine amplius reſiſtente, cis & ultra Danubium longe lateque excurrentes, omnia igne & ferro devaſtârint, ac in ſervitutem Turcicam innumeram plebem ruſticam abduxerint, circa Veſprinum uſque ac Veiſkircham Viennæ proximam cædibus & incendiis graſſantes. Iaurinum autem deſperatum adhuc oppugnationem ſuſtinuit, & excurſionibus oppugnationes hoſtis fortiter repreſſit, donec dejectis vi machinatum duobus melioribus propugnaculis, foſſæ mœnium fuerunt repletæ, ut intrari in Civitatem, & cominus pugnari poſſet. Cumque nulla ſpes ſalutis, & ſervandæ Civitatis ſupereſſet, nempe quod auxilia hyeme appropinquante eo anno nulla expectari poſſent, nec ulla ope aut ratione humana hoſtis victoria tanta elatus, ab expugnatione Civitatis

Iaurinum deditionem facit.

prohiberi valeret, Ferdinandus Comes ab Hardek Præfectus illius Civitatis die S. Michaelis pactus incolumitatem ſibi & præſidiariis, ac omnibus, qui abire volebant, deditionem fecit. Cujus conſilii poſtmodum innocens pœnas capite luit, quaſi non majores pœnas æquiori judicio promeruerint Duces, qui caſtra munitiora quam erat ipſa Civitas ignavia & metu amiſerunt, Civitatiſque defenſio-

Pappam capiunt Turcæ.

nem deſeruerunt. Pappam deinde Sinan Baſſa cæpit, & præſidio ſuo munivit, & Comorrham ſub finem Octobris oppugnavit. Sed cum iſta obſidione longiori

Batorius obſidionem Temeſuari ſolvit.

indigeret, & hyems inſtaret, ut mos eſt Turcis, ad hyberna conceſſit. Mox etiam Tranſilvanus obſidionem Temeſuarenſem ſolvit, vetitus Tartaros, qui reditum ad

propria

A.C. 1594.

Tartari hybernant in Vngaria.

propria per Tranſilvaniam querebant. Sed illi comperto, quod ſibi ad reditum itinera per Tranſilvaniam eſſent intercluſa, ſub Strigonio Danubium iterum trajecerunt, & circa Veſprinum, Pappam, Rabamque hybernârunt, agendis continuo ex Auſtria prædis intenti.

Rudolphus Imp. Comitia Ratisbonæ celebrat.

Dum autem Archidux Matthias hoc modo Turcas in Vngaria fatigaret, Imperator Rudolphus ad Comitia Ratisbonam pro menſe Martio indicta, ſed urgentibus cauſis ad Aprilem, deinde ad Majum menſem dilata, ipſemet decimo octavo die Maji venit, & ea in magna Principum Imperii frequentia celebravit. Omnes Electores Eccleſiaſtici, Moguntinus, Colonienſis, Treverenſis, præſentes aderant. Pro impubere Saxoniæ Electore Fridericus Guilhelmus ejus patruus Adminiſtrator, eundem locum quem ipſe tenuiſſet Elector ſi adeſſet, tenebat, & gladium ſtrictum (inſigne Electoris Saxoniæ) Imperatori præferebat. Pro Electore Palatino Rheni & Brandeburgico aderant Legati, eorumque vices ſupplebant. Ac maxime de bello promovendo contra Turcas in illis Comitiis agebatur, ſolitoque majores ad illud collectæ in favorem Cæſaris fuerunt conceſſæ, nempe multiplicatum ad octuaginta Menſes *Romerzug*, ſeu proviſio Imperatori pro itinere Romam ad accipiendam à Summo Pontifice coronam ex more antiquo dari conſueta, quæ in Menſes ſingulos ſeptuaginta millibus nummorum aureorum communium conſtare dicitur. Præſcriptus etiam fuit modus & locus ſolutionis, & termini aſſignati, quibus certa quota ejus ſummæ colligeretur, quouſque intra quinquennium proxime ſubſequens omnes illi octuaginta Menſes complerentur. Equeſtrum autem ordinem illa Imperii indictione, non obligari ſuerunt, ſed ſeorſum eum requiri ſolere, ſi quæ honoraria Imperatori præſtari vellet.

Germaniæ Provinciarum collecta Romerzug æſtimatio.

Germaniæ nobilium Ordo non obligatur indictione Comitiorum Imperator.

In eiſdem Comitiis Legati Hiſpaniarum Regis ſolicite inſtabant, ut Imperii authoritate, pax inter ipſorum Regem ac Hollandos componeretur, & deputati fuerunt Legati ab Electoribus, ac à Civitatibus Imperialibus, qui illam pacem tractarent, Verum Hollandi nihil minus quam de pace cogitabant; nam & Archiduci Erneſto, qui hoc anno menſe Ianuario in Belgium novus gubernator cum ſummo omnium applauſu venerat, & miſſis literis ac Legatis ad pacem tractandam humanius illos invitârat, nullam ſibi cum Hiſpanis tutam fore pacem reſponderant, & comparato valido exercitu, Groningam fortiſſimam Friſiæ Occidentalis Civitatem, Dux eorum Mauritius Naſſovius obſederat, eamque poſt duorum menſium acerrimam oppugnationem, illatis acceptiſque à defenſoribus gravioribus damnis pene expugnatam (nam meliora propugnacula cuniculis erant dejecta) ad deditionem, & ejurandum una cum ſubjectione Hiſpanica fidem Catholicam coegit. Imo iidem Hollandi hoc anno menſe Iulio edictum promulgârunt, prohibentes quæcunque conventicula, & exercitium in ſuis terris Religionis Catholicæ, & ne quis baptizari, aut matrimonio jungi à Sacerdote vel Monacho Religionis Romanæ deberet: inſtituerunt, ut contractus Matrimoniales fierent coram Magiſtratu & Scriba ſive Tabularii publici præſes, aut Secretarius Magiſtratus verba promiſſionum reciperet à ſponſis, viceſque Sacerdotis in Ceremoniis benedicendi matrimonii adimpleret.

Erneſtus Archidux gubernator Belgii.

Groningam Hollandi capiunt.

Hollandi prohibent uſum Religionis Cath. in ſuo ſtatu.

Matrimonii contrahendi ritus apud Hollandos.

Sed Gallica videamus. Cum ſtatim poſt converſionem ſuam Henricus Navarreus Rex Galliæ renunciatus, Ducem Nivernenſem ad Summum Pontificem Rom. pro petenda reconciliatione deſignaſſet, & cum Menſe Septembre illius anni ad hanc Legationem expediviſſet, Romæ Legatus & Procuratores Hiſpanici apud Pontificem ſumma contentione inſtabant, ne eum Pontifex admitteret, alioquin illo unâ portâ Vrbem ingreſſo, ſe alterâ portâ egreſſuros minabantur, Verum Pontifex in conſilio Cardinalium examinato hoc dubio, an ille permittendus eſſet venire Romam, cum major pars cenſeret aditum ad Vrbem, & audien-

Nivernia Dux ad Summum Pont. mittitur à Rege Galliæ.

A.C. 1594. tiam ipſi jure negari non poſſe, ſi quidem poſtquam auditus fuerit, integrum maneret Pontifici, quicquid voluerit ex uſu & dignitate Sedis Apoſtolicæ de ipſo ſtatuere, poſt longas deliberationes admittendum decrevit, ſi proprio nomine non ut Legatus Navarræi veniret.

Nivernia Dux permittitur venire Romam proprio nomine non uti Regis Legatus.

Ac miſſus erat ad explorandum adventus ejus rationes Antonius Poſſevinus Societatis IESV, coram quo cum Dux aſſeruiſſet, ſe venire ad oſculum pedum Pontificis, uti Principem Catholicum, ac multa habere dicenda ſecreto ex ſententia ſua de ſtatu Galliæ præſenti, Pontifex re intellecta nil aliud oppoſuit.

Nivernia Dux ſeveriora reſponſa Pontificis audit.

Venerat itaque ille Dux ſub finem Novembris Romam, ubi tali modo tractabatur. Primus diebus à Pontifice auditus & humaniter habitus, cum poſtea ad Regis ſui literas & preces reſponſa requireret, ſeveriora audivit. Nempe abſolvendum non eſſe Regem, & ut abiret nec aliud expectaret. Hæcque duriora Pontifex per Cardinalem Toletanum (fuit Hiſpanus ex Religione Societatis IESV) partium Hiſpanicarum annunciari jubebat, & infenſiorem ubique in publico partibus Navarræi præferebat animum. Vnde & in quodam Cardinalium conſilio aliquos Cardinales, qui Regem illum abſolvendum ſuadebant, acrius objurgavit, quaſi male conſultum vellent Religioni Catholicæ. Nempe cautius agendum in cauſa læſæ Religionis prudens Pontifex exiſtimabat, & avertendam omnem conniventiæ cum Hæreticis ſuſpicionem, quæ in perſona Pontificis ex minimo judicio maxima creſceret, atque à malevolis animadverſoribus in immenſum periculoſe augeretur.

Nivernia Dux placatiorem Regi ſuo Pontificem agnoſcit.

Cæterum jam mitiorem animo (licet adhuc occultaret) conceperat ſententiam, & cum Nivernenſis mœſtior, accepto per Cardinalem Toletanum reſponſo, diſceſſum Roma appararet, ſexta die Decembris ad ſe accerſitum benevole tractavit, ac in duas horas ſemotis arbitris cum ipſo protracto ſermone, lætiorem dimiſit, ſe commiſſurum ajens eam cauſam diſputandam Theologis, qui neutri parti faverent. Menſe vero Ianuario cum ille abire feſtinaret, per Cardinalem Aldobrandinum ſuum Nepotem ille nunciavit, expectaturum ſe, donec Rex majora converſionis & pœnitentiæ ſigna demonſtraret, ac munuſculis honoratum medio Ianuario dimiſit.

Clemens VIII Fœderatis Gal. denegat ſubſidia propter bellum Turcicum.

Nec multo poſt Ioieuſium Cardinalem pro Fœderatis nova ſubſidia petentem importunitatis arguit, quod Sedi Apoſtolicæ non parcerent, ac ſubſidia denegavit, cauſa adjecta, quod illa majori neceſſitati belli Vngarici contra Turcas utilius eſſent applicanda.

Gallia Fœderatorum vires imminuuntur.

In Gallia autem potentiores quotidie Regis partes apparebant, nam adverſus exercitum nova aſſidue confluebant auxilia ab Helvetiis & Hollandis. Fœderatorum autem vires decreſcebant in dies, omnibus populis bello tam diuturno defatigatis, deſiderio pacis in partes Regias propendentibus. Et cum conceſſæ Fœderatis à Rege induciæ ſex menſium jam proxime finirent, eaſque Lutetia aliæque Civitates quæ adhuc vacillabant prorogari peterent nec obtinerent, primum

Aurelia & Meldunum Regi ſe ſubjiciunt.

Meldenſes opera Domini Ludovici Hoſpitalii Vitrii ipſorum gubernatoris, poſtea & Aurelienſes Regis imperio ſe ſubjecerunt. Pariſiis quoque populus metu novæ obſidionis trepidabat; & maxime famis periculo Meldenſibus jam Regi deditis, qua major pars commeatus ad Vrbem conduci ſolebat.

Parlamentum Pariſienſe decernit ſucceſſionem Regni pertinere ad Henricum Navarræum.

Vnde palam ibi de eodem Rege recipiendo ſermones miſcebantur: Et Parlamentum deliberaturum ad literas ejus, quibus admonebatur, ut reſolveret intra unum menſem, bellumne vellet an ſibi reconciliari? cum Cognitorem Regium audiſſet explicantem ingenioſe juxta legis Salicæ, die 13 Ianuarii decrevit, ſucceſſionem Regni non ad alium niſi ad Henricum Borbonium pertinere, & miſſis ad Mæniam Legatis eum

Manius monetur à Parlamento, ut pacem procuret Regni.

requiſivit, ut intra menſem provideret quomodo pax Regno reſtitueretur, & Regi obedientia redderetur. Male habuit ea Legatio Hiſpanos, unde ſtatim aliquot cohortes novas Hiſpanicas in urbem introduxerant, & præſidia auxerant:

Mænium

Mænium & Henricum Guiſium fidelitatem Regi Hiſpano jurare fecerunt, & ejiciendum decreverant Præſidem Parlamenti ac gubernatorem Vrbis Bellinum ſibi ſuſpectos, niſi fuiſſent veriti tumultum populi, & novam Parlamenti ſententiam, quâ ordinârat poſtquam advenifſet à Mænio ad ſuam Legationem de pace cum Rege ineunda reſponſum, convocandos Tribunos & Præfectum mercatorum ad executionem ſui decreti promovendam. Mænius ipſe ſedato aliquantum populi murmure, ex Vrbe exceſſerat adducturus majores copias, quæ cum Carolo Mansfeldio ex Belgio veniebant. Poſt paucos vero dies Lugdunum, quod jam Nemourium partium Fœderatorum à gubernatione illius Civitatis amoverat, 7 die Febr. expoſita in publico Regis effigie, hunc Regem ſuum fauſtis acelamationibus recognovit, & Roanum, Bituriges, Rion, plurimæque Civitates certatim ad ipſius obſequium feſtinabant. Rex quoque ſibi non defuit, nam oppidum Forte Milon, in quo Confœderati conſilia ſua tractabant, maximâ celeritate conductis eò copiis obſedit, & quatuordecim machinis concuſſum ad deditionem coëgit: Et non multo poſt caſtrum Theodori cepit, terrorem majorem incutiens reliquis, qui ſuum imperium detrectarent.

A.C. 1594.

Mænius & Henricus Guiſius jurant fidelitatem Hiſpano.

Lugdunum & alia Civitates Regi ſe dedunt.

Ac tandem circa medium Februarii in magna frequentia Procerum & Principum ſanguinis, Aurrici Carnutum ab Epiſcopis ſuarum partium fuit coronatus, & inunctus ſumpto Remis oleo ſacro, quod fertur ad unctionem Clodovei primi Regis Galliæ Chriſtiani cœlitùs fuiſſe demiſſum. Nec multo poſt Rothomagum in fidem Regis adduxit Dominus de Villeroy illius Civitatis gubernator, cujus literæ ad Mænium typis divulgatæ majorem ſtimulum addiderant cæteris, ad recognoſcendum recipiendumque iſtum Regem, patefactis arcanis Hiſpanorum conſiliis, quibus Galliam ſubjugare volebant, & Lutetiam in nomen Hiſpani Regis, uti ejus jam propriam retinendam mandabant. Pariſienſes autem tanto magis ſuſpirabant ad obſequium Regis, quod potioribus jam Civitatibus ei deditis, ipſi ſoli omnem belli molem cum Hiſpanis, & pro Hiſpanis ſuſtinere deberent. Sed cum illis Dux Ferienſis & Confœderati cum valido Hiſpanico præſidio incubarent, & eorum ſingulos motus obſervarent, palam ſententiam ſuam profiteri non poterant. Quare ad dolos converſi, conſilii Comitis Briſſaci & Bellini, clam per literas conveniunt cum Rege in S. Dionyſio, ut condicta hora ad portam novam Lyparæ arci proximam veniret, & Vrbem occuparet, Amneſtia præteritorum & ſecuritate vitæ & bonorum omnibus promiſſa. Briſſacus interim majorem partem militum arte ex urbe alio ablegaverat, & Cives rei conſcios armatos in locis opportunis diſpoſuerat.

Henricus IV Rex Galliæ Coronatur Carnuti.

Rothomagum deditur Regi.

Venit itaque Rex 22 Martii ſub aurora cum 5 millibus ſelectiorum militum, & per portam illam ex induſtria patentem majori parte copiarum intromiſſa, præſidiariis qui in opportunis Vrbis locis, diſpoſiti excubias agebant ad rei novitatem territis, & cæſis non ultra triginta Germanis qui reſiſtere volebant, ipſemet oriente Sole cum reliquo Comitatu nemine reclamante Vrbem eſt ingreſſus; & ea luſtrata poſtquam tuta vidit eſſe omnia, ad ſummum Templum deductus Hymnum gratiarum Deo decantari fecit. Statim etiam per tubicines pax & ſecuritas omnibus fuit annuntiata, & proclamatum, ut tabernas ac officinas aperirent, ſecuràque omnia expectarent. Nec miles ullam violentiam aut petulantiam exercuit: Præſidiariis, Hiſpanis, Italis, Belgis, qui erant noningenti fere, ex pacto deditionis conceſſum fuit, ut cum armis & impedimentis ſuis incolumes ad confinia Belgii abirent, nec contra Regem amplius militarent. Duci de Feria, & Don Diego de Evora ſecuritas eſt data, ut intra triduum res ſuas convaſarent & abirent: Cardinalis Pelleveus ex mœrore & melancholia morbo concepto intra triduum ibidem Pariſiis obiit. Arx Antoniana *Baſtille* vulgò denominata, poſtridie

Henricus IV Rex Galliæ Pariſios ingreditur 22 Martii 1594.

Feria Dux dimittitur liber Pariſiis.

Pelleveus Cardinalis ex mœrore moritur.

A.C. 1594. ſtridie demum cum machinæ ad ejus oppugnationem admoverentur, in poteſtatem Regis conceſſit.

Parlamentum Pariſienſe omnia Acta præcedentia contra Regem abrogat.

Sedato autem omni motu, die 30 Martii Parlamentum promulgavit edictum, quo omnia decreta, conſtitutiones, juramenta, à die 28 Decemb. anni 1588, uſque in eam diem in præjudicium authoritatis Regum lata, tanquam violenter extorta abrogavit, & quicquid contra honorem Henrici III & IV Regis actum fuit, damnavit. Poteſtatem Vicarii & ſupremi Locumtenentis Mænio datam revocavit, & ne quis illi obediat ſub pœnis læſæ Majeſtatis interdixit. Omnes à fœdere cujus Mænius fuit Dux diſcedere, & Regi Henrico IV fidem & obedientiam ſub pœnis amittendæ dignitatis, vitæ & omnium ſuorum bonorum, præſtate; Civitates vero ſub pœna everſionis & exciſionis eidem obedire juſſit. Irrita quoque declaravit omnia in Conventu anno præterito Pariſiis nomine trium Ordinum à prætenſis eorum Legatis agitata & concluſa, uti uſurpata temere à privatis perſonis, & ſubordinatis majori parte à perduellibus illius Regni, ac fautoribus Hiſpanorum abſque poteſtate legitima: Interdicens eiſdem Legatis, ne in poſterum eam poteſtarem ſibi arrogarent, vel alicubi convenirent ſub pœna perturbatorum Reipublicæ, & criminis læſæ Majeſtatis. Supplicationes tempore belli inſtitutas aboleri, & alias pro incolumitate Regis ad diem 22 Martii, qua Vrbem recuperavit, perpetuo haberi mandavit. Quod edictum etiam in aliis locis juriſdictionis Lutetianæ publicatum, per Procuratorem Regium ad alias provincias & Civitates fuit tranſmiſſum. Et compoſitis omnibus quæ ad ſecuritatem Lutetiæ pertinebant, Rex primis diebus Rothomagum ivit, ſolennique ingreſſu ejus poſſeſſionem ſibi firmavit, ac etiam portus Gratiæ, quorum locorum Villereium Admiralem conſtituit. Interim Carolus Mansfeldius cum auxiliaribus copiis ex Belgio advenerat; & cum intellexiſſet Luteriam Regi fuiſſe reconciliatam, non ultra proceſſit, ſed Chapellam obſedit, & ad deditionem menſe Majo coëgit, priuſquam à Regiis potuiſſet ſubveniri. Eum tamen paulo poſt inſequutus Rex profligavit, caſtris exuit, fugienti Feram uſque inſiſtens. Et quo melius damnum compenſaret, Laudunum in Picardia oppugnavit & cepit, Cameracum quoque adivit, & in ſuum nomen jurare fecit. Et per Morinos Veromanduoſque tranſiens, ubique populis felicia ipſi comprecantibus, obſequium ſibi ſtabilivit. Britanniam Gallicam pro Rege Hiſpano Dux Mercurii adhuc fortius propugnabat: Sed & ibi Almontius intra hoc tempus portum celebrem S. Maclovii ad obedientiam Regis reduxit, & Marlaium, ac Quinperquorens Oppida munita poſt acrem oppugnationem occupavit. Sed læta hæc triſtior caſus ſub finem ejuſdem anni turbavit: Vt enim Pariſios Rex redierat 27 Decemb. die ſub veſperam, deſiliens ex equo dum ſibi occurrentem Regnium, & Mantignium inclinatus reſalutat, juvenis annorum 18 turbæ ſalutantium intermixtus, improbus ſicarius in guttur Regis cultrum præacutum direxerat; ſed aberrantem ictum in labrum impegit, qua duos dentes illi eliſit. Vnde ingens confuſio tota Vrbe eſt exorta, omnibus indignantibus contra fraudes (ajebant Hiſpanorum) à quibus ad finem præteriti quoque anni diverſæ inſidiæ in vitam iſtius Regis ſtructæ, dicebantur fuiſſe deprehenſæ. Captus autem ille ſicarius, nullum alium talis ſceleris authorem vel conſcium nominare voluit, ſed facinus à ſeipſo conceptum & impletum, tormentis adactus aſſeruit proceſſiſſe, ex eo quod Rex nondum ab anathemate à Rom. Pontifice abſolutus Regnum iniret.

Henricus VI Rothomagum ingreditur.

Mansfeldius Chapellam capit.

Mansfeldius profligatur.

Almontius portum S. Maclovii in Britannia recepit.

Henricus IV Rex Galliæ à ſicario vulneratur 27 Decembr. 1594.

Caſtellius Regis percuſſor ſupplicio afficitur.

Omnis autem ſuſpicio in Collegium Societatis IESV Claromontanum recidit, eo, quod nefarius ille ibi literis ſtuduerat, & inde hauſiſſe talem doctrinam credebatur, quaſi Henricus IV non poſſet eſſe Rex, antequam à Summo Pontifice abſolveretur, licenterque & cum promerito à quovis poſſet occidi. Poſtea ſicarius Ioannes

A.C. 1594.

Ioannes Caſtellius Petri Mercatoris divitis Pariſienſis filius, ad pœnas læſæ Majeſtatis, & parricidii, crudeliſque ſupplicii, ac bonorum proſcriptionis eſt damnatus, ipſius parentes in exilium ejecti, & domus eorum ſolo fuit æquata. Patres quoque Societatis IESV non ſolum Claromonto, ſed ex tota Gallia ſub pœna læſæ Majeſtatis excedere ſunt juſſi publico edicto, in quo etiam prohibebatur ſub pœnis ſimilibus læſæ Majeſtatis, ne quis ad eos etiam extra Regnum ubivis loci habitantes filios erudiendos mitteret. Iamque in A.C. 1589 eos Burdegalis quoque ob conſpirationes fuiſſe exactos; & in Senatu Pariſienſi ante hoc parricidium Caſtellii agitatum eſſe, Iacobo Ambroſio Rectore Academiæ, Laurentio Bourcereto, Antonio Arnaldo nomine Academiæ Pariſienſis cauſam promoventibus, de terminanda quæſtione ab A.C. 1552, à Sorbona motam de eis ejiciendis, refert *Thuanus Hiſt. ſub lib.94 in fine. & lib.*110. ubi copioſe rationes propter quas relegari debebant, referuntur. apud quem etiam *lib.*126. ſub A.C. 1601, videre licet querimonias à Clero Anglicano Romæ coram Clemente VIII PP. & ejus delegatis propoſitas contra eoſdem, eorumque immoderatas actiones, quaſi nihil juvent, ſed multum perturbent ac pene evertant progreſſus & incrementa Religionis Catholicæ ibi à Clero ſæculari ſtudioſius propagatæ.

Religio Societatis Ieſu ex Gallia proſcribitur.

Editus fuit paulo poſt Duaci libellus, quo author dilucide injuſtitiam illius decreti demonſtravit, & Religioſi iiſdem priuſquam Pariſiis exiſſent, omnes ſuſpiciones ſibi tunc objectas clare diluerunt, ut ſunt typis omnia iſta divulgata, & curioſum lectorem ad illa remittimus. Paruerunt tamen tunc ipſi tali decreto, ſed poſt paucos annos favore ejuſdem Regis Henrici honorifice fuerunt reſtituti, ut ſuo loco adnotabitur. Sed quiſquis ille fuit, qui primus hanc quæſtionem diſputavit, qualis Princeps impune poſſit occidi, vel ejici, injurioſe detrahere conatus eſt ſacræ doctrinæ, quæ & diſcolis Principibus jubet obediri. Vnde Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.*15 expreſſe hujuſmodi doctrinam, ut quis privatus Regem ſeu Principem crudelem aut tyrannum poſſit occidere, damnavit uti hæreticam in fide, erroneamque in moribus, & declaravit eſſe hæreticos eam aſſerentes, ac puniendos uti hæreticos: nec ullus Pontifex, aut Concilium aliud unquam ſancivit aut probavit. Quod autem periculoſius, dum iſti zelotypi imprudenter concitant populos contra Reges, ipſos quoque Reges compellunt, ut Religionem Catholicam odio habeant: nam dum ſibi à tali ζηλοτυπίῃ obtrectatoribuſque ſuis ſubditis eſſe metuendum vident, quotquot ſuſpectos habent, omnes à ſe amovent, quo ſecurius vivant. Si vero eo uſque prorumpit audacia, ut etiam perſonam Principis offendat, naturali defendendæ vitæ jure conſtrictus Princeps injuriam vindicat, & in omnes ſine diſcrimine Catholicos ſævit, quos doctrina tali ad conſurgendum & conſpirandum contra ſe obligari cognoſcit. Manifeſtum iſtius rei exemplum apparet in Anglia, ubi Principes dum ſibi à ſubditis ſuis Catholicis timent, eorum vires imminuunt, ſucciſis ipſorum potentiæ nervis, nempe Epiſcopatuum & Abbatiarum amplis cenſibus: & dum ſe per inſidias undique peti advertunt, eos à quibus ſibi cavendum eſſe exiſtimant, anxie perſequuntur, præveniendoque periculum è ſuis Regnis ejiciunt. Videri etiam poſſunt Reginæ Angliæ Eliſabethæ edicta, in quibus Galliarum recentibus caſibus nempe Regis Henrici III & Henrici IV, à ſubditis ſuis pene exauthoratorum ſe terreri conqueritur, & nunquam niſi novis aliquibus contumeliis ſeu inſidiis deprehenſis exagitata, ſeverius in Catholiciſmum inquiri ac animadverti mandabat.

Doctrina pernicioſa quæ populos concitat contra Principes.

In Suecia quoque Guſtavus Rex cum à Catholicis, quòd invaſerit alienum Regnum & uti hæreticus impugnatur, eos depreſſit, & Archiepiſcopi Vpſalien. ac reliquorum Eccleſiaſticorum potentiam quam formidabat enervavit.

Catholici in Suecia opprimuntur.

Quod autem recentius, in viciniori Belgio hoc anno cum Archidux Erneſtus

A.C. 1594. *Hollandorum rationes ob quas pacem nolunt.*

gubernator Belgii tractandam cum Hollandis pacem proponeret, illi in reſponſo ad ejus literas, & Legationem nihil magis exagerabant, quam inſidias & venena Reginæ Angliæ Elizabethæ, & Henrico Regi Galliæ præparata, Vraniæ Principem Guilhelmum per ſummiſſos ſicarios toties petitum, & tandem extinctum, Mauritium ejus filium ad necem requiſitum, & alterum juniorem Philippum Vilhelmum Lugduni Batavorum literis operam dantem ſubordinata fraude in Hiſpaniam abreptum. Acciderat autem quod ſub illud tempus Michaëlem quendam Reinichonium Sacerdotem Namurcenſem Hollandi interceperant, qui in veſtitu militari in Hollandiam veniens, juſſu Erneſti Archiducis & Comitis Florentii Barlaimontii, Mauritium Principem, ac quoſdam primatios Hollandiæ interficiendos aliqua arte in ſe cum aliis ſex ſociis qui ſubſequerentur, ſuſceperat; hocque in tormentis examine ſæpius repetito fuerat confeſſus, & tandem Hagæ Comitis ſupplicium capitis propterea tulit. Iſtis itaque Hollandi ſe à pace Catholica deterreti ajebant, & bellum certum paci male ſecuræ præferebant, ac eodem anno menſe Iulio, ut alias attigimus, ſeverius edictum contra Catholicos, & uſum publicum iſtius Religionis promulgârant, ex occaſione illius Reinichonii. Prorſus temperanda eſſet meo judicio illa doctrina, quoad authoritatem privatam, vel etiam prohibenda: quid enim ſalvum manebit Principibus,ſi cuivis proprio arbitrio fingere hunc aut illum eſſe tyrannum vel hæreticum, eumque propterea offendere liceat? & quis fructus,ſi temerarium unius conſilium in damnum multorum Catholicorum redundat? De publica authoritate ſupremæ in Eccleſia Catholica poteſtatis diverſa eſt ratio: niſi quod & iſti rigidior in Reges cenſura aliquando, ut in Hildebrando è Regno Galliæ ejecto, & Pipino Patre Caroli Magni illi ſuffecto, ac in Petro Caſtellæ Rege è Regno excluſo, Henrico vero de Tranſtamara in ejus locum ſurrogato, aliiſque non paucis bene ceſſit; aliquando non ſucceſſit, ut in Henrico IV, Friderico II, Ludovico Bavaro, Imperatoribus.

Mauritio Auranio inſidiæ ſtruuntur.

Regum ex authoratorum cenſura ſummi Pontificis exempla.

Ac in Regibus Galliæ, Philippo Auguſto, à Clemente III, ob repudiatam Galbergam uxorem ſuam circa A.C. 1190, in Philippo IV pulchro, nepote S. Ludovici, A.C. 1278, 8 Cal. Septemb. in Africa peſte extincti, à Bonifacio VIII circa A.C. 1300, ob carceratum Epiſcopum Apamenſem Nuntium Apoſt. & in Ludovico XII, ob bellum in Italiam illatum à Iulio II cenſuris notatis, quibus multo incommodo rei Chriſtianæ denegata abſolutio, tandem dari debuit. Ea tamen occaſione A.C. 1512, Ferdinandus Rex Aragoniæ ademerat Regnum Navarræ Ioanni Albreto Regi Alani filio, à Iulio II Papa, eo quod Ludovico Regi conſentiret proſcripto, eodemque anathemate notato. Hæredes vero illius Regis Navarræ Ioannis, qui nunc ſunt Borbonii Reges Galliæ, cum titulo Regis Navarræ retinent ſolam Bearniam in confinio Navarræ Regni ſitam, ad radices montis Pyrenæi quâ Galliam ſpectat. Sed ſentiant aliud alii ut volunt, dummodo ſententiæ ſuæ præcipuum finem & ſcopum proponant, utile Religionis Catholicæ, ac damnum omne præcaveant, nec committant, (ſatis vulgare ac pervagatum) extremam dementiam, contentione nil aliud quam odia quærendo.

Navarra Regnum cepit Aragoniæ Rex ſub Iulio II Papa.

Nec aliud notabile hoc anno occurrit præter navigationem in Septemtrionem memoratu non indignam. Cum enim Geographi perſuaſiſſent Hollandis, iter in Indias Orientales ſub Septemtrionali plaga poſſe inveniri,quatuor naves inſtructæ commeatu omni Amſterodamo exeuntes, & ab Inſula Texelenſi ſolventes menſe Iunio, fretum pone novam Zemlam invenerunt,quod Naſſovium denominarunt, duæque inde ex eis menſe Septembre in Hollandiam redierunt: Aliæ autem duæ Amſterodamenſes dum luſtrant illud fretum, ad ſeptuageſimum uſque & octavum gradum tranſgreſſæ,hyeme irruente ibi hybernarunt,& cum ulteriorem tranſitum non invenirent, ex eo freto anno ſubſequenti remearunt ad propria, gravia à frigore & glacie ibi perpetua perpeſſi.

Naſſovium fretum.

Hoc

A.C. 1595.

Veneti muniunt Palmam in confinio Aquileiæ.

Portentorum obſervatio varia.

Hoc etiam anno Veneti ad confinia Fori Iulii & Aquileiæ cum Turca ditiones ſuas illa parte extenderet, & Italiæ finibus immineret, Palmam propugnaculum fortiſſimum ædificârunt, indignantibus Auſtriæ Dominis, qui eum fundum ad Aquileiam ditionem ſuam aſſerebant. Portenta autem hoc anno in cœlis viſa, monſtra præſagia vaticinia diverſa ab aliis enumerata, nos more noſtro omittimus, ne ocioſis fabulas narrare videamur: Vana enim fuiſſe pleraque, & nihil ad prænotionem periculorum contuliſſe comperimus, minuſque ad præcavendos futuros eventus ſervire, cum & ſua tempora nonniſi inani expectatione ruinæ Imperii Turcici ac viciſſitudinum in Orbe diverſarum detinuerint.

Annus Chriſti, 1595.

Societas belli contra Turcas tractatur in Polonia.

Annus ſubſequens, Milleſimus, Quingenteſimus, Nonageſimus Quintus, æque copioſam narrationis materiam attulit, & ut noſtra primum attingamus. In Polonia à 6 die Febr. Cracoviæ Comitia Generalia Regni celebrabantur illo præcipue fine, ut Ordines Summo Pontifici Romano, & omnibus Chriſtianis Principibus ad ſocietatem belli contra Turcas ipſos invitantibus ſatisfacerent.

Tardius autem ad ea Legati Cæſaris Epiſc. Olomuceñ. & Venceſlaus à Bercha venerant, unde incœpto tractatu de modis ineundæ ſocietatis hujuſmodi, cum Poloni pacem certam cum Turca ab annis 70 integre ſervatam non tam facile diſrumpendam vellent, niſi firmioribus præſidiis belli ſuſcipiendi rationes ſtabilirentur, & Legati Cæſaris ad hoc mandata minus ſufficientia producerent; pleniora vero in tam arcto tempore à Cæſare habere non poſſent, negotium illud fuit rejectum ad Conventum Varſavieñ. proximum, pro hoc ipſo tractando extra Ordinem indictum. Collectæ tamen agrariæ ad omnem caſum excipiendi belli Turcici ab omnibus Ordinibus fuerunt conceſſæ.

Vladiſlaus filius Sigiſmundo Regi naſcitur 9 Iunii 1595.

Cracoviæ arcis conflagratio.

Non multo autem poſt Comitia 9 die menſis Iunii, genuit Regi Sigiſmundo filium maſculum Anna Auſtriaca, cui nomen dedit Vladiſlai Sigiſmundi: ipſa vero nativitatem ejus præcedente nocte melior pars palatii Regii Cracoviæ, qua Civitatem ſpectar, fortuito incendio conflagravit: Vnde varii varia trahebant felicitatis ejus omina: & tempus docuit veras fuiſſe omnium conjecturas, beneque illum caſum etiam ipſi arci ceſſiſſe, eo quod Georgius Radziwil Cardinalis ex aurifodinis in agris Kielcenſibus Epiſcopatus ſui Cracovieñ. tunc recens inventis, Regi tantum cupri dederat, quantum ſuffecerit tectis reſtituendis illo incendio abſumptis, & quod Rex ipſe magnificentiori ſumptu illam partem arcis inſtauraverat.

Moſchi pacem impetrant à Rege Poloniæ Sigiſmundo.

Suecis Moſchis pacem concedit.

Pacata autem omnia tunc in Regno erant, & ſimultates Procerum conquieverant. Cum Moſchis etiam pax fuit ſtabilita ad annos 20 Succorum commodo, quibus bello 30 annorum fatigatis, cum hoſtis ille pacem æquam concedere nollet, tandem à Sigiſmundo Rege (qui propter potentiam ſuam Polonicis viribus auctam formidoloſior erat Moſcho) Polonicas inducias componente, ad eam cum Regno quoque Sueciæ tenendam fuit adactus, tali lege, ut arx Kerolma cum ſuo territorio à Suecis ipſi reſtitueretur, captivi utrinque libere dimitterentur: Commercia ſecura Moſchis cum Suecis & Germanis Revaliæ & Narvæ reſtituerentur.

Eodem anno ſub finem menſis Auguſti Diſſidentes in Religione celebraturi Synodum ſuam, convenerant magno numero Torunii: ad quos Rex Sigiſmundus miſerat ſuum Nuntium, admonens eos pœnarum legum publicarum contra tales qui propria authoritate conventicula agerent ſancitarum: & Civitati

 Toru-

A.C. 1594. Torunenſi ſeveriori mandato prohibuit, ne tales concurſus in ſua Civitate permitterent congregari. Vnde nihil ibi ſingulare fuit concluſum, præter quod ipſi querelas ſuas longo ordine enumeratas per ſuos Nuntios fecerunt repræſentari Regi, ut aliquo remedio eis mederetur.

Tranſilvanus Moldaviam invadit.

Tranſilvanus autem parvis contra Turcas ſucceſſibus multum elatus Poloniæ ſociam Moldaviam ut uſurparet, ineunte Vere corrupto primum Stephano Radul Aaronis Palatini Moldaviæ copiarum Præfecto, ipſum Aaronem capi, & ad ſe Albam Iuliam abduci fecit, Palatinumque Moldaviæ in nomen ſuum, ipſummet proditorem Stephanum Radul conſtituit, adjuncto ipſi non levi militum Vngarorum præſidio.

Zamoyſcius expellit à Moldavia Tranſilvani copias.

Hieremias Mohila Palatinus conſtituitur Moldaviæ.

Zamoyſcius itaque Dux exercitus Poloniæ eam injuriam vindicaturus, præmiſſis in Moldaviam copiis, Radulum uno & altero prælio fugatum inde ejecit, & occupata Soczavia ac Chocimo, quæ ibi ſunt potiores munitiones, totam illam Provinciam contra omnem externam vim firmavit, ac Regis Poloniæ nomine Palatinum ibi Hieremiam Mohila præfecit, eademque opera inſignem de Tartaris victoriam retulit. Exeunte enim æſtate cum exploratores attuliſſent Tartarorum Chamum ſive Principem Caſigereium bellatorem famoſiſſimum, (ut qui multa prælia contra Perſas feliciter confecerat) ex ſuis ſedibus Tauricanis cum 70 millibus Tartarorum, & duobus millibus Ianczárorum moviſſe, Zamoyſcius præveniendum decrevit priuſquam ille,uti deſtinaverat,Moldaviam occupaſſet,& ex prædis confinium Poloniæ, maxime equis exercitum ſuum inſtruxiſſet. Coactis itaque copiis obviam illi proceſſit in Moldaviam uſque propius campos Bialogrodenſes,in quibus ſtationes habere,indeque prædabundi in vicinias excurrere ſolent Tartari,& in campo Cicora multis Polonorum & Turcarum cladibus celebri ſubſtitit. Vix dum autem caſtra munierat,advenit Caſigerei Cham cum ſuis Tartaricis agminibus, & in proſpectu Caſtrorum Polonicorum conſedit. Ac inſequenti die 19 Octobris Polonorum aciem præ caſtris inſtructam aggreſſus, cum & à propugnaculis Caſtrorum emiſſis frequentibus jaculis peteretur,& ab Equitatu Polonico magnam cladem acciperet, receptui cani juſſit. Altero vero die periculum facturus, ſi Polonos à Caſtris longius in campeſtria evocare, & multitudine equitatus à pluribus partibus invadere poſſet, bipartito exercitu in prælium prodiit.

Zamoyſcii congreſſus cum Tartaris apud Cicoram.

Tartari in fugam vertuntur.

Tartaris à Zamoyſcio conditiones pacis datæ.

Sed Zamoyſcius utrinque oppoſita acie, nec ultra pilæ bombardæ jactum à Caſtris recedere juſſa, irruentem excepit, ac pene univerſa illa agmina Tartarorum quæ ad conflictum venerant, retrocedere coëgit. Poſtmodum autem aſſumptis majoribus animis Poloni, etiam longe à Caſtris excurrebant, hoſtemque perſequebantur, & demum datis utrinque obſidibus, colloquioque de pace inſtituto, in eo tandem convenit, ut Tartarus cum ſuis intra triduum ex finibus Moldaviæ excederet, ab incurſionibus in Moldaviam Poloniæ ſociam & ipſam Poloniam abſtineret, Palatinum Moldaviæ Hieremiam Mohila à Rege Poloniæ legitime conſtitutum, & ipſe & Turcarum Imperator agnoſceret. Inſigne quod Palatino Moldaviæ nomine Imperatoris Turcici inſtituendo attulerat, Hieremiæ traderet, & vectigal honorarium tam ſibi quam Turcæ ab illo Palatino dari ſolitum haberet. Iſta pacta juraret, & Legatum ad Regem Poloniæ pro illis confirmandis quamprimum mitteret. Rex etiam novum Imperatorem Turcicum Machmetem initio hujus anni Amurathi defuncto ſuffectum per Legatum ſuum ſalutaret, & fœdus cum ipſo renovaret. Atque ita Poloni parva manu, cum non ultra ſepties mille armati in Caſtris eſſent, Ducis magnanimitate ac ſolertiâ hoſtem multitudine exercitus ferocientem fregerunt, & ad conditiones pacis duriores coëgerunt. Ac ſtetit Tartarus promiſſis, nam nec expectato triduo magnis itineribus ad propria rediit.

Sed

A.C. 1595.

Tranſilvanus alium Ducem cum exercitu in Moldaviam mittit.

Sed aliud periculum poſtquam Zamoyſcius ex Moldavia in Poloniam abierat, Hieremiam novum illum Moldaviæ Palatinum invaſit, Tranſilvaniæ enim Princeps Sigiſmundus injuriam reputans, quod Zamoyſcius Stephanum Radul ab ipſo in Palatinatu Moldaviæ capto Aarone ſuffectum ejecerat, & Hieremiam Palatinum conſtituerat, eam ulturus, cum novo exercitu Vngarorum duodecim millium Stephanum Rozuan miſit, ut Hieremiam pelleret, & Palatinatum occuparet. Fortuito autem propter excurſiones Tartarorum reliquerat ibi præſidium quatuor millium militum Zamoyſcius cum Alberto Chánski Ductore ordinum veterano, & Ioanne Potocki Præfecto Camenecenſi.

Tranſilvanus Dux Rozuan caditur, & captus palo infigitur.

Rudolphus Imper. ægre fert cladem Tranſilvani in Moldavia.

Clemens VIII Papa exprobrat Pol. Regi cladem datam Tranſilvano.

Gembicius Nuntius ad Papam pro rebus Moldavicis.

Iſtum itaque Stephanus Rozuan paucitate Polonorum contempta, facile tolli poſſe ſperabat: Sed cum ad manum ventum eſſet, acerrimo prælio utrinque commiſſo,Poloni vicerunt: & cum Rozuan amiſſo equo alterum conſcendiſſet, & prælium redintegraſſet, iterum cæſus, & ipſe captus palo infixus fœdo cruciatu interiit medio menſe Decembre. Ac ab eo tempore ſecurus Hieremias retinuit Moldaviam, nec eam Tranſilvanus amplius uſurpavit. Verum querelas acerbiores circumferens ob acceptas illas clades à Polonis, graviorem indignationem Imperatoris Rudolphi & Pontificis Romani tunc Clementis VIII, in Regem Poloniæ & Zamoyſcium concitavit, quaſi ſuos conatus contra Turcas impedirent,& Provincias Chriſtianas à Turcico jugo liberari non permitterent. Vnde Pontifex ad Regem Poloniæ literas miſerat ſeveriori reprehenſione plenas, etiam minis additis, niſi damnum illud Tranſilvano (dicebat ille Chriſtianitati) compenſaretur. Verum Rex miſſo Laurentio Gæmbicki, Secretario Regni Majore Romam, factum illud juſtâ excuſatione purgavit, quod nimirum ad defendendam Moldaviam vires Polonorum ſufficerent, nec Tranſilvanus invadere deberet tanto labore Polonis quæſita, ut qui illam Provinciam pluribus præliis cum Tartaris ac Turca commiſſis vindicârant, & recens pulſo inde Chamo Tartarorum Caſigereio, eam eſſe propriam Regni Poloniæ ab ipſomet hoſte recognoſci fecerunt: Tranſilvanus autem eam ab hoſte nunquam recuperavit, & vacuam præſidio facile ingreſſus contra advenientem Tartarorum vim nunquam defendere valeret. Et hæc cum Pontifice concertatio (initio irato Papæ & audientiam ſibi neganti Legatus iſte dici fecit, quod abiret nuntiatum Regi de tali repulſa, & ita demum fuit admiſſus benigniuſque auditus) ſub initium proximi anni accidit, nos hic ponendam voluimus, ut negotio ex quo proceſſit conjuncta clarius appareat.

Ferdinandus Archidux Tyrolenſis moritur.

Erneſtus Archidux moritur in Belgio.

Rudolphus Imper. conquirit ſubſidia contra Turcam.

Franciſcus Aldobrandinus cum Italicis copiis venit in Vngariam.

Rudolphus Imperator & Auſtriaca Domus paulo benigniorem fortunam hoc anno ſunt experti, præter quod initio anni Ferdinandus Archidux filius Ferdinandi I Imperatoris, & Rudolphi Imperatoris patruus, Oeniponti Tyrolis, & paulo poſt menſe Februario Erneſtus Rudolphi Imperatoris frater è vivis exceſſit in Belgio. Cæterum pro bello Turcico Imperator & Preſpurgi in Comitiis Vngariæ, quibus Matthias Archidux ipſius loco præſidebat, & Pragæ ab Ordinibus Bohemiæ auxilia ſolito majora obtinuit: nam ultra ſubſidia pecuniaria, quæ pro apparatu bellico ſervirent, certum unaquæque Provincia numerum militum ſumptu ſuo ad illud bellum expediendum conſcripſerat. Summus etiam Pontifex deſtinaverat eò Franciſcum Aldobrandinum cum ſex millibus peditum, & mille quingentis equitibus,ac ſinguli Principes Italiæ non contemnenda auxilia mittebant. Præfectum autem Generalem belli illius Archiducem Matthiam, & ei Vicarium Carolum Mansfeldium Petri Erneſti Belgii nuper Gubernatoris filium Imperator deſignaverat. Societatem quoque Imperator cum Tranſilvaniæ Principe Sigiſmundo Batoreo ſtabilivit initio hujus anni, quo eum firmiorem in propoſito belli continuandi contra Turcas retineret,ac inſuper connubio Mariæ Chriſtianæ Caroli Archiducis Græcienſis filiæ, ſororis Reginæ Poloniæ ipſi conceſſo, etiam ſuc-

A.C. 1595.

BatoreiTranſilvaniæ Principis pacta cum Rudolpho Imper. de hæreditate Tranſilvaniæ.

ſucceſſionem Tranſilvaniæ ad Auſtriacos trahere incœpit. Talibus enim conditionibus inter ipſos de matrimonio illo convenerat, quod Tranſilvano & ejus filiis jus integrum eſſet in illo Principatu; ipſo autem deficiente, & nulla ex lumbis ejus prole maſcula ſuperſtite, Imperator in hæreditate Tranſilvaniæ ſuccederet; quaſi Tranſilvano hæreditarius ille Principatus eſſet, & ſolus ſine conſenſu Procerum Tranſilvaniæ, vel ſi hæreditas eſſet, ſine conſenſu aliorum Batoreorum talia tranſigere valeret. Quare poſtmodum varia exinde promanârunt in Tranſilvania turbarum incentiva, & ipſe Sigiſmundus Batoreus errorem errore trudens, vix altero anno elapſo utrumque ſera pœnitentia fruſtra corrigere ſtuduit, ut ſuo loco dicetur. Alias talis ſocietatis conditiones (nullius uſui) omittimus: vel ſi quis

Batoreo dantur tituli ſpecioſi pro hæreditate Tranſilvaniæ.

curioſior pretium ſcire cupiat, quo Batoreo tanti Principatus jactura bene compenſata conſtiterit, hoc fuit; Titulus Principis Imperii, Sereniſſimi ab Imperatore illi fuit conceſſus, & Vellus aureum ab Hiſpaniæ Rege promiſſum, ut quantumvis Principatu familiæ ſuæ amiſſo, tantis titulis excelleret. Legatus autem ejus Stephanus Pachai, Praga Grætium Styriæ profectus, nomine heri ſui ſponſalia illa perfecit, aſſiſtentibus paranymphis Archiduce Maximiliano Imperatoris Rudolphi, & Ferdinando ſponſæ germano. Demum autem menſe Iulio in Tranſilvaniam illa ſponſa fuit ad maritum deducta ab ipſamet matre Caroli Archiducis vidua, ſed inauſpicato, ut mox patebit.

Turcarum Imperator moritur & ſuccedit Machmet.

Opportunitatem bello Imperatori contra Turcam proſequendo auxerat & mors Amurathis III Imperatoris Turcici, anni hujus initio extincti, cui Machmet filius 18 fratribus cæſis, & uno cum Patre funere elatis ſucceſſerat. Vir quidem animo acri, & gloriæ cupidus, ſed ut plerumque Regnorum initia, turbantur apud ipſum quoque mutatis Magiſtratuum & officiorum muneribus, rerum ordo

Turcæ invidia mutua vitio maxime laborant.

aliquantum initio fuit confuſus, & belli Vngarici cura neglecta: & eò præcipue quod Turcæ nullo magis quam invidiæ mutuæ vitio laborant, & ſtrenuum quemque belli Ducem, ubi præclare geſtis inclaruit, mox variis artibus deprimere con-

Sinan Baſſæ gloria invidi ei auxilia pro Vngaria denegant.

tendunt; unde & Sinanis Baſſæ in bello Vngarico felicitas multorum in illa Aula Ottomanica perſtrinxerat oculos, & cum ejus æmuli eam imminui cuperent, ignavos eſſe Chriſtianos, levioribuſque præſidiis reprimi poſſe, novo & rerum ignaro Principi facile perſuadebant, quo non ſolum ſupplementa nova in Vngariam denegata fuerunt, ſed & ſtipendia neceſſaria exercitui qui ibi ſupererat, ac apparatus bellici parcius ſubminiſtrabantur, ut Sinanus Bielgradi hærere, vel in munitioribus locis ſeſe continere cogeretur, juſtum non habens exercitum, quem in prælium

Tartari ex Vngaria abeunt.

educeret: & paulo poſt etiam ipſemet Conſtantinopolim iverat, majora ſubſidia illi bello procuraturus. Tartari quoque qui anno proximo cum illo militaverant, fere omnes jam fuerant dilapſi ad propria longiori itinerum ambage per Bulgariam, cum rectiora per Tranſilvaniam & Poloniam fuiſſent interclusa; & majori parte interierant in Vngaria in diverſis conflictibus nunc victores, nunc victi; tandem vero pauciores cum ſupereſſent, utilem illi bello operam ferre non valebant. Rumoribus tamen alia divulgabantur, & attollebantur vires Turcarum, fama adventantium ingentium ex Græcia copiarum. Vnde Cæſariani omni cum

Mansfeldius Præfectus Cæſaris copiarum in Vngaria.

circumſpectione, ſed & ſegnibus ajebant, cum tali commoditati celeritas conjuncta, majores acceſſiones expeditioni illi comparare potuiſſet. Primus itaque diebus Maji Cæſariani Vienna profecti, Comorrham verſus proceſſerunt, ac ibi univerſas copias congregatas recenſuit Dux Carolus Mansfeldius, cum Matthias Archidux ſummus belli iſtius Præfectus needum adveniſſet. Finiente Majo in hoſticum promovens Mansfeldius, initio oſtentabat, quod Rabam vel Tattam oppugnaturus eſſet, & ſæpius ipſemet cum pauco equitatu ad eas partes quaſi ſpeculaturus qua obſidionem inſtitueret excurrebat, quo hoſtes decepti poſtpoſita Strigonii

A.C. 1595.

Strigonium obſidetur à Cæſarianis.

gonii cura, meliorem munitionum partem Tattam comportabant. Et cum jam Mansfeldius ad obſidionem Strigonii neceſſatiis apparatibus ſatis inſtructus videretur, primis diebus Iunii ad ipſum Strigonium exercitum conduxit. Erant autem in illo exercitu ultra 40 millia peditum, & 15 millia equirum, & identidem alius equitatus ex Vngaris ad Caſtra confluebat, ut majoribus quæ comparuiſſent Turcarum viribus reprimendis ſufficere potuiſſent.

Strigonii præſidium Turcicum.

Strigonii non ultra bis mille Turcici præſidiarii erant, nec ſatis commeatu & pulvere nitrato inſtructi, inde quod de obſidione non niſi adventu hoſtis viſo cogitârant: Tunc etiam primum aliunde neceſſaria petere non poterant; ſtatim enim Mansfeldius omnes aditus ad Civitatem & Arcem præcluſit, ut quarto poſt die Buda ſeptingenti venientes Ianizari tranſitum eo non invenerint. Mox etiam admoveri juſſit Machinas, quibus muros Civitatis fortiter quati juſſit: Montem S. Thomæ, quem Turcæ deſeruerant, præſidio ſuo munivit, & collocatis machinis, inde maxima obſeſſis damna dabat. Caſtellum in adverſa Danubii ripa *Kokern* appellatum, unde ad arcem adhuc commeari poterat, miſſo Nicolao Palfi occupavit, ac ita undique oppugnatione inſtituta, omnem ſpem auxiliorum obſeſſis ademit. Videns autem Baſſa Budenſis quanto in periculo Strigonium verſaretur, ex vicinioribus præſidiis, contracto viginti millium exercitu ad finem Iulii obſeſſis opem adferre tentavit. Ac primo congreſſu non paucos ex Cæſarianis profligârunt Turcæ, ſed inſequenti die cum majori audacia quam conſilio, in Civitatem penetrare contendentes, inter propugnacula à Cæſarianis occupata, incauti irruunt, magnâ clade accepta retroducere ſunt coacti, & impedimentis abjectis in fuga plurimi ſunt cæſi, præda opima & apparatu multo bellico cum quadraginta machinis campeſtribus Cæſarianorum poteſtati relicta; centum tamen quinquaginta ex illis mira agilitate in Civitatem penetrârant, & obſeſſi interim dum utrinque pugnatur, unum Cæſarianorum propugnaculum invaſerant & occupârant. Sed ſtatim altero die inde fuerunt ejecti, & Mansfeldius miſſo tibicine, ac colloquium Præfectum ejus loci Turcicum vocavit, deditionemque poſtulavit: cui ille vitam prius ſe cum ſuis profuſurum, quam deditionem facturum reſpondit. Vnde oppugnationem illam vehementius promoveri curavit Mansfeldius, ſed ipſemet febri & diſſenteriæ malo correptus, Comorham pro valetudine curanda lectica vectus abierat, ibique intra paucos dies priuſquam Strigonium caperetur obiit. Matthias autem Archidux ut audierat ægrotare Mansfeldium, ad caſtra properavit, & adveniens diutius ambiguo Marte oppugnavit obſeſſos, qui fortius reſiſtebant, relictaque Civitate, arcem ſolam defendebant. Tandem vero initio Septembris, cum non ſolum commeatu, ſed & aqua carerent, pulverem nitratum non haberent, & tormenta præter unum & alterum frequenti uſu confracta eſſent, deditionem fecerunt, pacta ſibi incolumitate corporum, & abducendi quæ navibus imponere poterant libertate. Capto autem hoc modo Strigonio ex exercitu Cæſareo Aldobrandinus cum copiis Pontificiis, & Palfius cum parte copiarum Vngaricarum profectus, Viſegradum deditione ceperant: Vacciam etiam oppugnare tentaverant, ſed nullo fructu, Strigonii Nicolaus Palfi Vngarus cum fortiori præſidio remanſit, reliquis copiis in diverſa hyberna diſpoſitis, pleriſque dilapſis tumultuarie, præſertim Mansfeldianis: Pontifex ſuas dimitti juſſit, niſi Imperator propriis ſtipendiis illas retineret; aliquot etiam cohortes ex illis Tranſilvano conceſſerat.

Turcæ in ſubſidium Strigonio venientes profligantur.

Turcæ præſidiarii Strigonii deditionem facere nolunt.

Mansfeldius æger Comorrham defertur & moritur.

Matthias Archidux ad Caſtra venit, & Strigonii oppugnationem continuavit.

Strigonium deditione obtinetur.

Tranſilvaniæ Princeps Leypam Turcis ademit.

Sinan Baſſa in Valachiam veniens pellitur.

In ſuperiore autem Vngaria Maximilianus Archidux cum altera exercitus parte nihil memorabile geſſit: Tranſilvanus aliquantum præſtitit; nam Leypam & Fagiarum oſtentatâ tantum oppugnatione cepit, ac Temeſuarem Baſſam Fagiatum, poſtquam captum erat, potentem fugavit. Sinanem quoque Baſſam, qui ne nil agere videretur, aliqua manu collecta Valachiam occupare, & inde Tranſilvaniam

A.C. 1595. niam oppugnare propoſuerat, retrocedere ultra Danubium coëgit, & cum ille reverſus Conſtantinopoli cum majoribus copiis, ac juncto pontibus Danubio eaſdem Valachiæ oras occuparet, & Targovizam, Bucareſtum illius Provinciæ principaliora loca (ſed non munita) obtinuiſſet, iterum eum expulit caſtrumque Georgium ad Danubium ſitum ad Valachiam pertinens, quod Baſſa præſidio Turcico munierat, in ſuam poteſtatem redegit.

Petrinam in Croatia recuperant Cæſariani.

Alia tamen mirabilia, quæ quidam circumforaneus rumorum novellorum auceps narrat, ut quod Babbam ceperit, quæ tamen ultra oſtia Danubii prope Pontum Euxinum ſita eſt, quod in Thraciam uſque prope Adrianopolim, quaſi ultra Danubium ad centum leucas Germanicas excurrerit, certe non fecit. Satis tamen eſt quod hic annus Chriſtianis proſperior fuit; ubique enim feliciores ſucceſſus habuerunt, cum & Croatiæ Præſidiarii Petrinam interceperint, ac Boſnenſem Baſſam populantem Croatiam fugârint; Serinus Comes Baborſcham, & omnem regionem verſus Zigetum in ſuam poteſtatem redegerat. S. Martinum & in diverſis locis alias plures ipſimet Turcæ arces deſeruerant. Claſſis Turcica aliquantum laceſſivit, & in metu tenuit Italiam hoc anno; circa Reggium enim maritimum oppidum Calabriæ, non multo ante viciniora littora ſpoliaverat, ac totâ hac æſtate circa Siciliam oberravit, donec Neapolitanæ ac Tuſcanæ Triremes conjunctæ, illam perſequendo toto mari depulerunt.

Turcica claſſis Italiam petit.

Hardechius Comes ſupplicio capitis afficitur.

Viennæ autem 15 die Iunii de Ferdinando Hárdek Comite (manu dextrâ & capite truncato) miſerabile ſupplicium fuit ſumptum ob deditum Iaurinum, quod tamen ipſe nonniſi ob turpem Ducum & exercitus fugam fuiſſe amiſſum, evidentioribus argumentis comprobabat. Sed ſurdis auribus defenſiones ejus audiebantur, immo pro exprobratione ac improperiis acceptæ, damnationem mortemque illi accelerârunt.

Perſarum Rex novus bellum Turcis infert.

Commodo quoque Chriſtianorum hoc anno Perſarum Rex dicebatur è vivis exceſſiſſe; ejus enim ſucceſſor in Regno pacem cum Turca, quam Pater ſtabilierat, repudiavit, & graviori bello ab illa parte eum diſtinere cœpit. Ac frequentes Legationes ad Chriſtianos Principes miſit ad ineundum cum eis fœdus contra eundem hoſtem, quem communem vocabat. Sed incertum, Perſamne an Turcam vinci vel vincere expediat Chriſtianis? cum uterque Machometiſmum profeſſus, æque oderit Chriſtianos.

Gallia pax reſtituitur.

In Gallia poſtquam Rex Henricus IV ad fidem Catholiam redierat, & corona unctioneque ſacta inſignitus fuerat, Pariſioſque & principales Provincias ac Civitates ſibi reconciliârat, ſenſim omnis belli motus componi, & tranquillitas exoptata toto Regno reduci incœpit, & plurimi ex fœderatis ad obſequium ipſius tranſibant, Henricus quoque Guiſius filius Henrici Guiſii à Rege Henrico III, interfecti (unus ex Candidatis nuper ad Regnum) cum Civitate Remenſi in obſequium Regis conceſſit, & omnis Gallia fere eum pro Rege ſuo jam recognoſcebat, præter Maſſiliam, & aliqua loca in Britannia, ac Picardia, quæ ab Hiſpanorum præſidiis cuſtodiebantur.

Henricus IV Rex Galliæ Hiſpano Regi bellum denuncians.

Vnde Rex Henricus paci ſui Regni nil jam obſtare videns, præterquam Hiſpani Regis (ut quærebatur) molitiones, contra eum bellum in omnibus Regni ſui ditionibus proclamari fecit die 7 Ianuarii, ac in edictis ſuis ad hoc promulgatis narravit, quod ille à temporibus Franciſci II Regnum Galliæ in ſuam Familiam transferre contendens, cum apertâ vi non poſſet, diſſenſiones & ſeditiones in hoc Regno diſſeminare nunquam ceſſavit, & aſſumpta Religionis ſpecioſa cauſa Henricum III Regem tolli curavit, ſibi quoque nuper inſidias ſtructas, Civitateſque ac Provincias ab eo occupatas eſſe, ſublato jam Religionis dubio, plane ſola ſubjugandi Galliam cupidine, & Gallici nominis odio. Se itaque defen-

ſioni

ſioni honoris & vitæ ſuæ, ac ſubditorum ſalutis nolle deeſſe, ſed tantas injurias aperto bello terra marique vindicare velle denuntiabat: & ut ille ab omnibus Gallici Regni incolis pro hoſte haberetur, & oppugnaretur mandabat. Sed ut ad notitiam Hiſpanorum illa denunciatio pervenit, iſti quoque nomine Regis Philippi II, die 17 Martii ejuſdem anni ſimilem denuntiationem belli contra Bearniæ Principem, (ita eum nominabant tunc Hiſpani) qui ſe temerè Regem Galliæ nominaret, Bruxellis publicari fecerunt, & objectas in illis edictis Hiſpano nomini criminationes purgando, explicarunt, quod omnia bella in Galliam nonniſi pro defendenda Religione Catholica ſuſceperant, nec de alia cauſa eundem Biarnenſem uſque in finem armis perſequi vellent.

A.C. 1595.

Hiſpanus Rex viciſſim Galliæ Regi denuntiat bellum.

Erneſtus Archidux bellum illud promovere debuerat, ſed menſe Februario ex calculi doloribus quadrageſimo ſecundo vitæ ſuæ anno extinctus, Comiti de Fuentes, ſive de Fontibus illam provinciam reliquit. Statim autem Henricus Rex in ditionem Lucemburgenſem Ducem Bironium expedierat, qui Ivodio Oppido capto, multa alia ibi circumvicina minus munita loca ſpoliavit.

Bironius cum copiis Gallicis in Lucemburgiam irruit.

In Arteſiam etiam excurrentes Galli, Avennas, plurimoſque pagos diripuerant. Et viciſſim Marchio Varembonius Belgii copiis ad fines Picardiæ conductis, illius oræ confinia longè lateque populabatur, ac miſſo Rheſneo cum parte copiarum, Feram Veromandiæ à Fœderaris ſuo Hiſpano Regi traditam commeatum intulit. Ipſe Rex Henricus in Comitatum Burgundiæ per Lotaryngos qui ipſi ſe conjunxerat, exercitum immiſit, ac eorundem Lotaryngorum opera Ionvillam, Luxillium, Veſulium cepit. Omnia tamen illa loca mox dimiſit adveniente per Sabaudiam Comeſtabili Caſtigliæ cum exercitu ſedecim millium Hiſpanico. Audito enim ejus adventu Rex, in inferiorem Burgundiam ſeu in Ducatum Burgundiæ cum exercitu tranſiit, ac Lugduno metuens illud præſidio firmiore munivit: Inde vero hoſti occurrebat, ut de ſumma rerum cum ipſo prælio decerneret. Viennam Galliæ interim Alphonſus Corſus in ejus nomen accepit, intempeſta nocte conducto exercitu, & per Gubernatorem loci ad hoc ſubordinatum in Civitatem portis apertis introducto, quo plurimum adjumenti partibus Regiis acceſſit, cum Civitas illa non minus ampla quam fortiſſimis propugnaculis munita, magnum territorium ſua juriſdictione complectatur.

Arteſiam Galli invadunt.

Picardiam invadunt ex Belgio Hiſpanica copiæ.

Henricus IV. Galliæ Rex in Burgundiam movet.

Vienna Galliæ pro Rege Henrico capitur.

Sed Sabaudus Cavorium obſidione premens, fuſis auxiliariis à Ladigerio ſummiſſis, ad deditionem coëgit: & Comes Fontanus cum majoribus viribus Picardiam ingreſſus, primo Dorlantium oppidum natura loci & arte munitiſſimum obſidere inſtituit. Et dum eo initio menſis Iunii contendit, primo Caſtelletum Veromandiæ oppidum à Grangæo cum ſexcentis Gallis defenſum oppugnavit, & ad deditionem coëgit. Hanno interim Gallis occupando intentis; quod & ceperunt, immiſſo clam in arcem Bullionio, Humerio, & Crucio, qui inde erumpentes, præſidium in Civitate Hiſpanorum parte trucidarunt, reliquum abjectis armis deditionem pactum dimiſerunt. Fontanus autem à Caſtellero capto Dorlantium exercitum duxit, & in itinere Fera commeatu ſublevata, occupavit Cleriam arcem, unde contra Peronam præſidio Hiſpanico munitam excurſiones agebantur. Decima quarta Iulii in conſpectum Dorlantii veniens, erumpentium in de Gallorum velitationes excepit, & repreſſit, propiuſque accedens, inſequentibus diebus munitiones ad oppugnationem excitavit, ac diſpoſitis machinis, propugnatoribus erumpendi undequaque vias præcluſit, & oppugnatione fervente cum Bullionius ac Bellinus & Villeroius Admiralius, qui Rotomagum defenderat pro Fœderatis, collectis quas ea celeritate poterant copiis venirent in ſubſidium obſeſſis; hoc intellecto Fontanus, munitiones excitatas circa Civitatem peditatu firmavit; ipſe vero cum Equitatu hoſti occurrens, Bullionium

Sabaudiæ Dux Cavorium capit.

Fuentes Comes in Picardiam ducit.

Hanno Galli Hiſpanos ejiciunt.

Dorlantium obſident Hiſpani.

A.C.1595. temerè relictis à tergo longo intervallo ſuis copiis cum ſelectiote Equitum manu præcutrentem facilè fudit; de iſtius aurem clade admoniti reliquit tardius ſubſequentes, pugnam detrectarunt, ſed ſervatis ordinibus ad rutiora ſe receperunt: pedites octingenti qui recedere tam celeriter non poterant, ab inſequentibus victoribus ſunt profligati. Bellinus in eo conflictu graviter ſaucius fuit captus, Villeroius captus vivus, ſtatim ab Hiſpanis fuit mactatus, & præcipui quique ex iis qui in illo primo agmine cum Bullionio Ducibuſque ſuis conſtitetant, ſunt cæſi vel capti; Bullionius cum paucis ſuis evaſit. Subſidiis itaque diſſipatis, Fontanus majoti vi mœnia Dorlantinæ Civitaris & arcis quatiebat, & dejecta magna parte muri, ultima die Iulii arcem per tuinas invadi fecit, vixque in unam horam actioti protracta pugna, defenſores loco cedere coacti, ex arce in Civiratem decurtentes, cum nec ibi reſiſtere poſſent, immo continuando pugnam plurimi occumberent, reliqui majoti parte vulneribus confecti, in manus hoſtis, una cum Civitate conceſſerunt, paucique ex iis vivi ſunt ſervati, præter Nobiliotes, qui Atrebatum deducti, gravi lytro vitam redimebant. Nec ulla alia æquè cruenta iſtis temporibus viſa fuit expugnatio. Sed & aſtus pro Hiſpanis ſub hoc tempus militavit: Nam & Dampetram, & Petrafontiam ex vicinis oppidis præſidiarii Hiſpanici inani metu incuſſo Gallis intercepetunt. Fontanus autem inſtauratis Dorlantii ruinis, & validiori præſidio Hiſpanorum ibi relicto, Cameracum contendit, illudque citca medium Auguſtum obſidere cœpit. Cameracum autem cum ſua ditione in finibus Arteſiæ & Hannoniæ ſitum, ſejuncta provincia Imperii pars olim cenſebatur, ſubjecta tantum ſuo Archiepiſcopo, qui ſe Ducem Cameracenſem denominat: ſed demum nunc à Belgis, nunc à Gallis uſurpata, victoris partes ſequitur. Illam itaque Civitatem propugnante Balignio & Carolo Gonzaga Ludovici (iſte interim ægrotabat, & ſub finem Octobris ejuſdem anni obierat Nigellæ) Nivernenſis Ducis filio, Duce tunc Retellano cum Fontanus gravius oppugnaret, Cives metuentes cladem Dorlantinam, de deditione murmurare cœpetunt, & militibus Helvetiis, qui Balignio ob defraudata ſtipendia inſenſiores erant, in ſuam ſententiam allectis, principio Octobris Hiſpanicum præſidium in Civitatem admiſerunt; quod videns Balignius cum Retellano ac aliis Ducibus in arcem ſe recepit. Sed cum neque ibi teſiſtere poſſet, eadem die inducias ad triduum pepigit, eoque elapſo arce relicta Fontani poteſtati, cum ſuis impedimentis abiit. Atque ita Fontanus parva manu, & intra paucos menſes maximi momenti loca, immo totam Provinciam quæ Cametaco ſubjacet, virtute veteranorum quos adduxerat occupavit. Sed nec Rex Henricus tunc otiabatur; nam in Ducali Burgundia, ſeu in Burgundia inferiore Gallica (alia eſt Comitatus Burgundiæ ſuperiot dicitur ad Imperium ſeu Auſtriacos pertinens) venientem Comeſtabilem Caſtilliæ cum novis copiis Hiſpanicis & una Mænium ille conjunctum profligavit, ac inde Divionum aggreſſus cepit, & mox Belnam, alias Beaulne miſſo Bironio ad deditionem coëgit; ejuſq; exemplo Auguſtodunum territum ad obſequium ſuum tevocavit. Comprimis autem benigniorem fortunam in eo ſenſit, quod tandem ſub hoc tempus Pontifici Romano teconciliari meruit. Et quidem Rex iſte cum anno prætèrito miſſo Duce Niverſio abſolutionem ab excommunicatione à Pontifice non obtinuiſſet, poſteaquam fuerat ſolenni Eccleſiæ ritu coronatus Rex, ac ſacram Vnctionem, & cætera inſignia regia obtinuerat, pariſioſque deditione occuparat, negligentius eam urgebat, & plures non amplius requirendam ſuadebant, ne iterum arte malevolorum denegata, repulſæ dedecus augeret.

Fuentinus Gallos in auxilium Dorlantio venientes vincit.

Dorlantium capiunt Hiſpani.

Dampetram Hiſpani intercipiunt.

Cameracum in finibus Arteſia ſitum.

Cameracum deditur Fuentino.

Henricus IV. Rex Galliæ Hiſpanos profligat.

Henricus IV. Rex Galliæ reconciliatur ſummo Pontifici Rom.

Pontifex autem anxius, ne Rex pernicioſiote exemplo eam petere negligeret, clatiotibus jam ſignis ſi peteretut fore concedendam inſinuabat. Vnde

Eccle-

Eccleſiaſticis ſuggerentibus, Sorboniſtæ & Theologi eruditiores ſuper hoc conſulti, cum cenſerent Regem abſolutione indigere, abſolvique debere per Papam, Rex Dominum de Pernona cum Epiſcopo Ebroicenſi ac Reginaldo Oſſato ad Pontificem cum ſolenni Legatione pro perenda hujuſmodi abſolutione miſit: Ioieuſius etiam Cardinalis, quem Rex protectorem Galliæ conſtituerat, Romam properavit. Et ut primum Pontifex à Cardinali Condæo illud propoſitum Regis per veredarios intellexerat, nullam difficultatem de Legato ipſius admittendo ad Vrbem ſupereſſe, eumque hilari vultu excipiendum fore ſignificari fecit. Cum itaque Romam Pernonius veniſſet, & cum Pontifice in negotio abſolutionis ſequeſtro Cardinale Aldobrandino egiſſet, trigeſima die Auguſti in conſilio Cardinalium publico Pontifex dandam eſſe illam abſolutionem decrevit, & muſſitantibus aliquibus Hiſpanicis Cardinalibus ipſemet Pontifex reſpondit; nullis amplius deliberationibus locum eſſe, & omnia ſatis ſuperque examinata fuiſſe, decretumque hoc publicari juſſit, ac abſolutionem tali ſolemnitate perfecit. A.C. 1595.

Die ſeptimo menſis Septembris ipſe Pontifex in Pontificali habitu ex ſuo Palatio in porticum Baſilicæ Divi Petri ſella geſtatoria delatus, comitatus à Collegio Cardinalium & Officii ſacræ Inquiſitionis ac Pœnitentiariæ Præfectis, ad portam mediam illius templi conſedit: Tunc per Magiſtros Cerimoniarum deducti fuerunt ad eum Regis Galliæ Legati, quorum Princeps Dominus de Pernona oſculatus primum cum Collegis ſuis pedes Pontificis, eleganti oratione Latina nomine Regis ſui obedientiam & ſubjectionem Pontifici detulit, & abſolutionem ac benedictionem Apoſtolicam verbis ad humilitatem compoſitis ab eo petiit. Oratione hac finita, Coſmus de Angelis Officii S. Inquiſitionis Secretarius, Decretum Pontificis ſcripto conceptum legit, quo abſolutionem ab Archiepiſcopo Bituricenſi, & aliquot aliis Epiſcopis in Gallia Regi Galliæ & Navarræ datam, nullam fuiſſe, Catholicos tamen actus omnes à Rege ab eo tempore præſtitos valere declaravit, eumque ab omnibus excommunicationibus ac cenſuris, præſertim Sixti Quinti Bulla contentis abſolvit, his conditionibus, ſi Legati ſeu Procuratores loco ſui Regis, quem ratum habiturum omnia quæ agerent pollicerentur, omnes hæreſes in genere, ac in ſpecie Calviniſticas abjurarent in inſtanti, & pœnas quas Pontifex injungeret ſatisfactione perſolvendas ſuſciperent. Quæ omnia Rex poſtea confirmaret, & iterum hæreſim in Gallia coram Legato Pontificis in propria perſona ejuraret. Statim igitur Legati illi formulam abjurandi hæreſim ex ſcripto parato clara voce recitarunt, & profeſſionem fidei Catholicæ Romanæ enuntiarunt. Hocque finito idem Secretarius S. Inquiſitionis conditiones ſatisfactionis Regi à Pontifice injunctas legit, & Regi titulum Chriſtianiſſimi dedit. Conditiones autem erant:

Henrici IV. Galliarum Regis reconciliationis forma.

Vt Rex in fide Catholica Romana perpetuo maneat, ab ea nunquam diſcedat, ſed vivens & moriens in ea perſeveret.

Henrico IV. à Papa data conditiones reconciliationis.

Concilium Tridentinum recipiat, & in toto Regno Franciæ obſervari curet. Quod ſi in aliquibus Regni Provinciis, ſine periculo novarum ſeditionum obtineri nequeat, veniam à Papa Rex petat.

Principem Condæum puerum novennem, proximum tunc Regni hæredem intra anni vertentis ſpatium ab hæreticorum familiaritate ſegreget, & in Catholica Romana Religione educari curet.

In Bearnenſi Principatu ad Epiſcopatus vacantes, idoneos Epiſcopos nominet, iiſque cenſus ademptos reſtituat, & donec reddantur, ex Regio ærario illos alat.

Vetera pacta cum Sede Romana redintegret, ac ſervet.

Omnes poſſeſſiones & bona Eccleſiaſtica ſuperiorum temporum bellis adempta, ſuis Epiſcopis, Abbatiis, & Ordinibus, ac perſonis Eccleſiaſticis reſtituat.

A.C. 1595. *Rex ipſe de ſua converſione, & hæreſium omnium damnatione Regibus & Principibus Chriſtianis ſive per literas ſive per legationes ſignificet.*

Pœnæ autem loco ipſi fuerat injunctum.

Vt ſingulis diebus Miſſam ſacram, & diebus Dominicis ac feriis ſextis, plenum officium audiret, niſi impediretur.

Singulis feriis recitaret, ſecunda Coronam Beatæ Mariæ Virginis. Quarta Litaniam de eadem B. Maria Virgine.

Sabbatho preces Roſariæ ejuſdem B. M. V. quam Advocatam ſibi coram Deo eligeret.

Quater in Anno confiteretur peccata ſua Sacerdoti Catholico & ſacram Euchariſtiam ſumeret.

In ſingulis Regni Provinciis ſingula Monaſteria extrueret, ac dotaret.

Iejunia & Vigilias ab Eccleſia inſtitutas religioſè ſervaret.

Haſque conditiones Legati ſuſceperunt, & manibus ſuis ſubſcripſerunt. Tum proſtrati ad pedes Pontificis (qui ſcapulas eorum bacillo oblongo ſubinde tangebat) jacuerunt, donec Pſalmum Davidicum *Miſerere mei Deus, &c.* & *De profundis clamavi, &c.* Cantores Pontificii voce ſubmiſſa decantarunt.

Quibus abſolutis Pontifex exurgens, & mitra de Capite depoſita certas preces ex libro Pontificali recitans, Legatis benedictionem dedit. Fiſcalis autem Pontificis & Inquiſitionis omnes Protonotarios & Notarios præſentes, & nominatim Dandinum & M. Flaminium Inquiſitionis Scribam requiſivit, ut hujus actus memoriam conſervarent, & inſtrumenta publica de eo conficerent: & ſtatim inſonuerunt tubicines, & tympaniſtæ, ac bombardarum fulmina ex Caſtello S. Angeli in ſignum publicæ lætitiæ.

Ac benedictione data templum ſancti Petri eouſque clauſum, fuit apertum, permiſſoſque illud ingredi Legatos his verbis admonuit Pontifex: *Quemadmodum ipſe nunc Regi illorum januam Eccleſiæ militantis in his terris iterum aperuit, ita Regiam Majeſtatem eniti debere, ut viva fide & bonis operibus ſe introitus in Eccleſiam triumphantem in cœlis faciat capacem.* Inde progredientes intro Legati concinentibus Muſicis & comitante Cardinali S. Severinæ ſummo Pœnitentiario, in Capella Gregoriana ab eodem Cardinale ſacram Communionem ſumpſerunt,& ultra tranſeuntes ad Altare Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, poſtquam precationes ſuas genu flexi dixerunt, Cardinalis ex libro Pontificali certis precibus recitatis, eos dimiſit. Demum magnis Prælatorum & Nobilium Gallorum catervis ſtipati illi Legati iverunt ad ſancti Ludovici Templum nationis Gallicæ. Rhedæ qua vehebantur à tergo affabrè ſculptæ, auro inſcripta apparebant hæc verba: *Confundantur qui me perſequuntur.* Et ſupra portam Templi ſancti Ludovici inſignia Regni Galliæ eminebant cum titulo: *Henricus Quartus Galliæ & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus.* Ibi itaque decantatus fuit Hymnus Gratiarum Deo, & repetita ſonitu tubarum ac bombardarum lætitiæ ſigna. Ac ſub veſperam per Vrbem totam collucentibus luminaribus edebantur feſtiva congratulationum indicia, Hiſpanis ac eorum aſſeclis indignantibus. Non multo poſt Pontifex Alexandrum Beninum miſit in Galliam cum diplomate abſolutionis, ut Rex in ejus præſentia abjuraret hæreſim, & profeſſionem fidei faceret, confirmaretque omnia quæ illi Legati nomine ejus promiſerant, & tum demum illud abſolutionis Pontificium diploma haberet. Scripſit quoque Pontifex ad omnes Reges & Principes fuiſſe abſolutum Regem Henricum denuntians, & ad ſubditos Regis qui adhuc fœderi ſuo inſiſtebant, ut eum pro Rege ſuo recognoſcerent, eique obedirent.

Sub illud autem tempus ex Hiſpania Cardinalis Albertus Archidux Auſtriæ eò

uſque

Digitized by Google

A.C. 1595.

Albertus Archidux Cardinalis Belgii Gubernator deſtinatur.

uſque Protegis Luſitaniæ munere perfunctus, in locum fratris Erneſti Archiducis ad gubernandum Belgium fuit deſtinatus, & cum Genuam delatus abſolutum fuiſſe Romæ Regem Henricum intellexiſſet, ibi ſubſtitit, donec ex Hiſpania poſt illam Gallicarum rerum mutationem nova mandata acciperet. Romam etiam miſit Philippum Vilhelmum Comitem Naſſovium Mauritii fratrem, quem vivente adhuc Patre Vilhelmo Hiſpani ex ſcholis Lovanii ſubtraxerant, & educari in Hiſpania fecerunt. Et per illum ſuum Legatum petiit à Pontifice concedi ſibi, ut poſſet arma ac militarem habitum ferre Cleticali mutato, & Eccleſiaſticos cenſus quos amplos cum Archiepiſcopatu Toletano poſſidebat, retinere. Deinde genua movens, paucoſque dies Mediolani commoratus, tandem lentis per Sabaudiam incedens paſſibus, ſub finem anni hujus in Belgium venit cum mille Equitibus & quatuor millibus peditum Hiſpanorum, ac cum magna vi pecuniæ; nam quadragies centum millia nummorum aureorum Hiſpanicorum (ſeu quatuor milliones) dicebatur ſecum advexiſſe in uſum illius Provinciæ.

Alberto Cardin. Archiduc. datur facultas militari habitu veſtiri & retinere Epiſcopatum.

Galli Fœderati reconciliantur Henrico IV. Regi.

Et ut reliqua quæ ad finem hujus anni ſucceſſerunt in Gallia breviter perſtringamus, cum primum ibi percrebuerat Regem à Pontifice fuiſſe abſolutum, plures Principes ad ejus partes accedebant, & ipſe Mænius Confœderatorum antelignanus, peritis primum trium menſium induciis, eis finitis, Regi fuit reconciliatus. Sueſſionum quoque Civitas, & Pireforrium pulſo Hiſpanorum præſidio Regi ſe ſubjecit. Ipſe Rex Picardiam progreſſibus Fontani territam, & ex locis ab eo interceptis divexatam relevare volens, Ambianum venerat, ac ibi Conventum Ordinum Picardiæ, Veromandorum, Colonenſium, & Tireſſiorum agebat, atque Feram cujus Hiſpanicum præſidium maximè in Picardiæ pagis graſſabatur, primum aggrediendam decrevit, obſidioneque cinxit, Balignio ejus cura demandata. Aliquid etiam de pace cum Hiſpano Rege componenda, fuit ibi deliberatum: ſed inani conatu. Iſte enim exaſperatus colluſione Gallorum, quorum cauſa tantas impenſas fecerat, eo majore fervore bellum apparabat: Civitates & arces omnes quas Dux Mercurius in Britannia Gallica occuparat, conſignari ſtatim fecit in nomen filiæ ſuæ Iſabellæ, ut ſub illius prætenſa hæreditate, hoc bellum titulo honeſtiori duceretur. Galli tamen ipſi in dies magis conquieſcebant: & quo ſecuriores ad Regem redirent, Parlamentum Pariſienſe promulgato edicto publico, omnibus redire volentibus, impunitatem liberumque ad domos & bona ſua reditum conceſſit, iis exceptis, qui necis Henrici Regis Tertii conſcii fuiſſent.

Feram obſidione cinxit Rex Galliæ.

Hiſpani bellum contra Regnum Galliæ continuant.

Hollandi Grollam fruſtra tentant.

Hollandi nihil hoc anno armis præclarè geſſerunt, quamvis ex occaſſione diſceſſus Fontani cum exercitu in Galliam opportunitatem rei bene gerendæ expectaverint: Quo conſili Grollam obſidione cinxerant. Sed Mondragonio Vicario Fontani eò celerius cum ſubſidiis advolante, priuſquam ipſi caſtra ſua munire, & propugnacula oppugnationi neceſſaria excitare potuiſſent, & quod minores adhuc copias haberent, quam ut ſimul & prælio decertare, & obſeſſorum eruptiones ſuſtinere valerent, obſidio illa ſolvi debuit. Immo in receſſu Mauritius eorum Dux, cum explotatum emiſiſſet patruelem ſuum Philippum Naſſovium circumventum ab Hiſpanis amiſit, cum quo Erneſtus Naſſovius, ac Ebetchardus Solmenſis & multi alii inſigniores Tribuni, partim cæſi, partim capti fuerunt à ſupervenientibus majori numero Hiſpanis, dum incauti moras traherent, poſtquam priores hoſtium turmas fugarant. Eam tamen injuriam ulturus Mauritius, ut primum Hiſpani in Brabantiam redierant, Verdenbergam Arcem Clivenſi territorio proximam expugnavit; & ejus præſidiarios cum Centurione ſuſpendio necari fecit. Et mox Lyram tribus leucis Antverpia diſtantem, medio Octobre aſtu tentavit,

Naſſovius ab Hiſpanis cæditur.

Mauritius Auranius Verdenbergam expugnat.

A.C. 1595.

Lyram aſtu conantur intercipere Hollandi.

tavit, commiſſo hoc negotio Bredenſi Præfecto, qui nocte eò adveniens, ſcalis admotis, & primis excubitoribus cæſis, portam Mechlinenſem intercepit, ac ea reliquos ſocios ſuos intromiſit, Civitatemque occupavit. Sed cum direptionibus miles intentus, præſidiarios portam Liſperenſem tenentes expugnare differret, Antverpia & Mechlinia octava poſt hæc hora accurrentes majori numero Hiſpani, & per illam portam ingreſſi, Hollandicos pauciores oppreſſerunt, Lyramque liberarunt. Ad tractatus autem de pace quos hucuſque renuebant Hollandi, ipſimet invitarunt Belgas hoc anno. Sed cum Hiſpanos ab iſta pace excludi omnino vellent, difficilis hæc propoſitio diremit omnem tractatum.

Navigatio per mare Septemtrionale iterum tentata.

Hoc anno quoque expedierant Hollandi aliquas naves, quæ iterum tentarent navigationem in Indias Orientales per mare Septemtrionale, quod multa glacie tota æſtate ibi innatante impeditum penetrari nunquam potuit. Et veriſimile eſt, quod totus Septemtrio ſit continens ad Orientem verſus Chinas, & ad Occidentem ad novam Franciam Americamque protenſus. Quod autem fertur de Indianis ad littora Suetica olim appulſis, potuerunt eò penetraſſe per mare Ethyopicum & Atlanticum ac Germanicum.

Anglica Claſſis in Americam navigat nullo fructu.

Regina verò Angliæ claſſem viginti quinque navigiorum hoc anno emiſerat cum Franciſco Draco, ac Ioanne Nauukio, ad invadendum Inſulas Hiſpanorum Americales. Sed illorum curſum cum exploraſſet Petrus Guſman Architalaſſus Hiſpanicus, præcurrens portum opulentum dictum Inſulæ ſancti Dominici, quo illi contendebant, primus occupavit, eoſque advenientes facile inde rejecit: atque ita nulla re inſigni geſta ex illa claſſe tempeſtatibus naves multæ fuerunt demerſæ, plures in incertum disjectæ, & in reliquis nautæ, ac milites diſſenteriæ malo ſunt infecti, & abſumpti plurimi, ac ipſe Dracus initio proximi anni eodem morbo deceſſit.

Hiberni defectionem faciunt.

In Hibernia vero Catholici, qui ibi erant plures, cum libertates ſuas mandatis novis Reginæ Angliæ in dies magis reſtringi viderent, eas vindicare armis volebant, & Duce Tyrone Comite aliquot millia armatorum collegerant, locaque munitiora plurima occuparant. Sed cum ſubſidia quæ ab Hiſpano Rege ipſis promittebantur non venirent, & hyems immineret, qua auxilia ultra marina ſperari non poterant, à Moritzio eò à Regina cum valida militum manu miſſo facile ad officium fuerunt revocati.

Hiberni ad officium revocantur.

Ruſſiæ ex Pol. Legatio Romam miſſa.

Romæ præter illam ſolemnitatem quam recenſuimus abſolutionis Regis Galliæ, alia fuit exhibita non minus grata Curiæ Romanæ ex Ruſſicis Poloniæ Provinciis, quas vaſtiſſimas à Ponto Euxino & ripis Boriſthenis, ac Tyræ Moldaviæ limitis omne intermedium, & utramque ripam uſque ad ipſos fontes illorum fluminum latè complexas populi incolentes Chriſtianam fidem ritu Græco ſchiſmatico profitentur. Et cum diverſi olim ſæpius fruſtra tentaſſent reducere ipſos ad ſocietatem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, illud opus aliqui Religioſiores ſub hoc tempus inſtaurare ſunt conati, iique primarii ex Epiſcopis illius gentis, nempe Metropolita Kijovienſis, Archiepiſcopus Polocenſis, Vlodimirienſis, Luceorienſis, Chelmenſis, Pinſcenſis. Facta enim Synodo, conſenſerant iſti, ut ſe Eccleſiæ Romanæ conjungerent, rati quod reliqui eorum authoritatem ac exemplum ad amplectendam eandem conjunctionem Romana Sede ſequerentur. Duos itaque è medio ſui ad Clementem VIII Summum Pontificem pro ineunda hujuſmodi conjunctione, & Religione Catholica Romana, rejectis erroribus ſchiſmatis Græci profitenda, miſerant Hypatium Poćiey Vlodimirienſem, Breſtenſemque & Cyrillum Terlecki Luceorienſem Epiſcopum, qui menſe Novembre iſtius anni Romam ingreſſi, à Papa humanius & munificè (ſubminiſtratis cum hoſpitio ad victum neceſſariis) fuerunt excepti, ac ad audientiam Pontificis

Ruſſia populorum fines.

die

die vigeſima tertia Decembris ejuſdem anni admiſſi, in Aula Conſtantiniana Palatii Vaticani in pleno Sacri Cardinalium Senatus conceſſu, Legationem ſuam expoſuerunt: auditoq; Pontificis reſponſo, quod Sylvius Antonius Summi Pontificis Epiſtolarum ſcriptor (poſtea factus Cardinalis) referebat, profeſſionem fidei Catholicæ conformem Romanæ enuntiarunt, nomineque Collegarum ſuorum & ſuo proprio ſubſcripſerunt. Ad ejus rei memoriam cuſa fuerunt Romæ numiſmata effigiem Pontificis ab una parte, ab altera Ruthenorum ad obedientiam Romanæ Sedis receptorum repræſentantia. Sed reverſi illi in Poloniam, ſecus quam ſperarant, averſos à ſe & ab *Vnione* (ita denominatur vulgo) illa cæterorum ritus iſtius Eccleſiaſticorum & ſæcularium animos invenerunt. A.C. 1595. *Ruſſiæ Epiſcopi Græcæ Religionis reconciliantur Sedi Romanæ.*

Ægre enim ferebant ſæculares, ac potentiores, maxime (qui potiores partes apud illam gentem in Religionis cauſa habent) paucos rem tantam quæ univerſos concerneret, ſibi uſurpaſſe, & perficiendam præſumpſiſſe. Præſertim autem Dux Conſtantinus Oſtrowski Palatinus Kijovienſis, qui opibus, in ea gente & armis, ac honoris Senatorii gradu longe cæteris præeminens, ſummam rerum gerendarum authoritatem in eadem Religione obtinebat, ſe in ea *Vnione* decernenda poſtpoſitum fuiſſe indignabatur. Vnde alii quoque, qui revera *Vnionem* hujuſmodi averſabantur, ei vero contradicere ſoli non audebant, tantum Patronum nacti, majori contentione eam impugnarunt, & omnibus populis ſuis adeo exoſam fecerunt, ut audito ſolo *Vnionis* nomine, ab omni de ea tractatu prorſus abhorreant, & nihil magis hucuſque quam tumultus iſtorum ſeditioſi, & querelæ perennes pro *Vnione* & contra *Vnionem*, Rempublicam Polonam turbant. *Ruſſiæ Epiſcoporum reconciliationem cum ſede Romana populus rejicit.* *Vnionis nomen exoſum apud Ruſſos Schiſmaticos.*

Non multo etiam ante, idem Pontifex exceperat Legatos Patriarchæ Alexandrini Gabriëlis, qui nomine ſuo & Patriarchatus ſui profitebatur fidem Catholicam ex formula cum Romana Eccleſia conſentiente, & damnabat Eutichii ac Dioſcori hæreſim, qua Orientales plurimi ſunt infecti. *Alexandrini Patriarchæ Legati veniunt Romam.*

Hoc quoque anno Romæ corpus B. Cæciliæ ab Octingentis ſeptuaginta octo annis à Paſchali Papa I. reconditum, & eouſque quo loco eſſet ignoratum, caſu dum illius Eccleſiæ titularis Cardinalis Sfondratus vetuſtate collapſa altaria inſtaurat, in arca cupreſſina cum lineo habitu vix aliquid tanta vetuſtate immutato, fuit repertum ſumma conſolatione fidelium. Illud Pontifex veneratus, in arcam ex argento ſolido fabrefactam, una cum arca illa cupreſſina incluſit, & magna ſolemnitate adhibita, in eadem Eccleſia iterum repoſuit. *Cæciliæ Sanctæ corpus inventum.*

Hoc inſuper anno inundationes fluviorum in Italia Padi, in Gallia Rodani, & in Germania Mœni, Moſæ, Rheni, ac aliorum fluviorum portentoſæ enumerantur, quibus ingentia damna diverſis Civitatibus fuerunt illata, fornices pontium muro extructi dejecti, magna hominum multitudo una cum domibus aquis abſorpta. Illud autem accidit tunc horribilius, quod circa Rodanum ad pagum Martenacho impetus illius inundationis duos eminentiſſimos montes radicitus dejecit, cum ſummo pavore accolarum, qui interitum mundi jam adfuiſſe credebant. Et hoc magis mirum, quod illa hyeme fere nullæ nives deciderint, ſed frigoribus intenſioribus glacies craſſior ſolito coacervata, repentino primi Veris tempore reſoluta in tantam aquarum vim excreverat. *Inundationes fluviorum hoc anno frequentes.* *Montes dejecti vi aquarum.*

Annus Chriſti, 1596.

ANni Chriſti, Milleſimi, Quingenteſimi, Nonageſimi Sexti initio, auſpicatus eſt gubernationem ſuam in Belgio Archidux Albertus Cardinalis, qui ut nuper diximus, ex Hiſpania Genuam, ac inde per Sabaudiam Lucemburgum, primo menſe hujus anni advenit, exceptus ibi à Comite Fontano, & frequenti Belgicorum Nobilium Ordine. Dux de Paſtrana, qui *Albertus Archidux Cardinalis in Belgium venit.*

A.C. 1596. qui etiam cum Fontano venerat, priuſquam vidiſſet Cardinalem, morbo fuit extinctus; ac paucis ante eum diebus obierat Antverpiæ Mondragonius Dux militaris veteranus, qui nuper Grollam ab obſidione Mauritii Naſſovii liberaverat, & pluribus fortiter geſtis in arte militari inclaruerat. Veniens Bruxellas Archidux, 11 die Februarii, in ingreſſu ad portam Lovanienſem à Magiſtratu Civitatis claves illi offerente, fuit ſalutatus, & tranſiens plurimos ſpectavit arcus triumphales artificio exquiſito, ac ſumptu magnifico erectos. Primam autem curam ad Gallicas res convertit, & Feram in Veromandia quam Henricus Rex obſidione arcta in quintum jam menſem premebat, ſummiſſo per Georgium Baſta Ductorem militum veteranum commeatu aliquantum ſublevavit. Sed ad eam liberandam, cum res majoris laboris eſſet, eo recta exercitum ducere, Rege Henrico viciniora omnia, qua tranſeundum eſſet, firmis præſidiis munita tenente, ut alia ratione hoſtem ab ea obſidione averteret, vel meliori lucro damnum illud compenſaret, menſe Aprili deflexit verſus Caletum Britannico mari imminentem portum celebrem, unde Doveram in Angliam breviſſimus patet trajectus, forte ille qui à Ptolomæo ἴκιον ἄκρον, ſeu qui à Iulio Cæſare *Icius* vocatur, Geſſoriacus circa Boloniam ponitur. Nec bene ad tantam vim eum munitum invenit, nihil enim minus illi loco quam obſidio ſub illud tempus timebatur. Itaque inſtituta oppugnatione, & primum intercepto propugnaculo maritimo, quod acceſſum ex mari ad portum prohibebat, vibratis contra Civitatem machinis territos defenſores, ejulatuque mulierum ac puerorum magis turbatos, mœnia Civitatis deſerere coëgit, ac arcem toto populo eo confugiente repletam immiſſo per concuſſorum murorum ruinas milite, facile occupavit, intra octiduum tota expugnatione expedita. Caſtella etiam viciniora cepit, & præſidiis firmioribus, præſertim Caleti quinque millibus Hiſpanorum relictis, ac Gallis omnibus inde pulſis, Ardam proceſſit, atque illud quoque oppidum munitum ſatis, ignavia defenſorum vix dum conſpecta hoſtis præſentia, nec viſis oppugnationis incommodis proditum obtinuit: Adventantibus autem Gallis, ut majores illius progreſſus impedirent, in Arteſiam, & inde in Flandriam receſſit. Et cum inſtauratis copiis in Galliam rediturus crederetur, menſe Iulio Hulſtum Hollandorum oppidum territorii Vaſenſis partis Flandriæ obſedit, ad quod cum propter ſitum loci aquis circumfuſi, & firmis undique aggeribus muniti, difficiliorem haberet acceſſum, in plures ſeptimanas quam ſperaverat protraxit oppugnationem. Acrius tamen dum urgeret, nec parceret ſuorum vitæ, quorum plurimi fortiores quique à defenſoribus ſunt cæſi, tandem 17 die Auguſti locum illum deditione obtinuit, permiſſis præſidiariis abire cum ſuis armis, impedimentis, vexillisque explicatis, & oppidanis data libertate ibi manendi, ſeu alio commigrandi. Et ſatis ea æſtate ſe præſtitiſſe ratus, Bruxellas conceſſit, militemque in ſtativis diſpoſuit à tantis laboribus quiete reficiendum.

Caletum portus celebris.

Caletum oppugnat Albertus Archid.

Caletum capitur ab Hiſpanis & munitur.

Ardam capiunt Hiſpani.

Hulſtum oppugnat & capit Albertus Archidux.

Rex autem Galliæ Henricus, primis hujus anni exordiis Maſſiliam, quæ plus negotii ſibi & toti Regno faceſſitura videbatur, cum Hiſpani vellent eam in formam Reipublicæ inſtar Genuenſis ſub protectione Regis Hiſpaniæ reduci, ad obſequium ſuum revocavit. Et quidem jam pactus erat Conſul Caſaultius cum Hiſpaniæ Rege, ut ipſi Civitatem illam traderet, eoque Genua advenerat Auriæ Princeps cum multis Triremibus, qui ipſi opem ferret; ſed Cives Hiſpanis infenſiores præveniendum rati, tracto in ſuam ſocietatem uno ex Centurionibus, qui portarum curam habebant, unam aperuerunt, & Henricum Guiſium Regi paulo ante reconciliatum intromiſerunt, & Conſulem Caſaultium domi ſuæ trucidarunt, ejuſque cadaver ex feneſtra præcipitarunt: in reliquos etiam partium Hiſpanicarum gravius ſævierunt. Princeps Auriæ vix ex Civitate ad naves ſuas evaſit,

Maſſiliam Hiſpani volunt inſtar Genuæ in Rempubl. redigere.

Maſſilia recuperatur pro Rege Galliæ.

A.C. 1596.

evaſit, & eas frequentibus tormentorum pilis ex Civitate petitas ægre è portu eduxit, exindeque plena poteſtas in ea Civitate Regi Galliæ recuperata fuit. Sub illud etiam tempus dum Archidux Albertus Ardam obſideret, die decima ſexta menſis Maji Rex Galliæ Feram ad deditionem coëgit, permiſſo abire cum ſuis impedimentis Hiſpanico præſidio. Er cum Archidux in Belgium receſſiſſet, continuis incurſionibus Dux Birronius Arteſiam afflixit, ac ferro flammiſque totam, etiam proxmie Attebatum vaſtavit, nullo pæne reſiſtente, poſtquam prima excurſione Marchio Varembonius ſupremus Arteſiæ Præfectus fuerat profligarus, & ipſemet captus. Cum autem majora Rex Henricus mediraretur, ac jam ad eum finem numeroſiorem collegiſſet exercitum, peſtis, & in Caſtris ipſius, & in Civitatibus invaleſcens, eum hoc anno à propoſito reſiſtere coëgit. Tanta autem vi lues illa per Gallam graſſabatur, quod in ſola Pariſienſi Vrbe Viginti millia hominum intra tres menſes extinxit, & Parlamentum Pariſienſe migrare debuit Lugdunum.

Feram recuperant Galli.

Birronius Arteſiam populatur.

Varembonius captus a Gallis.

Peſtis ingens in Gallia ſævit.

Afflixit quoque ſub idem tempus illam Vrbem aquarum Sequanæ effuſio, qua pons ingens ad portam Momies cum 45 domibus, quæ ipſi impoſitæ innitebantur, ſubdedit, & circiter quadringentos homines; partim ruinis, partim torrentis vorticibus involutos oppreſſit. Illud vero ſingulare tunc accidit, quod cum omnes alios obvios undarum impetus abſorpſiſſet, dimidio ab Vrbe illa milliario inventæ ſunt ad littus ejectæ cunæ, in quibus duo infantuli incolumes & ludibundi viſebantur.

Sequanæ exundatio.

Major autem cura hoc anno non ſingula tantum Regna, ſed univerſam Chriſtianitatem diſtinebat, quomodo communem hoſtem Turcam acceptas proximo anno clades reſarcire contendentem reprimerent. Et cum alii omnes Chriſtiani Principes ſinguli domeſticis impliciti difficultatibus, nihil pæne auxilii ad illud bellum conferre vellent, ſolos Polonos qui tunc tranquilla undequaque pace florebant, Summus Pontifex utiliorem tantæ rei operam impendere poſſe ſperabat. Eo itaque omnia ſua conſilia converterat, ut iſtos in ſocietatem belli illius cum Imperatore colligaret, miſſo Legato ſuo à latere Henrico Cardinali Cajetano in Poloniam, ubi tunc tali fine Comitia Generalia Varſaviæ menſe Aprili celebrabantur. Miſerat eo & Imperator Rudolphus Legatos ſuos, quorum præcipuus Ioannes Epiſcopus Vratiſlavienſis magnificis perorationibus & ſpecioſis argumenris perſuadere adnitebatur Polonis illam ſocietatem.

Cajetanus Cardinal. Legatus PP. in Poloniam pro facienda Societate contra Turcam.

Sed eadem dubia quæ in antecedentibus Comitiis illum tractatum interruperant, tunc quoque Poloni opponebant, nempe vinculum ſocietatis cum Papa & Imperatore firmum habere non poſſe, cum morte eorum facile rumperetur, quo moles belli univerſi in Polonos ſolos recumberet. Sed ſi Ordines Germaniæ quoque ad eandem ſocietatem accederent, & de manu tenendis ſocietatis conditionibus Polonis caverent, eam fitmiori robore coire atque conſiſtere poſſe, ac tali demum ſecuritate certam pacem cum Turca periculo belli ſocialis Polonos pro bono Reipublicæ Chriſtianæ commutare non detrectare.

Rudolphi Imper. Legatus pro Societate tractanda.

Poloni pacem certam cum Turca pro ſocietate incerta commutare volunt.

Nulla autem habebantur ad hoc mandata ab Ordinibus Germaniæ; & cum Cardinalis Cajetanus pro illis fidejubere vellet, ac in ſe recipere præſeferret, quod inducturus eſſet Germaniæ Electores, ut pactis & fœderi quod tunc ſtabilitum fuiſſet, illi quoque ſubſcriberent, ſilentio fuit exploſa illa præſumptio. Quiſque enim prudentior facile judicabat, Cardinalis authoritatem non eam fuiſſe ut obtineret à Germanis, quod Imperator toties repetitis precibus emendicare non poterat.

Poloni cautiones requirunt firmas de manu tenenda ſocietate contra Turcas.

Requiſierat Pontifex & Regem Hiſpaniæ, ut ipſe Polonis pro conditionibus iſtius

A.C.1596. iſtius ſocietatis ſeſe obligaret: ſed & ille majores difficultates oppoſuit. Vnde cum conſtitui non poſſent ſolida fundamenta, quibus ſocietas talis ſubſiſteret, tractatus illius tunc evanuit. Sponte tamen citra obligationis debitum Poloni promiſerunt quod eſſent prohibituri tranſitum Tartarorum in Vngariam, & quod juſtum exercitum in confiniis tenerent, quo Turca ſuſpicione ab ea parte periculi diſtineretur.

Cajetanus Card. offenſus quod nil effecit in Polonia.

Cardinalis autem Legatus licet nonnihil offenſus propter ſuam Legationem ſecus quam optaverat expeditam, ſplendorem tamen hoſpitalitatis, & cultiorem quam putarat gentis morem laudavit, & cum primis admirabatur eruditorum copiam, qui ejus Orationem longo ſtudio inſigniorum Romæ eloquentiæ Latinæ Doctorum elaboratam extemporalis reſponſi elegantia æquabant, & nonnulli ſuperabant. Præcipuus autem fuit illius deliberationis moderator, & rationum Regni Poloniæ aſſertor Ioannes Zamoyſcius Archicancellarius, qui Eloquentia Latina gravi & prompta inſigniter excellebat, & Politici ſtatus rationes tam plene poſſidebat, ut facile alios ex diverſo ratiocinantes convinceret. Alius fuit Laurentius Goſlicki Epiſcopus tunc Præmiſlienſis, qui nomine illius conſeſſus reſponſa Cardinali & Legatis Cæſaris dabat, diſputationum omnium argumenta excipiendo, & ſingula non minus ſcite, quam argute diſſolvendo, ut erat vir eruditus ac eloquens, & cum primis ingenio amœno ac liberali. Adfuit & Ioannis Tarnowski minor Cancellarius Regni, & ipſe acri ingenio: Sed cum eſſet Regi obligatior, abſtinuit caute impugnandis rationibus Auſtriacorum, quibus Regem impenſius favere ſciebat.

Zamoyſcius Cancellarius præeſt tractatibus de Societate contra Turcas.

Goslicius dat reſponſa in tractatu Societatis contra Turcas.

Interim autem dum irritis votis ſocietas illa tractaretur, Imperator majores quam unquam copias colligebat, & commiſſa univerſali belli illius Præfectura fratri Maximiliano Archiduci, ut in Vngariam univerſi exercitus convenirent præcepit. Sed non eo ordine, nec tam provido conſilio uti res exigebat curſus illius expeditionis dirigebatur. Cum enim totam æſtatem Imperiales liberam habuerint, qua antequam hoſtis adveniſſent plura opportune perficere potuiſſent, inani cunctatione & confuſione toto illo tempore extracto, demum menſe Auguſto Hatuanum oppugnarunt, & intra aliquot dies (lignea tantum ſepimenta ac munitiones habebat) captum, mox ad famam adventantis Machmeris Turcarum Imperatoris deſeruerunt. Is enim ſub principium Septembris Budam venerat, & inde cum ad liberandum Hatuanum iturus crederetur, eo neglecto (vel quod interim à Chriſtianis fuerit relictum) Agriam uſque contendit, longa intervalla terrarum, oppidorum, arcium prætergreſſus, ut quæ Agria capta ſponte in ejus poteſtatem eſſent conceſſura. Agria autem eſt Civitas Vngariæ titulo Epiſcopali inſignis, & firmiſſimis muris ac propugnaculis ſtructuriſque geminarum arcium munitiſſima. Inchoata itaque à vigeſima die Septembris oppugnatione, & in quinque locis aggeribus & vineis excitatis, ingenti machinarum turbine mœnia Civitatis illius Machmetes concuſſit. Vnde propugnatores cum per aliquot dies impetum illum ægre ſuſtinuiſſent, ſexto die relicta Civitate, confugerunt ad arces, quas faciliori compendio defendi poſſe credebant. Sed majori vi urgente intra paucos dies fortioribus quibuſque cæſis, iterum antiquum Caſtrum deſerere ſunt coacti, ultima ſpe in arce nova repoſita, in quam omnes ſeſe receperunt.

Maximiliano Archiduci committitur adminiſtratio belli Vngarici.

Hatuanum capiunt Cæſariani.

Agriam obſidem Turca.

Hoſte autem nocte & die oppugnationem non intermittente, & actis cuniculis munitiones arcis dejicere contendente, cum nulla ſpes reſiſtendi ſupereſſet, pacta ſibi incolumitate deditionem fecerunt decima quinta die Decembris. Duo millia erant præſidiariorum cum dedita arce abirent, & pæne omnes, poſtquam ultra unum milliare ſecuri proceſſerant, fuerunt interempti à circumfuſis Tartaris

Agria deditur Turcis.

ris vindicantibus Turcas Hatuanenſes præſidiarios, in quos recens Cæſariani fe- A C. 1596.
rocius ſævierant. Et dum Agria expugnatur, Maximilianus Archidux cum co- *Maximilianus Archidux tarde parat ſubſidia Agriæ.*
piis Cæſarianis Hatuano relicto Strigonium diverterat, ubi majores vires com-
parabat, quibus Agriæ ſubveniret: Tranſilvanus etiam in proximo circa To-
chajum cum ſuis copiis decem octo millium armatorum aderat. Sed æque
ille atque iſte ex ſuis ſtationibus lente minus progreſſi, cum tandem in unum
convenîſſent, ſexto ab Agria milliari captam fuiſſe illam Civitatem intellexe-
runt. Florentiſſimus autem & numeroſiſſimus ille exercitus Cæſarianus fuit, *Cæſarei exercitus numerus & apparatus.*
equitibus triginta mille, peditibus ultra viginti mille, præter Tranſilvanicas co-
pias conſtans, machinæ bellicæ centum viginti, & omnis apparatus bellicus vi-
ginti millibus quadrigarum tractus eum comitabatur, ut ipſimet Duces ignaviam
ſibi merito exprobrandam fore prædixerint, ſi tanto robore ſuffulti hoſtem graſ-
ſantem, & obvia quæque evertentem otioſe ſpectarent. Prælio itaque rentan-
dum decreverant, ſi quid operæ pretii efficere, & Agriæ jacturam reſarcire poſ-
ſent; ut non dubie plurimum præſtitiſſent peritiores militiæ & fortiores. Ac pri- *Maximiliani Archid. apud Kereſteſum cum Turcis pugna.*
mis quidem aliquot dierum congreſſibus, diverſos Turcicos Duces non infelici-
ter repreſſerunt: Verum ipſo Turcarum Imperatore ad fatalem conflictus locum
apud Kereſteſum cum univerſis copiis adveniente, vigeſima ſexta menſis Octobris
die commiſſa pugna, dum veliribus Turcicis fugiendo pugnare adſuetis cedenti-
bus incaute inſiſtunt, Ordines ſuos turbarunt. Et tum demum Sinane Baſſa cum
ſuis legionibus toto impetu à Fronte & à lateribus effuſis prælium inſtaurante,
omnes terga dederunt. Palatim fugientes per campeſtria Turcicus equitatus mi-
ſerabili cęde ſternebat, donec inclinante die ab inſequendo quievit, tempuſque
dedit, ut plurimi (ſed nonniſi armis & equis abjectis) per devia & uliginoſa, ut
ibi erant frequentia, evaſerint quidem, ſed inſtaurandæ pugnæ inutiles. Ipſe *Maximil. Archidux profligatus in fugam vertitur.*
Maximilianus Archidux, omnibus impedimentis neceſſariis, & armis abjectis,
quo expeditior curreret, unico equo cum paucis comitibus è loco periculi elatus,
fugam Caſoviam uſque, quatuordecim leucis Germanicis inde diſtantem conti-
nuavit.

Tranſilvanus etiam Tochajum demum celeritate equi dilatus, à fuga reſpira-
vit, & Palfius ac Tifenbachius Duces fuga fuerunt ſalvati. Caſtra univerſa tor- *Caſtra diripiuntur à Turc.*
mentis, inſtrumento omni bellico ac commeatu plena, ſuppellectili aurea, ar-
gentea locupletiſſima, Turcæ tunc ſerò nimium veſpere aggredi non aude-
bant, quod munitiora eſſe crederent; ac non pauci præſertim Vngari locorum
peritiores illa nocte inde currus ſuos abduxerant; ſed inſequente die quicquid
ibi ſupererat, in prædam hoſti conceſſit. Plane irreparabilis illa clades fuiſſet
Chriſtianis, niſi hybernum tempus interceſſiſſet, quo Turca victoriam pro- *Machomet Turcicus Imperator Conſtantinopolim redit.*
ſequi non potuit, & nulla alia re tentata, ipſe Belgradum primum, ac inde
Conſtantinopolim rediit, exercitum vero in hyberna diſtribuit, relicto qua-
ter millium Ianizerorum, & ſex millium equitum Agriæ præſidio. Omnem au-
tem regionem quam Tibiſcus inde prope ſecundis aquis ad Danubium uſque *Agriæ præſidium forte reliquit Turca.*
decurrens alluit, illa victoria Turca in ſuam poteſtatem redegerat, ut non unius
Civitatis Agriæ, ſed magnarum Provinciarum jactura damnum illud Chri-
ſtianis conſtiterit, quod hucuſque non reſarcitum deploratur. Quidam dicit
inglorium abiiſſe tunc ex Vngaria Turcam, quod utinam verum eſſet, & ne-
gari poſſet eum cepiſſe vi Agriam ac profligaſſe Maximilianum, ſed gementem
hucuſque ſub jugo Turcico illam Provinciam quantumvis impudens adulator
relevare non poteſt; vel etiam ſcribant alii placentia, nos proſpera atque ad-
verſa æquali fide narramus. Nec aliud hoc anno in Vngaria ſingulare ge-
ſtum reperimus, præter leviores præſidiariorum diverſarum arcium hinc inde
excur-

A.C. 1596.

Rudolph. Imperator nova ſubſidia pro bello Vngarico conquirit.

excurſiones. Varios etiam Cæſar ſtatim indixerat Conventus in ſuis ditionibus, pro colligendis novis ſubſidiis ad bellum illud Vngaricum. Expedierat & ad Romanum Pontificem legationem, qua cladem illam Kereſtenſem & Agriæ amiſſionem excuſaret, ac auxilia pro anno proximo impetraret. Quæ Pontifex liberaliter promiſit: nempe ſex millia peditum, & mille equites, ac totidem à Principibus Italiæ auxiliares copiæ Summo Pontifice adnitente, pro eodem bello conſcribebantur, ea lege, ut omnes iſte nonniſi ſub Duce Italo militarent; Kereſtenſis enim clades aliorum Ducum inertiæ imputabatur.

Hiſpani Regis legatio ad Rudolphum Imperat. pro petenda ſponſa filio ſuo.

Hæc eodem anno Pragam ad Imperatorem Legatio magnificentior ab Hiſpano Rege fuerat miſſa, qua Philippo filio ſuo uxorem dari petebat, Caroli Archiducis Grecienſis filiam: coaluerantque iſtæ nuptiæ poſt biennium.

Chriſtiernus IV. Daniæ Rex coronatur.

Chriſtiernus IV, Friderici II filius, Daniæ Rex, cum jam menſe Aprili proximo, annum ætatis 20 ingreſſus fuiſſet, Hafniæ ſolemni pompa coronatus fuit 22 die menſis Auguſti hujus anni.

Anglica claſſis navigat in Hiſpaniam.

Angli ad Gades profligant Hiſpanicas naves.

Angliæ autem Regina perpetuum bellum cum Rege Hiſpano gerens, vel ne iſte in ſua Regna præſertim in Hiberniam, uti conſtituiſſe ferebatur, vires ſuas convertere præveniens, claſſem validam inſtruxerat, eamque cum Comite Eſſexio ad invadendum Hiſpaniam emiſerat. Is itaque appulſus prope Gades, claſſem Hiſpanicam quæ ibi in procinctu ſtabat cum offendiſſet, ſub finem Iunii cum ea congreſſus atrociſſimo conflictu Prætorias duas ſancti Philippi & ſancti Andreæ denominatas expugnavit; non ſine damno tamen ſuarum navium. Reliquæ autem naves Hiſpanicæ, cum hoſtium vim ſuſtinere amplius non poſſent, in altum ſeſe proripuerunt, aliæ ſoluto lytro ſunt dimiſſæ. Sed Dux Medinæ cæli, qui apud ſanctum Lucam quatuor milliaribus inde diſtantem degebat, rogatus ut ſolveret duodecim millia nummorum aureorum pro redimenda ſua claſſe, maluit eam cremari quam tantillum emolumenti hoſti concedere; æſtimabatur autem jactura illius claſſis, pluſquam decies centenis millibus nummorum aureorum Hiſpanicorum ſeu uno millione. Ac ita disjecta claſſe, Angli oppidum ipſum Gades parvo præſidio munitum aggreſſi, poſt brevem cum oppidanis pugnam cœperunt, diripuerunt, & omnem prædam in naves aſportarunt, cædibus in obvios quoſque illius oppidi incolas nulli parcentes ſexui crudelius debacchati. Nulla autem re alia præclare geſta, inde paſſis velis in mare Atlanticum, & mox in Angliam conceſſerunt, & etiam ſociales Hollandicas ſortitione prædæ defraudarunt, ac alias in itinere mercatorias ſpoliarunt.

Gades oppidum diripiunt Angli.

Et ut Polonica adhuc attingamus, hoc anno Coſaci, qui (ut alio loco diximus, non ſunt gens diſtincta, ſed militia levioris armaturæ, ex qua audaciores quotannis ad æſtatis tempus pyraticæ commodius prope oſtia Boriſthenis, ubi in Pontum Euxinum exoneratur, confluere ſolent) majore aſſumpta audacia in Provinciis Ruſſiæ, præſertim Kijovienſis & Lithuanicæ (Albæ dicunt) inſolentius graſſabantur. Cum enim propter querelas Turcarum prohiberentur à Rege Poloniæ, ne mare nigrum ſeu Euxinum, atque oras Turcicas infeſtas haberent, & ad pœnas ſeveriores ob damna nuper in illo mari Turcis illata eorum anteſignani vocarentur, Dux ipſorum Náleẃáyko, homo plebejæ quidem ſortis, ſed virtute militari præſtantiſſimus, aperta vi impunitatem ſibi & ſociis vindicaturus, (ſeu ut ulciſceretur injuriam Patri ſuo incolæ oppidi Vſiatin illatam à Kalinovio loci illius domino) omnes ſuæ farinæ milites in armis continebat; & cum hominibus vagis & egenis, nulla alia ſuſtentandæ vitæ ratio adeſſet, prædis ex bonis Nobiliorum illarum Provinciarum agendis ſuſtentari debebant. Monebantur itaque ut arma deponerent, & ad propria dilaberentur; ſed cum ineſcari rapinarum commodis pertinacius Ducibus ſuis adhærerent, commiſſum fuit

Náleẃáyko Coſacorum Dux.

Staniſlao

fuit Staniſlao Zolkiewski Viceptæfecto exercitus Regni, ut eos ad officium revocaret. Eo itaque res proceſſerat, quod illi nullis perſuaſionibus ad arma deponenda induci poterant, & Zołkievio cum exercitu advenienti, aciem inſtructam oppoſuerunt. Nec levia damna in diverſis conflictibus ipſi intulerant; præſertim apud Bialacerkiew, ubi commiſſo prælio fortiſſimi plurimi ex exercitu Zolkievii fuerunt deſiderati. Tandem tamen poſt plures congreſſus, in quibus nunquam inferiores pugnarunt, induſtria Ducis Zolkievii in anguſtias locorum redacti, deditionem fecerunt, ea lege quod Dux eorum Nálewayko cum aliis quatuor antefignanis vinctus, Zolkievio fuit traditus; reliqua multitudo, ut quiſque ad propria rediret, fuit dimiſſa. Nálewayko cum ſociis Varſaviam deductus, capitis ſupplicium ſubiit.

A.C. 1596.

Zolkievii copia à Coſacis cæduntur.

Zolkievius adducit Coſaces in anguſtias.

Nálewayko captus, capite plectitur.

Sub finem autem iſtius anni Rex Annæ Iagellloniæ Stephani Regis relictæ amitæ ſuæ proximè defunctæ, juſta funebria menſe Novembre Cracoviæ exolvit. In templo Cathedrali Arcis Cracovienſis fuit humata in Capella Iagellonia, cujus à foris ſurſum eminentem fornicem ipſa paulo ante mortem ſuam lamina ænea inaurata ſumptu planè regio operiri fecerat. Vltima illa fuit ſtirpis Iagelloniæ, & cum ea non genus ſolum illud Regium, ſed & omnis Aulæ Polonæ mos antiquus ac Majeſtatis decor interiit, cum Principibus novis Germanis ſubrepente germaniſmo genti iſti ingrato & adverſo. Quo non parum offenderat animos popularium Rex Sigiſmundus: & inter alia cum palma & pila luſoria (Gallis ac Italis alioquin non indecora luſione, ſed in Polonia nonniſi pueris uſitata) occupari ſoleret, viieſcere apud Proceres cœperat, ut eum Archiepiſcopus Gneſnenſis (cujus hoc partium eſt) ſeverius propterea admonere, & à tractando tali ludicro avertere debuerit. Et paruit quidem Rex monenti in eo, ſed tamen ad Martialia animum non applicavit. Erat tunc Nicolaus Zebrzydowski Archimariſchallus Regni, vir fortis, & gravitate morum ſeveritate temperata inſignis. Is itaque pro officio ſuo, quod in Aula Regia ſummam rerum gerendarum authoritatem obtinet, Regem ſecreto (teſtatus obſequii & ſui fidelioris in eum affectus debitum) admonuit, perſuadereque ipſi conabatur, ut tantiſper ad confinia Regni concederet, militias quæ ibi perpetuo contra Turcas & Tartaros excubant agnoſceret, ab eiſque noſceretur, tum & occaſionem aliquam comparandæ ſibi gloriæ captaret. Arces in confiniis, ut ex pactis juratis tenebatur, conſtrueret, & popularium animos bellicis ſtudiis ſibi devinciret. Sed nihil effecit: immo licet tunc Rex cohortationem illam conſueto ſilentio ſolum exceperit, paulo poſt tamen eam ingratam ipſi fuiſſe non obſcurè apparuit, cum exinde alienariori à Zebrzydovio animo fuerit. Vacabat autem deinceps in privato receſſu exercitationibus vulgaribus, ſuaſore & induſtrio magiſtro Nicolao Wolski, tunc Præfecto Krzepicenſi, cujus acre quidem ſed verſatile ingenium, in alchimiis variiſque curioſis artibus & ſeriis & jocularoriis addiſcendis perpetuo deſudavit, & nullam aſſequi valuit, cum una necdum perfecte inchoata, alias atque alias inſtabili ſtudio quæreret, in quo opulentiſſima patrimonia profligavit. Hoc igitur relaxationum ſuarum inſtructore familiarius tunc Rex utebatur, & cum Alchimiæ damna, ut erat tenacior ægrè ſentiret, ejuſdem Wolſcii cura celebriores multos Muſicos ex Italia magna impenſa evocari fecerat, in quorum ſymphoniis, vel quandoque pictorum operis imirandis, etiam in ætate jam maturiore (inter paucos ex eis honeſtiores ad eam converſationem delectos) impenſius oblectabatur. Sed nonniſi pomeridianum tempus talibus curarum ſeveriorum remiſſionibus tribuebat, matutinum totum publicis negotiis tractandis inſumens, tam accurata ſingularum horarum obſervatione, ut niſi morbo aliquo impediretur, ſtata ſemper hora ſe veſtierit, veſtitus in publicum ſtatim prodierit: Sacrificium Miſſæ audierit; Demum vero con-

Anna Iagellonia Stephani Regis relicta, moritur.

Polonæ aulæ vetus majeſtas immutata.

Sigiſm. III. Regis juvenilis ætatis exercitia.

Zebrzydovius Regi Sigiſmundi militaria ſtudia ſequenda ſuadet.

Nicolaus VVolski familiaris Regi Sigiſm.

Sigiſm. Rex ſingulis negotiis ſtatas horas dabat.

A.C.1596.

Sigiſm. ſedulitas in tractandis publicis curis.

conſidens ſubſcribebat literas, & audiebat lites forenſes cum ſumma attentione & patientia, vel conſilia ſuper negotiis Regni incidentibus cum Senatu præſente habebat, continuatis hujuſmodi nunquam defatigato animo occupationibus, uſque dum fercula menſæ Regiæ fuiſſe appoſita per aliquem Dapiferum nuntiaretur. Sed ejus vivendi ratio pluribus aliis occaſionibus memorari poterit, hæc pauca nunc de immutato genuino Polonæ Aulæ more fortuito exciderunt, ex occaſione ſepulturæ Annæ Reginæ Iagellonicæ, ſub hoc tempus extinctæ.

Sueci apertam rebellionem fabricant contra Sigiſmundum Regem.

Sigiſmundus Rex monet Suecos ne Conventus agant ſe inſcio fruſtra.

Suetica extremi Septemtrionis (viciniora tamen & connexa Polonicis) extremo loco attingamus. Adolebat ibi interim majoribus incrementis rebellio contra Sigiſmundum Regem, & cum ſub finem anni proximè præteriti, occaſione funeris Ducis Magni Patrui Sigiſmundi, ob mentis ægritudinem intra privatos parietes vita perfuncti, Vaſtenis primarii illius Regni conveniſſent, colloquium inſtituerunt de modo adminiſtrandi Regnum Rege abſente, illudque ſuggerente Duce Carolo, Sudercopium transferendum cenſuerunt, majora quam illud Vaſtenis tempus breve permitteret, molimina tentaturi, & apertæ rebellionis fundamenta jacturi. Ibi itaque necquicquam Rege per literas cum Paulo Arciſzewski Secretario ſuo celerius miſſas, omnem Conventum ſe non rogato ab inſcio convocari & celebrari prohibente, Carolo devinctiores Proceres cum conveniſſent, ſpecie quidem perſiſtendi (uti obteſtabantur) in obſequio Regis, ſed re ipſa ad ejus authoritatem & poteſtatem convellendam multa decreta ſanciverunt. Nempe ut ſola Auguſtana hæreſis in Regno vigeret, & Catholicæ Religionis omnis uſus tolleretur. Vt omnes accuſationes & lites forenſes nonniſi coram Adminiſtratore Regni Carolo deponerentur, & ab eo deciderentur: nec ulla provocatio ad Regem in Polonia degentem judicium paſſis permitteretur. Vt nulla mandata & edicta Regis valerent, niſi prius à Carolo Duce & Conſiliariis Regni examinarentur ac probarentur. Atque talibus decretis firmata ſua adminiſtratione Carolus Dux, exinde abſolutè nullo reſpectu præeminentiæ Regiæ pro arbitrio ſuo omnia agebat, & paulatim munia Regia in ſe transferebat, ut Regi præter nomen Regium nihil ibi juris ſupereſſet. Hoc itaque anno ex Polonia Legati in Sueciam expediti fuerant, qui Regis Sigiſmundi & Senatus Regni Poloniæ nomine ea omnia quæ Regiam dignitatem offendere vel imminuere videbantur reſcindi, & honorem ac obedientiam debitam Regi legitimo reddi poſtularent.

Carolus Suderman. ſuam poteſtatem firmat in Suecia.

Sigiſmundus Rex mittit Legatos in Sueciam.

Suecorum abuſus diminuentes Regiam dignitatem.

Ac ſub finem menſis Septembris Stocholmiæ Legati iſti Legationem ſuam cum expoſuiſſent, loco ſatisfactionis longam Apologiam artificioſè elaboratam retulerunt. Omnia enim quæ Regiæ dignitati adverſari amicè, uti Regnorum variis à multis ſæculis conjunctionum vinculis ſociatorum communes cives, & ſub uno tunc capite Rege quaſi unius corporis membra colligati, amicis commonſtrabant, (ut quod Conventus ad celebranda conſilia publica Rege vetante præſertim proximus Sudercopienſis convocarentur: leges novæ fuerint in eis conditæ: exactiones publicæ imperatæ: Magiſtratus à Rege conſtituti loco moti; Arces exturbatis Regiis Præfectis aliis traditæ. Moneta alieno nomine ſignata. Diplomata Regia reſciſſa; Appellationes judiciariæ ad Regem inhibitæ, & omnis pænè gubernationis forma immutata) eaque emendari vel aboleri poſtulabant. Conſiliarii Ducis Caroli (potiores enim Proceres Sueci & in Conventu Sudercopienſi non intervenerant, & iſtis novitatibus non conſentiebant) qui ſummam rerum gerendarum, & Legatorum expeditionem ſibi uſurparat, ſingula iſta ad libertates Regni Sueciæ revocabant, improbarique non poſſe ajebant, aliam formam adminiſtrationis Rege in Suecia præſente, aliam Rege abſente, & in longinqua Polonia degente, ſervari debere liberius declamantes.

Nec

A.C. 1596.

Carolus Dux Maeſtatis jura abſente Rege uſurpat in Suecia.

Nec obſcure apparebat Carolum Ducem prætenſa abſentiæ Regis cauſa,omnia Majeſtatis jura in ſeipſum transferre, & ſenſim ipſum etiam Regium nomen uſurpare velle. Iamque hoc perfeciſſet palam, niſi plures adhuc Proceres Regi Sigiſmundo fideliores ventus, illos prius tollendos judicaſſet, quo ſecurior domi, à foris advenientem à Sigiſmundo Rege vim facilius propulſare valeret. Et ſatis feliciter aſtum hunc ipſi ſucceſſiſſe paulo poſt conſtabit, præſerrim quod Sigiſmundus Rex omnia cunctanter ageret, & eos qui in Suecia à partibus ſuis ſtabant contra machinationes hoſtis munire negligeret. Opportunum etiam ipſi ſuggerebatur conſilium, ut Claſſem ex Suecia abduceret, & in portubus Regni Poloniæ ac in ſua poteſtate teneret, qua & laborantibus in Suecia ſuis celerius ſubvenire, & Carolum maris Dominus in officio continere potuiſſet. Sed & hoc poſtpoſuit, incertum an quod metueret ne Poloni claſſem hanc pro ea quæ ex pactis accepti Regni juratis Regno Poloniæ debebatur ab ipſo repeterent: ſed quod ita Conſiliarii ejus Suetici ſuaderent, aut magis Suecis (ubique iſtis æquior) ipſemet faveret, ut inſtructi claſſe, Dominatu maris Polonis præſtarent : vel quod vero ſimilius, variis Caroli artibus delinitus, ſemper meliora de ipſo ſperabat, donec erumpente in apertum rebellionis flamma, ſeris remediis facultas deeſſet. Tanto magis quod Carolus in technis hujuſmodi ſuis ſtruendis, omnem rumorem celeritate præveniebat: Vnde ſtatim poſt expeditos illos Legatos Polonos, maturare negotium, & reliqua quæ Sigiſmundo Regi in Suecia ſupererant ſubſidia præſcindere eſt adortus. Ac primo quidem præſeferebat, quod Adminiſtrarotis munus deponeret, ut quod (ajebat) tanta odia & ſuſpiciones apud Regem Sigiſmundum ſibi innoxio conciliaret: magis autem ut ita experiretur quo animo Sigiſmundus Rex ejus Adminiſtrationem ferret, vel an fraudes ejus adverteret. Et cum intellexiſſet talem abdicationem Adminiſtrationis à Rege ratam haberi, ac inde colligeret omnia anteacta nonniſi Adminiſtrationi ſuæ imputari, eaque una cum molitionibus ſuis evertenda fore, nom amplius tem differre, ſed feſtinatione perficere voluit, ac gubernationem reaſſumpſit tali arte.

Caroli Sudermani artes in uſurpando Regno Sueciæ.

Carolus Sudermanus: fingit quod velles deponere adminiſtrationem Regni.

Annus Chriſti, 1597.

CONventum Ordinum diſſuadentibus Conſiliariis Regni, & Rege Sigiſmundo prohibente, ne quis ad eum accederet, pro initio inſequentis anni 1597, ad 18 diem Februarii Abrogæ indixit, ac in eo, licet nonniſi unus ex primariis Conſiliariis Regni comparuiſſet, tamen cum ſuis aſſectatoribus plura circa Regni ſtatum decerni fecit. Inprimis ut Sudercopienſis Conventus Acta, rata & firma haberentur, & ab omnibus inviolatè ſervarentur. Declaratum fuit, quod nullum alium Gubernatorem præter Carolum vellent agnoſcere, & neminem alium ad Regnum gubernandum niſi ipſum ſolum admitti debere. Quod ut ſpecioſiori titulo ſubſiſteret, ſubordinantibus ipſius emiſſariis, inſtituta fuit nomine illius conventus ad ipſum publica petitio, ut ſicut hactenus ita & in poſterum uſque ad adventum Regis gubernationem Regni ſuſtineret, & viceverſa ſtatus univerſi obedientiam omnem ſeipſi præſtaturos obligabant. Item ſancitum ibi fuit, ut omnes Regni Conſiliarii, & quicunque Magiſtratus ac Nobiles qui illi Conventui non interfuerunt, intra ſex ſeptimanas declarare deberent, an conſtituta in Sudercopienſi, & in illo Abrogæ Conventu rata habere vellent, & qui diſſentirent à concordibus horum Conventuum conſultis, pro turbatoribus Regni & diviſis membris habendi eſſent, ac à Carolo Duce uti hoſtes Patriæ puniri poſſint. Denique ſe mutuo obliga-

Abroga Conventus ex ſolis Suecis Carolo Duci addictis.

Abroga Conventus Acta ex ſuggeſtione Caroli.

 runt,

A.C. 1597. runt, quod ea omnia manu tenerent, & omnibus viribus ac fortunis ſuis propugnarent, omnemque injuriam ſibi tam univerſis quam ſingulis à quibuſvis contrarium ſentientibus inferendam conjunctis viribus, univerſi pro ſingulis & ſinguli pro omnibus propulſarent. Tali itaque conſpiratione fabricata, Carolus plenam imperandi poteſtatem ad ſe traxit: & primo jusjurandum fidelitatis ab omnibus Regni Sueciæ Ordinibus & incolis ſibi præſtari fecit. Quod plerique jam ab ejus excurſoribus corrupti non inviti reddiderunt, alii autem dum tergiverſantur, admoniti ab ipſo, ut acta illa Sudercopienſia & Abrogenſia approbarent, niſi juxta ultimum abrogenſe decretum pro hoſtibus patriæ malint haberi, conſternati & in tanta rerum perturbatione inopes conſilii quomodo vim armati cum poteſtate Ducis evitarent, nonnulli in ejus partes conceſſerunt, alii autem ex Suecia profugerunt. Ericus Sparre Regni Cancellarius cum conjuge & liberis in Scaniam, alii Gedanum, & in Poloniam ſeceſſerunt. Stocholmiam ſtatim Carolus abſoluti juris ſui fecit, præſidiiſque ſuis munivit: Calmaria Regium præſidium ejecit, & proprium impoſuit: Elsburgum portum Sueciæ ad mare Occidentale unicum, vix fuga inde elapſo Erico Guſtavi Regi Sigiſmundo fideliore occupavit: Filandiam Nicolaus Flamingius pro Rege Sigiſmundo aliquantum defendit, ſed eo proximo menſe Maio vita functo, illa quoque Provincia in poteſtatem Caroli conceſſit, arce Abou excepta, quæ aliquandiu cum Revalia Eſtoniæ in fide Regis Sigiſmundi permanſit, donec Carolus obſidione cinctam ad deditionem coëgit. Ita autem dominatu omni in Suecia ſibi uſurpato Carolus Dux, præſidiis, atcium Præfectis, Magiſtratibus à Sigiſmundo Rege conſtitutis amotis, propriiſque ſubſtitutis, fidelioribus Sigiſmundo Regi in exilium pulſis, bonis eorum in fiſcum redactis, tamen in rem Sigiſmundi Regis ea omnia fieri jactabat, typiſque Apologias ſuas, quo exteris quoque imponeret, divulgabat. Et mirum quod Sigiſmundus Rex etiam eò uſque cunctabundus, malum enaſcens ne tum quidem opprimere curaverit: præſertim dum in Succia adhuc plurimi ſupereſſent, qui ipſius partes adjuvandas cuperent, quibus ad finem à Carolo oppreſſis, ac plane radicitus ſublatis, fruſtra poſtmodum res ſuas inſtaurare eſt conatus, ut in ſubſequentibus patebit.

Carolus Suderm. reſumit adminiſtrationem Regni Sueciæ.

Sueci partium Sigiſmundi exulare coguntur.

Carolus Suderm. propriis præſidiis munit arcem.

Filandiam Carolus Suderm. in ſuam poteſtatem redegit.

Caroli Sudermani Apologia.

Et ut ad remotiora tranſeamus, initium hujus anni 1597, in Belgio inſignivit Mauritius Auranius Hollandorum Dux ſingulari victoria; nam cum Archidux Albertus Belgii Gubernator collegiſſet exercitum quatuor legionum peditum, & quinque turmarum equitum, ac eum in Campania Brabantiæ teneret, munitionem aliquam Hollandorum hyeme quâ minus ſperarent aggreſſurus, Mauritius ſub finem Ianuarii magna celeritate ac ſummo ſilentio ex vicinioribus præſidiis circiter ſex millia peditum, & octo turmas equitum convocavit, & properè Turnhautum ubi illæ Archiducis copiæ deſidebant, perveniens, eas recedentes ad famam adventus ſui ultra medium inde milliare apud Ericetum Toletanum conſequutus, Holachio per compendia viarum, frontem illarum adoriente, ipſe à tergo cum equitatu irruens profligavit, vix aliquo ex ſuis deſiderato, cum ex hoſtibus bis mille fuerint cæſi, & eorum Præfectus Comes Varaxius, plurimique vivi capti, reliqui fuga elapſi, priuſquam copiæ Mauritii pedeſtres ſuperveniſſent; iſtæ enim omnes illos confeciſſent, cum equitatus ſolus ut per devia fugientes perſequeretur, ordines relinquere non voluerit. Capta fuerunt ſigna militaria triginta, & Turnhautenſes præſidiarii Hiſpani deditionem fecerunt, pacta ſibi incolumitate. Sed poſt paucos dies fortuna Archiduci Alberto damnum compenſavit in Gallia, Ferdinandus enim Anrellus Præfectus Dorlantiæ Civitatis, quam Comes Fontanus occupaverat viciniorem Ambiano Metropoli Picardiæ, nactus proditorem Civem Ambianum Deſmolins

Mauritius Auranius profligat Hiſpanos prope Turnhautum.

Turnhautum capiunt Hollandi.

lins dictum, qui propter delicta inde pulſus Dorlantii degebat, eo locum inſidiis præmonſtrante, ad quoddam templum dirutum Civitati proximum nocte intempeſta conduxit aliquot turmas armatorum, & primo diluculo una cum Deſmolinſio habitu ruſtico præmiſit ſelectiores milites triginta, quorum aliqui veluti ad mercatum ſummo mane intro Civitatem ingreſſi, aliqui in porta Montrecutia, ſtudio quaſi ad vendendum pyra, nuces, & alia ſaccis ſolutis vigiles & cuſtodes portæ morabantur, ac alii cum curru fœno onuſto ſuper pontem penſilem ex induſtria laxatis loris immobiles conſtiterant, ut pons non poſſet elevari: tum vero ex inſidiis ad ſignum datum, reliqui cum ipſomet Ferdinando Antello accurrentes, cæſis primo impetu cuſtodibus portam occuparunt, ac in Civitatem ingreſſi ignaros Ambienſes rei, & adhuc ſecuros de mane ſomno quieſcentes priuſquam ad arma concurrere poſſent, oppreſſerunt undecima die Martii. Nec multo poſt Archidux Albertus quinque millia Hiſpanorum eò miſit, ac firmis excubiis, commeatuque neceſſario Civitatem captam munivit: Antello vero inſigne Ordinis velleris aurei pro præmio tanti facinoris dederat. Acerbè habuit Gallos ille dolus, & amiſſæ tantæ Civitatis jactura, à qua ſecuritas totius Picardiæ, & maximè vicinioris Buologniæ pendebat, & magna vis apparatus bellici eò convecta fuerat.

A.C. 1597.

Ambianum Hiſpani capiunt aſtu.

Antello interceptori Ambiani datur aureum vellus.

Vnde Rex Henricus illam ocyus vindicandam decreverat. Sed prius talionem ut redderet, Atrebatum ſimiliter aſtu invadere tentavit, ac ſub finem Martii intempeſta nocte ipſemet cum ſelectiori equitum & peditum manu ex inopinato advolans, admotis petardiis (eſt notum inſtrumentum quod pulvere nitrato impletum ac ſuccenſum magna vi ac fragore validiſſima mœnia evertit) portam Meaulanam & Baldimontiam everſis catharactis aperuit. Sed mox concurrentibus præſidiariis & Civibus dum adhuc remotioribus cancellis detinerentur in portis Galli, cruenta excitata ab utrinque pugna, re infecta recedere ſunt coacti. Præcipua autem enituit tunc virtus in defendendo Atrebato Comitis à Buquoy, qui ſolus alios perterritos ad defenſionem animavit, & diſtributis inter cives muniis, ſcitè hoſti defenſores oppoſuit. Cum autem Atrebati non ſucceſſiſſet Regi Henrico, Ambianum obſidione cinxit initio Aprilis: Verum diuturno labore opus fuit, ut hoſtem inde pelleret: Vir enim ſagax Ferdinandus Antellus, & in re militari non minus ſolers, quam vigilans omnia neceſſaria ad defenſionem comparaverat, & militem exercitatum in præſidio habebat: unde & excurſionibus & propugnationibus fortioribus oppugnatores Gallos multum afflixit, & ad menſem uſque Septembrem diſtinuit. Interim etiam Archidux Albertus comparato viginti millium equitum exercitu, obſeſſis opem laturus iverat, & appropinquans caſtris Gallorum aciem inſtructam oſtentavit, ut eos ad pugnam eliceret, & altera parte ſubſidia in Civitatem introduceret. Sed cum Galli ſuas munitiones non desererent, amiſſis nonnullis ex ſuis retroceſſit, & obſeſſi fruſtrati ſpe auxiliorum circa finem Septembris deditionem fecerunt, capti incolumitatem vitæ, & ut liberè cum armis & impedimentis, quæ ferre poterant abirent. E tanto autem eorum numero, nonniſi mille ducenti ſalvi inde ſunt egreſſi, tria millia circa propugnationem conſumpti, unà cum Antello doli Magiſtro, qui in illa eadem porta Montrecutia, & in illomet ponte penſili quem ſibi curru fœno onuſto inſidiosè ad ingreſſum firmaverat, ictus bombardæ jaculo occubuit. Multo tamen plures perierant ex oppugnatoribus, quorum quinque millia variis congreſſibus fuerunt cæſi.

Atrebatum aſtu tentatur à Rege Galliæ fruſtra.

Henricus Rex Galliæ Ambianum obſidet.

Albertus Archidux Ambiano in auxilium venit irrito eventu.

Ambianum deditur Gallis.

Antellus in eadem porta quam dolo occuparat caſus.

Sed profuit Archiduci Alberto illa Ambienſis expeditio in eo quod ita Henricum Regem tota illa æſtate diſtinuit, ne Caleſium, Ardam, vel alia loca recuperaret, aut hoſtile quid contra Arteſiam moliretur. Cæterum majora damna

ſenſit

A.C.1597.

Hollandi Reinbergam & Grollam capiunt.

ſenſit domi: Hollandi enim ipſo circa Ambianum retinendum occupato, Mauritio Duce primum Reinbergam, alias Bercam ad Rhenum, ac poſtmodum Grollam ſeu Craulium, & Bredefordum, Lingam, àc plura illius viciniæ oppida cum arcibus aliquot interceperunt, quæ loca tribus Comitaribus & totidem Dynaſtiis cum ſuis territoriis conſtant, & tantundem acceſſionis Hollandis attulerunt, ut omnibus admirationi eſſet Mauritii ſolertia, qui tam brevi tempore tam multa loca firmis præſidiis munita expugnaverit, quæ allis lento otio circuire tam brevi

Galli excurrunt in Lucemburgicos agros.

tempore non facile fuiſſet. Archidux autem exercitum Ambianenſi expeditione feſſum in ſtativis diſpoſuerat, & alium in Lucemburgica ditione tenebat ad averrendas incurſiones Gallorum, qui crudelioribus direptionibus illas partes divexabant. Interim etiam aliæ rationes adminiſtrandarum Provinciarum Belgicarum verſabantur: Nam Rex Hiſpaniæ Philippus II, ſenectute gravatus cum filii Philippi ætatem juvenilem ad maturiores cogitationes diſponere conſtituiſſet, matrimonii vinculo cum una ex filiis Caroli Archiducis Grecienſis, ut alias memoravimus, alia cura ſuæ quæ ſupererat filiæ Eugeniæ Claræ Iſabellæ vivens liberari voluit, ut ſimul Belgii quoque perturbatum ſtatum compo-

Hiſpania Rex filiam ſuam Alberto Archiduci copulari fecit.

neret, ac filio Imperium pacatius relinqueret. Illam itaque filiam Alberto Archiduci in matrimonium dare decreverat, cum titulo hæreditariæ gubernationis in Provinciis Belgii, & miſſo Admiralio Aragoniæ, diſpoſitionem hanc ſuam eidem Archiduci ſignificavit. Ac plurimum exhilarat illa Legatio non Archiducem ſolum, ſed & omnes Belgii Ordines, qui opinabantur ſpem certiſſimæ pacis ſibi affulſiſſe cum illis nuptiis, quarum concluſionem in anno proximo attingemus. Ad comparandam autem undique Regnis ſuis tranquillitatem converſus Rex ille ſenex, inprimis cum Hollandis pacem componi voluerat, & diverſa de ea colloquia inſtitui fecerat, adhibita ad hoc magnorum Principum opera, etiam Sigiſmundi Poloniæ Regis, qui ſub idem tempus Legationem in hoc

Hollandi non poſſunt adduci ad faciendam pacem cum Hiſpanis.

negotio in Hollandiam expedierat. Sed Hollandi nullis perſuaſionibus adduci potuerunt ad aliquem modum tractandæ pacis, cum qua jugum (ut ajebant) quod jam feliciter excuſſerant intollerabilis ſervituris, iterum imprudentes ſubirent. Cum Rege vero Galliæ, Summo Pontifice ſequeſtro non multo poſt idem Rex Philippus pacem fecerat, opera maximè Bonaventuræ Calabri Generalis

Hiſpanus Rex cum Gallis pacem tractat.

Ordinis Franciſcanorum, qui Pontificis juſſu aſſiduè in Galliam, indeque ad Archiducem Albertum toto hoc anno in negotio pacis hujuſmodi commeabat, & non infructuoſo eventu anno ſubſequenti negotium hoc conſummavit, ut loco ſuo dicetur.

Polonia Regis Legatus ad Hollandos & Anglos.

Quod autem diximus de Legato Polono ad Hollandos, is fuit Paulus Dzialinski generis nobilitate, ingenio, ac habitu corporis præſtans: & expedita (nullo fructu) apud Hollandos Legatione, aliam apud Reginam Angliæ Eliſabetham tractaturus, rectâ inde Londinum perrexit, ubi data dicendi copia, & exhibitis fidei literis, immunitatem Polonis mercatoribus in Anglia à priſcis Regibus An-

Dzialinius legationem expedit coram Angl. Regina.

glis conceſſam diminui, eos inſuetis oneribus gravari, ac alios cum ſuis mercibus in Hiſpaniam commeantes intercipi & retineri oratione Latina querebatur, juri naturæ & gentium adverſari eum morem, & ablata reſtitui liberamque navigationem in Occidentem permitti expoſtulans. Ad cujus ſermonem liberiorem Regina offenſior reſpondit, ſe querelam audiſſe cum Legationem expectave-

Anglia Regina offenſa Legatione.

rit, ac plane fœminea dicacitate omnia dicta Legati ſingulatim iteravit, redarguitque, commota maximè illa, quod jura gentium violata fuiſſe dixerat. Sed Legatus, ut erat magnanimus & cautus, nihil commotus inhumaniori reſponſo, ſuæ Legationis capita in ſcripto ſi verba offendunt (inquit) ſe daturum replicavit, dummodo reſponſa quoque in ſcripto redderentur. Poſtea au-

A.C. 1597.

Dzialinius Legatus à Regina Angliæ humaniter expeditur.

ea autem negotio cum conſiliariis Reginæ collato; Angli non Polonos mercatores male acceptos fuiſſe, quibus liberam eſſe vult Regina in Anglia negotiationem, ſed quoſdam uti Anſiaticarum Civitatum ſocios mulctatos, eo quod in plurimis contra Privilegia ab Edovardo Rege ipſis data deliquiſſe fuiſſent deprehenſi. Et neque Polonis in Hiſpaniam navigationem poſſe concedi, ſi eo conducant annonam, vel bellico apparatui neceſſaria, quibus hoſtis Angliæ adjuvetur, cum hoc cautum ſit in eorum pactis expreſſe, ne ad hoſtes Regni iſtius juvandos commeare debeant. Demum vero conſcriptis quoad mercatores genuinos Polonos Anſiaticis non conjunctos ex voto pactis, ac privilegiis, Legatus ille honorifice & liberaliter habitus fuit dimiſſus.

Anglica Claſſis emiſſa nil memorabile fecit.

Eadem Angliæ Regina hoc anno emiſerat Claſſem ad intercipiendas Hiſpanicas naves ex Occidentali India venientes, vel occupandam Terceram inter Azoras Inſulas præcipuam. Comes Eſſexius claſſi illi præfuit; ſed tempeſtive Hiſpanicæ illæ naves cum Architalaſſo Antonio Ozorio in tutum ſe receperant, & Tercera firma arce munita, oppugnari non tam facile poterat. Itaque nulla re memorabili geſta, Claſſis illa Anglica apud Inſulam S. Michaëlis fixis anchoris, & aqua recenti doliis repletis, in Angliam ad portum Plemutenſem remearat.

Tranſilvaniæ Princeps Batoreus infectus veneno ſterilitatis.

Rudolph. Imperator paciſcitur cum Batoreo de Tranſilvania.

Imperator autem Rudolphus initio hujus anni conceptum proxime conſilium de acquirenda Tranſilvania perficere eſt conatus: & vocato Tranſilvano Sigiſmundo Batoreo Pragam, qui ſterilitatis veneno corruptus ſuam uxorem Auſtriacam dimitere debuerat, cum eo tranſegit, ut Principatum Ratiboriæ & Opoliæ in Sileſia, ac penſionem annuam quinquaginta millium nummorum argenteorum, ſeu talerorum communium ab Imperatore haberet, & Tranſilvania cederet, eamque Imperatori traderet. Quod inſequenti anno dum exequendum eſſet, multas turbas & ſanguinolenta bella in ea Provincia excitavit, nec tamen Imperator & Auſtriaca domus dominatum ejus Provinciæ conſequi potuit, ut ſuo loco dicetur.

Tranſil. Principi datur aureum vellus Pragæ.

Aldobrandinus in Vngariam mittitur à Papa cum auxiliis.

Mantuæ Dux præficitur Imperat. copiis in Vngaria.

Pappam arcem capiunt Cæſariani.

Cæſariani rejiciuntur ab oppugnatione Iaurini.

Interim tamen Tranſilvanus honorificis favoribus delinitionibuſque cumulatus, & aureo vellere à Rege Hiſpano per manus Imperatoris accepto, Praga rurſum in Tranſilvaniam ſeptimo die Martii diſceſſit, bellum adverſus Turcas apparaturus: ad quod etiam Imperator undique auxilia conquirebat. Miſerat ei Summus Pontifex cum Franciſco Aldobrandino quinque millia peditum, ac mille quingentos equites, & diverſi Italiæ Principes plures turmas militares, omneſque Italicæ copiæ decem millibus armatorum conſtabant. Et cum nonniſi ſub Duce Italo militare vellent, acceſſierat Imperator Ducem Mantuæ, qui illis præeſſet cum titulo Vicarii Maximiliani Archiducis, cui Generalis militaris Præfecturæ functio fuit commiſſa. Sed non meliore ſorte quam anno præterito: priuſquam enim hoſtis adveniſſet, plurimas commoditates rei benegerendæ Cæſariani habuerunt, quas tardius conveniente exercitu cum amiſiſſent, Pappam quidem ab infirmo præſidio Turcico cuſtoditam facile occuparunt; ea vero capta, cum Iaurinum ſeu Rabam obſediſſent, ad famam adventus Machmetis Baſſæ fugientium more turpiter inde receſſerunt, relictis in caſtris plurimis impedimentis, & ægrotis omibus magno numero, in quos erumpentes Turci immanius ſævierunt. Circa illam obſidionem quoque occubuit Baro de Bernſtein, hocque & Duci Mantuæ accidiſſet, dum inſtituendæ oppugnationi locum mœnia Civitatis prope ſpeculatur, niſi à Golnitzio adjutus evaſiſſet periculum, aliquot è ſuis amiſſis & uno vivo à Turcis comprehenſo.

Tottim Turca capiunt.

Poſtquam autem Machmet Baſſa ita Rabam liberaverat, Tottim oppugnavit, & ſpectantibus Cæſarianis ab adverſa Danubii ripa eam expugnavit, accepit. Cumque poſtea Vacciam Cæſariani conceſſiſſent, inde quoque audito adventu

 hoſtis

A.C. 1597.

Tranſilvanus irrito eventu Temeſuarum obſidet.

hoſtis incenſa arce abierunt Strigonium. Atq; ita anni illius impenſa & opera otioſe conſumpta, & in hiberna conceſſerunt. Numerabantur autem eo anno in exertu Imperiali viginti quatuor millia peditum, & octo millia equitum. Tranſilvani etiam copiæ inaniter laborarunt in obſidione Temeſuari tardius inchoata: ad principium enim menſis Novembris ſupetvenienres rempeſtates eos inde re infecta retrocedere coëgerunt. Er non parum refriguit exinde ſtudium omnium dandi in illud bellum ſubſidia, cum viderenr non tam porentia hoſtis, quam imperitia

Ferraria Dux moritur.

Ducum Cæſarianorum tam ſumptuoſos apparatus peſſime effundi. Novis etiam domi difficultatibus Summus Pontifex cœpit impediri, ne Imperatorem juvaret: Interim enim defuncto Alphonſo Eſtenſi Duce Ferrariæ, ditionem illam ad Eccleſiam Romanam pertinenrem, jure vero fiduciario (feudi uſitariori nomine) Eſtenſis ſtirpis legitimis maſculis olim à Pontificibus Summis concreditam, defuncti Alphonſi fratris Patruelis Alphonſi nomine filius, Cæſar Eſtenſis retinere

Ferrariam repetit Summus Pontifex Rom. deficiente Eſtenſium linea.

Pont. Rom. armis repetit Ferrariam ab Eſtenſi.

nitebarur: Sed Pontifex illum talis ſucceſſionis illegitimum petirorem eſſe judicabat, nempe ex concubina ſeu ante matrimonium per parrem ſuum rite cum ea contractum narum: Et licet poſtea ſubſequuta matrimonii ſolennitare, vitium illud narivitatis minus legitimę, ſublatum videretur, quoad obtinenda ramen talis juris bona, hoc non ſufficere Legum interpretes opinabantur. Vnde cum Cæſar armis rationes ſuas tueri contenderet, Pontifex primum anathemaris fulmine illũ percuiſſit, & deinde conſcribi fecit copias quibus ditionem eandem ſi ſponte non reſtitueretur, pro Eccleſia Romana vindicaret. Quod negorium demum in anno

Henrici IV. Regis Galliæ Legatus ad PP. cum obedientia.

Navarrei Regni titulum Hiſpani & Galli prætendunt.

ptoximo compoſitũ fuiſſe apparebit. Eodem anno ad Pontificem illum ſolennem Legationem miſit Rex Galliæ Henricus IV, qua ipſi & Sedi Apoſtolicæ obedientiam, à ſe regnoq; ſuo debitam profitebatur. Cum autem Legatus ille etiam Navarreni Regni nomine veniſſe à Rege ſuo meminiſſet, à Pontifice fuit reſponſum, quod in bonam partem eam quoque Regis Henrici teſtificationem acciperer, ſed ſiquidem Rex quoq; Carholicus ejuſdem Regni titulo ureretur, pręſenris Legationis admiſſione juri illius noller derogare. Exiguam Navarræ ſorrem Bearniam retinent veri hęredes illius Regni nunc Reges Galliç Borbonii, ut alio loco attigimus.

Vgonotis in Gallia pacis conditiones conceſſæ.

Nec omittendum videtur, quod idem Rex Galliæ Henricus diſſidenrium in Religione ſui Regni (Vgonori vocitantur) perperuis querelis farigarus pro libertatibus ipſis concedendis, tandem cum Regni ſui ſtatũ inquietudine hujuſmodi nimium turbari conſideraret, & rimeret ne forte enaſcentes inde diffidentiæ inter ſubditos ſuos novam aliquam commotionem excitarent, eam tali moderarione tempetavit, adverſarumq; Religionum libertates ita circumſcripſit. *Vt Religionis uſus cuivis liber eſſet, prout in locis ſingularibus eo tempore vigeret. Præterea tres Civitates in ſingulis Provinciis deſignavit, in quibus eadem libertate Religio diſſidentium gauderet. Ducibus, Comitibus, & Nobilibus, qui in ſuis ditionibus haberent merum mixtumque dominatum, ſeu jus gladii, ut eſſet pro arbitrio cujuſvis libera concionandi & Sacramenta adminiſtrandi poteſtas, reliquis vero Equeſtris Ordinis, qui non haberent jus gladii, liceret quidem in ſuis domiciliis exercere conciones, dum tamen in eis non plures quam triginta eodem tempore ſimul congregarentur. In primariis & Metropolitanis Civitatibus, ut Pariſiis, Rothomagi, Toloſſæ, Lugduni, Aureliæ, Burdegaliæ, Ambiani, Marſiliæ, ut una ſola Catholica Romana Religio coleretur, nec intra duas ab aliqua iſtarum Civitatum leucas alterius Religionis uſus toleraretur. In Aquitania & Narbonenſi Gallia bina Tribunalia ſeu ſubſellia inſtituerentur, ubi una cum Catholicis quidam Calviniſtæ Iuriſconſulti præſiderent, Pariſienſis, Rothomagenſis, & cæterorum Parlamentorum veteri more nil immutato, niſi quod Pariſiis unum ſubſellium eſſe deberet, in quo cum duodecim Catholicis ſex Calviniani cauſas contractuum & hæreditatum ac ſucceſſionum cognoſcerent. Ad honores etiam & dignitates adeundas Religio*

nemini

nemini obſtaret, ſed de Advocato, Scriba, Apparitoribus ex Calviniſtis ad Parlamenta adhibendis, ut poſtulabant nihil fuit conceſſum. Atque in iſtis Vgonoti ſeu Calviniſtæ tunc acquieverunt. Et ut reliqua hujus anni Gallica breviter attingamus.

Sabaudiæ Dux pacis conditiones non vult acceptare.

Ladigerius in Sabaudia multa loca capit.

In Britannia Gallica induciis trahendis cum Duce Mercurio totum hoc tempus effluxit, cum enim ad initium Maji priores induciæ finiiſſent, iterum ad ſex Menſes fuerunt prorogatæ, Blaveto excepto, cujus Præfectus conſentire cum Duce Mercurio in recipiendis illis induciis noluit. Sabaudiæ quoq; Dux poſt longas de pace diſceptationes, cum conditione ut per Sabaudiam Hiſpanis in Belgium tranſitus non pateret, alioquin etiam in Sabaudia Gallicus exercitus eos perſequi poſſet, aſſentiri recuſaret, irritos reddiderat illos tractatus, malo tamen ſuo. Nam Ladigerius Gubernator Delphinatus armis infeſtis in Sabaudiam illatis, in obvia quæq; cædibus & rapinis deſævit: Briautum Oppidum cum arce vi expugnavit: ſancti Michaelis arcem & Morione deditione cepit: Schamberenſes magna pecunia mulctavit, devaſtatis inſuper eorum agris; Aquabellam & Caſtrum ad Lizeram munitum, cum præſidiarii fortius reſiſterent, iteratis oppugnationibus ad deditionem coëgit, & poſtmodum Ciarboneram & Aquilam occupavit. Nec qui reſiſteret ipſius conatibus invenit, Sabaudo cum ſuis tarda auxilia ab Hiſpanis expectante. Vnde tanto majori ſtudio Summus Pontifex laborabat circa componendam inter Regem Hiſpanum & Gallum pacem, qua & Sabaudus ac alii colligati conquieſcerent, & ſub finem anni ad eam perficiendam ſuum Legatum à Latere Alexandrum Cardinalem Florentinum, (poſtea Papam Leonem XI.) deſtinaverat, cum ejus fundamenta per Bonaventuram Generalem Ordinis Franciſcanorum fuiſſent jam poſita.

Legatus PP. mittitur ad faciendam pacem inter Hiſpanos & Gallos.

Annus Chriſti, 1598.

Anna Auſtriaca Regina Poloniæ moritur.

ANni Milleſimi, Quingenteſimi, Nonageſimi Octavi, initia noſtris Polonicis conſignabimus. Et primo quidem menſe Ianuario die ultima, Regina Anna Auſtriaca prole gravida nihil periculoſum ſentiens præter Catarrhi fluxionem, cum qua nihilominus menſæ cum Rege aſſidere ſolebat, inopina cordis palpitatione, & febri non adeo vehementi correpta, poſtridie hora pomeridiana prima animam exhalavit. Et quia proxima partui erat, os ejus tenebatur apertum propter reſpirationem fœtus, qui ea extincta exſectus, vivus fuit repertus maſculus, & ſtatim ſacro fonte ablutus, nomenque Chriſtopheri ſortitus, poſt unam vitæ horam ipſe quoque exſpiravit, ſummo cum mœrore Patris, qui geminum illud funus teneriori affectu deflevit. Et ſimul angebatur moleſtiis rebellionis Sueticæ, quam ut ſedaret Legatum Samuëlem Laski in Sueciam miſerat. Hic vero Vpſaliam, ubi ex occaſione funebris pompæ Reginæ Gunillæ novercæ Sigiſmundi Regis Proceres Regni unà cum Carolo Duce convenerant, veniens decima die Februarii iſtius anni, in eorum conſeſſu Legationem ſuam expoſuit, tali verborum ſenſu.

Laski mittitur in Sueciam à Rege Sigiſmundo.

Laski Vpſaliæ Legationem ſuam Suecis exponit.

Regia Majeſtas, delatum ſibi ſucceſſione legitima Regnum Sueciæ poſt deceſſum Patris ſui Ioannis Regis toto ſtudio curavit, ut juxta leges in hoc Regno receptas, ac jurejurando ſuo firmatas, maxime ſe in remoto Regno Poloniæ degente adminiſtraretur: Conſiliarios Regni legum gnaros ex præcipuis familiis Sueciæ indigenas conſtituit, qui communi conſilio ex præſcripto publicarum legum ad Regni & Regis commodum omnia dirigerent. Ac quo majori authoritate omnia gererentur, præſidem iſtius conſilii Carolum Ducem, quem propter arctiorem ſanguinis conjunctionem fideliorem ſibi fore credebat, deſignavit, non ut proprio nomine præeſſet, ſed ut ex conſilio Senatus Regis & Regni commoda promoveret. Sed præter opinionem compertum eſſe, cum neglectis ac ſpretis

Sena-

A.C.1598. Senatus Regni iſtius conſiliis, ac Regis ipſius mandatis, omnia in Regno prout ipſi liberet agere, abſolutam poteſtatem in Senatores & Magiſtratus à Rege legitime inſtitutos exercere, & magis proprio nomine dominari, quam in Regis commodum adminiſtratione perfungi. Nec ad Regis adventum, de quo ab uno anno admonitus ſit, quicquam præparaſſe: nec legationem ad Regem cujus occaſione nuper Conventum Abrogenſem celebraverat expediiſſe, ac claſſem quam deducendo ex Polonia Regi obviam mitti ſimulaverat, ad occupandam Calmatiam divertiſſe. Vnde cum Danti ſcum ad oſtium Viſtulæ Regni Poloniæ portum octo naves miſiſſet exploratum quid de Rege audiretur, eas quoque priuſquam de eis Rex inaudire potuerit in Sueciam revocavit: Et ſtatim in Suecia rumores ſparſit, quaſi Poloni nunquam Regi reditum in Sueciam ſint conceſſuri. Literas quoque & tabellarios Regis ne ad Ordines Sueciæ pervenirent interceptas, & famam de obitu Regis divulgatam fuiſſe: Ac propterea Regiam majeſtatem nunc per Legatum ſuum tam ipſi Duci Carolo, quam omnibus annuntiare, quod D E I beneficio vivat, & bene valeat, hacque æſtate D E o juvante in Sueciam venire decreverit. Cupere autem ſuam majeſtatem à Duce & ab Ordinibus primum cognoſcere, an claſſem ex Suecia inſtructam habere, ac pacifice in Regnum ſuum introire, obedientiamque ſibi debitam expectare certo poſſit. Deinde quærere ſuam Majeſtatem, Cur Dux Carolus, pleroſque Miniſtros in officiis ac Magiſtratibus dignitatibuſque à ſe legitime inſtitutos exauthoraverit & alios ſubſtituerit, quod Sudercopienſibus quoq; decretis ad quæ ipſe Carolus ſæpius provocaverat, adverſaretur. Ægre etiam ferre ſuam majeſtatem, quod Carolus Dux in Arcem Stekemberk Annę ſororis Regiæ ipſa abſente intraverit, & ex ejus cuſtodia certam arcam cum monilibus & gemmis pretioſis & ſcripturis minis extortam acceperit, ac recquirere ut ea ipſi Sereniſſimæ Principi reſtituatur. Conſiliariis Regni & cæteris ſubditis adempta bona ut reddantur, nec ullus deinceps ab officio ſuo deponi poſſit, ut nuper Stocholmiæ ex Senatu quidam fuerunt amoti. Præfecturas & poſſeſſiones Conſiliariis Regni ſtipendii loco aſſignatas Carolus Dux cum ademerit, teſtituat, & libere fruendas permittat: nec miniſtris ſuis privatis ex ærario Regni ſtipendia ſolvat. Conſiliariorum miniſtris vitæ & liberæ in Regno converſationis ſecuritas caura, ac fides publica protectioniſque Regiæ literæ aliquibus datæ ſerventur. Captivi autem miniſtri Regis & Conſiliariorum, liberi nunc dimittantur. Miniſtros ſuos Carolus Dux à rapinis & peculatu cohibeat, ac ſine ordine judicii ablata, læſis reſtitui faciat: præſertim Erico Spatre Cancellario pecuniam, veſtes ſupellectilem, literas, & monumenta ablata, quæ ratione officii in ſua poteſtate habuit, ac Erico Brahe Comiti in Viſinburg de ejus Comitatu ac bonis hæreditariis adempta: Regias arces, quorum fidei à Rege fuerunt commiſſæ, eiſdem iterum conſignari faciat. Quod vero Cancellarius & alii Conſiliarii ex Suecia ad Regem recurrerint, id vitio ipſis verti non debet, ſed neceſſitati tribuendum, quod in tanta rerum perturbatione à Rege remedium quæſierint: Ideo mandata ac decreta contra ipſos à Carolo eorum adverſatio & judice ſimul edita, Rex nulla & irrita protestatur, donec ipſemet in Regnum veniat, & de meritis cujuſque cauſæ agnoſcat. Præcipue autem bellicas expeditiones omnes per Carolum ſuſceptas, & quod Filandia hoſtiliter fuerit petita, Arx Abou ibi vi aperta oppugnata, ac occupata ſit, improbat, & captivos inde nobiles, matronaſque ac Virgines abductas liberas ſtatim dimitti, machinas ac apparatus bellicos ablatos ſuis locis reſtitui præcipit: Et demum de Comitiis publicis ſine mandato Regis non convocandis Senatum obteſtatur. Tali itaque propoſitione audita Carolus Dux, gravius commotis reſpondit, multa in ea contineri, quæ nomen, honorem, & famam ſuam lædeˆrent, & pleraque eadem à Legatis Polonis anno 1596, ſibi objecta, non tamen pro-

Carolus Sudermani. accuſatur de multis commiſſis contra Regem Sigiſmundum.

Carolus Suderm. offenditur accuſatione Legati Regis Sigiſmundi.

A.C. 1598.

Carolus Suderm. reſpondet ad accuſation.m Regiam.

Sigiſm. Regis Legatus urget reſponſum Cathegoricum à Carolo.

probata fuiſſe. Cum autem eo tempore ad ea omnia reſponderit, & innocentiam ſuam demonſtrarit, illam reſponſionem iterari non eſſe neceſſe, ſed ad eam ſe referre. Cæterum de Comitiis inſcio Rege non celebrandis, illis iiſdem Legatis abunde reſponſum ac ſatisfactum fuiſſe & ſe de jure ſuo indicendi talia Comitia cum neceſſiras poſtular cedere nolle. Ad quæ Legatus ait, Ducem ſibi ſuccenſere non debere, cum ea omnia quæ diceret, à Rege ſibi eſſe commiſſa etiam ex præcedenti Legarione anni 1596, præſenti in omnibus (Duce ipſo fatente) conformi evidentius appareat. Nec ſe veniſſe ad diſceptandum ſuper dubiis oppoſitis cum Duce, ſed ſolum ad requirendum, ut poſtularis Regis ſe præſente ſatisfiar. Et inſequenti die iterum urgebat ut Cathegorice ſibi ad propoſitionem reſponderetur: ac in quantum Dux primæ anni 1596, reſponſioni ſuę inſiſteret, ad minus ad ſingulariora recens enarorum dubiorum Legationis ſuæ capita voluntarem ſuam declararer. Nempe an miſſurus ſit inſtructam claſſem pro conducendo Rege: An Senatores ac Magiſtratus, arcium cuſtodes à Rege inſtitutos, à ſe autem depoſitos reſtitueret, & Regis Regnique Conſiliariorum miniſtros captivos, & ex Filandia pleroſque abductos, liberos dimitterer.: Ablatum depoſitum ex Arce Stekenberg ſtatim redderet. Sed Carolus tanto magis offenſus, ſe innocentem nimium gravari querebatur. Et cum nihilominus Legarus requireret reſponſum, ille Regii mandati exemplar ſibi exhiberi poſtulavit: Ac tandem reſpondit claſſem ſe muſſurum, dummodo certo ſciat de tempore profectionis Regis, & loco quo appellere debear: Sed cum Ordinibus Regni ſuper eo prius deliberandum fore, cum ſine eorum conſenſu nihil agere velit, nec poſſit. Conſiliarios Regni ſe honore non odio proſequutum fuiſſe, licet plerique male de ſe fuerint meriti, cum animum Regis à ſe alienaverinr, & adhuc viventem Ioannem Regem variis in ſe artibus conciraverint; ſed cum contra jusjurandum Regis aliqui officia obtinuerint, ac propterea ab eis ex conſilii decreto remoti fuerint, alii ſponte loco ceſſerint, Senatus Regni judicio ſe relinquere, quomodo tales ſint reſtituendi. Neque ſe aliquem capi juſſiſſe, niſi ex conſenſu Senatus, ſine quo neminem quoque dimitti poſſe. Et in Finnones nonniſi juſſu Senatus expeditionem ſe ſuſcepiſſe, fideliterque exequutum fuiſſe, ac tormenta inde abduxiſſe, ne hæc novarum ibi turbarum incitamenta & adjumenta ſupereſſent. Atque iſtorum rationem à Senatu Regni eſſe requirendam, & magis reliquos in Finnonia ſeditioſos ab ipſamet Regia Majeſtate coërceri debere. Principi Annæ ſorori Regis in Arce Stekenberg nihil ablatum fuiſſe, ſed tantum arcam Erici Sparre fugitivi à cuſtode veſtium ipſius Principis ſibi traditam in depoſito ſuo, uti gubernatoris, detineri ac reddendam fore, cum ipſemet Sparrius ſe ſiſterer, & rationem fugæ aliorumque delictorum ſuorum coram Senatu redderet. Et ſingula quæcunque Legatus replicavit, Senatus & Ordinum conſultis excuſabar, cum tamen ab ipſis longe diſſentiret. Vnde Legarus ipſi oppoſuit, ſperaſſe ſe quod æquis ac juſtis Regis poſtularis tandem aſſentiretur, ſed ſiquidem uſitatis ambiguitaribus omnia involverer, & in incerto teneret, illud ſaltim ſe ſatis mirari non poſſe, quod ipſe Dux pleraque referar ad Senatum, & Ordines Regni, qui nec minimum ipſius voluntati adverſari audeant, ut quos ipſemet ſibi devinctiores remotis Regi addictis in Senatum adſciverat, & nihil magis conſtet, quam Ducem poſtpoſitis Senatorum conſiliis cuncta arbitrio ſuo agere. Quod ſi Dux de hac ſua declaratione nihil mutare decreverit, ſibi aliud non ſupereſſe, niſi ut jam abiret, & hæc omnia ad Regem deferret. Ad quod Carolus reſpondit, ad Ordines Regni merito ſe omnia referre pro ſua cum illis conjunctione in Sudercopienſi & Abrogenſi Conventu, ubi univerſi pro ſingulis & ſinguli pro univerſis tunc decreta ſe defenſuros mutuo obligarunt. Et cum

nulla

A.C. 1598. nulla alia jam ſupereſſet via Carolum ad ſaniora conſilia flectendi, Legatus ne quid intentatum relinqueret, poſtero die Ordines & Senatum ſcripto per Secretarium ſuum porrecto monuit, ut quoniam Carolus Dux omnium propoſitionum capita ad eorum arbitrium deciſionemque rejiceret, ipſi mandata Regia exequerentur. Ac videbantur tali interpellatione ad pacatiora conſilia nonihil inclinati fuiſſe; nam miſerant ad Legatum, ut pro reconciliando Carolo cum quibuſdam ex Senatu abſentibus ſuam operam interponeret, & Carolus id ſibi non ingratum fore reſponderat. Sed mox iſte ipſemet negotium interrupit, & contentius poſtulavit, ut Legatus declararet, an Regia Majeſtas Decreta Sudercopienſia prorſus aboleri cupiat? Et cum plures Conſiliarii illorum authores fuerint, cur non æque illis quoq; imputatur, ſed ſua perſona ſolum eo nomine accuſatur. Nec voluit Legatus inaniter plura diſputare, ſe præfatus illam quæſtionem ad officium ſuum nihil pertinere, ſolumq; ſibi commiſſum eſſe, ut mandata Regis Duci & Senatui proponeret, & ea exequi in præſentia ſua poſtularet, miſſionem petiit. Iterum tamen ab Ordinibus requiſivit reſponſum & exequutionem Regiorum mandatorum, ad minus ut captivi ſe præſente (ſaltem ſub cautione de ſiſtendo ſe ad adventum Regis) dimitterentur, cum ita placato Rege, cætera facilius inter eum & Ducem componenda

Sigiſmundi Regis Legatus nil æqui à Suecis obtinet, & redit vacuus.

eſſent. Sed neq; tunc quicquam obtinuit, præcipuis ex Senatu privatim apud eum ſe excuſantibus, quod Dux Carolus omnia perturbaret, & impediret. Atque ita Legatus re infecta in Poloniam redit, Varſaviam itinere directo, ubi tunc Comitia Generalia Regni Poloniæ menſe Martio inchoata celebrabantur. Ac præcipua in

Polonorum Comitia Varſaviæ.

eis deliberatio de permittendo Regi in Sueciam diſceſſu agitabatur, plures difficultates Polonis opponentibus, donec ipſemet Samuël Łaski adveniens ſeriem Legationis ſuæ in Comitiis expoſuit: ex qua cum Ordines intellexiſſent jus Regium

Sigiſmundus Rex permittitur ire in Sueciam cum cautione de redeundo.

in Suecia nimium periclitari, & niſi Rex præſentia ſua mature rebus ſuis ſubveniret, in brevi ibi ab omni poteſtate Regia eum excluſum iri, concordibus ſuffragiis diſceſſum ipſi permiſerunt, accepta in ſcripto cautione, quod in anno proximo 1599 menſe Auguſto in Poloniam rediret. Alia quoque controverſia tunc agitabatur; concitaverat Martinus Quaſnievius ad ſeceſſionem milites Quartianos, ut invaſerint donec ipſis numerarentur ſtipendia, Territorium Samboriæ Cenſus Regii ex Salinis nobile promptuarium. Quam audaciam ſeverius, nempe pœna infamiæ judicio ſuo Caſtrenſi damnarat Zamoyſcius, uti Dux militaris, ut extaret exemplum, quo in poſterum milites deterrerentur à tali inſolentia. Sed malevoli non permiſerunt ratum haberi à Comitiis (aliter enim eſt irrita) illam damnationem, ut ægre facerent Zamoyſcio & potentiam ejus deprimerent: quod tamen poſtmodum redundavit in damnum Reipublicæ, impunitaſque illi primæ ſeceſſioni facta, viam aperuit militi ad pernicioſiores ſeceſſiones, ut in conſequentibus apparebit. Maxime autem remorabantur illorum Comitiorum progreſſum acriores contentiones Lithuanorum pro Epiſcopatu Vilnenſi: Cum enim Rex Epiſcopatum illum poſt tranſlatum inde Georgium Radziwil Cardinalem ad Epiſco-

Vilnenſis Epiſcopatus Mácieiovio denegatur.

patum Cracovienſem, Bernardo Mácieiowski Epiſcopo Luceorienſi gente Polono contuliſſet; Lithuani hoc irritum facere contendebant, alteri quam perſonæ gente Lithuanæ talem dignitatem deferri non poſſe aſſerentes. Et cum jam Macieiovius Romæ conſenſum Apoſt. ad ſuſcipiendum eundem Epiſcopatum obtinuiſſet, in Lithuaniam ingredi volenti, uſque & arma opponere conſtituerant, niſi ille præmonitus à perſequenda ejus poſſeſſione ſuperſediſſet. Neque potuerunt unquam Lithuani ab illa ſententia ſua abduci, quantumvis adnitentibus plurimis Optimatibus & conſanguineis Macieiovii, quos ipſe plurimos illuſtriori proſapia cretus non in Polonia tantum, ſed & in Lithuania habebat. Et ne quidem juvit exemplum Georgii Radziwil gente Lithuani ad Epiſcopatum

A.C. 1598.

patum Cracovienſem à Polonis admiſſi: alienum enim errorem imitari ſe non teneri Lithuani reſpondebant. Vnde poſt quinquennales altercationes (tantum enim durarunt) datus fuit ille Epiſcopatus Benedicto Woyná gente Lithuano, cedente jure ſuo Macieiovio, ac in iſtis demum Comitiis negotium illud fuit ſopitum, promittente Rege quod nonniſi Lithuanis nativis in Lithuania ſimiles dignitates eſſent conferendæ. Alia quoque controverſia tunc agitabatur, concitaverat Martinus Quaſnienius ad ſeceſſionem milites Quartianos, ut invaſerint donec ipſis Numerarentur ſtipendia; Territorium ſamboriæ Cenſus Regii in ſalinis nobile promptuarium. Quam audaciam ſeverius, nempe pœna infamiæ judicio ſuo Caſtrenſi damnarat Zamoyſcius, uti Dux militaris, ut extaret exemplum quo in poſterum milites deterrerentur à tali inſolentia. Sed malevoli non permiſerunt ratum haberi à Comitiis (aliter enim eſt irrita) illam damnationem, ut ægre facerent Zamoyſcio, & potentiam ejus deprimerent: quod tamen poſt modum redundavit in damnum Reipublicæ, impunitaſque illa, viam aperuit militi ad perniciosiores ſeceſſiones, ut in conſequentibus apparebit. Cum autem iſtæ contentiones meliorem Comitiorum partem extraxiſſent, aliis negotiis tractandis vix aliquid temporis ſupererat. Approbata tamen fuit in illis lege publica rectionis Provinciæ Livoniæ ratio: (nempe ut tres Palatini ibi eſſent, Vendenſis, Derpatenſis, & Parnavienſis, & totidem Caſtellani) jam ante à Stephano Rege præfinita. Cuique etiam Provinciæ certi Iudices & officiorum præfecti ſunt aſſignati, & judiciorum modus preſcriptus, ac deſignati à Rege qui ibi fundos juris Regii recenſerent, & reliqua controverſa examinarent, in proximis Comitiis determinanda. Auditus quoque fuit in iſtis Comitiis Turcicus Legatus, confirmationem pactorum petens: quorum exemplar à prototypo ſuo multum diverſum cum Turcæ obtruderent, reſponſum fuit Legato, quod non eſſent confirmanda, niſi prius genuinus eorum tenor reſtitueretur. Et deſtinatus fuit Felix Herburt vir ingenio & literis excellens Legatus in Turciam, qui de corrigenda illorum pactorum formula ageret, & ita confirmanda ſuſciperet.

Livonia Ordinatio.

Herburt Legatus ad Turcam mittitur.

In Moſchovia ſub id tempus obierat Theodorus Ioannis alias Fedor Iwánowicz Magnus Dux Moſchoviæ, cui ſterili defuncto proximior agnatus ſuccedere debuerat Mikitá Románowicz. Sed cum vivente Theodoro Boris Odonow Fedorowicz Magiſter ſtabuli (ſeu Comeſtabilis aut Hypparchus, ſeu Magiſter equitum poteſt dici, quod eſt ſummum in illa aula officium) uxoris Theodori, ſuæ vero ſororis opera præcipuas partes in adminiſtrando illo imperio obtinuiſſet, eoque jam ſibi ſtudia Procerum & populorum devinxiſſet, extra Ordinem ad Principatum fuit evectus. Ad illum itaque ex iſtis Comitiis Legatio fuit commiſſa Leoni Sapiha Cancellario Lithuaniæ pro renovandis induciarum pactis cum Regno Poloniæ & Ducatu Lithuaniæ, vel iſtorum imperiorum ſtabilienda conjunctione, de qua plurimus erat ſermo inter Moſchos Theodoro vivente. Videbatur etiam in eiſdem Comitiis benevolentia Regis Zamoyſcio Cancellario Regni Magno redintegrata fuiſſe, nam Ioannes Tarnowski euſque Cancellarius Minor, qui perpetuo alienatiorem à Zamoyſcio animum Regis tenebat, quo ſolus remoto a Regis gratia collega, rerum potiretur, favoremque & applauſum populi haberet, tunc Luca Koſéielecki Epiſcopo Poſnanienſi defuncto, ad eum Epiſcopatum promotus officium Cancellarii minoris dimiſit, & in locum ejus Rex Petrum Tylicki familiariorem Zamoyſcio (nempe iſti gratifi-

Moſchovia Dux moritur.

Moſchovia Dux novus Boris Odonow.

Sapiha Legatus in Moſchoviam mittitur pro confirmanda pace.

Zamoyſcius reconciliatur Regi.

A.C. 1598.

Poloni ſuadent Sigiſmundo Regi ut exercitum duceret potentem in Sueciam.

caturus) ſufficit. Atque ita Pacatioribus animis negotia Comitialia fuerunt terminata, & Regi in Sueciam ſubſidia pecuniaria decreta. Et quidem Zamoyſcius ſuadebat, ut Rex nonniſi cum exercitu valido iret; præviderat enim uſurpatam abſolute dominandi poteſtatem Carolo Duci, nonniſi vi ac armis eripi poſſe, & quibuſque ibi potentioribus ab ipſo oppreſſis, vel ad partes illius traductis, nullos pene ſupereſſe qui cauſam Regis tuerentur, & quorum opera ac vires, comprimendæ Caroli audaciæ ſufficerent. Iamque conſtabat Carolum in Suecia melioribus arcibus occupatis, & ubique præſidiis militaribus diſpoſitis, res ſuas ita firmaſſe, ut nullam vim niſi externam formidaret. Sed Rex in rebus Sueticis, totus à conſiliis Suecorum quos penes ſe habebat dependens, ac ab illis perſuaſus ut pacificum in Sueciam iter ingreſſumque præſeferret, ne penitus ſtudia illorum populorum à ſe deterreret, vel magis quod occultaret illam defectionem Sueticam, qua & apud Polonos æſtimatio ſua minueretur: reſpondebat ſe ad proprios ſubditos ire, nec milite contra eos indigere, quos ad officium & obſequium ſola manſuetudine reduci poſſe ſperaret.

Sigiſmundus Rex cum Aulico ſolo comitatu it in Sueciam.

Itaque Prætoriam tantum legionem peditum Vngarorum, quæ non plus mille militibus conſtabat, & aliam ſtipatorum corporis cuſtodem unà cum Comitatu Aulico conducendam decrevit, paucis peditum cohortibus ex Pruſſia adjunctis pro ſecuritate itineris maritimi, qui omnes (nempe qui arma ferrent) numerum duorum millium non excedebant. Sedecima itaque die Maii Rex Varſavia ſolvens, ſecundo flumine Viſtula Mariæburgam appulit, & inde priuſquam intraret Gedanum, Olyvam divertit, ibique reditum Samuëlis Łáski, quem iterum in Sueciam amandaverat, exploraturum quo animo Carolus venientem ſe in Sueciam exciperet, ad medium menſem Iulium expectavit. Illo autem redeunte, licet dubia omnia nuntiaret, naves conſcendit recenſito peditatu, cujus manipulos Vngaricos Venceſlao Bekes, Pruſſicos autem Ioanni Veiher, & Hildebrando Kreitcz, ac rei maritimæ curam Stenoni Banner commiſerat. Sequebatur Regem & Petrus Tylicki Vicecancellarius Regni, cum pluribus Secretariis Regiis, & ſplendidus Aulicorum Ordo, inter quos eminebant Dux Georgius Zbaśawski, Præfectus Pinſcenſis, Hieronymus Wolowicz, Scriba Lithuaniæ, Maximilianus Przeræmbski, omnes navibus propria impenſa conductis vecti. Ex Suecia enim nullæ advenerant, ſed ex Dania mercatoriæ, etiam ad uſum Regis mercede fuerunt conquiſitæ, & ſub finem Iulii ſecunda navigatione Rex appulit Calmariam: ſed à Prætoria plures naves longius aberrantes, prope littora Oſtgothiæ gravis tempeſtas repente exorta disjecit, aliquas ſcopulis qui ibi ſunt frequentes alliſit, & plures in Daniam uſque abegit.

Sigiſmundus Rex expectat Olyvæ reditum Laſcii iterum miſſi in Sueciam.

Sigiſmundus Rex Calmariam appulit.

Stocholmia pro Rege Sigiſmundo occupatur.

Calmariam autem Rex appulſus: ſtatim inde Samuëlem Łaski ad occupandam Stocholmiam dimiſit: & opportune accidit quod inde Carolus præſidium ad caſtra ſua augenda & munienda avocaverat, unde Laſcius nemine reſiſtente Arcem & Civitatem illam in poteſtatem Regis recepit. Rex ipſe eum ſequuturus, Calmaria profectus Stekenbergam ad ſororem deflexit, quo & Carolus cum exercitu properans, à Legatis Electoris Saxoniæ & Brandeburgici ac Ducum Pomeraniæ, qui pacem inter illos Principes tractaturi advenerant, requiſitus ut arma deponeret, ac cum Rege amice tranſigeret, ita ſe facturum reſpondit, ſi Rex quoque ſuas copias dimitteret & ſecuritati ſuæ ſuorumque colligatorum caveret. Sed Rex Legatis ad eum commean-

meantibus reſpondit, fruſtra id à ſe requiri, cum nullum exercitum duceret, præter Aulicum ſuum Comitatum, & Prætorias paucas cohortes pro cuſtodia corporis & pro dignitate Regiæ ſuæ conditionis ſervanda: Neque venerit ut ſubditos ſuos debellaret, ſed ut cum eis conſiliis collatis, juxta leges patrias ſtatum publicum componeret: unde non eſſe quid illi ſuæ incolumitati magis caveri flagitarent. A.C. 1598.

Nec ullo alio Legatorum illorum tractatu admiſſo, Carolus iter verſus Stechenbergam cœptum continuavit. Ibi vero cum inveniſſet Regios paratiores quam ſperarat, eoſque ad pugnam ferri priuſquam ex iniquiori loco manipulos ſuos educere, aciemque explicare potuiſſet, ſe nonniſi concordiam quærere ſimulavit; & Rex id de eo ſibi à Conſiliariis ſuis Sueticis perſuaderi adeo permiſit, quod mox turmas ſuas ad certamen effuſas fecerit revocari, ac Bekeſſium jam conflictum cum evidenti victoriæ ſpe inchoantem, uſque & verbis (haſtæ infixum hoſtile in velitando præciſum caput afferenti indignatus dixit, necdum omnes Suecos concidiſti) aſperioribus cohibuerit. Sed Carolus elapſus ex illis anguſtiis animum non mutavit, & converſus ad maritima Regios, mox à claſſe & commeatu ea conducto (Conſiliarii Sueci Regi hoc præcavere debuerant) excluſit. Cumque Rex inde itinere terreſtri conquiſitis ruſticanis equis Stocholmiam pergeret, ille contractis interim ex Arcibus ſuis majoribus copiis, ac Regiis Suecis minis, promiſſiſque ſibi devinctis, prope Linocopiam ad Stange pontem occurrit acie inſtructa loco opportuniore, & nec facta mentione tractatus pacis quem paulo ante Linocopiæ inſtitui (ut falleret, & Regem incautum teneret) petierat, eoque Rex Maximilianum Przeræmbski cum aliquot Conſiliariis Suecis miſerat, contra Regios infeſta ſigna promovit: ratus ſe poſſe eorum paucitatem multitudine ſua facile opprimere, maxime quod nulla tormenta exiguumque apparatum bellicum haberent. Fortius tamen ipſis prælium excipientibus, cruenta (Polonis magis, qui cum eſſent numero longe inferiores; inſuper à Suecis Regiis deſerti pæne ſuccubuerant) cæde edita, receptui utrinque cani fuit juſſum: poſtea vero Rex cum Carolo ſeorſum ſoli in campo inter medias acies invicem collocuti, in eo convenerunt, quòd Rex ipſi ejuſque aſſeclis omnium præteritorum Amneſtiam promiſit, & quod Comitia Stocholmiæ intra quatuor menſes celebraret, in quibus omnes controverſiæ mutuo intercedentes cognoſcerentur ac componerentur, & rationes ſtatus publici ambiguæ ex præſcripto legum Sueticarum definirentur. Sed pactis iſtis per Delegatos utrinque ad hoc deſignatos Linocopiæ ſtabilitis, cum Carolus ad propria divertiſſet, difficilior deliberatio obvenit Sigiſmundo Regi, Stocholmiamne uti deſtinarat pergeret, an aliquo alio tutiori conſilio, tam ancipiti rerum ſuarum in Suecia ſtatui mederetur. Res enim plena manifeſti periculi videbatur, ſi Stocholmiam iret, & in Suecia hæreret, cum tam infirmo militari præſidio, quod etiam proxima pugna Linocopienſi multum imminutum, nec augeri nec ſuppleri poterat in tam arcto & hyemi proximo tempore, ac non niſi ex Provinciis tranſmarinis eſſet conducendum. Suetici enim veriti Carolum, palam ſervitium Regis ſubterfugiebant, & ab illis qui pauci eum ſequebantur nulla fidelis opera expectari poterat, cum in Linocopienſi quoque prælio pugnare noluerint, & Finones equites, uti condictum fuit, & in quibus Rex potiſſimam ſpem repoſuerat, ac propterea ex Polonia nullum Equitatum adduxerat, Caroli minis territi, promiſſiſque cor-

Sigiſmundi Regis pugna cum Carolo apud Linocopiam.

Sigiſmundi Regis colloquium cum Carolo Sudderm.

Sigiſmundo Regi conſilia de abeundo ex Suecia.

A.C.1598. corrupti ad Regem non advenerant. Apparatus etiam bellicus nullus pæne aderat, nec poterat conquiri in Suecia, & hyemis imminentis frigoribus ac tempeſtatibus navigatio intercludenda erat, priuſquam Dantiſca adveherentur. Contra autem Carolus omni inſtrumenro bellico terra marique neceſſario, & cumprimis militum copia abundabat, & in dies majorem exercitum congregabat, ut vel inde appareret eum non concordiam promiſſam, ſed aleam belli extremam experiendam meditari. Immo non inani rumore Rex præmonebarur, quod ille omnia compararet ad intercipiendos ex Suecia tranſitus, quò Regem conſtrictum in ſuam poteſtatem redigeret, & à vincto quicquid veller extorquerer. Tanto magis autem urgebant diſceſſum ex Suecia Sueci qui cum Rege erant, & quorum conſiliis Rex in rebus Sueticis nitebatur, quod inter primas pacis conditiones, eos ſibi obſides dari Carolus depoſcebat: & qualiſcunque compoſitio inter iſtos Principes concluſa fuiſſet, illorum Capitum periculo conſtare debebat. Tamen quantumvis lubrico veſtigio tenendum ibi fixum pedem fortiores ſuadebant, & præmunito ad omnem caſum uno opportuno maritimo loco, (quod fieri poterat) expectandum, quo tandem erumperent Caroli conſilia, & num penitùs Ordines Sueciæ Regem deſererent: Semel enim, & quidem poſt ancipitem pugnam ſpecie fugæ relicta Suecia, difficile futurum revocari eo gradum certa conjectura demonſtrabatur: Nempe cum ambigi non poterat, ut vere poſtea evenit, diſceſſum talem Carolo apud populum argumento fortiſſimo futurum criminationum, quas ipſe de Rege jactare ſolebat. Et quidem arte illi Sudercopienſibus & Abrogenſibus decretis præpoſuerat articulum de Auguſtana hæreſi ſola in Suecia conſervanda, Catholica Romana Religione excluſa, licet in conſequentibus articulis uſurpatæ Regiæ poteſtatis fraudes occultaret:

Carolus Suderm. criminatur Sigiſmundum Regem apud populum.

illoque ſolo euſque Regem traducendo, populi animos ab eo alienare nitebatur, quod dictis ſcriptiſque divulgabat eum Sudercopienſia & Abrogenſia conſulta irrita habere, ut hæreſim Lutheranam ſeu Auguſtanam ex Suecia eliminaret, ac Catholicæ Religionis uſum inſtauraret. Vnde & diſceſſum Regis eodem ſenſu apud populum interpretaturum eum fuiſſe ſatis conſtabat. Immo multo acerbiores ſuſpiciones & odia in Regem tunc concitaturus videbatur, ſumpta occaſione ex conflictu nuper commiſſo, in quo diceret ipſum ob paucitatem ſuarum copiarum prævalere non potuiſſe, & in Poloniam abiiſſe ad comparandum majores, quibus potentior factus, libertates Suecorum opprimeret. Illud quoque ex abitu Regis ſucceſſurum prævidebant ſagaciores, quod pauci in Suecia, qui pro Rege adhuc ſtabant, deſperato ab eo abſente patrocinio, Carolo conjungerentur, & reliqui qui in ſuſpicionem propenſioris in Regem ſtudii apud eum inciderant, indignationem ipſius non evitarent, & quaſi à volente Rege ejus crudelitati proderentur. Hæcque & his ſimilia ſuggerebant, qui ſalubriori conſilio ex Suecia tunc Regi non diſcedendum opinabantur.

Sigiſmundus Rex ex Suecia diſcedit.

Calmaria reliquit præſidium ſuum Sigiſmundus Rex.

Sed vicit prior ſententia Sueticorum conſiliariorum, plus ſibi quam cauſæ Regis metuentium, & converſo Rex greſſu, Stekenbergam rediit, ac inde abducta ſorore Calmariam adveniens, relicto ibi in præſidio Venceſlao Bekes & Ioanne Sparre, ipſe cum ſorore ad finem Octobris Dantiſcum trajecit. Et neque hic finis errorum, majoreſque prioribus cumulati ſunt: nam cum præſidio Calmariæ relicto non annona ſolum, ſed & pulvis nitratus, & plura ad defenſionem neceſſaria deeſſent, & ma-

& maturius Dantiſcæ prævideri debuiſſent, illa cura ab omnibus fuit negleсta. Expeditæ quidem fuerunt ſerò aliquæ naves cum commeatu Dantiſca, ſed tardius appulſæ, cum jam Carolus omnes aditus obſediſſet, Calmariam non penetrarunt, & obſeſſi ſex menſium oppugnatione continua, & omnium neceſſariorum extrema penuria fatigati, omnibus, etiam vilioribus eſculentis, uſque & coriis emollitis in cibum abſumptis, arbitrio victoris ſeſe dedere ſunt compulſi. Ex quibus quadraginta octo nobiles Sueci, qui eò confugerant Regi fideliores, unà cum Præfecto ſuo Ioanne Sparre, & Chriſtophero ac Laurentio Andreæ, ſecuri fuerunt ſtatim percuſſi; præſidiarii Poloni & Germani liberi dimiſſi: Venceſlaus Bekes cum cautione quod aliquos Suecos cum Rege abductos dimitti procuraret, ex detentione poſt aliquot menſes fuit relaxatus. Er ita tota Suecia in poteſtatem Caroli conceſſit: & cum ſola Filandia, & Eſtonia reſtaret adhuc libera, hanc etiam Rege Sigiſmundo auxiliis ſublevare negligente, (magis præcavebat ne Revaliam cum Eſtonia ſibi ex pactis retinerent Poloni, ſi eorum præſidio fuiſſet munita) armis ſub poteſtatem ſuam ille ſubjecit in anno proximo, ut tunc attingemus ſi occaſio tulerit.

A.C. 1598.

Calmariam ad deditionem cogit Carolus Suderm.

Carolus Sudern. ſævit in Suecos addictos Sigiſmundo Regi.

Bekeſius Calmaria dimittitur.

Meliori fortuna uſa eſt hoc anno Gallia, inchoati enim ibi tractatus de pace cum Hiſpanis arbitro Legato Summi Pontificis Alexandro Cardinali Florentino, & Bonaventura Generali Ordinis Franciſcanorum, ſecunda menſis Maii hujus anni feliciter coaluerunt Vervini in Veromanduis Picardiæ confiniis, & initio menſis Iunii Pariſiis ac Bruxellis fuerunt publicati, comprehenſi triginta quinque articulis, ut extant typis divulgati. Quorum præcipui ſunt: *Quod conditiones pacis inter Henricum* II *Galliæ, & Philippum* II *Hiſpaniæ Regem Cameraci Anno* 1559, *initæ in omnibus eorum punctis inviolate ſervari deberent, præter ea quæ mutarentur præſentibus pactis. Galliæ Rex Hiſpano Comitatum Carolæſii, & alia loca quæ interceperat reſtitueret: Hiſpanus etiam Gallo adempta, nempe Caletum, Ardeam, Dorlantium, Capellam, Caſtelletum montem Hullinum & Blavetum in Britania Gallica menſe proximo Iulio redderet: Iura quæ alter Rex, ſeu Iſabella Regis Hiſpaniæ ex Valeſia filia, in alterius Regnis ſe habere prætenderet, & quibus expreſſe non renuntiavit, non armis, ſed amica tractatione quiſque repeteret. Pax eadem ſerviret Belgio licet hoc cederet Iſabellæ ſeu alicui alteri. Commercia libera eſſent, & privilegia ab antiquo conceſſa incolis Regnorum eorum Provinciarumque utrinque. Amici cujuſque Regis nominati, eadem pace continerentur. Sabaudus reddita Regi Galliæ Civitate Berrii eadem pace comprehenderetur, neutrarum partium eſſet, & reliqua ejus controverſiæ Romani Pontificis arbitrio intra unum annum definirentur.*

Pax inter Hiſpanos & Gallos ſtabilitur.

Sabaudiæ Dux comprehenditur pace Hiſpani cum Gallis.

Quæ pax ſumma lætitia populorum Galliæ & Belgii, & concordi totius Chriſtianitatis congratulatione fuit excepta, & tanto facilius concluſa, quod Rex Hiſpanus ſenio gravi & valetudine afflicta oppreſſus, tantas bellorum curas, pertæſus laborum, ægre ſuſtineret, & filio vix dum annis & imperio tanto maturo tranquilliorem rerum ſtatum relinquendum cuperet: Vnde & alia cura ſe filiumque ſuum ut liberaret, ſub idem tempus matrimonium filiæ ſuæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ cum Archiduce Al-

A.C. 1598. berto confirmarat. Dumque pax illa inſtauratur in Gallia, ſimul Belgium perſonabat lætis hymenæis connubii iſtius, cujus pacta dotalia ſtabilita, tredecim articulis fuerunt comprehenſa, iſtiſque præcipue.

Alberti Archiducis connubii cum Iſabella conditiones. *Quod nomine dotis omnes Provincias Belgicas ac Comitatum Burgundiæ & Caroleſiæ Iſabella nupta Alberto Archiduci (prævia ſuper impedimento conſanguinitatis diſpenſatione Summi Pontificis) haberet, & matrimonio ex aliqua cauſa impedito, dotis hæc conſtitutio irrita eſſet. Quod nati ex iſto matrimonio majores minoribus, maſculi fœminis præferri, & ita in iſtis ditionibus jure hæreditario ſuccedere deberent. Quod ſi fuerit ſterile hoc matrimonium, donatio hæc dotis cauſa, omnem vim amitteret, & talis hæreditas ad Regem Hiſpaniæ ex Philippo II deſcendentem rediret, functis vita eiſdem conjugibus. Quod illæ Provinciæ nunquam diſtrahi poſſent, vel aliqua ex eis donari, transferri ſine conſenſu Regis Hiſpani. Quod procreandi ex iſto matrimonii eorumque liberi, uxores & maritos accipere non poſſent ſine conſenſu Regis Hiſpani, & Catholicam Romanam Fidem profiteri tenerentur. Quod iidem ſponſi & eorum ſucceſſores, non poſſint permittere ſubditos ſuos navigare in Indias tam Orientales, quam Occidentales ulla cauſa prætexta, & contrarium audentes pœna capitis punire deberent, & ſi contra facerent, exciderent ab iſta donatione.* Omne autem jus directi & hæreditarii dominatus earundem Provinciarum, in Iſabellam illa donatione fuit transfuſum inſtrumento publico manu Regis ſenis ſubſcripto ſub Actu Madriti Caſtulonum 6 Maii 1598, & alio inſtrumento publico ejus filii Philippi, qui eandem donationem approbavit. Iſtis demum ſyngraphis fuit conjuncta publico ſimili ſcripto concepta ſtipulatio ipſius ſponſæ, qua donationem illam ratam habuit, eamque in omnibus ejus punctis ac conditionibus ſe obſervaturam obligavit ac aliud inſtrumentum mandati, quo eadem ſponſa commiſit Alberto Archiduci futuro ſuo Marito, ut ejus nomine poſſeſſionem dictarum Provinciarum adiret, eaſque teneret ac adminiſtraret. Nec eſt quod omnia de iſtis ſingularius recenſeamus, cum non completis quadraginta annis evanuerint conjugum ſterilitate, vel ſolius ſponſæ, quæ nupſit quadragenaria effœta. Acceptis autem iſtis inſtrumentis ſponſaliorum Archidux Albertus, Comitia Belgis Bruxellis indixit, & in eis publicatis illis pactionibus, earumque prototypo (hoc pertinacius requirebant Belgæ) Ordinibus Belgii exhibito, Sacramentum fidelitatis ab eis recepit, & ipſe viciſſim de conſervandis eorum privilegiis juravit. Crebebant Hiſpani quod oſtentata hujuſmodi Provinciarum illarum ab Hiſpanis ſeparatione, omnis diſcordiarum ſuſpicionumque anſa, quæ ante Hollandos ab obſequio poſſeſſoris Flandriæ alienaverat, in futurum tolleretur, & Hollandos ad officium priſtinum revocaret, ac datæ fuerunt literæ ad ipſos & ad Mauritium Principem tali argumento; ut ſe ad morem veterem cum reliquis Flandriæ Provinciis componerent, & ad pacem quam jam nihil impedire videretur, ſtudia ſua applicarent. Sed nihil fuit reſponſum ad illam quæſtionem, ſuboleverat enim Hollandis iſta ad ſpeciem componi, & inanem illam Cataſtrophen parum duraturam, moxque in priſtinum ſtatum reditura omnia, (ſterilitate ſponſorum ab Hiſpanis bene ante præcognita)

Belgii hæreditarium jus in Iſabellam transfertur.

Albertus Archidux juſjurandum recipit à Belgis.

Hollandi invitantur ad unionem Belgii.

Belgii hæreditas Iſabellæ data ad ſpeciem.

cognita) ac Hiſpanos ibi ſummum rerum arbitrium retenturos fuiſſe; vel quod libertatem tanto ſanguine ac labore partam, ſervitute quantumvis ſpecioſa commutare detrectarent. Peracta autem illa tranſlati in Iſabellam Principatus ſolennitate, Archidux feſtinavit tranſire in Hiſpaniam, ſponſam illi Regi juveni Margaretam filiam Archiducis Caroli eo deducturus & propriam accepturus. Et diſcedens in loco ſuo Gubernatorem Belgii ſubſtituit Andream Cardinalem ab Auſtria Epiſcopum Conſtantienſem, (is fuit filius Archiducis Ferdinandi Tirolenſis ex Philippina Velſeriana ſecundò genitus) ac ei adjunxit Franciſcum Mendoza Admiralium Aragoniæ qui bellicas functiones obiret. Per Germaniam tranſiens, ad Imperatorem Rudolphum divertit, eoque ſalutato poſt aliquot dierum in Aula ipſius moram, ſponſam Margaretam Græcii adiit, eamque una cum matre Caroli Archiducis vidua Maria Vilhelmi Ducis Bavariæ ſorore ſecum duxit, ſtipatus Comitatu lectiſſimorum ex omni gente Ducum, Principum, Nobilium virorum, non tantum numeroſo, ſed etiam adeò ſplendido, ut nihil magnificentius, nihil illuſtrius ea profectione in Italia, & qua iter erat à multis ſæculis comparuerit. Ac augebant eam pompam Legationes magnificæ Rempublicarum, Principum, Civitatum Italiæ, & Regni Neapolis fauſta & felicia utriſque nuptiis acclamantium: præſertim Venetæ Reipublicæ, cujus purpurati in omnibus locis illi Reipublicæ ſubjectis, ſumtuoſiſſimo apparatu tantos hoſpites excipiebant. Invida tamen ac inconſtans rerum humanarum ſors, effuſa illa omnium populorum in hilaritatem ſtudia turbavit morte Philippi II Hiſpaniarum Regis; in ipſo ſponſorum in Italiam ingreſſu nuntiata. Abiit Eſcuriali die decima-tertia Septembris hujus anni, curis ac annis prope duobus ſupra ſeptuaginta gravatus, & magis moleſtiis morbi vehementioris ac diuturni, totum enim ejus corpus ulceribus, & acriorum humorum fluxionibus contabuerat.

A.C.1598.

Albertus Archidux in Hiſpaniam abit ad ſuam ſponſam.

Andreas Cardinalis Belgium adminiſtrat.

Margareta ſponſa Regis Hiſpaniæ ducitur in Hiſpaniam

Veneti tranſeuntes ſponſos in ſuis terris excipiant.

Philippus II Hiſpaniæ Rex moritur.

Aliqui dicunt fuiſſe Phtiriaſim, ſeu Herodianum. Cum extremam vitæ ſuæ periodum imminere videret, ſalutari ſe viatico Euchariſtiæ ſacræ muniri fecit, & accerſito filio Philippo & Iſabella filia, corpuſculum ſuum miſerabiliter putidum nudans ait: en mox futurum, immo jam factum cadaver, nullus amplius locus eſt humanæ ſpei: omnibus horrido illius aſpectu in lachrymas commotis, & mox libellum quo adminiſtrandi Imperii arcana inſtructio continebatur Philippo filio, Iſabellæ verò annulum, quem à matre ejus Iſabella Valeſia Galla habuerat chariorem tradidit, additis monitis, ut in fide Catholica perſeverarent: Filio demum ſororem commendabat, & ut paci ac tranquillitati populorum ſtuderet, hortabatur. Solvi etiam omnes in carceribus detentos & damnatos juſſit, & deficientibus viribus in aurora exſpiravit. Sponſi tamen iſti accepto de illa morte nuntio, aſſumpta tantum veſte lugubri, iter ſuum & feſta genialia continuebant: Ac tranſgreſſi Venetorum terras, à Mantuano Duce Vincentio Gonzaga in ejus ditione excepti, Pado ſecundo Ferrariam pervenerunt 12 menſis Novembris.

Ferrariam venit Albertus Archidux cum ſponſa Regia.

Ferrariæ vero ſub illud tempus aderat Clemens Papa VIII nam ut diximus ſuperius, Alphonſo Eſtenſe Duce Ferrariæ Anno proximo vita functo, cum Principatus ille ad Eccleſiam Romanam rediiſſet, & nihilominus Cæſar Eſtenſis in illo invito Pontifice ſuccedere conaretur, armis quiſque jus ſuum vindicandum propoſuerat. Nec deerant qui Eſtenſi

A.C.1598. conſiliis & auxiliis faverent, præſertim Veneti, qui limitibus ſuis Pontificium Dominarum, conjungi haud æquis animis ferebant: & non pauci

Eſtenſis jus pro ſucceſſione Ferrariæ non injuſtum.

cauſam ipſius non injuſtam arbitrabantur : jam enim Rudolphus Imperator eum habilem feudo Imperiali declaraverat, & menſe Ianuario proximo ipſi ſuper ſucceſſione in Regio Lepidi ac Mutina Iuris Imperialis diploma dederat. Verum Pontifex celeritate uſus, priuſquam ille conſilia ſua expedire & auxilia conquirere potuiſſet, excommunicatione contra ipſum & contra auxilia ipſi ferentes denuntiata, exercitum viginti mil-

Clemens VIII exercitum mittit pro recuperanda Ferraria.

lium armatorum conſcripſit, & cum eo Petrum Cardinalem Aldobrandinum ac peritiores belli Duces ſumma feſtinatione ad oppugnandam Ferrariam miſit. Eſtenſis itaque ad reſiſtendum necdum ſatis inſtructus, amica compoſitione illam controverſiam dirimi permiſit, & inſtituto mutorum utrinque delegatorum colloquio, in eos res ſtetit, quod Ferraria cum ſuo territorio Pontifici cederet, Pontifex autem certam pecuniæ ſummam Eſtenſi ſolveret pro impenſis in munitiones illius Civitatis factis, & tormenta bellica ac armaturam meliorem in ejus uſum abduci permit-

Clemens VIII Papa Ferrariam recuperat.

teret : Fratrem ipſius germanum Eſtenſem Cardinalem crearet. Ac talibus conditionibus, tam gravi negotio, quod videbatur totam Italiam difficili bello involuturum ſopito, Pontifex ut poſſeſſionem illius ditionis ſibi firmaret, ejuſque gubernationis normam inſtitueret, ac cum Eſtenſi reliqua dubia definiret, Ferrariam ipſemet Roma venerat. Interim autem matrimoniorum illorum tractatibus matureſcentibus, rogatus ut ſponſis tantis benediceret, in loco illo tranſeuntibus ex Germania commodo tota illa æſtate ſubſtitit venientes opperiendo, Romæ relicto Cardinali Aragonio cum poteſtate Legati, qui ſub tempus ſuæ abſentiæ eam Vrbem gubernaret; tum præſens Romæ adoleſcens annorum decemnovem prima mea ſtudia tractavi.

Clemens VIII Papa Ferrariæ excepit Albertum Archiducem & ſponſam Hiſpaniæ Regis.

Itaque die tredecima menſis Novembris advenientibus ſponſis, Pontifex obviam miſit ad ripam fluminis Padi illam Civitatem prope alluentis præcipuos Cardinales, ac inſigniores quoſque Nobiles, qui ad continentem è navi egredientes tantos hoſpites exceperunt, & Ferrariam introduxerunt: Et inſequenti die dato quieti ac colloquio privato Archiducis Alberti cum Pontifice, die 15 Novembris, qui fuit Dominicus, in templo primario ejus loci poſt Pontificale Sacrificium, ipſemet Pontifex

Philippo III Hiſpaniæ Regi matrimonio, jungitur Margareta Auſtriaca.

primum matrimonio conjunxit ritu Eccleſiæ ſolenni Margaretam Archiducem Auſtriæ præſentem cum Philippo III Hiſpaniarum Rege, cujus Paranymphus Albertus Archidux fidem interponebat pro ſervandis obligationibus connubialibus: & mox illo actu completo, eundem Albertum Archiducem mutata perſona ſubintrantem cum Iſabella Clara Eugenia Hi-

Alberto Archiduci copulatur Iſabella Hiſpana.

ſpaniarum Principe, agente pronubam Duce de Seſſa ejus ſtipulatore, copulavit. Continuabaturque nuptialis ille triumphus per tres dies epularum, ſpectaculorum, ludorum feſtivitate. Quorum omnium magnificentiam, ſumptuoſiſſimorum apparatuum varietatem, ſplendorem, im-

Ferrariæ nuptialis pompæ ſplendor.

menſam opum profuſionem, alii deſcripſerunt : nobis qui ſimplicem principalis rei geſtæ narrationem teximus, ſuffecerit adnotaſſe, quod cum ſummo Pontifice quicunque in Italia & in Eccleſiaſtica ditione, dignitate, natalium titulis, divitiis excellunt : Cum ſponſis vero qui in Hiſpania, Germania, Belgio, & potiori Italiæ parte ſublimia honorum faſtigia tenent, ſeu generis divitiatumque magnitudine cæteris præeminent,

eò con-

eò confluxerant, & collatæ in ſimul Italiæ, Hiſpaniæ, Germaniæ opulentiæ, ſingulæ pro gloria gentis & nominis ſui certarunt. Triduo vero in tantis lætitiæ tripudiis tranſacto, ſponſi Mantuam, indeque Mediolanum conceſſerant, ubique Regio cultu excepti, & Mediolani commorati, cum primum hyeme decedente tempus navigationi maritimæ commodius rediit, Genuam, ac inde in Hiſpaniam abierunt. At Pontifex Ferraria Bononiam, ac principio Decembris ovantis & triumphantis in morem de recuperata Ferraria, Romam rediit. A.C. 1598. *Clemens VIII. Papa Ferraria Romam redit.*

Nec multo poſt reditum ipſius nocte Vigiliam die Natalis Chriſti præcedente prodigioſe Tyberis ex alveo ſuo ultra modum effuſus, Romam inundavit, ac in undis natantem triduo toto tenuit, dejectis pluribus ædificiis, & ponte (Sixti denominato) cujus moles ſecto lapide & ingentibus fornicibus valide compaginata, miraculo dignum quomodo aquis non adeo rapide (ſub noſtro Septemtrione ingenti glaciei pondere impelleretur) labentibus reſiſtere non valuerit. *Tyberis inundatio prodigioſa.*

Memini, quod omnibus præteritis etiam Auguſti Cæſaris tempore diluviis viſis hoc comparatum, longe majus fuerit judicatum. Sub id tempus in ſignum lætitiæ ex victoria Ferrarienſi Pontifex creaverat Cardinales undecim, inſignes omnes viros, quorum præcipui erant, Robertus Bellarminus, Franciſcus Dietrichſtein Ferrariæ Pontifici à ſponſis commendatus, Camillus Burgeſius, poſtea factus Papa Paulus V. denominatus. *Clemens VIII. Papa creat Cardinales.*

Sic autem finitum Romæ iſtum annum, contexere debemus cum rebus Germanicis, quas ſeorſum huic loco, ne alienas interrumperent, reſervavimus.

Ac initio hujus anni Tranſilvaniæ Princeps Sigiſmundus Batori tandem expugnari ſe paſſus pro cedenda Imperatori Tranſilvania, ejus poſſeſſionem in nomen Imperatoris iniri permiſit, renitentibus Tranſilvaniæ Ordinibus, qui liberiores ſe eſſe aiebant, quam ut inſcii, nec aſſentientes, unius Principis arbitrio, alteri Domino tradi poſſent. Tanto magis reclamabant Batorii, quorum præjudicio jus familiæ Batoreæ in Tranſilvania quæſitum Sigiſmundus alienare tentaret. In tam inopinato tamen caſu cum vires non haberent, quibus cauſam ſuam propugnarent, querelas ſolas tunc oppoſuerunt Imperatoris Legatis Epiſcopo Vaccienſi, Comiti Nadaſti, & D. Petzio ſolennitatem receptæ poſſeſſionis illius Provinciæ pro Imperatore peragentibus. Hocque peracto ipſe Sigiſmundus Batori relegata uxore ſua Auſtriaca ſterili, Ratiboriam & Opoliam in Sileſia ſibi ab Imperatore conceſſam ſeceſſerat, quietam (ut præferebat) vitam acturus. Sed mox viliorem eſſe quam ſperaverat illam remunerationem ab Imperatore ſibi commutatam recognoſcens, errorem ſuum ut corrigeret, mutato habitu in Poloniam ad affinem ſuum Ioannem Zamoyſcium Cancellarium divertit, ibique animo confirmato, in Tranſilvaniam rediit priuſquam Maximilianus Archidux, quem Principem illius Provinciæ Imperator deſignaverat, cum exercitu eo intraſſet; & Clauburgi coram convocatis Ordinibus Tranſilvaniæ pactionis ſuæ cum Imperatore, & ejus abjectæ, rediuſque ſui in patriam ſerie expoſita, jusjurandum fidelitatis iterum ab eis omnibus accepit, præterquam à Varadinenſibus, quibus jam non erat liberum mutare propoſitum, excubante ibi pro Imperatore cum præſidio valido Melchiore Redero. Maximilianus *Tranſilvaniæ poſſeſſio in nomen Rudolphi Imperatori accipitur contradicentibus Batoreis.* *Batoreus Sigiſmundus relegat uxorem ſuam & Opoliam recedit.* *Batoreus Sigiſmundus pœnitet quod dimiſerit Tranſilvaniam.* *Batoreus Sigiſmundus Tranſilvaniam repetit.*

A. C. 1598. nus autem audito illo retrogrado rerum ſtatu, & literis Sigiſmundi acceptis, quibus reditum ſuum excuſabat, & de retinenda ſibi Tranſilvania obteſtabatur, ſubſtitit quidem Caſſoviæ, ſed in annis ſubſequentibus varia fortunæ viciſſitudine, & ſanguinis Chriſtiani immani profuſione pro illo Principatu Auſtriaci decertarunt, nunquam tamen eum retinere potuerunt, ut ſuo loco apparebit.

Comitia Imperatoris Ratisbonæ.

Eodem principio anni, Comitia Ordinum Germaniæ Ratisbonæ celebrabantur, præſidente in eis loco Imperatoris Archiduce Matthia, qui urgebat ut nonaginta menſium collectæ intra triennium pro bello Vngarico ſolverentur, niſi mallent Ordines militem, nempe quindecim millia peditum, & quinque millia equitum cum tormentis & apparatu bellico ſumptu ad hoc ſubminiſtrato continuo in eo bello tenere: & tandem ſexaginta menſes fuerunt conceſſi: Vnus autem menſis dicitur conſtare ſeptuaginta millibus florenorum communium in Germania, juxta veterem Imperii calculum.

Germani contribuunt pro bello Turcico.

Iaurinum intercipiunt aſtu Cæſariani.

Et opportunè menſe Aprili ſub finem Comitiorum advenerat Nuntius de intercepta Raba ſeu Iaurino, induſtria Adolphi Suartzemberg Germanicarum, ac Nicolai Palphi Vngaricarum copiarum Præfectis. Iſti enim compoſito admovendæ Petardæ portis illius Civitatis pro aperiendo in eam ingreſſu artificio, ac Comorrha ſecundo Danubio demiſſis prope Rabam ſelectiorum peditum aliquot cohortibus, inſtrumentoque bellico neceſſario, ipſimet ſubſequentes cum majori Comitatu, tertia ante auroram hora Vngaros aliquod linguam Turcicam callentes ad portam verſus Albam Regalem patentem præmittunt, qui vigilibus annuntiato quod Buda venirent, ac commeatum, (quem jam Rabenſes venturum expectabant) adducerent, uſi adhoc noctis beneficio, ac prætexentes timorem à Chriſtianis (ut dicebant) qui in proximo prædas agere nuntiabantur, petierunt demitti pontem, atque ingredi quam ocyſſimè permitterentur. Creduli itaque vigilibus pontem demittentibus ingreſſi plures, ac una Vebecuthius Gallus Petardam applicuit ulteriori portæ, quam feliciter dejecit, & irruentes integræ peditum & equitum turmæ, magna feſtinatione mœnium omnia munitiora, & forum Civitatis occuparunt, ut Turcis conſternatis vix adeſſet modus in unum convenire, & globo numeroſiori hoſtem excipere. Majori tamen ferocia quam conſilio quinque horis continuis cum Cæſarianis decertarunt, & non parvam ſtragem in eis ediderunt, & demum in arcem compulſi, cum ibi quoque acerrime pugnaſſent, defeſſi majorem ingruentem oppugnatorum vim ſuſtinere ſe poſſe deſperantes, in quoddam propugnaculum, in quo pulveris nitrati magna vis aſſervabatur, confugerunt. Cumque ad eos conficiendos Cæſariani pluſquam trecenti accurriſſent, ipſi ignem nitrato pulveri injecerunt, ac ita horrendo flammarum impetu, tota mole illius ſtructuræ concuſſa, propugnatores una cum oppugnatoribus univerſi interierunt. Pacato armorum tumultu, in quo Turci omnes fere perire quam ſeſe dedere maluerunt, Civitas illa rediit in poteſtatem Imperatoris à triennio à Turcis capta.

Turcarum obſtinatio.

Tottim & plura loca Vngariæ Cæſariani recipiunt.

Reliquo etiam tempore æſtatis iſtius anni, non iniqua uſi ſunt fortuna Cæſariani contra Turcas; nam menſe Iunio Tottim expugnarunt, & Palottam, Geſtem, ac vicina minoris nominis Caſtella deditione ceperunt. Zernicium quoque Oppidum cæſo præſidio, quòd cum ſuo Bego egreſ-

A.C.1598.

go egreſſum aperto prælio ſe commiſcrat occuparunt. Et cum Machomet Baſſa Turcicarum copiarum Dux cum centum millibus pugnatorum Varadinum obſediſſet, illud quoque ſtrenue fuit defenſum, & Machomet poſt longos oppugnationis labores retrocedere re infecta eſt compulſus, ſolertia maxime Melchioris Redeti, qui illam Civitatem repetente Tranſilvaniam Sigiſmundo Batoreo pro Imperatore retinuerat.

Varadinum Turcæ obſident irrito conatu.

Vacciam tamen; & Peſtam fruſtra tentarunt, & non modicum damnum acceperunt apud Budam, ubi & Matthias Archidux ſupremus belli gubernator aderat: nempe imbribus continuis madente menſe Octobre eam expeditionem ſuſceperant, quo omnis operæ obſidionis, & machinarum uſus impediebatur; Nec minor cauſa fuit deſcrendæ obſidionis Budanæ, quod Machomet Baſſa Varadino quod interim obſidebat relicto Budam cum potenti exercitu feſtinabat, propter quod Cæſariani non exſpectato periculo, initio Novembris inde recedere maluerunt, & in hyberna conceſſerunt, ſatis ſuperque eo anno præſtitiſſe viſi, Raba recuperata.

Budam Cæſariani irrito eventu oppugnant.

Et priuſquam hunc annum claudamus, Belgica adhuc revocanda videntur; quæ poſt diſceſſum Alberti Archiducis in Hiſpaniam evenerunt. Adminiſtratores enim ibi ſubſtituti campum nacti, quo nomini ſuo gloriam compararent, omnes rei bene gerendæ modos quæſiverunt. Et primo Andreas Cardinalis deductis ex vicinoribus præſidiis quatuor millibus militum, inſidias ad intercipiendam Bredam inſtruxerat, ſed Bredani earum inſtituto tempeſtivè deprehenſo, illas copias proximè Bredam adductas profligarunt.

Bredæ inſidiatores funduntur.

Admiralius autem Aragoniæ militiarum Belgicarum Præfectus, aperto Marte rem aggrediens cum numeroſo exercitu, maxime ex iis militibus qui ex Gallia pace concluſa revocati fuerant, Moſam apud Trajectum & ad Ruremundam trajecit, & verſus Cliviam ac Geldriam contendit, Clivenſiſque Principis, Archiepiſcopi Colonienſis, tum & Comitis Eberſteinii ditiones, quantumvis iſti omnes amici Hiſpani eſſent, invaſit; ac plurima eorum loca vi occupavit, excitatiſque ibi novis munitionibus & præſidiis diſpoſitis, pro uſu ſuo firmavit;

Admiralius Aragoniæ in Cliviam & Colon. ducit.

Comitem Eberſteinium in ejus oppido Bruck obſeſſum, cum ad deditionem coegiſſet incolumitate ipſi & ſuis promiſſa, contra fidem datam pluribus ex ejus militibus poſt deditionem cæſis, ipſum quoque poſt detentionem duorum dierum miſere trucidari permiſit, & oppida viciniora Holte & Diuxlag diripuit.

Admiralius Aragoniæ vicinis amicis multa damna dat & adimit.

Eberſteinius Comes contra fidem datam ab Hiſpanis necatur.

Inde progrediens ad Rheni ripam oppidum Rinberck Colonienſis Archiepiſcopi, quod jam ante ab Hiſpanis occupatum Hollandi morante in Gallia Alberto Archiduce in ſuam poteſtatem aſſeruerant, & præſidio proprio munitum eouſque tenebant; oppugnavit. Et initio quidem obſeſſi ſatis animi ad reſiſtendum præferebant, ſed cum fortuito à tormenti jaculo ignis delatis in locum ubi repoſitus fuerat pulvis nitratus, incendium ingens excitaſſet, quo præcipua turris concidit, & vicinam partem muri in ruinam traxit, ut facilis eſſet intro ingreſſus oppugnatoribus, pacti incolumitatem ſibi, & impedimentorum abducendorum libertatem deditionem fecerunt.

Rinbercham Hiſpani capiunt.

Atque ab eo oppido Hollandis ejectis navigatio quoque ea parte Rheni fuit interclüſa. Celerius autem quam putarat Rimbercha acquiſita, Admiralius ad Cliviæ Metropolim Veſaliam converſus, etiam ipſam, amicam licet, quinquaginta millibus talerorum, & magni pretii commeatu mulctavit, & infra Veſaliam, oppidis Burick, Rees, Emericæ

Veſalia cogitur ad dandum Hiſpanis commeatum.

ricæ

A.C.1598.

Hiſpani infra Veſaliam præſidia diſponunt.

Mauritius Auranius Hiſpanos à Duisberga pellit.

Hiſpani in ditionibus vicinorum amicorum hiberna ſumunt.

Germaniæ Principes commoventur contra Hiſpanos.

Germaniæ Principes conqueruntur apud Imperatorem contra Hiſpanos.

ricæ præſidio impoſuit : Dotechomium obſidione ad deditionem coëgit. Et demum tantis ejus progreſſibus excitati Hollandi, cum jam inde facilis illi ad vicina ipſorum oppida pateret aditus, Duisbergam (ſive Druſoburgum à Druſo conditum) oppugnanti copias ſuas cum Mauritio Duce oppoſuerunt, qui ab altera Rheni parte Caſtris ſe continens, ſatis habuit Hiſpanos ab ea oppugnatione recedere coëgiſſe; nec ad manus fuit ventum, ſed ingruente hyeme in hiberna utrinque ſunt digreſſi. Et Mauritius quidem cum ſuis in proprio ſolo ſe continuit: Sed Hiſpanus per omnem circum oram diverſorum Principum Imperii, eorumque amicorum, militi ſuo ſtationes diſtribuit, alimentaque ab incolis eorum locorum extorquenda permiſit. Quod vehementer commoverat viciniores quoque Germaniæ Principes, ac Moguntinus Elector indixerat Conventum Baccheraci Saxoniæ inferioris Ordinibus, in quo conſultabatur, quomodo tali Hiſpanorum licentiæ, qui Imperii fines temerè invaderent obviaretur. Vnde miſſa fuit ad Imperatorem eo nomine ab illo Conventu Legatio. Et cum nihilominus hujuſmodi querelæ negligerentur, ac graſſari non deſiſteret miles Hiſpanus, hibernaque continuaret in illis Germaniæ partibus, in apertum bellum eruperunt anno ſubſequenti, & etiam ſubſidia pro bello Vngarico indicta retardarunt.

Annus

Annus Chriſti, 1599.

Albertus Archidux cum Regina ſponſa diſcedit Mediolano.

ANni autem proximi Milleſimi, Quingenteſimi, Nonageſimi Noni, initia conſignarunt ludi feſtivi, quos continue Mediolanum præſentibus ibi toto hiberno tempore tantis ſponſis profuſo ſumptu edebat, & quibus Genua eoſdem Principes menſe Februario eo advenientes excepit. Vtrobique enim tanquam pro vera gloria, faſtu, & vana divitiarum ac ingenioſarum in exhibendis epulis & ſpectaculis inventionum jactatione certabatur. Inde autem ſolventes ſponſi decima octava Februarii littora maris Gallici attigerunt, & ubique humanius habiti, ſub finem Martii portum ptimum Hiſpaniæ littoris Valentiani Vineros ſeu Bimaros tenuerunt. Poſt paucos vero dies quieti datos Morviedam profecti, ibique ſacris Paſchæ diebus celebratis, ad decimam octavam Aprilis Valentiam, ubi Rex juvenis eorum adventum præſtolabatur, pervenerunt, ibidemque poſtridie utrumque par ſponſorum repetita conſenſus per procuratores nomine abſentium Ferrariæ præſtiti declaratione, & confirmatione, in præſentia Cardinalis Siviliæ, & Nuntii Apoſtolici, nuptiali lætitiæ, & conviviis integrum octiduum inſumpſerunt.

Valentia convenit Hiſpanus Rex venientem ſuam ſponſam.

Hiſpaniæ Rex confirmat conſenſum ſuum matrimonialem.

Hiſpaniæ Reginæ familiares externi, redire juſſi in Germaniam.

Sed externi qui cum Regina & Reginæ matre ex Germania venerant, non adeo laudarunt (ut plures ex eis referentes audivi) rerum affluentiam, & tenacius ipſis ſubminiſtrata fuiſſe itineris neceſſaria querebantur. Ac magis quod ſtatim familiares Reginæ fuerunt excluſi à ſuis officiis, & redire juſſi in Germaniam, etiam omnis chorus fœminarum, quem Nobilioribus Heroinis frequentem Regina adduxerat. Et priuſquam denuntiatum fuiſſet à Rege, ut Reginæ familiares officia ſua quæ gerebant dimitterent, Hiſpani contumelioſius aliquos ab exercitatione illorum officiorum protrudebant, ipſi ſe in ea ingerentes, ſibique non aliis ea deberi petulantius declamantes, Rege vel invito. Ipſa Archiduciſſa Reginæ mater propoſuerat quieſcere ibi tantiſper, donec calores æſtatis qui ibi ſunt vehementiores, ac externis non adſuetis, præſertim viatoribus periculoſiores, deferveſcerent.

Albertus Archidux cum Iſabella ſponſa redit ex Hiſpania.

Demum tamen ad reditum ſe compoſuit unà cum Archiduce Alberto ac Iſabella ejus conjuge in Belgium properantibus, Barcellonam à Rege & Regina comitata. Genuo autem digreſſi, ipſa Archiduciſſa Ticinum, ut inde inviſeret ſacram Ædem Lauretanam Beatæ Virginis Mariæ deflexit: At Albertus Archidux cum ſuo Comitatu per Mediolanum, ac inde per Helvetiam & Lotharingiam ad principium Septembris in Belgium pervenit, applaudentibus Belgis, qui eo conjugio ab Hiſpanica cuſtodia ſe liberari ſperabant.

Belgæ vetera privilegia ſibi confirmari petunt.

Sed fruſtra, nam indicto Conventu Bruxellis pro reddendo fidelitatis jurejurando præſenti jam Iſabellæ earum Provinciatum hæreditariæ Dominæ, cum in illo Ordines oppoſuiſſent, ita ſe juraturos, ſi Privilegia ſibi antiqua confirmarentur, peregrini à gubernatione Provinciarum, & à præſidiis munitionum removerentur, ac ſoli Belgæ ad hujuſmodi munia adhiberentur, reſponſum tulerunt, diverſam eſſe rationem temporum præſentium, à priſcis, quibus illa Privilegia Belgis dabantur: alium nunc Belgii ſtatum cerni, alios hoſtes, alia propugnacula impenſis Regis Hiſpaniæ extructa & conſervata, nec penitus Regem Hiſpaniæ hæreditati iſtarum Provinciarum, niſi in eventum quando procrearetur ex Iſabella ſoboles renuntiaſſe.

Belgæ jurant fidem Alberto & Iſabellæ.

Atque ad tale reſponſum conticuere omnes, ac jurabant fidem & ſubjectionem novis Principibus de Civitate in Civitatem triumphali apparatu tranſeuntibus. Prius autem quam Albertus Archidux ex Hiſpaniis rediiſſet, variis in Belgio curis æſtuavit Andreas Cardinalis ejus Vicarius, unà cum Admitalio Aragoniæ Franciſco Mendoza. Et

A.C. 1599.

Antverpiæ Hiſpanorum præſidium tumultuatur ob non ſoluta ſtipendia.

primo quidem ob difficulatem æris cum ſtipendia militaria non ſolverentur, præſidiatii graviter tumultuabantur, præſertim Antverpiæ ubi parum abfuit, quin vel Civitatem diripuerint, vel forte Civitatis incolæ neceſſitate adacti vim vi oppoſuiſſent. Sed Cardinalis eo celerius deſcendens, & conquiſita in fidem propriam pecunia, ſtipendiis ſolutis, milites inſolentiores exauthoravit, eamque tempeſtatem ſedavit. Exceperat quoque iſtum Cardinalem ibidem Antverpiæ major ſolicitudo, cum eo venientes Legati Provincialium Conciliorum Veſtphaliæ, & viciniorum Rheno Principum Germaniæ, acrius inſtarent pro abducendo ex eorum territoriis exercitu, & reſtituendis locis juris ſingularium Principum ab Admiralio proximo autumno interceptis. Acerbiores enim querelæ propterea in toto Imperio excitabantur, & etiam ipſum Imperatorem commoverant, ut & Cardinalem & Admiralium ſeverioribus literis admonuerit, ne diutius in illis Imperii locis exercitum detinerent, occupataque quam primum dimitterent. Quinimmo Germaniæ illi Ordines ac Principes actis Mildeburgi Comitiis exercitum conſcripſerant, quo injurias ſibi ab Hiſpanis illatas, vindicarent, & etiam talionem redderent eorum Provincias invadendo, commiſſa ea cura ac exercitus præfectura Comiti de Lippa, & Comiti ab Hollach.

Germaniæ Principum apud gubernatorem Belgii querelæ.

Germaniæ Principes contra Hiſpanos exercitum conſcribunt.

Hiſpani quare invaſerunt ditiones Principum vicinorum.

Nec eſt omittenda occaſio & cauſa, qua inducti Hiſpani illas regiones alienæ ditionis, infeſtis armis invaſerant. Et hæc fuit: Quod cum Martinus Schenkius occupaſſet Bercham (ſeu Rinbercham) ditionis Colonienſis, Erneſtus Bavarus Archiepiſcopus Colonienſis imploravit Hiſpanorum auxilia ad eam recuperandam: & cum ſub gubernatione Farneſii Carolus Mansfeldius eam ab Hollandis recuperaſſet, Hiſpani opportunitate loci delectati, ut quod ea parte Hollandos à Germaniæ commerciis & ſubſidiis inde petendis intercluderent, & navigatione Rheni privarent, eam fortiori præſidio munierunt, retinueruntque; ac quantumvis Archiepiſcopus Colonienſis ejus reſtitutionem in Hiſpania & Bruxellis urgeret, cauſati magnitudinem ſumptuum in ejus recuperatione impenſorum, in retinenda perſtiterunt. Quin & vectigalia nova ibi inſtituerunt, & non tantum hoſtibus, ſed & vicinis neutrarum partium navigationem Rheni & negotiationem in Belgio & Hollandia prohibuerunt. Mauritius itaque Alberto Archiduce Ambianenſi expeditione in Gallia occupato, Bercham hanc ab Hiſpanis recuperarat: & cum Colonienſis Archiepiſcopus cum Hollandis reſtitutionem ejus tractaret, conditione interpoſita, ne eo admitteretur præſidium Hiſpanorum, iſti veriti ne hujuſmodi pacto ab illa opportunitate intercludendi hoſtis à Dominatu Rheni privarentur, quaſi cauſam Electoris Colonienſis agerent, iterum eam vi ab Hollandis recuperarunt, & quo firmius ibi ſubſiſterent, magiſque Hollandos tenerent à Germania ſecluſos, longe plura ac potiora loca ab ea parte diverſorum Principum, ut Rees, Emeric, Veſſel, & magnam partem Cliviæ propriis præſidiis impoſitis munierunt. Nec alia ratione factum illud apud Imperatorem propterea offenſum excuſabant, niſi quod uſus belli ipſorum contra Hollandos illud requireret, & quod pro jure amicitiæ Imperium ea parte ab Hollandis protegerent: ſed exuti diverſi poſſeſſores propriis caſtris & poſſeſſionibus, prutimique alii viciniores hoſpitiis & hybernis inſolentioris ob non ſoluta ſtipendia militis Hiſpani nimium afflicti, mox graviores defenſores illos, quam hoſtes Hollandos ſenſerunt: Ac ſtatim ipſimet ab initio eos à ſuis cervicibus rejicere ſunt conati. Nunquam tamen ab eis liberari potuerunt, cum huсuſque omnia illa loca occupata Hiſpani obtineant, niſi unde ab Hollandis ſunt expulſi, in prædam & præmium victorum iiſdem locis jam concedentibus, & veris eorum Dominis ſpe recuperandi propria ſuſpenſis, ſi quando Hiſpano

Colonienſis Archiepiſcopus fruſtra repetit Rinbercham ab Hiſpanis.

cum

cum Hollandis pax firma ſit futura. Sed ut ad Cardinalem Andream redeamus, iſte non parum anxius quomodo offenſos illos confines Germanos placaret, exercitum ex illis partibus ut abduceret, Bommelium obſidere decreverat. Et præmiſſo Borlotio, qui Inſulæ partem Roſſumio pago, ubi Vahalis & Moſa coëunt, proximam occuparet, ipſe cum omnibus copiis mature adveniens illam Civitatem obſedit, non infelicibus principiis, cum Borlotius naviter partes ſuas in invadenda illa Inſula impleverit, & vicinum ibi propugnaculum Crevecour vi occuparit. Sed advolante Mauritio adverſo Vahali ſubvecto cum ſuis copiis, difficilior obſidio illa Hiſpanis eſſe cœpit, fortius enim à Mauritianis repreſſi, mox & commeatus penuria & inſtrumenti bellici defectu laborarunt.

A.C. 1599. Bommelium obſidere decernit Andreas Cardinalis.

Crevecour Hiſpani occupant.

Nec multo poſt allata fuit fama de adventante Germanorum exercitu verſus Rhenum ad ejiciendos inde Hiſpanos, & vindicanda loca ab ipſis ibi intercepta, ut proxime attigimus, eòque avocatus Cardinalis, ſolvere iſtam obſidionem cogebatur. Ne tamen fruſtranea illa fuiſſet, in capite ejus Inſulæ, qua gradum fixerat, munitiſſimum caſtrum excitari fecit, quod à ſuo nomine *San Andream* denominavit. Germani autem nihil mitigati Legatione ipſius, cum qua miſſus Ferdinandus Madrucius eos ad pacatiora conſilia invitabat, verſus Rinbergam exercitum promovebant, ſpe concepta, (præſertim tumultuantibus ibi tunc præſidiariis) de felici eventu. Sed vix tentata ejus oppugnatione, deflectentes Dotchomium cum Guilhelmo Naſſovio à Mauritio ſummiſſo, qui eum locum cum primis occupari volebat, illud ad deditionem coëgerunt, ac Hollandico præſidio muniri permiſerunt. Inde ad Rees cum divertiſſent, & obſidionem inſtituiſſent, una & altera obſeſſorum eruptione nonnihil divexati receſſerunt, majora damna perpeſſi ab erumpentibus Reenſibus, dum incauti non ſervatis Ordinibus abirent. Nec aliud præſtitit illa expeditio Hiſpanis ab initio formidoloſa, eò quod inter ejus Duces, præſertim Lippienſem Comitem ac Hollachium de ratione illius belli promovendi non ſatis conveniret, cum unus vellet, alter nollet conjungi cum Hollandis, quorum conſilium & opera plurimum eorum conatus adjuviſſet. Interim etiam ceſſationem armorum Rudolphus Imperator utrique parti indixerat, qui miſſo Archiduce Maximiliano fratre ad Electorem Palatinum Rheni, ad Ducem Virtembergenſem, & præcipuos alios illius fœderis Principes, effecit ut depoſitis armis eam controverſiam amice componi permiſerint, & toto eo negotio curæ Archiducis Maximiliani commiſſo, in eo res ſtetit, quod remoto omni milite Hiſpanico ab Imperii finibus, Caſtra, Oppida occupata ſingula ſingulis ſuis Dominis reſtituerentur, ea conditione, ne in eis reciperentur hoſtes Hollandi, & neutrarum partium illa confinia Imperii eſſent. Non omnia tamen fuerunt reſtituta, vel iterum ſunt intercepta, potioraque prope Rhenum hucuſque ab Hiſpanis detinentur. Sed utcunque primo impetu ita ſedato, totus ille Germanorum pro vindicando fundo proprio ardor deferbuit. Ac præſente jam Alberto Archiduce cum Iſabella in Belgio hæc tranſigebantur, Andreas enim Cardinalis initio Septembris adventantibus ex Hiſpania Principibus, Adminiſtrationis ſuæ munus renuntiarat, ac Conſtantiam ſtatim abierat.

Bommelii obſidionem ſolvunt Hiſpani.

Sanctum Andream propugnaculum Hiſpani exſtruunt.

Germaniæ Principum cum Hiſpanis concordia.

Andreas Cardinalis valedicit Belgio.

Nec aliud ſub illud tempus occurrit notabile in Belgio, præter ſummam æris penuriam, propter quam miles ubique tumultuans ob non ſoluta ſtipendia, nec tuto in validiora præſidia immitti, nec foris à prædis & latrociniis cohiberi potuit, quominus amicas ac neutrarum partium Provincias excurſionibus divexaret. Ludis tamen & ſpectaculis, quæ immenſo ſumptu toto eo tempore novis principibus omnes Provincias circumeuntibus exhibebantur, nullus ſplendor & apparatus magnificentior deerat.

Belgii militia tumultuantur ob non ſoluta ſtipendia.

A.C. 1599. Vicina autem Gallia tunc undique ſecura quieſcebat, de futura ſtatus ſui tranquillitate magis ſolicita. Rege enim ambiguo connubii nexu implicito, & eo à ſuſcipienda prole Regni hærede impedito, ſpes ambitioſorum ad nova, eaque turbulenta conſilia erigi videbantur. Vnde maturiores conſiliarii urgere non deſiſtebant, ut Rex examinatis prioris ſui conjugii dubiis, de altero firmiori, ac ex eo prole ſuſcipienda ſerio cogitaret. Nupſerat autem ei primum Margarita Valeſia nepos Franciſci I. ex filio Henrico II. & ſoror Caroli IX. & Henrici III. Regis Galliæ tertio conſanguinitatis (Henricum IV. genuit Margaritæ ſororis Franciſci I. Galliæ Regis filia Ioanna Labretana, unica hæres Regni Navarræ, cum qua ſibi nupta Antonius Condæus Pater Henrici IV. obtinuerat illud Regnum, ſeu Bearniam cum titulo Regni Navarræ Margaritam vero iſtam uxorem Henrici IV. genuit filius Franciſci I. Regis Galliæ Henricus II. Galliæ Rex, idemque Pater Caroli IX. & Henrici III. Galliæ Regis) gradu ipſi conjuncta, non tantum non concedente ſeu non diſpenſante Summo Pontifice, ſed etiam impendiente illud matrimonium, conſulto ad hoc miſſo Legato ſuo Cardinali Alexandrino, ut alias attigimus. Ac proptetea irritus ille contractus reputabatur, niſi confirmaretur à Summo Pontifice, & novo ſponſorum conſenſu. Nec ſatis inter ſe conſentiebant ſponſi illi ſtatim ab initio matrimonio, ac à pluribus annis mutuo repudio diſſociati vivebant. Re itaque Summi Pontificis judicio permiſſâ, cum ſponſa ſe à Catherina Medicea matre & Carolo IX. Rege fratre coactam nupſiſſe, ac multo minus ad præſens alicui novo contractui ſe aſſenſuram ajeret, Rex quoque conjugem quam ſterilem eſſe noverat non curaret, & Pontifex invitos conjungere non poſſet, declarato illo contractu ob impedimentum evidens conſanguinitatis invalido, facta fuit poteſtas Regi alia connubia ineundi.

Henrici IV. Galliæ Regis prima uxor Margarita ſterilis.

Henrici IV. Galliæ Regis primi matrimonii impedimenta.

Henrico IV. Galliæ Regi datur facultas aliam uxorem ducendi.

Nec multo poſt inchoati tractatus pro conjungenda ipſi Maria Medicea (filia Franciſci Magni Ducis Hetruriæ ex Ioanna filia Ferdinandi I. Imperatoris prima ejus uxore) feliciter coaluerunt, ad ſubſequentem annum pompa ſponſaliorum & conducendæ in Gallam iſtius ſponſæ dilata. Sub finem vero hujus anni Dux Sabaudiæ colloquium Henrici Regis Galliæ expetierat, & in Galliam veniens, ab eo ſummo honore exceptus, reſtitutionem Marchionatus Saluſſii tractavit, quam tum ſtabilitam, cum poſtea mutato conſilio dubiam haberet ipſemet Sabaudus, ſopitum jam bellum iterum concitavit, ut in anno proximo attingemus.

Maria Medicea deſponſatur Henrico IV. Galliæ Regi.

Sabaudiæ Dux venit ad Regem Galliæ Henricum IV.

Eodem anno in Gallia Parlamentum Pariſienſe publicari fecit decretum Regium circa Religionum diſſidentium concordiam in triginta articulos digeſtum. Inter quos præter eos, quos alio loco ſupra adnotavimus, erant præcipui: *Quod Amneſtia præteritorum omnibus conceſſa, vindictæ quævis ac exprobrationes eſſent prohibitæ.*

Parlamenti Pariſienſis Decretum circa Religionis diverſæ pacem.

Catholicæ Religionis uſus ubique in Regno inſtaurari deberet, & Templa, loca, decimæ Eccleſiis debitæ reſtituendæ eſſent. Quæ in locis Eccleſiaſticis Catholicis diſſidentes ædificaverint, ut Eccleſiaſtici æqua æſtimatione ſolvant, vel pretium fundi juſtum accipiant: quæ vero in munitiones arcium vel Vrbium ceſſerant, ſine mandato Regis deſtrui vel repeti non deberent.

Nobilibus qui jus gladii haberent, in bonis ſuis liber eſſet uſus ſuæ Religionis: iis vero qui jus gladii non habent, pro ipſis & ſuis familiis tantum.

Pariſiis & circum intra quinque milliaria diſſidentibus exercitia Religionis ſuæ publica interdicta eſſent, ſalva libertate conſcientiæ cuique, & in exercitu ſolis Præfectis militiæ, idque extra hoſpitii Regii.

Quod diebus feſtis ab Eccleſia Catholica Romana celebrari ſolitis, à laboribus & ope-

operibus mechanicis quæ extra ædes audiuntur diſſidentes abſtinere deberent. Libri nonniſi Catholici imprimi, & divendi publice poſſint, præterquam in locis ubi diverſæ Religionis liberum eſſet exercitium. A.C.1599.

Quod in matrimoniis contrahendis gradus conſanguinitatis & affinitatis ab Eccleſia Catholica Romana deſignatos agnoſcerent, & obſervare tenerentur diſſidentes, & decimas Eccleſiis ſolvere.

Quod Cemeteria ſeu loca ſepulturæ aſſignanda eſſent diſſidentibus.

Quod in Academiis, Collegiis, Hoſpitalibus ſuſcipi deberent quicunque ſine reſpectu Religionis, præſtito jurejurando ſolito, idque in Dei nomine tantum, non Sanctorum.

Si quis exhæredatur Religiônis cauſa, ut irritum haberetur.

Ad dignitates & officia quævis ut pateret aditus diverſæ Religionis perſonis, dummodo jusjurandum præſtarent de fideliter obeundo officio ſuo.

Modus etiam adminiſtrandæ diſſidentibus juſtitiæ eſſet præſcriptus, non diſſimilis expreſſo ſupra alio loco.

Proceſſus omnes, decreta judiciaria, alienationes, venditiones Religionis cauſa factæ, ut eſſent relaxatæ, ita quod exinde fiſco illata bona, propriis Dominis, vel eorum hæredibus reddi deberent. Condemnatique ob Religionem tempore belli, vel in exilium pulſi, ac eorum liberi in integrum eſſent reſtituti.

De pecunia Regia vel publica quicquid alterutra pars accepit durantibus tumultibus, ab ejus reſtitutione ut eſſet libera.

Ab accuſatione de fœderibus initis cum exteris ſub tumultu bellico, arcium, templorum demolitionibus uſque à morte Henrici II. *Regis factis, diſſidentes cenſerentur abſoluti, dummodo renuntiaret poſthac hujuſmodi fœderibus intra & extra Regnum faciendis, & militem præter voluntatem Regis non colligerent. Omnes prædæ in iſtis bellis mari vel terra captæ, poſſeſſoribus eſſent addictæ quæ vero quis præter belli diſciplinam, privata authoritate rapuit, ea jure poſſent repeti.*

Omnia etiam edicta iſti præſenti contraria abolerentur, & omnes Præfecti judiciorum ſe iſta obſervaturos jurarent.

Atque tali moderatione placati tunc diſſidentes, aliquantum quieverunt. Sed non multo poſt viribus & animis aucti, majora ſemper uſurpare, & à Regibus extorquere non deſtiterunt, ut ſuis locis conſtabit.

In Vngaria autem hoc anno nihil ſingularius accidit, præter excurſiones fortuna variante cum Turcis & Tartatis à præſidio Strigonienſi & Caniſienſi commiſſas. Tentavit etiam Szuartzembergius ſemel & iterum ut Budam occuparet, & demum & Peſtam, ſed omnes ejus conatus in irritum ceſſerunt: præterquam quod Baſſa Budenſis, dum ſpeculaturus advenientes Cæſarianos cum paucis ſuis incautus ultra unum milliare à Buda prodiiſſet, ab ipſis in inſidiis latitantibus fuit captus, & Viennam vinctus deductus. Inſtituti quoque tractatus de pace Strigonii, cum Turcæ inter alias conditiones reſtitui ſibi Strigonium in commutationem Agriæ poſtularent, & Cæſariani hoc renuerent, re infecta fuerunt ſoluti. Et major cura Imperatoris ad Tranſilvaniam de manibus Batoreorum extorquendam fuit converſa: cum enim jam Sigiſmundus Batoreus Princeps Tranſilvaniæ pacto de ea Imperatori dimittenda inito renuntiaſſet, & totam illam Provinciam præter Varadinum in ſuum obſequium recepiſſet, nonniſi aperta vi inde deturbari poſſe videbatur. Vnde Imperator fortiores exercitus ſui legiones cum Georgio Baſta eo converterat, & ſpecioſorum titulorum ſpe Michaëlem Palatinum Valachiæ in ſuas partes traxerat, ut conjunctis cum Baſta viribus Batoreos expugnaret. Nec tam vires ad reſiſtendum Sigiſmundo Batoreo, quam animus & conſilium deerat, tot enim mutationibus turbatus, quid agerèt fluctuabat, & nunc liberalioribus (quod

Budam fruſtra tentant Cæſariani.

Budenſis Baſſa captus.

Turcæ conditio pro pace facienda.

Bator Sigiſmundus Tranſilvaniam recuperat.

Georg. Baſta mittitur ad ejiciendum Batoreum ex Tranſilvania.

 præ-

A.C. 1599.

Batorei Sigiſmundi inconſtantia.

præter Opoliam ac Ratiboriam addiceretur ejus uſui Trebnicenſis in Moravia Principatus, ac duplicaretur penſio pecuniaria annua ipſi in primis pactis ſtipulata) promiſſis illectus, iterum cum Imperatore in gratiam redite, nunc in retinenda pro ſe & ſua proſapia Tranſilvania perſiſtere nitebatur. Ac tandem cum agnati ejus Batorei illum juri in Tranſilvaniæ Principatu, toti familiæ Batoreæ quæſito præjudicare non poſſe probarent, & Ordines Tranſilvaniæ ſe invitos privato ſolius Principis arbitio dominatui alieno ſubjici acerbius ferrent, palamque omni ipſius abdicationi contradicerent, niſi forte pertæſus curarum publicarum moleſtiæ aliquem ex Batoreis, cui ſucceſſio in eodem Principatu æquiori jure deberetur, in locum ſuum ſufficeret, omiſſo quem cum Imperatore per Legatos ſuos iterum inſtituerat de pace tractatu, patrueli ſuo Andreæ Cardinali Batoreo illum Principatum tradere decrevit, & ad eum mutato habitu cum paucis Comitibus per Poloniam Varmiam (eum Epiſcopatum tunc habebat ille Cardinalis) profectus, omne negotium de dimittenda ipſi Tranſilvania certis poſſeſſionibus ad alimenta ſua reſervatis tranſegit. Itaque Cardinalis nihil moratus, paucis in confiniis Poloniæ in tam arcto tempore collectis copiis, in Tranſilvaniam ivit, receptuſque ibi ab omnibus Ordinibus, ſummo applauſu Princeps Tranſilvaniæ fuit renuntiatus. Ac ſtatim miſit literas ad Imperatorem, quibus ipſi ſucceſſionis ſuæ in eo Principatu jus legitimum, & Sigiſmundi Principis cum eo concordiam in præjudicium Batoreorum prætentatam irritam eſſe repræſentavit, eumque deprecabatur ne erroneæ omnique rectæ rationi, tam evidenter repugnanti Sigiſmundi Principis ceſſioni inhæreret, ſed obſequiis ſuis amicis contentus eſſet. Scripſerat & ad Georgium Baſta, ut arma contra Turcam hoſtem communem æquiori jure convertenda, ab effundendo ſanguine Chriſtiano cohiberet, uſque dum pacatioribus mediis controverſia illa ſopiritur. Sed Imperator nihilo placatior factus, mandavit Georgio Baſta ut Tranſilvaniam conjuncta cum Michaële Palatino Valachiæ opera vi occuparet, Batoreoſque inde ejiceret. Et cum Cardinalis arma armis tam infeſtis opponeret, ac diverſis conflictibus utrumque Ducem Imperatoris repreſſiſſet, miſſus fuit ad ipſum Germanicus Malaſpina Epiſcopus Sancti Severi, Nuntius Apoſtolicus, eodem munere nuper in Polonia non ſine nota vafri perſunctus, (in ejus nomen luſerunt Poloni tali joco: *Nunquam erit bona ſpina, licet mittatur de Roma*) qui ea occaſione favorem, Imperatoris, & per eum dignitatem Cardinalitiam promereri cupiens, nihil non egit quo Cardinalem Andream ſupplantaret. Quod & perfecit: nam inſtituto de pace colloquio, & commeans ultro citroque ad Duces Cæſarianos quaſi eorum arma ſiſteret, Cardinali perſuaſit, ut nil hoſtile metueret, exercitumque dimitteret, aſſeverans Cæſarianos quoque idem facturos juſſu ſuo, cujus arbitrio Imperator commiſerit (ille ut ajebat) illud negotium dirimendum.

Bator Sigiſm. Andreæ Cardinali fratri cedit Principatum Tranſilvaniæ.

Bator Cardinalis in Tranſilvaniam tranſit.

Bator Cardinalis ad Imperatorem ſcribit de ſuo adventu in Tranſil.

Rudolph Imperat. contra Cardinalem Bator exercitum mittit.

Malaſpina Nuntius Apoſtolicus ad Cardinalem mittitur.

Malaſpinæ dolus.

Sed mox Cardinalis malo ſuo ſenſit ſpeciem illam tractandæ pacis à Malaſpina doloſe fuiſſe compoſitam: nam ut primum ſuas copias dimiſit, & præſertim Polonicas, in quibus licet numero paucioribus præcipuum erat robur, Michaël triginta millia Valachorum cum aliquot cohortibus Germanorum à Georgio Baſta ſibi ſummiſſis adduxit prope Sibinium, ubi tunc Cardinalem hærentem Malaſpina ſpe conciliandæ pacis morabatur. Regio omnis circa Sibinium & gens frequens ejus oppida & vicos inhabitans denominatur Saxonica: Germani enim ſunt, quondam ab Hunnis Germaniam bello divexantibus coloniæ ex captivis Germanis eo deductæ, & tanta fœcunditate propagatæ, quod non ſolum in illa regione, ſed pæne in tota Tranſilvania meliora loca

Michael Palatinus Valach. Cardin. Bator perſequitur.

Sibinium in Tranſil. colonia ex Germanis.

Germanorum in Tranſilvania colonia.

A.C. 1599.

loca impleverint, & Civitates inſigniores conſtruxerint. Similes coloniæ ex captivis Germanis inveniuntur plures etiam in Moldavia circa Kutnariam: immo & in Polonica Ruſſia circa Præmiſlienſem & Sanocenſem tractum innumeri pagi inhabitantur à Germanis, quos eadem ſors belli eo compulit, & retinent idioma ac morum hucuſque genuinum Germanum. Nec ſupererat Andreæ Cardinali tam inopinata belli neceſſitate coanguſtato, & demiſſo milite omni præſidio deſtituto, niſi quod requiſivit fidem datam à Malaſpina, qui inſcium ſe ejus novitatis præſeferens, quaſi prohibiturus conflictum ad Michaëlem ivit, nec amplius ad Cardinalem reverſus, ibi eventum prælii expectavit.

Germanorum in Moldavia & Ruſſia Pol. coloniæ.

Commiſſo autem prælio, cum Cardinalis cum ſuis repente multitudine hoſtium oppreſſus, vix manum conſerere valuerit, ſtatim in fugam coactus, comitatus à ſeptem familiaribus Polonis viarum ignaris, dum per devia oberrat, à Satellitibus Michaëlis deprehenſus, capite truncatur. Caput præciſum haſtæ infixum allatum ſibi Michaël, impoſitum diſco ſtatim Malaſpinæ miſit, munus ferale tantæ fraudis architecto gratiſſimum: cujus iſte lineamenta manu pictoris exprimi, ac Imperatori tranſmitti curavit. Ac ad nuntium talis cladis Viennæ Archidux Matthias triumphos majores, quam ſi ad Iaurinum Sinan Baſſam cecidiſſet, tormentorum concitato ingenti boatu, & publicis lætitiæ aditis ſignis, ac in templis Hymno gratiarum actionis ſolenni ritu decantato celebravit, Michaëliſque Legatos tantæ gloriæ præcones Pragam ad Imperatorem contendentes aureis monilibus donavit. Sigiſmundus Batoreus Princeps in Polonia interim degebat; in Tranſilvania autem ex Batoreis ſolus remanſerat Iſthuan Batori, in cujus nomen Huſta, Vivarum & alia munitiora loca tenebantur. Sed cum tempus vires inſtaurandi non haberet, à Georgio Baſta Somlii obſidione conſtrictus, incolumitatem ſibi traditione illorum locorum paciſci debuit. Proceres vero nonnullos qui à partibus Batoreorum ſtabant, Michaël capite plecti juſſit, alios in vincula conjecit, & reliqui territi obſequium Imperatori jurarunt. Atque ita intra paucos dies tota Tranſilvania in poteſtatem Imperatoris tunc conceſſit, ſed non diu in ea duravit, ut ſubſequentia tempora docebunt. Malaſpina quoque non eum fructum ſui artificii recepit quem ſpetabat: Romam enim ut venit à Clemente PP. VIII ea omnia non probari, ſed indigne accipi ſenſit, ſtatimque abire juſſus ab Aula Pontificis ad ſuum Epiſcopatum, concepto inde mœrore contabuit, ac in brevi deceſſit. Nec Michaël multum exultavit illo facinore: cum enim ex pacto deberet retinere Adminiſtrationem Tranſilvaniæ pulſis Batoreis, poſtquam iſtud perfecit, & omnia loca Tranſilvaniæ exturbatis præſidiis Batorianis poſſedit, Georgius Baſta eo invito, & querelas, datumque promiſſum nec quicquam opponente, ejus præſidiis ejectis omnia illa loca Cæſareo milite munivit. Quin & Valachiæ Palatinatum mox amiſit Michael: nam dum in Tranſilvania moratur, Hieremias Moldaviæ Palatinus ope Polonorum & Turcarum ipſi infenſorum introduxit fratrem ſuum Simeonem in Valachicum Principatum, quem Michael recuperare contendens, à Polonis iterato prælio ſuperatus, in Tranſilvania demum à Georgio Baſta prœmium navatæ Imperatori contra Batoreos operæ recepit, miſerabiliter interemptus, ut ſuo tempore conſtabit.

Bator Cardinalis prælio vincitur & occiditur.

Bator Cardinalis caput mittitur Malaſpinæ in diſco.

Michaëlis Palatini Valach. legati ad Imperatorem.

Tranſil. oppida multa in nomen Iſtuan Bator jurant.

Michaël Pal. Tranſilvanos opprimit.

Michaël Palatinus Tranſilvanos opprimit.

Malaſpina malum præmium recipit pro opera contra Card. Batoreum.

Georg. Baſta Michaëlem Palatinum ex Tranſilvania ejicit.

Michaël Palatinus amittit etiam Valachiam.

Sub finem iſtius anni auſpicatus eſt Clemens PP. VIII feſtivitatem proximi Iubilæi, ſive gratioſi denominati, primævis temporibus Centeſimo quoquo anno celebrari ſoliti, poſtea reducti in quinquageſimum, & demum ad vigeſimum quintum. Iſte in centeſimum incidens, uti genuinus majori populorum alacritate

Iubilæi Sancti feſtivitas inchoatur Romæ.

A.C. 1599. fuit celebratus. Ad eum itaque ipſo die Feſto Aſcenſionis Chriſti iſtius anni ex ritu Eccleſiæ à Summo Pontifice denuntiatum, dimiſſis per univerſum orbem Chriſtianum literis, Papa omnes Chriſti fideles invitaverat, & in magno populorum ad Vrbem concurſu pridie ſeu in Vigilia Natalis Chriſti iſtiuſmet anni ab hora Veſperarum ejus ſolemnitatem inchoavit. Fuit Romæ præſens, & ſpectavi totam illius ſacri actus introductionem talem: Pontifex ex ſuis ædibus ad Capellam Paulinam Palatii Vaticani cum Cardinalibus & Epiſcopis, quorum magnus erat numerus, ac cum Oratoribus Regum & Principum deſcendens, ibi in genua cotam Sanctiſſimo Sacramento precationibus aliquibus enuntiatis, intonuit Hymnum *Veni Creator Spiritus*. Cereum accenſum ipſe & adſtantes ſinguli tenentes: & eo cantato cum univerſo præſertium cœtu, ipſe in ſella geſtaroria ſublimis habitu & mitra pretioſa Pontificali redimitus, per gradus Palatii ad veſtibulum Templi Divi Petri deſcendit, ac fixo greſſu ante portam Sanctam ſive Auream denominatam (occluſis manentibus omnibus aliis ejuſdem Templi januis, & iſta Sancta muro obſerata) depoſitus è ſua ſella, pedes acceſſit ad limen portæ, ibique Cereum accenſum manu tenens, & conſidens mitratus in loco ad hoc parato, Cardinalium ac Epiſcoporum ſuper Cancellos hinc inde ſubſtructos ſedentium corona circumſeptus, malleo argenteo inaurato percuſſit murum, quo obſtructa erat Porta ſancta, occinens clara voce: *Aperite mihi portam juſtitiæ*. eique reſpondentibus Cantoribus: *Ingreſſus in eam Confitebor Domino*. Et iterans malleo ictum, dixit: *Introibo in domum tuam Domine*, replicantibus Cantoribus, *Adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo*. Tertio demum pulſavit ajens: *Aperite portas quoniam Dominus nobiſcum eſt*. Choro perſequente: *Qui fecit virtutem in Iſraël*. Tunc tradito malleo Summo Pœnitentiario, mitra depoſita recitavit precationem: *Actiones noſtras Domine aſpirando præveni*. Et ea dicta iterum conſidens legit Pſalm. 99. *Iubilate Deo omnis terra*. Interim fabri demoliebantur murum portæ. Et cum fuit aperta, Pontifex mitra depoſita eam ſubivit enuntians verſus, *Hac eſt dies quam fecit Dominus*. Cui reſpondebant Cantores: *Exultemus & lætemur in ea*. Et iterum: *Beatus populus tuus Domine*. ℟. *Qui fecit tabernaculum*. verſ. *Hac eſt porta Domini*: ℟. *Iuſti intrabunt in eam*. Deinde ſubjunxit precationem: *Deus, qui per Moyſen famulum tuum populo Iſraëlitico annum Iubilæi & remiſſionis inſtituiſti, concede nobis famulis tuis, annum Iubilæi hujus tua authoritate inſtitutum, quo portam hanc populo tuo ad preces tua Majeſtati offerendas ingredienti ſolenniter aperiri voluiſti, feliciter inchoare, ut in eo venia & indulgentia plena remiſſionis omnium delictorum obtenta, quum dies vocationis noſtra advenerit, ad cœleſtem gloriam perfruendam, tua miſericordia auxilio perducamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* Tum Pœnitentiarii S. Petri aqua luſtrali aſpergebant adſtantes, & decantato Hymno *Te Deum laudamus*, Pontifex ſella eadem ſublatus, ad Altare SS. Petri & Pauli tranſivit, ac dictis aliquibus precibus, thronum Pontificalem aſcendit, choro Cantorum Veſperas decantante. Vt autem Pontifex cum Cardinalibus & Epiſcopis Portam ſanctam tranſierat, populus irruens omnia cæmenta dejectæ portæ diripuit, quiſque Religionis ergo aliquid ex illis domum referre contendens; & quod Pontifex cum portam obſtruit, cæmento illi obſtruendæ portæ parato, numiſmata ſua argentea, & nonnulla aurea ingerere ſoleat, quæ deinde in aperienda illa porta, in illis glebis & ruderibus lucri avidi quærunt. Aperta porta apud S. Petrum, ad Baſilicas S. Mariæ Majoris, S. Ioannis in Laterano, S. Pauli extra portam Oſtienſem, Cardinales titulos earum gerentes iverant, & ibi portas ſimiles ſanctas eodem ritu aperierunt. Atque tali ſolemnitate Iubilæum inchoatum

Iubilæi Sancti inchoationis ceremonia.

A.C. 1599.

tum maximo populorum concurſu celebrari in fine iſtius anni incepit.

Suecia rebellio in apertum prorumpit contra Sigiſmundum Regem.

Carolus ſævit in Suecos Sigiſmundo Regi addictos.

Nec aliud ſingularius in iſto anno incidit, præter Sueticam rebellionem, quæ eousque nonnihil ſimulata, tandem rejecto omni reſpectu in apertum prorupit. Statim enim poſt diſceſſum è Suecia Sigiſmundi Regis, Carolus Dux Stocholmia & Calmaria vi capta, ut ſupra attigimus, crudelius ſæviit in plures Nobiliores Suecos qui Regi adhæſerant ibi deprehenſos, & omnia jura Regia ſibi ipſi palam uſurpavit. Indixerat etiam Comitia Stocholmiæ, & in eis omia quæ apud Calmariam egiſſet, ab Ordinibus approbari, communibuſque ſtudiis defendi poſtulavit; inquiens neceſſitatem ſibi impoſitam fuiſſe recuperandæ Calmariæ, inde quòd Rex Sigiſmundus contra pacta Linocopienſia militem externum non dimiſerat, & eo Calmariam contra Privilegia Suecica munierat, nunquam reſtituendam Regno Sueciæ, niſi hoc modo fuiſſet recepta. Poſtea deliberandum propoſuit de Filandia & Eſtonia, quæ eouſque Sigiſmundo Regi fideliter adhærebant, nec volebant adjungi rebellioni Sueticæ, & fecit ſanciri decretum, quod armis ad obſequium reduci deberent: contra Archiepiſcopum Vpſalienſem, & alios in carceres conjectos, quaſi tumultuum in Regno cauſa fuiſſent, ſed verius quod Sigiſmundo faverent, proceſſus Iudiciarios inſtitui voluit, & pœnis legum, præſertim Abtogenſis Conventus eos damnari. Omnes enim quotquot vel ex leviſſima conjectura favere Sigiſmundo Regi ſuſpicabatur, criminis turbatorum Reipublicæ inſimulatos ad carcerem trahi, & immanius trucidari, bona ipſorum fiſco applicari, Familias eorum è Regno proſcribi faciebat, & perpetuo per totum Regnum talem carnificinam exercebat, ut nullus hiſcere contra ipſius dicta vel facta amplius auderet, niſi ſimul de vita, bonis, liberiſque periclitari vellet. Nec jam ſatis erat ipſius placitis non contradixiſſe, niſi & præveniret quiſque voto ſuo deſideria ipſius; omnia enim ad perficiendam defectionem conſilia cum ipſemet fabricaſſet, ea tamen ita reputari volebat, ac ſi non à ſe, ſed ab omnium Ordinum communi conſulto fuiſſent profecta. Vnde cum in iiſdem Comitiis quaſi dubius quæſtionem inſtituiſſet, quid expectandum eſſet à Sigiſmundo Rege, qui ad literas eorum Linocopiæ datas nihil reſponderet, anne obedientia illi præſtanda eſſet, qui Regni curam nullam haberet? certatim omnes (quod ab ipſo deſiderati ſciebant) Regem Sigiſmundum Regno abdicarunt, renuntiantes jurijurando & fidei qua hactenus ei obligabantur. non excluſo tamen à ſpe ſucceſſionis Regni Vladiſlao ejus filio ſi intra ſemeſtre in Regnum veniret, & in Religione, ac legibus Sueticis inſtrueretur. Nempe oſtentatam ad ſpeciem erga prolem Regiam propenſionem ἀδυνάτων conditione adjecta reſtrinxerunt.

Suecia Comitia Stocholmiæ.

Sueci Sigiſm. Regem abdicant Regno Sueciæ.

Vladiſlaum Sigiſmundi Regis filium Sueci non excludunt à ſucceſſione Regni.

Nec ſtatim univerſum, ſed per partes jus Sigiſmundi Regis in Sueciæ ſucceſſione abrogabant, ut ſimularent non eorum malevolentia abolitum, ſed ipſiuſmet cunctatione derelictum fuiſſe: quod phaleratis verbis conſtructum, typis aſſidue divulgabant, apud omnes Germaniæ Principes, culpam ſuam, non rogati, excuſationibus & innocentiæ pallio obvelantes.

Carolus Suderm. ſtabilit ſuam poteſtatem in Regno Sueciæ.

In eiſdem Comitiis Carolus Dux plura alia communi conſulto decerni fecerat, quibus ſuam poteſtatem ſtabiliret, ut quod conceſſa fuerunt ipſi majora impenſarum ſubſidia, quibus gradum ſuum tueretur: maxime contra inſidiatores a quibus vitam ſuam peti querebatur: ut profugi è Regno, quaſi illi à foris hoſtilia Regno molirentur (eos denotabat qui morabantur apud Sigiſmundum Regem) bonis privarentur, & eorum Familliæ è Regno ejicerentur, niſi intra certum tempus redirent, & cauſam abſentiæ ſuæ in Iudicio dicerent. Lubecenſibus quoque ni reſtituerent retentas quaſdam naves Sueticas, commer-

A.C.1599.

merciorum in Suecia libertas fuit interdicta. Et his ita peractis nil moratus contra Finones Claſſem duxit, cui occurrens Alexius Korck cum claſſe Finonica partium Sigiſmundi Regis, poſtquam dubium certamen diutius ſuſtinuiſſet, & ipſum Carolum in periculum vitæ pænè induxiſſet, ſuperante Caroli fortuna, ad ultimum ſuccubuit Wiburgum retrocedere coactus. Inde Carolus terreſtri itinere diſtributis in diverſa copiis tranſiens, neminemque qui reſiſtere auderet amplius reperiens, facile totam eam Provinciam Narwam uſque ad confinia Moſchoviæ, & omne obvium in ſuam poteſtatem redegit. Narwa àdverſo flumine Claſſe venientem cum applauſu recepit. Helſingforſæ, Wiburgi, munitiſſimis oppidis, præſidia Germanorum à Sigiſmundo Rege collocata, oppidani ipſimet Gaſparo Tiſenhaus & Guilhelmo Farensbach eorum Præfectis in vincula conjectis, oppreſſerunt, & ſe Carolo dediderunt. Arx Abovienſis aliquantum à Ioanne Flamingio & Arvido Erici fuit defenſa, ſed hæc etiam ad deditionem fuit coacta, cum nulla auxilia ſperare poſſet: & omnes qui ſe oppoſuerant Carolo non ſolum in arce, ſed in aliis quoque locis comprehenſi, ſupplicio capitis fuerunt affecti. Sola Revalia, quo plures Finones cum uxoribus confugerant, ac tota Eſtonia in fide Sigiſmundi Regis, tunc adhuc perſeverabat, & ad Legationem Caroli, qua illos monuerat ne à corpore Regni Sueciæ ſeſe avellerent, fidem Sigiſmundo Regi datam mutare ſe non poſſe reſponderat. Vi etiam tunc Carolus contra eam Civitatem omnibus bello neceſſariis munitam, præſertim hyeme ingruente: proficere nil potuit: ſed celebrato Conventu Aboviæ cum Finonibus, menſe Novembre in Sueciam rediit. In tantis autem Caroli progreſſibus Rex Sigiſmundus ex aſſueta cunctatione ſua nil remiſit, & moras trahens, nulla remedia parari curavit, quibus hoſtem reprimeret, vel ſaltem ſervaret ab internecione reſiduos in Suecia ſibi fideles, donec illis abſumptis, & Revalia in ordinem redacta, anno inſequenti, audacia Caroli in Livoniam Poloniæ Provinciam illata, etiam in Regno Poloniæ ipſum Sigiſmundum perſequi non deſtitit, ut paulo poſt dicemus.

Carolus Suder. in Filandia navale prælium.

Abou Arcis præſidium deditionem facit.

Revalia in fide Sigiſmundi Regis perſiſtit.

Sigiſmundi Regis cunctatio.

Peſtis hoc anno violentior Poloniam pænè totam divexavit, propter quam & funebris pompa defunctæ Reginæ Annæ Auſtriacæ differebatur ultra unum annum; & cum ea nihilominus non deſineret, nec diutius expectare vellet mater Reginæ defunctæ Maria Archiduciſſa, quæ ſtudio ad perſolvenda filiæ iſti ſuæ juſta venerat in Poloniam, per vicos & Oppida & ipſam Civitatem Cracoviam totam iſto malo infectam, cum ſummo diſcrimine comitantium illud funus conductum in Capella Iagellonia Pontificalis Eccleſiæ Arcis Cracovienſis fuit depoſitum. Arcebatur ſeverioribus verberibus ab apparitoribus populus contagioſus, ne conducentium Ordini ſe immiſceret; intanta tamen turba vix evitari potuit contractus infectorum, & plures ex familia Aulica periculum contagionis non effugerunt. Ipſe Rex uſque ad templum Arcis comitatus funus, brevi compendio ſacris lugubribus expeditis, propere Lobzoviam ſtatim à templo receſſerat.

Polonia peſte gravi affligitur.

Anna Regina Polonæ funebris pompa.

Maria Archiduciſſa Stirienſis in Poloniam venit.

Annus Chriſti, 1600.

ANni Mileſimi, Sexcenteſimi Iubilæi feſtivitas, ut diximus, maxima ſolennitate à Clemente Papa VIII initiata, effuſis omnium Chriſtiani orbis populorum ſtudiis continuabatur. Ad eam enim celebrandam concurrebat Romam toto iſto anno ex omni gente pæne innumera hominum multitudo, & tanta alacritate frequentabat loca Vrbis ſacra, certatimque

à Roma-

A.C. 1600.

Romæ concurſus populorum ad Iubileum.

à Romanis & advenis exercebantur pietatis officia, ut non pauci religionis adverſæ fama tantæ Religionis excitati Romam venerint, & quæ domi audita opinabantur minus credibilia, ſuis oculis ſpectarunt.

Romanorum hoſpitalitas erga peregrinos.

Cum primis autem admirationem omnibus movebat, Pontificis, Cardinalium, & Nobilium Romanorum, profuſa liberalitas in excipiendis pauperibus peregrinis, quorum 5 millia, & quandoque 6 & amplius millia in ſolo hoſpitali SS. Trinitatis uno die conveniebant, eiſque cibus ac potus ad ſatietatem cujuſque apponebatur, tum & lecti mollirer ſtrati ad quietem nocturnam apparabantur. Cardinalis Alexandri Peretti de Monte alto nuncupati Sixti V Papæ nepotis præcipue enituit magnanimitas in ſuppeditantis illi hoſpitali SS. Trinitatis ad tantas expenſas ſumptibus, qui majori parte ex ipſius peculio conſtabant: licet alii quoque opulentiores Romani eo non paucas Eleemoſynas conferrent, præter alia Xenodochia, & pauperum Monachorum loca, in quibus eleemoſynis ſimilibus magnus advenarum numerus alebatur. Ipſe etiam Summus Pontifex quotidie ducenros, & non raro trecentos pauperes in Palatio ſuo victu ſuſtentabat, & eleemoſynis ſublevabat. Et pro Epiſcopis externis pauperioribus, quorum plurimi ex Aſia, Syria, Africa, & aliis longinquis infidelium regionibus viſebantur, ſingulare Prytaneum ſeu hoſpitium inſtrui fecerat in vico Vrbis denominato *Burgo di S. Pietro*: ubi ejus impenſis quiſque talis uno menſe vivere poterat. Et præter hæc Vrbis plateas & templa aſſidue implebant agmina ſodalitiorum numeroſa, aliqua triſti habitus ſqualore, aliqua ſcapulas ſuas diris cædendo flagellis, diverſaque diverſis pœnitentium ſignis execrationem ſuorum reatuum demonſtrantia, quorum aſpectu plures ex adverſa Religione advenæ permori, deteſtabantur impoſturas ſuorum pſeudodoctorum, qui mores Cleri Romani falſo criminari, & carpere in uſu habent, & nonnulli ex illis ad finem Catholicam exinde convertebantur: præſertim ex Genevenſibus non ignobilis Magiſter Calviniani erroris Arnoldus Martini.

Heretici non pauci Romæ converſi ad fidem.

Radzivil Cardinalis Romæ moritur.

Polonis Romæ infauſtus fuit iſte annus, ibi enim ipſo ejus initio II die menſis Ianuarii Georgius Radziwil Cardinalis Epiſcopus Cracovienſis, ætatis ſuæ quinquageſimo tertio anno febri maligna correptus interiit, ſummo omnium non ſolum nationalium, ſed Vrbis totius dolore. Excellebat enim ille Princeps moribus tanta ſuavitate, gravitate temperata compoſitis, ut facile quoſque prima converſatione vel colloquio in amorem & reverentiam ſui traheret. Deſperatum jam à Medicis viſitaverat ipſemet Clemens Papa in Palatio, quod ex conducto ſub monte Quirinali inhabitabat, & intuitus florem juventutis Polonæ moribundo cum fletu adſtantem, ipſe quoque à lachrymis temperare non potuit, ac omnibus vice Cardinalis paternum patrocinium promiſit. Funus ejus delatum fuit ad Templum Nominis IESU iſtius Societatis. Nec multos poſt dies menſe Februario eadem lethi vi cogente ſequutus eſt eum Hieronymus Rozrazewski Epiſcopus Vladiſlavienſis prope ſeptuagenatius, qui etiam æquè generis claritate ac maturioris prudentiæ, quam longo rerum uſu quæſierat laude, magnam nomini ſuo comparaverat exiſtimationem, ac ſingularius devinxerat ſibi favorem Summi Pontificis adhuc in Polonia navata ipſi opera pro eliberando Archiduce Maximiliano tunc ibi captivo. Vnde mortuo Radzivilio Cardinale, illum Pontifex voluerat creare Cardinalem, niſi mox obiiſſet ex quartana diuturniore.

Rozrazevius Epiſcopus Vladiſlavienſis Romæ obiit.

Quantumvis autem tunc Roma & tota Eccleſia Catholica agendis feſtis vacaret, & omnis Chriſtianus orbis anno hoc Iubilæo cum ab operibus, tum magis à bellico ſtrepitu feriari debuerit; tamen ſub id tempus ubique pæne majori animorum contentione arma tractabantur. Et ut ab illis incipiamus, qui priores tunc claſſicum cecinerunt.

Mauri-

A.C. 1600.

Mauritius Auranius Vachtenduncum capit.

Mauritius Hollandorum Dux cognito per exploratores, quod præſidiarii Vachtendunco oppido Geldriæ munitiſſimo prædarum in Colonienſem tractum prodierant, menſe Ianuario eò Ludovicum Naſſovium cum expeditiori militum manu miſit, qui hyemis beneficio adjutus, cum loca paludinoſa qua hoſtis minus periculum exſpectabat glacie concreta pertranſiiſſet, primo impetu Oppidum ipſum cepit, ac demum & Arcem; cujus præfectus commeatu & ſufficienti præſidio deſtitutus, vulneteque accepto deditionem fecerat. Maxime autem res Hiſpanorum in Belgio tunc infirmæ erant ob defectum pecuniæ: unde cum militibus ſtipendia debita ſtato tempore non ſolverentur, varia diſſenſionum & ſeceſſionum materia proveniebat, nec tuto illis arces ac loca munitiora cuſtodienda committi poterant, vel opera illorum in arduis adhiberi, ne concitato majori tumultu ſpe veniæ deſperata ad hoſtem tranſirent. Atque hanc opportunitatem ſibi utilem Hollandi ſtudioſius tractabant, & ex tumultuantibus militibus plures corrumpebant, ut tanto magis inſoleſcerent, alerentque ſeditiones, vel ipſis Hollandis pro pretio arces traderent, ut ſucceſſit mox. Mauritius enim eam rei benegerendæ occaſionem nactus, celerius collectis ſuis copiis ad Crevecouriam Sylvæducenſis agri præcipuum propugnaculum ad Moſam 20 die Martii proceſſit, ibique expoſitus priuſquam oppugnationum inchoaret, cum deditionem miſſo tubicine requiſiiſſet, præſidiarii tumultuum & rebellionis ſibi conſcii, corrupti inſuper pecunia à Mauritio ſibi ſummiſſa, deditionem fecerunt, & fere omnes præſtito fidelitatis jurejurando in militiam Hollandorum tranſierunt; præter paucos qui illis à San Andreano caſtro in ſubſidium venerant, & eo redire ſunt permiſſi. Inde movit Mauritius ad San Andreanum caſtrum in Inſula Bommelienſi nuper à Cardinali Andrea ingenti ſumptu excitatum, natura loci, aquis Moſæ & Vachalis ibi confluentibus, ac operis artis militaris munitiſſimum, maximo autem incommodum Hollandis, ut quod Bommelio, & pæne viſceribus Hollandiæ immineret. Eo itaque converſus Dux Mauritius, aggeribus diſruptis omnem ad caſtrum illud aditum aquarum circumquaque in undatione interclusit, & ita facile Ludovicum Velaſco ac Barlottam cum ſubſidiis eò venientes rejecit. Nec tamen obſeſſos tam cito ad deditionem cogere potuiſſet, commeatu omni ad diuturniorem obſidionem probe inſtructos, unde alio compendio accelerandum ratus, ſtipendiorum retentorum ſolutionem, ſi ſe dederent, eis obtulit. Et menſe Majo poſt paucos tractatus, cum illi ſtipendia ſua quingentis nummorum aureorum communium millibus computarent, numeratis centum & viginti nummorum aureorum millibus cum eis tranſegit, Caſtrumque illud deditione accepit, unà cum machinis æneis, & commeatu ac inſtrumento bellico, cujus æſtimatio 300000 aureorum ſummam æquabat, & pæne omnes præſidiarios illos in ſua caſtra militaturos recepit, cum ad Archiducis Alberti ditiones poſt talem proditionem reverti non auderent, ac tantò fideliorem poſtea Hollandis operam navarunt, quod mallent potius mori in bello, quam incidere in manus Hiſpanorum. Tantis autem victoriæ primitiis animatus Mauritius, majora aggreditur, & auctum exercitum cum copioſo apparatu bellico navibus impoſuit, tranſmiſitque in Flandriam: ac vigeſima tertia Iunii prope vicum Aſſene & Saſſum portum Gandavenſem littus occupavit.

Hiſpani in Belgio defectu ſtipendiorum militarum damna ſentiunt.

Hollandi tumultuantes Hiſpanicos milites ad ſe trahunt.

Sanctum-Andreanum propugnaculum capit Mauritius.

Mauritius Auranius in Flandriam exercitum trajicit.

Inde Brugas prætergrediens, Audeborgum & Santalbertum, & nonnulla minora Caſtella exturbatis metu tam inopinati adventus ſui defenſoribus intercepit, ac Nouportum contendens, ibi caſtra ad inſtituendam oppugnationem poſuit. Claſſem autem cum reliquo in ea milite circumnavigare juſſerat Aſſena ad littus ab Oſtenda Nouporto proximum. At Archidux Albertus tum Bruxellis cum Ordinibus Provinciarum ſibi ſubjectarum congregatis, agitabat conſilia de conſervatione

Nouportum obſidet Mauritius.

ſervatione ſtatus ſui, & cumprimis de exſolvendis ſtipendiis militi tumultuanti, cum ex Hiſpania præter ſtatutam penſionem in ſingulos menſes ducentorum quinquaginta millium nummorum aureorum expectari amplius nil poſſet, & vectigalia conſueta Belgica privatis Principum ſumptibus ſuppeditandis ægrè ſufficerent, non quod ex iis neceſſaria belli, & ſtipendia militi provideri deberent. Tanto magis quòd ab antecedentibus Principibus magnis debitorum & penſionum annuarum oneribus fuerint gravata. Quas deliberationes a menſe Aprili euſque renitentiores ad nomen novi tributi Belgæ dum trahunt, audito demum hoſtis in Flandriam adventu, certatim ad comparanda Archiduci pro eo inde depellendo auxilia concurrere cœperunt. Maximus enim invalerat omnes timor, ne Mauritius Nouporto intercepto (quod illi ſucceſſiſſet, ſi valuiſſet operas munitionum ad obſidionem continuandam inchoatas perficere) oram Flandriæ maritimam infeſtiorem redderet. Archiduci etiam non levis ſpes affulſiſſe inde videbatur rei bene gerendæ contra hoſtem, quem in ſolo alieno, vel ad naves cum damno & turpitudine fugæ compellere, vel intercipere non difficile fuiſſet, intercluſo itinere Oſtendano, quo unicus ipſi laboranti patebat receptus. Summa itaque feſtinatione militem ex præſidiis deduci; ac Gandavum confluere juſſerat Archidux. Seditioſos quoque milites in quibus præcipuum erat robur, obteſtationibus, ne ſua obſtinatione in tam ancipiti ſtatu Flandriam proderent; ſtipendia autem tantò certius ſibi ſolvenda fore non dubitarent, Comes Soranus & Auguſtinus Herrera Præfectus Gandavenſis induxerat, ut ad illud bellum cum Archiduce exirent. Ipſe Archidux una cum uxore Iſabella Gandavum mox profectus, ibi in proximo ad Langenburgam exercitum menſe Iulio recenſuit centum quadraginta quatuor ſigna peditum, & viginti turmas equitum, ipſamet Iſabella milites ad fortitudinem cohortante. Qua Gandavum reverſa, Archidux Brugas proceſſit, ac inde Audeburgum, ubi Præſidiarii à Mauritio relicti, needum de neceſſariis ad ſuſtinendam defenſionem proviſi deditionem fecerunt, pacta ſibi incolumitate, ac dimiſſi Oſtendam ſalvi evaſerunt. Simili neceſſitate coacti Snaſchercani ſe dediderunt, licet data ipſis fides incolumitatis fuerit violata ab Hiſpanicis, quaſi pactionis ignaris.

A.C. 1600.

Albertus Archidux expeditionem parat contra Mauritium.

Tanta autem celeritate Archidux promovebat verſus hoſtem, ut adventus ſui famam ubique prævenerit, & Mauritium obſidione Nouporti occupatum pæne concluſerit, quo minus in apertum campum ubi aciem commode inſtrueret, prodire, & copias ex diverſis ſtationibus colligere valeret. Verum ille re cognita, tanto majori velocitate ac induſtria proſpiciens rebus ſuis, relicta obſidione Nouporti, exercitum mox contractis, ac deſidentibus aquis vado ipſemet umbilico tenus antecedens eum traduxit verſus Midelchercam: nempe obviam hoſti, qui illac deſcendebat, ut ſimul itinera Oſtendana interciperet, ac Hollandicos conſtrictos undique teneret, unico refugio ad naves ipſis relicto. Quam tamen neceſſitatem Mauritius in virtutem convertit, & etiam claſſe à littore recedere juſſa, ut nullus ad eam fugientibus aditus pateret, milites cohortatus eò loci jam eos omnes eſſe, unde nonniſi victores evadere, nec ullam ſalutis ſpem niſi in fortitudine ſua reponere poſſent, ad fortiter pugnandum firmavit. Auxerant etiam deſperationem ipſius militibus aquæ, quas tranſnataverant refluxu maris intumeſcentes in tantum, ut acies inſtructæ in proximos arenarum cumulos fuerint ſubducendæ. Sed maximè coarctabatuur celeriori appropinquantis hoſtis inceſſu, ac veritus ne præveniretur, priuſquam omnem militem ex vadoſis eduxiſſet, opportunumque locum pugnæ cepiſſet, & ex arte atque ordine militari ſingula diſpoſuiſſet, præmiſerat Erneſtum Naſſovium verſus Leffingam cum una legione Anglorum peditum, & quatuor turmis equitum, ad remorandum tranſitus hoſtis non infelici

Mauritius Auranius audito adventu Alb. relinquit Nouportum.

Mauritius Auranius redit Midelchercam.

Hollandorum legiones apud Leffingam diſtinent Hiſp. ſed cæduntur.

A.C. 1600. ſucceſſu: licet enim quingenti ex illis fuerint cæſi, & inter eos plures inſigniores militiæ Præfecti, ex Anglis Arturus Stuartus, Robertus Barclæus, Andreas Muracus, Ioannes Chipericus, Ioannes Strachanus, Hugo Hisbethius, & ex Zelandis Turquius Valranus, Lagrappius Giſtellus; profuit tamen ipſi tale damnum, quod aliquanta conflictus illius mora commodavit illi tempus neceſſaria pugnæ ordinandi. Ac quod majus, illa victoriæ illecebra Hiſpani elati, periculum contemnebant, & quaſi in illa legione profligata, præcipuum fuiſſet Mauritii robur (ut erat) debellatum conclamantes, quantumvis ab itinere & à labore feſſi, pertinacius ferebantur ad locum prælii, quem hoſtis elegerat, ac diſpoſuerat ſibi opportunum. In ipſa ripa maris Boreali extenderat ille ſuas copias, obverſo contra Solem & ventum tergo, & in littore congerie arenarum aſſurgente aliqua tormenta, ac in media acie alia collocarat, Claſſiariiſque mandaverat, ut ad conſpectum pugnæ littori propius adnantes, ex obliquo jacula tormentorum in Hiſpanos dirigerent. Nec deerant inter Hiſpanos peritiores belli Duces, præſertim Franciſcus Mendoſa Admiralius Aragoniæ, & Gaſpar Sapena ac alii, qui ſuadebant prælio tum abſtinendum, ſed paulatim hoſtem conſtringendum, donec commeatus, & præſertim pabuli equorum penuria, ſi non in naves ſuas ad fugam, certe ad iniquiorem certaminis locum tranſire cogeretur; ſed prævaluit eorum ſententia, qui poſt illum priorem apud Leffingam congreſſum hoſtem formidine repletum, & Ordines perturbatos ægrè trahentem, celeritate & alacritate militum avidius pugnam expoſcentium facilè confici poſſe ajebant. Appropinquantibus autem Hiſpanis, iterum Mauritius mille quingentos equites objecerat, qui ſimulato quaſi certamen inirent, Hiſpanis irruentibus, eò uſque cedebant, donec illos pertraxerunt ſub ictus tormentorum ab ea parte diſpoſitorum. Tunc itaque concurrenre utraque acie acerrimè certabatur ad duas horas eventu dubio: immo jam prima acies Mauritii, Præfecto ejus Franciſco Veerio ſaucio è prælio elato, inclinare cœperat; tamen accurrente eò tempeſtivè Horatio Veerio & Ludovico Naſſovio cum auxiliis, majoribus animis pugnam inſtauravit. Hiſpani quoque licet jaculis tormentorum Mauritianorum peterentur, immoti tamen nihil de ardore ſuo pugnantes remittebant, & à valido irruentium Mauritianorum impetu nonnihil impulſi, nihilominus ordines pugnando retinebant, donec Horarius Veerius circumducto equitatu in Hiſpanicum equitatum, qui dextrum ſuorum latus obſervabat, ex obliquo invectus, ipſum disjecit, ac illa in peditatus deſtitutos equitum præſidio irruens, ordines eorum turbavit, aliique Mauritiani eos ita confuſos adorti à fronte magna ſtrage edita omnes diſſiparunt. Vltima etiam acies Mauririi laborantibus ſuis ad ripam maris (ibi tormenta à Mauritio collocata Hiſpani jam occupare cœperant) ut primum ſubvenit, exceptos ab altero latere Hiſpanos cum Gaſparo Sapena Duce fudit, & in fugam vertit. Extrema agmina Hiſpanorum in quibus ipſe Archidux erat diutius pugnam ſuſtinuerunt; Mauritiani tamen eos ab utroque latere interclusos tandem diſſipârunt, in fugam effuſos magna cæde ſternentes, plurimos vincientes niſi qui ſunt ſalvati beneficio noctis, ad quam conflictus duravit. Ipſe Archidux vix evaſit, jam enim eum in maxilla vulneratum aliquis habenis equi cui inſidebat apprehenſis captivum trahebat, ſed accurrens alius atque alius ex ejus ſtipatoribus, & in cædem ſe objiciens, ſua morte ſpatium ipſi elabendi fecit. Franciſcus Mendoza Admiralius Aragoniæ ferocientibus militibus opera unius Hiſpani qui Hollandis militabat ægrè ereptus, adhuc durante conflictu, ad Mauritium fuit adductus, & cuſtodiæ traditus, ac octuaginta ex Hiſpanis ac Italis & Belgis ſunt capti inſigniores militiæ Præfecti, vel majoribus bellicis officiis antea perfuncti.

Hiſpani temerè prælium ineunt.

Mauritius Auranius opportuno loco aciem inſtruit.

Hiſpani cum Hollandis prælium committunt.

Hiſpani vincuntur prælio ab Hollandis.

Albertus Archidux vulnus accipit in facie.

Aragoniæ Admiralis capitur.

Præci-

A.C.1600.

Præcipui autem erant inter captivos Didacus Idiaques, Franciſcus de Avila, Ioannes Navartus, Petrus de Montenigro, Franciſcus Guevara, Petrus Velaſcus, Antonius Mendoza, Didacus de Zuniga, Franciſcus de Torres, Magii duo, Ioannes Gambellota, Stanga, Hieronymus Roius, Curtius Grevellius, domeſtici quoque plures, & pueri nobiles Archiducis fuerunt capti, ſed ſine lytro à Mauritio dimiſſi. Ex primis Ducibus belli Comes Soranus, & Gaſpar Sapena vivi capti, ſed ex vulneribus paulo poſt obierunt.

Inter cæſos Nobiliores Didacus de Torres, Conſalvus Spinola, Alphonſus Garcana, Gaſpar Logioſa, Garcia & Roderic. Tolet. Lupus Zapata, Ludovicus Faſardus reperti: centuriones peditum Hiſpani 31. Itali 4. & Belgæ aliquot perierunt: ex equitatu Archiducis vix 200. cum equis evaſerunt, & pauci Ordinum ductores non faucii. Ex Mauritianis autem deſiderati ſunt tres Equitum Præfecti, Contelarius, Hamiltonius, Bernardus, & centuriones peditum 11. ex quo facile conjici poteſt, quanti gregarii utrinque ceciderint: ſed in univerſum Archiducales numerabantur novem millia, ex Mauritianis pauciores, niſi cæſi quoque in primo illo ad Leffingam congreſſu adnumerentur. Sed cruenta quidem, Mauritio tamen ceſſit victoria, una cum præda & ſpoliis opimis, quæ inſequenti die Oſtendam pompa triumphali unà cum centum ſignis militaribus hoſti ereptis fuerunt deportata. Archidux cum quatuor vel quinque Comitibus multo itinere ea nocte emenſo, illuceſcente die ex fuga alios collegit, & Brugas ac inde Gandavum conceſſit, durantibus tunc adhuc Comitiis Belgarum Bruxellis, qui excidi ea clade, majoribus ſtudiis auxilia ad tale bellum conferenda decreverunt. Colligebantur magna celeritate diſperſi ex ea pugna milites, & ex præſidiis remotioribus acciti plures cum Berloto (ex barbitonſore iſte in Ducem militiæ celebrem evaſerat) mittebantur confeſtim Nouportum. Eo enim Oſtenda redierat Mauritius, præferendo quod oppugnationem illius loci proſequi vellet: ſed magis ut exploraret animos Belgarum, quorum multos ad ſuas partes tranſituros credebat, eaque ſpe in Flandriam venerat, ac ſtatim adveniens ſparſerat per Provinciam literas ſuum adventum pro defendendis Flandrorum libertatibus ſuſceptum (ut ajebat) annuntians, & eos ad ſuam ſocietatem invitans: alioquin ad obſidionem diuturniorem alicujus loci non ſatis inſtructus, nec in mari ad conducend alicui oppugnationi neceſſaria facilem commoditatem habens. Proximè enim Fridericus Spinola Sluſam cum valida claſſe Genua venerat, illudque mare infeſtum tenebat: & menſe Iunio claſſis illa Sluſa egreſſa, viginti naves ſupellectili Caſtrenſi ab Hollandis ad uſum Mauritii oneratas emiſſas interceperat. Fruſtra vero defectionem Flandrorum expectari, nec aliquid aliud operæ pretii ſe ibi efficere poſſe advertens ille, non inchoata oppugnatione Nouportum reliquit, & Caſtello Sanalberto ſolo æquari juſſo, ac Berlotto qui ejus abeuntis terga carpebat, cæſo, Oſtendæ navibus impoſitus menſe Auguſto in Hollandiam rediit, mactus exiſtimatione ex victoria illius prælii inter pauca celebriora memorabilis.

Oſtendam deducuntur ſpolia ex Hiſpania.

Belgæ territi clade Nouportenſi auxilia contribuunt.

Berlotus celebris Dux militaris ex Barbitonſore.

Mauritius Auranius ſollicitat Belgas ad defectionem.

Fridericus Spinola in auxilium Hiſpanis Genua venit.

Berlotus caditur.

Nec aliud ſingulare hoc anno in Belgio accidit, niſi quod ad tractationem pacis cum Hollandis Bergopſomum Flandri Archiduci ſubjecti legatos miſerant: ſed inſtituto colloquio, cum Hollandi dicerent ſe facilè compoſituros pacem Bergas cum Belgis vicinis & conſanguineis ſuis, dummodo illi expellerent prius Hiſpanos, cum quibus nulla firmæ pacis ratio iniri poſſet, Legati Flandriæ ea conditione deterriti intermiſſo longiori colloquio Bruxellas redierant. Miſerat & Imperator. Rudolphus Legatos ſuos, qui eam tractationem pacis promoverent, & ſimul loca in Clivia ab Hollandis occupata repeterent: ſed iſti poſtquam exploſa fuit eo modo ſpes pacis, ſolius Embricenſis oppidi reſtitutionem ea vice obtinuerant.

Bergopſomi tractatur pax à Belgis cum Hollandis.

A.C. 1600. *Duellum Galli cum Brabante.*

Recenſetur etiam inter geſta in Belgio hoc anno, duellum Briautei Galli unius turmæ equitum apud Hollandos ductoris, cum Gerardo Abrahami Vicario Antonii à Grobendonc Tribuni equitum Sylveducenſis: ſed merito obliterandum eſſet, vel nonniſi execrandæ memoriæ nota ſignandum propter deteſtabilem immanitatem, qua illi invicem ſævierunt. Cum enim viceni cum vicenis pugnaſſent, & ex Hollandicis aliis cæſis, aliis in fugam diſperſis, ſolus Briauteus, poſtquam Gerardum ejuſque fratrem occiderat, graviter ſaucius humi jaceret, quindecim Brabanti Grobendonciani pugnæ ſani ſuperſtites eum unum trucidare non erubuerunt, nec quicquam victum ſe fatentem, ac etiam armis viribuſque amiſſis, jam impar fuiſſe duellum obteſtantem, quaſi non pro fortitudinis gloria, ſed pro feritatis prænomine pugnaſſent.

Sed ut ad vicinam Belgio Galliam tranſeamus, poſtquam induciæ trium menſium à Rege Henrico conceſſæ Duci Sabaudiæ, ut interim declararet, pactiſne Lugduni nuper ſancitis ſtaret, & Marchionatum Saluſſii Galliæ Regno reſtitueret, prætererant, ac ille fretus auxiliis ab Hiſpano Rege & Comite Fontano Mediolani gubernatore ſibi promiſſis, declarationem in hoc ſuam palam facere de die in diem differret, cunctatione tali apertum bellum in ſuas ditiones celerius quam putarat adduxit. Nempè quod induciis illis ad alios duos menſes à Rege prorogatis, & iterum denuntiatione belli ad æſtatem adultam dilata, ſicque totius æſtatis tempore gerendo bello opportuno extracto, eò anno nihil ſibi grave metuendum judicabat, præter leviores Gallorum excurſiones, & pro anno proximo vires & copias quibus rationes ſuas propugnaret ab Hiſpano Rege ſibi non defuturas ſperabat: Atque ita locis munitioribus finitimis præſidia firmiora non providit. Sed Rex Henricus moras illas arte componi, eiſque ſibi illudi judicans, offenſiori animo vindictam & neceſſaria bello tempeſtive paravetat: & poſt induciarum tempus elapſum, ſcripto edito, quod Dux eſſet cauſa belli, qui juſtæ pactioni reſtitutionis Saluſſii ſtare negligeret, cum ille adhuc ad pacatiora media nil flecteretur, ſtatim bipartito exercitu, ditiones Sabaudicas invaſit. Bironius Mariſchallus Franciæ cum parte copiarum Breſſam, Aldigerius gubernator Delphinatus in Sabaudiam ad Monmilianum conceſſerat, ipſe verò Rex ultimo cum reliquis copiis verſus Chamberiacum ſubſequebatur. Et Bironius quidem Breſſæ (quæ eſt territorium triginta milliaria longum, decem autem latum, citra Alpes Galliæ conjunctum) propugnaculum præcipuum Burgam, ea nocte quæ diem decimum Auguſti & ultimum induciarum Duci præſtitutum ſubſequebatur, nil tam cito hoſtile Sabaudis expectantibus, ſcalis applicatis, & petarda portæ admota, occupavit, uno tantum milite ex ſuis deſiderato. Arcem tamen expugnatu non tam facilem, ut quæ munitioribus Galliæ locis comparari poſſit, occluſo circumquaque ad eam aditu obſidione coarctavit. Aldigerius verò Monmelianum ſub finem Auguſti adveniens, Oppidum à præſidiatiis in arcem ſecedentibus derelictum ſtatim cepit. Eſt autem illud Oppidum inter celebriora Sabaudiæ loca non poſtremum, præſertim ob arcem magnitudine ipſum oppidum æquantem, & natura loci, ac ſtructura valli, foſſarum, propugnaculorum munitiſſimam, eoque communi opinione inexpugnabilem, cum nec cuniculis ſuffodi, nec ſcalis admotis invadi, neque machinarum fulminibus concuti poſſe. Quare licet Aldigerius jam Oppidum in poteſtate haberet, arcis tamen potiundæ ſpe gravius diſtinebatur, donec ipſe Rex adveniens majoribus viribus eam oppugnavit. Prius tamen Rex Aldigerio circa obſidionem illius Arcis Monmilianæ manente, Chamberiacum aggredi voluit, ut qua Civitate primaria & Parlamenti Sabaudiæ ſede ſubjugata, ampla territoria ipſi ſubjecta acquiſiturus eſſet. Et quidem Civitas ipſa ad

Henricus IV Galliæ Rex Sabaudiæ Duci bellum infert.

Bironius Breſſam capit.

Monmelianum Aldigerius obſidet.

Chamberiacum Henricus IV Rex capit.

A.C. 1600.

ad primum Regis adventum deditionem fecit: ſed arcis præſidarii aliquantum reſtiterunt, donec videntes oppugnationem ſerio promoveri, pacti inducias octo dierum intra quos ſubſidium à Duce expectarent, eo nuſquam comparente, arce ceſſerunt. Inde Rex movit Conflantium, quod etiam præſidiarii vix inchoata oppugnatione dediderunt, ac eorum exemplum ſequuti ſunt cuſtodes Miolanrii: quam tamen Arcem inter prærupta Alpium, in altiſſima rupe ſitam hoſtilis vis haud ita facilè offendere poterat, ſi modo à militibus, non adeò ignavis cuſtodita fuiſſet. Carbonariam reſiſtentem admotis machinis Rex concuti juſſit, & ad deditionem coëgit; conceſſo, ut præſidiarii cum vexillis explicatis, ac cum armis, & impedimentis ſuis abirent. Sed magis de Monmiliano ſolicitus, quod eouſque Aldigerius parvo profectu obſidebat, eo ipſemet cum expeditioribus copiis conceſſit, & explorato circumquaque quod Arx in plano ſita, & arduis præcelſiſque rupibus undique clauſa à nulla parte machinarum ictibus peti poſſet, niſi ab uno montium, ſed nimium prærupto, & inacceſſo, præſertim ducendis jumentorum labore machinis, legioni peditum Helvetiorum aliquot vini dolia obtulit, ſi eò tormenta neceſſaria manibus traherent. Illi ergo hilari contentione operi accincti intra paucas horas aſpera aſcenſus ſuperarunt, & lacertorum vi ſubductas machinarum moles ſeptem in vertice montis collocarunt, nihil minus quam inde periculum obſeſſis expectantibus, cum alioquin ſine ullo diſcrimine aditum illius montis prohibere potuiſſent. Vnde iſti videntes præter ſpem ſuam occupatum fuiſſe illum montem, diffidere ſibi cœperunt, & petitis quinque dierum induciis cum ſuo Præfecto Brandiſio in hoc conſenſerunt, quod ſi intra unum menſem Dux ipſis non ſubveniret, cum omnibus impedimentis ſuis arce dedita ſalvi abirent, & interim unum centurionem nuntiaturum Duci tale pactum liberè mitterent. Atque ita nullo auxilio intra menſem comparente, decima ſexta die novembris arcem munitiſſimam præter ſpem & omnium opinionem Rex obtinuit. Ac inde Aldigerio Muſtierſii ad territorium Tarantaſienſe occupandum dimiſſo, Sancatharinum contendit, ubi jam Sancius oppugnationem inchoarat, adjuvantibus Genevenſibus, quorum maximè intererat, arcem illam ſuis confiniis infeſtam expugnari. Nec diſſimilem fortunæ applauſum ibi quoque Rex habuit; nam poſtquam paucis diebus vehementioribus machinarum fulminibus arcem quaſſaſſet, præſidiarii decem dierum pactis induciis, cum nullum illis durantibus ſubſidium ſibi advenire viderent, armati cum vexillis, & tertia parte tormentorum, quæ ibi erant, abire permiſſi arcem dediderunt. Collegerat Dux Sabaudiæ aliquantam manum, ut ſubveniret primum Monmiliano, poſtea Sancatharino, ſed nivibus ingentibus tranſitu impedito, eoque pabuli equorum inveniendi facultate adempta, retrocedere eſt coactus, majori ſpe repoſita in Pontifice Summo, cujus opem pro cohibendo illo bello, quod totius Italiæ pacem turbaturum erat, omnes Italiæ Principes ſtudioſius implorabant. Immo jam in formula pacis inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges factæ, qua etiam Sabaudus comprehendebatur, cautum fuerat, quod controverſias illa pace non ſublatas inter Ducem Sabaudiæ & Henricum Regem, intra annum ipſe Pontifex arbitrio ſuo decidere deberet. Sed anno elapſo, ille longius ſpatium ad deliberandum poſtularat, ac etiam eo finito, cum neutrum offendere cuperet, utrumque admonuerat, ut amice inter ſe conſentirent. Et nec ſic re ſopita, excitus demum tanto belli exinde profecti incendio, illam curam rurſus aſſumendo expedivit in Galliam Petrum Aldobrandinum, Cardinalem, nepotem ſuum cum authoritate Legati à Latere, qui primum Taurinum divertens Duci Sabaudiæ perſuaſit, ut Legatos ſuos Franciſcum Arconatum, & Renatum Luſingium plenaria poteſtate ad tractandam pacem inſtru-

Henricus IV Galliæ Rex Momelianum ipſe venit & capit.

Sancatharinum oppugnat hic Galliæ & capit.

Clemens VIII PP. Legatum mittit ad tractandam pacem inter Galliæ Regem & Sabaudum.

A.C. 1600. inſtructos miſerit, eoſque Cardinalis in ſuo comitatu ducens, ad Regem in caſtris tunc propè Chamberiacum morantem venit, ſummo honore exceptus, ut etiam teſſeram militarem Præfecti vigilum ab ipſo petere & accipere debuerint. Pacis tamen ibi concordia tractari non potuit, Rege properante ad viſendam ſuam ſponſam Lugdunum, quò & Cardinalis invitatus ſequebatur. Interim autem dum Lugduni de conciliando pace deliberatur, Genevenſes permittente Rege, Sancatharinum ſolo æquavetant, quod Cardinalis adeò acerbè tulit, ut omnem tractationem pacis abruperit: demumque cum adverteret Regem eſſe propenſiorem ad bellum, & ſedulo arma apparare, per veredarios Pontifici re annuntiata iterum tractatum pacis inchoavit, ac tandem Lutetiæ concluſit ea lege, quod Dux Sabaudiæ Marchionatum Saluſſii retineret, & pro eò Regi traderet territorium Breſſanum, ac valles Bangianam & Veroneam cum omnibus locis, Rodanum & Savonum fluvios interjacentibus: ſeu quicquid Dux ultra Alpes confine Galliæ habebat, Regi traderet: Saluſſium autem cis Alpes in viſceribus Sabaudiæ ſitum retineret; ac ſimul aditus omnis in Italiam Regi fuit ademptus, quod quandoque ſibi dux Nivernenſis Mantuani Principatus ſpectans ſucceſſionem, & Regi ſi aliquando in Italiam tranſiturus eſſet, incommodum futurum præmonebat. Tamen & Sabaudus moleſtius eas conditiones pacis audivit, ſed colloquio cum Cardinali ex Gallia redeunte habito mitigatus, illas approbavit. Et quod diximus de ſponſa Regis Henrici in Galliam conducta, iverat menſe Septembre hujus anni Rogerius Bellegardius Regis Legatus Florentiam, ubi principio menſis Octobris Duce Mantuano & Cardinali Aldobrandino (dum iret ea in Galliam) præſentibus, Regi ſuo Mariam Mediceam Franciſci Magni Ducis Hetruriæ filiam deſponſavit in ſumma celebritate, & ſplendidiſſimo epularum, ludorum, ſpectaculorum comicorum apparatu. Ac medio Octobre Livornum deducta ſponſa à Ferdinando ſuo patruo Magno Duce, inde comitata à Duciſſa Mantuana & Florentina, 17 triremibus verſus Maſſiliam vehebatur. Et quidem reflatu ventorum præpedita, aliquot dies ſubſtiterat in anchoris propè Genuam, ſed tranquillitate maris reddita, felici curſu portum Maſſiliæ tenuit, in quo à Cancellario Galliæ & Nobiliorum Gallorum in ejus occurſum magnis agminibus effuſis, pompa Regali fuit excepta. Inde progrediens, non minori magnificentia Avinionem intravit, & itinere continuato Lugdunum pervenit; quo Rex ex Caſtris à Chamberiaco cum paucis advolans, a cœna euntem inopinatus oſculo ſalutavit, ac poſt paucos dies menſe Decembre, nuptiæ ibidem fuetunt celebratæ, non minori ſplendore quam Regi Galliæ conveniret. Omnes enim primarii Proceres Galliæ ad eas convenerant, & Cardinalis Aldobrandinus Legatus illis adfuit, ac demum eis finitis, tractatu pacis concluſo, Romam rediit proximi anni initio.

Genuenſes Sancatharinum ſolo æquant.

Pax inter Regem Galliæ & Sabaudum.

Florentiæ ſponſalia Mariæ Mediceæ cum Rege Henrico IV celebrantur.

Galliæ Regina ex Italia Maſſiliam deducitur claſſe.

Lugduni ſponſam ſuam Rex ſalutat, & nuptias celebrat.

Ex Anglicis non eſt quod in hoc anno memoremus, præter inſidias Regi Scotiæ Iacobo VI, inſtructas à Comitibus Gaurienſibus, quorum unus junior Alexander Regem ex venatione ad Caſtrum ſuum Perthum vicinum ſpecie inventi ingentis theſauri commonſtrandi invitaverat, & deductum in penetralia caſtri (quaſi ad viſendum theſaurum) in poteſtate habebat, occidereque voluerat: alter autem frater à foris Regis comites convivio morabatur, ne dolum impedirent. Rex tamen poſt multam intrò cum illo inſidiatore luctam è feneſtra acclamans, accivit ſibi auxilium, ſalvuſque evaſit, & utrumque conjuratorem trucidari confeſtim juſſit: prodigio ſimilior caſus, ejuſque narratio in vulgus ſparſa, fidem rei geſtæ minuit, propterea omittendam maluimus.

Iacobus Rex Scotiæ incidit in inſidias.

In Polonia hoc anno Comitia Generalia fuerunt celebrata Varſaviæ, menſe Martio irrito eventu. Cum enim Rex Sigiſmundus Sueciæ, Regnum ſibi à Carolo patruo

Comitia Varſaviæ in Polonia.

A.C. 1600.

Poloni recuſant molem belli Suetici.

Poloni inviti bello Suetico implicantur.

patruo injuria fuiſſe ereptum quæreretur, & arma publico Regni Poloniæ nomine contra eum ſumi poſtularet, Ordines molem alieni belli ſubire, ne illud in viſcera Regni attraherent recuſabant: ſed ſi Rex proprio periculo illud promoveret, ſe auxilio convenienti ipſi non defuturos reſpondebant. Quantumvis tamen ipſi ſibi à tali bello præcaverent, vel inviti illo implicati fuerunt, præſertim ſtudio privatorum, qui ea via gratiam Regis demereri contendentes, inſcia Republica pacta cum Regno Sueciæ avita incaute abruperunt. Georgius enim Farensbach, Carolo Duce cum ſuis armis in Eſtoniam adveniente, & Revaliam ac omnia quæ eouſque in poſſeſſione Suetica cenſebantur occupante, cum ſolum fines Livoniæ Poloniеæ, ne quid damni à Carolo paterentur, tueri debuiſſet, in Eſtoniam irrupit, & Caroli copias ſæpe velitationibus laceſſivit. At cum ille ad ipſum miſiſſet ſciſcitatum cujus juſſu ea faceret, & num ab Ordinibus Regni Poloniæ pactorum ſecuritas, an hoſtile quid expectandum ſibi eſſet, Farensbach ejus Legatum detinuit, & in Poloniam ad Regem miſit. Vnde Corolus cum reſponſum non haberet, & in dies Farensbachum ſibi graviora minitari ſentiret, publico Ordinum Poloniæ nomine ea fieri, ac nonniſi infeſta in ſuis ditionibus eorum arma expectanda ſibi eſſe arbitratus, priuſquam majores copiæ ex Polonia confluerent, prævenire, belloque futuro ſedem in alieno ſolo figere maluit, moxque ingreſſus in Livoniam, Parnaviam, & plura loca munitiora intercepit, ut in anno proximo attingemus.

Carolus Suderm. Livoniam oppugnat.

In eiſdem Comitiis deliberabatur de conſcribendo exercitu, quo reprimeretur Michaël Palatinus Valachiæ, qui nuper in Tranſilvania Cardinalem Batoreum profligarat. Is enim ut ſibi recuperaret Valachiam, interim dum in Tranſilvania morabatur à Simeone Mohila occupatam, ex Tranſilvania rediens Simeonem inde expulerat. Et cum nihilominus Simeon adjutus à fratre Hieremia Palatino Moldaviæ vires ſuas inſtauraſſet, Michaël iterato prælio cæſum uſque in Moldaviam ſequutus, etiam Moldaviam ſibi ſubjicere, Hieremiamque inde pellere decreverat. Nec infelici ab initio ſucceſſu, nam intra breve tempus poſtquam ſemel Hieremiæ copias fugarat, nullo amplius reſiſtente totam eam Provinciam obtinuit; Soczaviam, quæ eſt præcipuum ibi propugnaculum, deditione cepit, ad arcem Chocimenſem in ipſo confinio Poloniæ ad Tyram fluvium ſitam Hieremia recedere coacto.

Michaël expellit ex Valachia Simeonem Palatinum.

Michaël Hieremiam Palatinum ex Moldavia pellit.

Eam igitur Provinciam, Hieremiamque ipſius Principem clientem Regni Poloniæ juratum ab ipſis audacia defendere Reipublicæ incumbebat. Sed nulla tributa fuerunt in illis Comitiis ad hoc conceſſa, ne & Suetico bello ſervirent. Tamen Zamoyſcio Cancellario belli Duci fuit demandatum, ut ille ab ea parte curaret, ne quid detrimenti Reſpublica pateretur. Magis autem in illis Comitiis certabatur pro ſacerdotalibus dignitatibus, quæ Cardinale Radziwilo Cracovienſe, & Hieronymo Rozrazewski Vladiſlavienſe Epiſcopis Romæ recens defunctis vacabant.

Zamoyſcio cura Moldaviæ committitur.

Certatim enim Eccleſiaſtici in ambitum effuſi, ſinguli ſingularibus mediis, gradus altiores petebant, ut & dicteriis publice ſparſis notarentur. Quorum præcipuum erat idiomate Polonico cum inſcriptione *Bábiecolo*, compoſitum ſingulos carpens modeſte, ſed feſtivum; cujus author Staniſlaus Grochowski poſtea pœnas luit, ſpoliatus ſuis Sacerdotiis ab Alberto Báránowski Epiſcopo Plocenſi, quem præ cæteris perſtrinxiſſe videbatur. Omnium autem opinione potiores partes in illa promotione conſequuturus credebatur Ioannes Tarnowski Epiſcopus Poſnanienſis: is enim tunc præcipuam in Republica rerum gerendarum authoritatem obtinebat, ſubnixus maxime favore populari, quem cultu humaniori (ut erat liberali, & omnium horarum ingenio) tum & variis officiis,

Tarnovius popularitate præſtans.

A.C. 1600. ac beneficiis, cum nuper fugeretur Vicecancellarii Magiſtratu à Rege pro diverſis ſuis clientibus impetratis, ſibi comparaverat; unde nullo illo melius Regias partes tueri, & adverſis præſertim Zamoyſcianis æquilibritatem opponere ſolebat, eoque Regis animum ſibi ſingularius devinxerat. Petro Tilicki pro gradu officii Vicecancellarii quod tunc gerebat, ex lege quoque ad majores dignitates vacantes aſcenſus debebatur. Sed is non ita pridem poſt ſublatum Cardinalem Batoreum Epiſcopatum Varmienſem acceperat, eoque contentus quievit. Senio vero in Ordine Sacerdotali, meritiſque & doctrina præcellebat Laurentius Goſlicki Epiſcopus Præmiſlienſis, ac Albertus Báranowski, & ipſe in Ordine Epiſcopali antiquior ex Epiſcopatu Plocenſi, ad majorem vulgi opinione vocabatur. Reliqui autem juniores, nonniſi ſenioribus iſtis deſignabantur ſucceſſores.

Macieiovius renunciatur Cracoviæ Epiſcopus.

Verum ſors expectationi populari non reſpondit; nam Cracovienſem Epiſcopatum obtinuerat Bernardus Mácieiowski Luceorienſis Epiſcopus Ieſuitis addictior, quibus & patrimonium ſuum amplum Oppidum Chodel pro Collegio Lublinenſi non multo ante donaverat. Ioannes Tarnowski Petro Skárga Religioſo Societatis IESV Regis nomine Epiſcopatum Vladiſlavienſem ſibi deferenti, acerbioribus verbis exprobravit, quod ejus & aliorum illius Societatis opera Cracovienſi Epiſcopatu fuerit fraudatus: illorum enim favore tunc præcipue partitiones munerum hujuſmodi conſtabant, & non ſolum Sacerdotales, ſed & Equæſtres dignitates ac beneficia eorum arbitrio diſpenſabantur.

Tarnovius obtinet Epiſcopatum Vladiſlavienſem.

Goslicius Poſnavienſem Epiſcopatum obtinet.

Nec ſuſceperat initio Tarnovius Vladiſlavienſem Epiſcopatum, ſed reſponſo illi relatori dato, quod eſſet de hoc deliberaturus, demum colloquio cum Rege habito, ejus voluntati ſe ſubmiſit. Goſlicius quoque cum Vladiſlavienſem affectaſſet, ejus loco Poſnanienſem ſibi oblatum ut acciperet, ægre ſibi perſuaderi permiſit, ac in præmiſlienſi ſucceſſorem habuit Matthiam Pſtrokonski Referendarium Regni. In Luceorienſi autem ſucceſſerat Staniſlaus Gomolinski relicto Chelmenſe, quam obtinuerat Zamoyſcius Cancellarius Regni pro agnato ſuo Georgio Zamoyski. Atque talibus ſtudiis intentis tunc Eccleſiaſticis, etiam Equeſtres in ſuffragiis unuſquiſque conjunctiori ſuo ferendis diſtracti, curam Reipublicæ ſepoſuerant, & nullo publicorum negotiorum, quæ in deliberationem venerant, definito, Comitia ſolverunt. Iſtis autem finitis de felicioribus Michaëlis Palatini in Moldavia progreſſibus frequentiores nuntii adſerebantur, qui jam tota Moldavia expulſo Palatino Hieremia potitus, unicam quæ ſupererat, & quo Hieremias omnia ſua pretioſiora comportaverat, Arcem Chochim obſidione cinxerat.

Chocimum obſidet Michaël.

Michaëlis conſilia de infeſtanda Polonia.

Nec dubie volebat ea expugnata transferre ſigna infeſta in proximiores Poloniæ Provincias, quas omni pæne præſidio vacuas, non difficile in ſuam poteſtatem redigi poſſe judicabat. Immo jam plures in Polonia ad eum inclinabant, ejuſque adventum deſiderabant rerum novandarum cupidi, præſertim cum eſſet Religionis Græcæ, iſti Religioni addicti Ruſſiæ populi impenſius ipſi favebant, pertæſi maxime litium, quibus aſſidue propter ejuſdem Religionis ſuæ cum Catholica Romana conjunctionem recens in Regno iſto inſtauratam divexabantur. Et non unius vel alterius Provinciæ inde jactura timebatur, ſed totius Regni converſio, cum non obſcuris argumentis appareret, Michaelem pluribus & in Tranſilvania, & contra Turcas, ac noviſſime in Valachia & Moldavia partis victoriis elatum Regnum petere.

Zamoyſcii expeditio contra Michaëlem.

Zamoyſcius itaque Rempublicam ad tanta pericula prope nullo præſidio munitam eſſe ſciens & hoſtem celeritate priuſquam in Poloniam veniret, majoreſque vires acquireret præveniendum judicans, collecta in nomen publicum aliquanta pecunia, exercitum conſcripſit, & majorem copiarum numerum ex amicorum auxiliis collegit, inſignioribus quibuſque Proceribus ad eum non ſolum ex Polonia, ſed etiam ex Lithuania concurrentibus. Quorum præcipui erant Gabriël & Andreas

de

Digitized by Google

A.C.1600.

de Tæczyn Comites, Hieronymus Sieniáwski Pincerna Regni, Chriſtopherus Dux Zbáráwski, Conſtantinus Dux Wiśniowiecki, Danielovicii duo, Catolus Chotkiewicz poſtea exercitus Lithuaniæ Dux celebris, ſinguli propriis ſtipendiis numeroſas cohortes militum ducentes. Ac ptærer hos Præfectus militaris minor Staniſlaus Zolkiewski, Droiewski Referendarius Regni Præfectus Præmiſlienſis, Nicolaus Struſz, Sigiſmundus Kázánowski, Potocii, & veteranorum multa nomina,ut mirum fuerit, in tam brevi tempore tam florentem, tamque fortem,nec numeratis ſtipendiis, ſed ſola unius Ducis cuta confluxiſſe exercitum. Nec minori celeritate promovens Zamoyſcius ad confinia Moldaviæ, cum audiſſet ad famam adventus ſui hoſtem ſoluta obſidione Chocimi, ad tutiora Moldaviæ receſſiſſe, ipſe quoque Chocimo omiſſo per compendia viarum apud Colodrobkam vado ttanſiens Tyram fluvium, rectà per Alpes Moldavicas Bukowina vocitatas, & tranſitu difficiliores in Moldaviam penetravit, ac magnis itineribus prætergrediens Szoczaviam præſidio hoſtis munitam, ejus oppugnatione dilata, ne ea mora à perſequendo diſtineretur, ſupetato etiam fluvio Sereto, eum uſque in finibus Valachiæ aſſequitur. Ad Teleſinum amnem alveo limoſum & ripis alte præruptis inacceſſum Michaël caſtra poſuerat, & vadoſa ejus omnia firmis præſidiis inſederat. Sed Zamoyſcius ſitum loci contemplatus, ut erat planicies amne illo in coronam circumfuſa,& collibus ac vinetis inſtar theatri circumſepta, uno colle occupato, diſpoſitiſque in eo tormentis peditatum Michaëlis à cuſtodia tranſitus illius fluminis rejecit, & etiam ad longinquiorem ripam quam hoſtis non obſervabat, pet montana circumactis aliquot equitum agminibus, à latere eum invaſit. Ac primum quidem impetum hoſtiles cunei ferocius repreſſerunt, ſed mox perfracti à ſuperveniente auxiliari turma Elearorum quos Petrus Laſcz & Venceſlaus Beques ducebant, confuſis Ordinibus retrocedere cœperunt. Ipſe Michaël ſtatim fuga è prælio ſe ſubduxit: cumque Poloni fugientem inſequerentur, Zamoyſcius vetitus ne incautos & ignaros locorum hoſtis eorum peritior ex fuga converſus deciperet, receptui cani juſſit, ac omnia impedimenta caſtrorum hoſtilium obtinuit. Sexaginta millibus armatorum conſtabat Michaëlis exercitus: quem ex Tranſilvanis, Valachis, & Serbiis contraxerat, & in pugna non plures quam mille ceciderunt: capti multi, & plures inſequenti die ex fuga collecti frequentibus turmis tevertentes in obſequium Zamoyſcii concedebant. Tertio autem à conflictu die, primarii Valachiæ in Caſtra Zamoyſcii venientes, ſubjectionem Regi & Reipublicæ Polonæ detulerunt, & Simeoni Palatino nuper à Michaële pulſo, ac per Zamoyſcium reducto, fidem & obedientiam jurarunt. Moldavi quoque Zamoyſcio redeunti apud Szoczaviam, quam tum demum exturbato inde Michaelis præſidio recuperarat, occurrentes, Hieremiæ Palatino ſuo obedientiam iterum jurarunt.

Zamoyſcius in Moldaviam tranſit.

Michaël apud Teleſinum profligatur à Polonis.

Valachi Zamoyſcio ſe dedunt.

Hieremias Palatinus Moldaviæ reſtituitur per Zamoyſcium.

Atque ita belli ingentis incendium, quod jam Valachiam & Moldaviam involverat, & Poloniæ imminebat, intra paucos dies fuit reſtinctum. Provide autem Zamoyſcius reliquerat pro præſidio illarum Provinciarum cum quatuor equitum millibus Ioannem Potocki Camenecenſem Præfectum, nam paulo poſt ejus inde diſceſſum, Michael ex diſperſis ſuis copiis, & ex montanis Serbiorum, quo confugerat, collecta aliquanta manu in Valachiam rediens, eam repetere conabatur. Sed iterum una cum Buzoviis primariis Valachorum, qui ei adhæſerant in campo Loviſca dicto apud Hardiſz fluvium à Ioanne Potocki cæſus, vix cum paucis ſervulis evaſit. Et in Tranſilvaniam reverſus, eadem mutatione fortunæ, omnia ſibi interim à Georgio Baſta adempta fuiſſe repetit. Imperator enim quouſque Michael in Tranſilvania rerum potiretur, omne jus in ea ſuum ambiguum fore reputans, eum inde amovendum ab initio decreverat: quod tamen inte-

Potocius Michaëlem iterum profligat.

Michaëli in Tranſilvania adimuntur omnia.

A.C.1600. integris ejus viribus tuto tentari non potuit, donec eo abſente in iſta expeditione Moldavica, & à Polonis contrito, eam occaſionem nactus Georgius Baſta Imperatoris in eis partibus Præfectus, præſidia ipſius ex Civitatibus ejecit, ac redeunti nullam amplius adminiſtrationis vel poteſtatis in Tranſilvania partem permittere voluit, diſſipatis paucis ejus copiis, quas redux ex Valachia colligere cœperat. Vnde Michaël undique deſtitutus, Viennam cum uxore & tota familia ſua conceſſerat, imploraturus Imperatoris gratiam pro impenſa opera contra Batoreos ſolemnioribus pactis ſibi promiſſam. Sed neque excluſo hoc modo Michaële Tranſilvania ſubire voluit jugum Auſtriacum, & ſeceſſione facta, ordines illius Provinciæ Imperium Georgii Baſtæ detrectabant, palam ad Turcicum potius patrocinium velle confugere, quam Imperatori ſubjici præferentes.

Michaël Viennam ivit promiſſa ab Imperatore repetiturus.

Et magis in Batoreos propenſi, Sigiſmundum Batoreum, qui poſt traditam Andreæ Cardinali Tranſilvaniæ gubernationem in confiniis Poloniæ deſidebat, ad reſumendum eundem Principatum advocarunt, ac cum eo Cæſarianis reſiſtentes, variam viciſſitudem belli ſunt perpeſſi, priuſquam ab alienigena Principe liberarentur, ut in ſubſequentibus apparebit. Dum autem Imperator invitam Tranſilvaniam in ſuum jus trahere nititur, & eo vires ſuas diſtrahir, debilior in Vngaria contra Turcas majora detrimenta ſenſit. Et primo cum cum ærarium Imperiale tantis ſimul bellis alendis non ſufficeret, ideoque ſtipendia militibus ſolvi non poſſent, ſeditone concitata multi, præſertim Vallones ſeceſſionem fecerant: eoque res proceſſit, quod iſti ſolutione ſtipendiorum & impunitate deſperata, Pappæ commorantes, præfectum ſuum Marottum in carcerem detruſerunt, alios qui ab eis diſſentiebant expulerunt, & miſſo Albam Regalem Nuntio cum Turcis paciſcebantur, quod ipſis Pappam traderent, viciſſimque ab eis ſtipendia ſibi ab Imperatore retenta reciperent, & in militiam Turcici Imperatoris adſcribetentur.

Bator Sigiſmundus redit in Tranſilvaniam.

Cæſariani in Vngaria ſeceſſionem faciunt ob ſtipendia detenta.

Iamque ex tali pacto viginti milia nummorum aureorum à Turcis acceperant, & non pauci ipſorum Albam Regalem ſub ſigna Turcica, pleriqueſumpto habitu Turcico tranſierant, condicto quod ad finem Iunii Turcæ ad occupandam Pappam venirent. Sed (aquarum inundationes tardarant Turcarum adventum) celerius prævenarat talem proditionem Suartzembergius Cæſarianarum copiarum Præfectus cum octo millium exercitu, moxque intercluſo circumquaque aditu arcem illam obſedit, ac demum etiam vi oppugnavit, cum precibus & promiſſis liberalioribus non proficeret. Nihil tamen rebelles illi oppugnatione inchorta ex pertinacia ſua remiſerunt, & contumelioſius rejecto deditionis tractatu; mori potius pugnando, quam ſe dedere ſtatuerant. Ac audacia deſperatione aucta, crebris excurſionibus Cæſarianos multum afflixerunt: donec & ipſe Suartzembergius ſubventurus laborantibus ſuis ad locum certaminis accurrens, jaculo bombardæ in capite percuſſus, ibidem occubuit.

Pappam Turcis tradere volunt tumultuantes milites.

Suartzembergius Comes apud Pappam occubuit.

Nihilominus oppugnationem continuavit Melchior Rederus, qui vice Suartzembergii occiſi, & Iaurinum ad ſepeliendum deducti, munia Præfecti militaris obibat, ac obſeſſos ad extremam annonæ penuriam redactos, cum relicta arce per ſtagnum adjacens aqua demiſſa evadere tentaſſent, die nona Auguſti in fuga oppreſſit, eoſque qui vivi capi poterant, exquiſitioribus tormentis ſubjecit, plures vero acerrime reſiſtentes in pugna ſunt cæſi, & eorum anteſignanus della Motte, cum ſe capi non permitteret, fuit trucidatus, vix 10, ex illis vivis elapſis, præter eos qui ante oppugnationem conceſſerant ad Turcas, quibus deinde contra Cæſarianos in expugnanda Caniſia & Alba Regali recuperanda utiliorem navarunt operam: Tantique conſtitit non ſolviſſe furioſo militi debita ſtipendia. Multo autem gravior poſt recuperatam Pappam res Imperatoris invaſit calamitas: nam Ibraim Veſir congregato centum millium exercitu, ſub finem Auguſti

Pappenſes præſidiarii omnes trucidati.

Vallones Pappa dilapſi Turcis militant.

Auguſti movens, primum Bobotſſcham petiit, eamque poſt paucorum dierum oppugnationem, quarta Septembris ad deditionem coëgit, præſidiariis ejus dimiſſis, præter Præfectum arcis & Signiferum Germanorum, quos abduxit, eorum conſilio uti volens in oppugnatione Caniſiæ. Ac nihil moratus inde rectà Caniſiam contendit, quo promiſſus ab eo Kiai Baſſa octava die Septembris jam pervenerat itinera intercipiens,& aditus ad illud Oppidum. Ad Styriam pertinebat Caniſia, & ad Sortem Archiducis Ferdinandi, qui illi arci præfecerat Paradiſium non ignavum militem cum mille virorum, parte Germanorum, ſed majori Vngarorum præſidio. Ac ad famam adventus Turcarum Paradiſius neceſſaria defenſioni ſolertius comparaverat, turbam imbellem amandaverat, Oppidum ipſum quod difficilius poſſet defendi exuſſerat, & loca arcis defenſioni opportuna inſtauratis operis firmaverat, obligatis inſuper jurejurando mutuo concepto omnibus Ordinum Ductoribus ac militibus ſuis, quod arcem ad extremum ſpiritum non dererent, ſed defenderent, nec ulla colloquia de deditione admitterent. Nec ſegnius excepit Ibraim Veſirum decima Septembris arci appropinquantem; exiens enim ex arce cum expeditiori militum manu fortiter velitando diutius hoſtem diſtinuit, donec Turcis majori numero contra ipſum concurrentibus, intro redire fuit coactus. Statim autem Turcæ ingentes aggeres, & munitiones prope ex adverſo arcis excitarunt, inque eas inductis machinis viginti, muros arcis magna contentione quatiebant. Foſſam etiam alte inundatam, quæ multum conatus eorum impediebat, virgultis replerunt: & cum obſeſſi erumpentes ſæpius operas eorum ſubjecto igne eluſiſſent, & non raro edita in oppugnatoribus ſtrage eorum progreſſus morarentur, tamen multitudine operariorum ſuperante, & foſſa fuit obruta & munitiones hoſtiles tam proxime muro arcis admotæ, ut alter alterum jactu teli attingeret.

Bobotſſcham Turcæ capiunt.

Caniſia ad Styriam pertinet.

Paradiſius comparat neceſſaria ad defenſionem Caniſiæ.

Caniſiam oppugnant Turcæ.

Acerrime tamen obſeſſi tantos hoſtiles impetus propulſabant, toto menſe Septembre expectantes à Cæſarianis ſubſidia, quæ infirma, ſeroque nimis comparabantur. Hærentibus enim potioribus in Tranſilvania cum Georgio Baſta copiis, ea pars exercitus quæ in Vngaria fuit, tanto molimini, nempe centum millibus Turcarum opponenda, impar erat, & Suartzembergio ad Pappam occiſo, Dux belli in ejus locum uſque ex Gallia Dux de Mercurio advocari debuit, qui demum initio Octobris adveniens, contra hoſtem proceſſit cum viginti quatuor millibus, majori parte equitum levioris armaturæ, quos Banus Slavoniæ ex Croatis & Dalmatis collectos, ac Franciſcus Nadaſti, Comes Serinus Vngaros adduxerat. Germanorum Ductores præcipui erant Sifridus Golnitz Sileſius, Ardenſteinius, Hoff kirchius. Et cum ad Muram fluvium duobus à Caniſia milliaribus caſtra poſuiſſent, Veſir Ibraim miſſo interprete ad tractandam pacem eos invitabat: ſed Mercurius eam primam in ſua expeditione Vngarica probandæ militaris peritiæ aleam ſibi oblatam prælio experiri malens, die ſeptima Octobris inſtructa acie hoſtem aggreſſus, æquali marte, ſed cæde ſuorum eo graviori quod pauciores haberet, aliquot horis dimicavit, & demum ad hoſtem recentiores majori numero in aciem identidem copias ſummittentem, pugnamque inſtaurantem, inclinante victoria, fatigatos ſuos noctis beneficio ad caſtra recollegit. Ac inſequenti mane magni ſtratagematis loco reputari voluit, quod denſiori ſub nebula lacerum exercitum ad tutiora abduxerit, priuſquam hoſtis ejus fugam advertiſſet. Mox autem Turcæ majori vehementia oppugnationem Caniſiæ continuarunt, obſeſſis poſtquam deſperarant de auxiliis remiſſius reſiſtentibus. Fortiores etiam ex illis in diverſis conflictibus perierant, plures ſaucii armis gerendis inutiles decumbebant, commeatus omnis defecerat, & fortuito pulvis nitratus accenſus, partem arcis convulſerat; cujus ruina non paucos militum unà cum multo ap-

Mercurius Dux in auxilium Caniſiæ venit.

Turcæ multitudine copiarum vincunt Cæſarianos.

Caniſia præſidiarii in anguſtias rediguntur.

A.C. 1600. apparatu neceſſaria oppreſſit. Nec poterant ſperari alia ſubſidia hyeme jam ingruente: Vnde Vngari præſidiarii primum de deditione inito conſilio, poſtea & Germanos nequicquam Paradiſio renitente in ſuam ſententiam traxerunt, & pacta ſibi incolumitate ac facultate abeundi cum ſarcinis ſuis, die 22 Octobris Arcem dediderunt cum tormentis & cum omni inſtrumento bellico. Paradiſius à Duce Mercurio ad dicendam cauſam deditionis Viennam remiſſus, nullis rationibus juvari potuit apud judicium ibi militare, quominus amputata manu dextera, capite plecteretur, exemplo futurus aliis arcium præſidiariis, ne ullam unquam deditionis tractationem admittere debeant.

Caniſium deditur Turcis.

Perſarum Legatus ad Imperatorem venit.

Sub finem anni venerant ad Imperatorem Rudolphum Nuntius Regis Perſarum ſocietatem belli contra Turcas, & libera commercia cum exercitio Religionis Catholicæ in Perſia Chriſtianis à Rege ſuo offerens: cum qua Legatione Romam poſtea deflexit, & deinde omnes Chriſtianos Principes circuierat, ubique magnifice exceptus: & dato acceptoque promiſſo, de tenenda iſta ſocietate, ac continuando contra Turcam bello, fuit dimiſſus. Legatus iſte Luſcinati Beg ſocium ſuę Legationis habuit Antonium Syhirle Anglum natione, illis in partibus educatum. Sed tempora ſubſequentia docuerunt, iſtam Perſæ ſocietatem nihil contuliſſe rebus Chriſtianorum: ille enim pacem cum Turca Machometano Machometanus & ipſe, arbitrio & commodo ſuo moderatur. Cultus tamen Religionis Catholicæ cum plurimis familiis Monachorum, præſertim Carmelitarum & Dominicanorum in illis partibus ea occaſione fuit introductus.

Perſa ſocietas parum adfert Chriſtianis.

Iubilæi ſolennitas finit.

Clauſit autem hunc annum Clemens VIII. Papa clauſo Iubilæo, & Porta ſancta, ad quam die ultimo menſis Decembris iſtius anni ſolenni apparatu cum Collegio Cardinalium & Epiſcoporum ac Legatorum Romæ reſidentium veniens in Pontificali habitu, calcem & lapides quibus porta clauderetur conſectavit, & poſtea ſumpta trulla murali, eaque calce in fundamento poſita, lapidem primum illi appoſuit, actis certis precibus, fabris reliquam muri illius obſervandæ Portæ ſanctæ ſtructuram perficiendam reliquit.

Annus Chriſti, 1601.

ANni Milleſimi, Sextenteſimi Primi, initia ſignanda ſunt geſtis Polonicis: ibi enim Ordines exciti bello Suetico, (quod privatum Regi, fautores Regiarum partium ſtudioſius induxerant in Provincias Regni, ut commune vel potius proprium Regno facerent) conſilia de eo reprimendo agitare cœperunt, ad finem menſis Ianuarii inchoatis Generalibus Comitiis Varſaviæ. Principia autem Comitiorum data fuerunt agendo triumpho, & publicæ nomine Ordinum gratiarum actioni Zamoyſcio Cancellario & exercituum Duci pro obtentis victoriis de Michaële Palatino, ac liberata Moldavia atque Valachia, Ordinis Equeſtris Mariſchalcus tunc erat Zbigneus Oſſolinski, olim partium Maximilianarum acerrimus aſſectator, nempe Zborovia genitus, eoque Zamoyſcio infenſiſſimus. Sed tum mutato illo primo animi ſui affectu ab Ordine Equeſtri in conſeſſu totius Reipublicæ perorans, in laudes Zamoyſcii totus effuſus, elegantiſſimo Panægyrico (ut erat diſertiſſimus) clariora ejus geſta & in patriam merita celebravit, ut nemo non vera reputaret, quæ teſtimonio tanti æmuli probarentur. Nulla autem ſub illud tempus poſt pacata per Zamoyſcium confinia Turcica, Rempublicam premebat neceſſitas, præter bellum ex Suetico Livonicum: unde ad illud omnium converſis ſtudiis, liberaliora fuerunt decreta pecuniaria ſubſidia. Zamoyſcius fracta laboribus & ſenio ætate (erat ſexagenarius)

Comitia Polonorum Varſavia.

Zamoyſcio publica gratia aguntur pro recuperata Moldavia & Valachia.

Livoniacum contra Suecos bellum decernitur.

Digitized by Google

narius) ſe excuſans, tandem exoratus à Rege & Ordinibus, ejus curam ſuſcepit, & paucis, maximè circa judiciorum Ordinem legibus ſancitis, Comitia fuerunt ſoluta.

A.C. 1601. Zamoyſcius curam belli Livonici ſuſcepit.

Sub iiſdem Comitiis obierat Nicolaus Fierley Palatinus Cracovienſis, vir non magis dignitatis gradu quam generis claritate & morum ac judicii maturioris gravitate ſublimis, Zamoyſcius dixerat de ejus morte flos noſtri lactis eſt decerptus) in cujus locum ſucceſſit Nicolaus Zebrzydowski ex Archimariſſallatu Regni, officium autem Archimariſſalli cum plures ſolicitè ambirent, Rex ne quem offenderet, eoque ſtudia partium à Bello Livonico diſtraheret, tantiſper conferendum diſtulit. Interim autem Carolus Suecus in Livonia contra tam inopinatam vim non proviſa graſſabatur, & indefenſas arces in ſuam redigebat poteſtatem. Collegerat Farensbachius ex Polonis aliquantam manum, ſed imparem, qua tot arces muniret: Unde levioribus tantum excurſionibus carpebat hoſtem, & Derpatum oppugnante Carolo Sueco, copiarum ejus partem Vendam digredientem fudit, pluribus Suecis in glaciem infirmam impulſis, & ea fracta demerſis. Primo etiam Vere, Chriſtopherus Radziwil Palatinus Vilnenſis, copiarum Lithuanicarum Dux cum quinque millibus equitum, & ſexcentis circiter peditibus in Livoniam ingreſſus, circa Kokonhauſum Caroli filium nothum cum ſeptem millibus Suecorum in ſubſidium Kokonhauſiano ſuo præſidio advenientem, ipſo die Vigiliæ ſancti Ioannis Baptiſtæ prælio fudit, & Caſtris exuit, Sueticumque præſidium ex eo Oppido, cum arx à Polonis adhuc teneretur, ejecit; & poſtea Vendam ac alia minora Caſtella recuperavit. Sed adveniente paulo poſt Carolo cum viginti millibus armatorum, omnia præter Rigam, Dinamuntum ac Kokonhauſum, ad ejus partes conceſſerant. Equeſtribus ſuis copiis Ioannem Naſſovium, qui conduxerat ex Germania magnum numerum militum exercitatiorum quam eſſent Sueci, præfecerat Carolus, ac tanto magis viribus ſuis confiſus, Rigam oppugnare propoſuerat. Statimque movens ut Polonos in proximo conſiſtentes prius repelleret, cum iſti quod eſſent pauciores numero pugnam detrectaſſent, & Rigam verſus recederent, eo quoque ipſe proceſſit. Cum autem audiſſet Barensbachium Civitatem muniſſe, & præ mœnibus caſtra ſua collocaſſe, duobus milliaribus à Riga ſubſtitit, atque inde iteratis vicibus in conſpectum Civitatis Rigenſis advenans, obſidionem oſtentavit: ſed ſemper rejectus, ad medium uſque Septembrem inani ibi labore fatigabatur. Interim in Polonia magnum apparatum bellicum Rex Sigiſmundus colligebat, & non ſolum ſtipendiis publicis, ſed & privata impenſa, plerique inſigniores nobiles multa militarium agmina (favorem Regium hoc modo demerituri) congregabant, eo inuriliori opera, quod dum iſtæ majores copiæ ex longinquis Provinciis majoris Poloniæ ac Ruſſiæ expectarentur, tempus rei bene gerendæ effluxit. Tandem tamen Zamoyſcius Cancellarius cum ſuo exercitu primus in Livoniam medio menſe Septembre intravit. Sed ut integer belli ductus nonniſi arbitro Rege ordinaretur, ejus adventum expectabat: quamvis ſciret hoſtem ad famam adventus ſui Rigam reliquiſſe, & occaſiones eum adoriendi abeuntem inveniri potuiſſe. Miſerat tantum tibicinem ad ipſum cum literis exprobratoriis, quod contra morem non ſolum Chriſtianorum, ſed & gentium, ſtantibus inter Regna Poloniæ & Sueciæ pacis fœderibus, nulla laceſſitus injuria, nec denuntiato bello Provinciam Poloniæ Livoniam invaſerit, & patruus nepotem Regno paterno ſpoliarit. Simulque præſentabat ipſi prælium, quo tantæ injuriæ juſto Dei judicio diſcernerentur. Verum Carolus nullo tunc dato reſponſo, prælium ſubterfugiendo, Properè Parnaviam, ac inde Revaliam rediit, una parte copiarum ſuarum Volmariam, alia cum Naſſovio Derpa-

Firleius Palatinus Cracovienſis moritur.

Zebrzydovio defertur Palatinatus Cracovienſis.

Sueci in Livonia graſſantur.

Radziwil Palatinatus Vilnenſis Suecos apud Kokonhauſum profligat.

Sueci rejiciuntur à Riga.

Zamoyſcius venit in Livoniam cum exercitu.

Zamoyſcii cum Carolo Sudermano expoſtulatio.

A.C. 1601.

Sigiſmundus Rex Livoniam venit.

tum dimiſſa. Et Sigiſmundus Rex demum ſub finem Septembris eo advenit, tardis paſſibus incedens propter innumera turbæ aulicorum bello inutilium impedimenta. Cum quibus inchoato jam autumno nimium pluvioſo, indeque itineribus (ſoli natura ut minimum permaduit uliginoſi) impeditis, pænè immobilis ad medium Octobrem hæſit, Duna fluvio ad Kokonhauſum ægrè transmiſſo.

Sigiſmundus Rex Rigam venit & redit in Poloniam.

Nec ulla ratio iniri potuit vel hoſtem inſequendi, vel aliquid contra eum operæ prætii tentandi. Immo multitudine illa Caſtra ſequentium ſine ordine & diſcrimine Provinciam illam longè lateque populante, & obvia quæque oppida ac villas prædis & rapinis divexante, mox commeatus omnis, & maximè pabulum equorum defecit, evidenti conjectura, quod ad proximam æſtatem bello ibi poſt tantas depopulationes in ſumma rei frumentariæ penuria continuando nullus ſuppeteret modus, niſi celerius inſolens illa graſſatorum manus, priuſquam reliquum frugum depaſceret, ex ea Provincia abduceretur. Vnde conſilium habito, Rex adminiſtrationem totius belli Zamoyſcio Cancellario commiſit, & ipſe poſtquam Rigam prius inviſit, quo illorum Civium ad omnes belli caſus animos confirmaret, cum ſuo Aulico comitatu in Lithuaniam rediit: ubi quoque extrema pænè caritate annonæ laborabatur, exhauſtis à tranſeunte in Livoniam milite omnibus illis Provinciis, ac invaleſcente diriori fame, qua multa ex plebe egentiori hominum millia peribant. Nec pauca Hieroſolymitanæ famis exempla tunc in illis locis numerabantur, ex quo lues morborum contagioſorum exorta, totam Poloniam pervaſit, & in totum ſubſequentem annum acerbè vexavit.

Fames ingens in Lithuania.

Volmariam oppugnat Zamoyſcius & capit.

Zamoyſcius autem poſt Regis diſceſſum ex Livonia, ut primum limoſis tranſitibus frigore concretis machinæ bellicæ promoveri poterant, Volmariam obſedit. Reliquerat ibi Carolus duorum millium Suecorum præſidium cum Caroluſino ſuo notho filio, ac totam eam Civitatem muro & firmis propugnaculis cinctam, magno numero machinarum, pulveris nitrati copia, & omni inſtrumento bellico, ac ad unum annum commeatu ſufficienti munierat, ut qua Polonorum ad expugnanda fortiora mœnia, præſertim hyeme in illis locis aſperiori non ſatis inſtructorum impetum, donec majores colligeret ad reſiſtendum vires, remorari volebat. Ea tamen ſpe fruſtratus fuit à Zamoyſcio, qui diligentius eò conferri fecerat apparatum oppugnationi neceſſarium: & cum in terra frigore ſolidè congelata operæ collocandis tormentis neceſſariæ extrui non poſſent, ejus ſuperficie duos palmos altè reſecta, humum morbidam erui, eaque corbes repleri, ac vineas aggereſque erigi juſſit, quibus impoſitæ machinæ, Civitatis muros quatiebant. Nec ſegniores obſeſſi defenſioni continuiſque tormentorum jaculis ac excurſionibus frequentioribus emittendis inſtabant, ſed ſemper cum magna cæde rejecti, cum reſciſſo aquæ ductu, etiam à flumine & aquatione fuiſſent excluſi, ac murorum ruinæ tam latè jam paterent, quod nullus congeſtus materiæ ad eas obſtruendas ſufficeret, poſt trium menſium oppugnationem, victoris arbitrio deditionem fecerunt. Caroluſinus & Iacobus Pontus de la Gardia, Præfecti illius præſidii cum præcipuis centurionibus vincti ad carcerem Arcis Ravenſis in Poloniam fuerunt relegati. Nec admittere voluit Zamoyſcius Caroluſinum ad tactum dexteræ ſuæ, uti ſpurium: Pontium tamen uti virum militarem admiſit, & liberalius habuit. Capta autem Volmaria reliquum hyemis reficiendis feſſis à frigore, & oppugnationis labore militibus fuit conceſſum.

Pontus de la Gardia, ac filius Caroli nothus captivi.

Zamoyſcius denegat tactum dextera ſua filio notho Caroli Suder.

Bator Sigiſm. iterum Tranſilvaniam recuperat.

In vicina Tranſilvania hujus anni initio Sigiſmundus Batoreus ſua pro recuperando illo Principatu conſilia ſtabiliturus, Clauſenburgi Ordines Tranſilvaniæ congregati curaverat, ubi à ſuis ſectatoribus iterum Princeps Tranſilvaniæ fuit

fuit renunciatus, & præconis voce proclamatus: & qui pro Cæſare reſiſtere conabantur; cuſtodiæ ſunt tradiri, ac uxor Michaëlis Palatini cum liberis capta. Arces etiam ac Civitates plures in ejus nomen concedebant, & Georgius Baſta Cæſaris Præfectus ad tutiora confinium Vngariæ recedere initio menſis Martii maluit, præſidiis in arcibus quas retinuerat relictis. Ad quam famam Cæſar Michaëlem Viennæ tunc ſubſiſtentem, Pragam vocavit, ac tanto liberalius habuit, quod iterum ejus opera indigeret. Munuſculis itaque cumulatum, & novis promiſſis de concedendo illi Tranſilvaniæ Principatu delinitum dimiſit, ut conjunctis cum Georgio Baſta viribus, Botoreum edomaret. Is enim menſe Aprili Clauſenburgum veniens, copias numeroſas congregabat, & pluribus locis in ſuam poteſtatem vindicatis, omnia præſidia Imperatoris ex Tranſilvania exturbare conabatur. Sed Georgius Baſta, ut primum Michaël redierat, & manipulos Valachorum ſuorum diſperſos collegerat, majori fiducia progreſſibus iſtis Batorei obſiſtere cœpit, ac recollecto exercitu apud Moyzinium, Michaëli conjunctus, Batoreum eò ad initium Auguſti venientem prælio excepit. Primoque congreſſu ictibus tormentorum Cæſarianorum opportunius locatorum turbatam Batorei aciem Michaël à latere irrumpens in fugam convertit, magna cæde ſæviens in obvios, maximè pedeſtres, qui fugæ præſidio ſalvari non poterant. Caſtra quoque Bathorei & machinæ quæ erant grandiores æneæ viginti, prædæ Cæſarianorum ceſſerunt, & loca amiſſa, poſt hanc victoriam facilè ad obſequium Cæſaris redierunt: terrira exemplo Clauſenburgi, quod magna pecuniæ ſumma, uti defectionis caput, Georgius Baſta mulctavit. Omnis autem illa Batoreorum clades in caput Michaëlis tandem recidit; nam quantumvis iſte in ea pugna fidelem operam ſuam Imperatori ſatis probaſſet: Baſta tamen æmulum, cui victoriæ illius partes præcipuè tribuebantur, non ferens ſingula ejus geſta in ſuſpicionem trahebat, & cauſatus quod res Imperatoris Tranſilvanicæ ipſo ſuperſtite in incerto ſemper eſſent manſuræ, 18 Auguſti miſſis aliquot Vallorum & Germanorum Centurionibus, eum ex improviſo adhuc quieſcentem in tentorio, priuſquam ejus ſtipatores conveniſſent, interfici fecit: caput reſciſſum cadaveri equino ſuperpoſitum, & truncus ejus corporis toto biduo inhumatus ſpectabatur. Atque talem mercedem tulit ille tantus Cæſaris ſatelles, qui in everrendis Batoreis, & ſubjuganda Cæſari Tranſilvania, nil audaciæ, nil perfidiæ prætermiſit. Quamvis neque tunc Cæſar dominatum ſuum in illa Provincia firmare potuerit, abhorrentibus à Principatu Germanico illis populis: Vnde iidem Batoreo poſt illam pugnam ad confinia Poloniæ reducto, nihilominus adhærentes, pro eo & patriis libertatibus reſtituendis conſtanter decertarunt, ut in conſequentibus apparebit.

A.C. 1601.

Michaël Vienna contra Batoreum expeditur.

Bator Sigiſmundus profligatur à Cæſarianis.

Michaël occiditur à Georgio Baſta.

Tranſilvani Batoreum deſerere nolunt.

Et ut proximis proxima conjungamus. In Hungaria hoc anno damna præterita reſtauraturi Cæſariani bipartitam & diſparem exitu expeditionem contra Turcas inſtituerunt. Vnà Dux Mercurius Albam Regalem oppugnandam ſuſcepit, cum quo iverant præcipui Ductores bellici Ruſvurmius, Sifridus, Golnits, Staremberg, Althemirs, ac nona die Septembris propè ſuburbia Caſtra poſuit, muſcoſa & paluſtri planitie duo millia paſſuum latè totam illam Civitatem circumambiente, ut nullus propior ad eam, niſi per ſuburbium Segetanum pateat acceſſus. Et cum ab iſta parte propugnaculo firmo excitato Turcæ diligentius excubarent, & nonniſi longo atque ancipiti labore poſſent inde exturbari, comperto Mercurius per exploratores, eſſe ſemitam per paluſtria, qua ſinguli ruſtici ad mercatum commearent, tentandum eum tranſitum decrevit, diſpoſitiſque neceſſariis, nocte intempeſta trecenti pedites cum Reſvurmio uliginoſa illa ſuperantes, à latete in medium ſuburbium Segetanum irruerunt, ubi clamore ſublato,

Albam Regalem oppugnant Cæſariani.

 lato,

A.C. 1601. lato, & ad datum bombardæ ſonitu ſignum Mercurio à ſuis Caſtris extrema ejuſdem ſuburbii invadente, Turcæ rei ignari, & Civitatem ipſam jam eſſe captam

Albam Regalem capiunt Cæſariani.

ſuſpicati, relictis munitionibus exterioribus in arcem confugerunt. Quam etiam Mercurius admotis machinis verberavit, & poſt aliquot dierum oppugnationem vi cepit, Turcis in extremo diſcrimine nitrato pulvere incendium ingens incitantibus, quo ducenti ex oppugnatoribus perierunt, & ædificia arcis, quæ magnificentia ſua quaſque Regias Europæ auguſtiores facilè ſuperarent, corruerunt; præter templum Cathedrale, quod manſit integrum. Sed capta hoc modo Civitate & Arce, ac Bego cum trecentis Turcis præſidiariis, qui cladi ſuperfuerunt Iaurinum conducto, majus periculum Cæſarianis incubuit. Exciti enim illo damno Serdar, & Baſſa Budenſis, cum quinquaginta millibus Turcarum advolarunt, quibus Cæſarianos non plures quam decem mille acie opponi nulla recte belli gerendi ratio permittebat. Alba itaque munita, in proximo campo Cæſariani poſitis caſtris, in eis conſiſtebant, & præ caſtris per aliquot dies velitando hoſtem ſuſtinuerunt fortuna variante, donec quindecima die Octobris aſſumptis animis conflictu commiſſo cum ad frontem aciei incautè excurrens Kichai Baſſa fuiſſet occiſus, Turcæ ejus morte conſternati receptui cani fecerunt, Budamque redierunt. Dux Mercurius præſidio firmo Albæ relicto Pragam conceſſit, ac ibi à Cæſare miſſione impetrata in Galliam rediens, Norimbergæ menſe Februario anni proximi morbo inopinato correptus obiit.

Cæſarianorum cum Turcis conflictus dubius.

Ferdinandi Archid. expeditio ad Caniſiam.

Aliam expeditionem promovebat Ferdinandus Archidux ad recuperandam Caniſiam, tanto majori ſtudio, quod ea Arx ditionis ipſius proximiora Styriæ loca perpetuo Turcicarum incurſionum metu diſtineret. Vnde majores vires ad eam aggrediendam comparaverat. A Clemente VIII. Papa habuit duo millia equitum, & ſex millia peditum, in quibus colligendis omen infauſtæ expeditionis fœdus Androgyni partus præceſſit. Germanus erat Daniel Barchamorus vocitatus, qui ex concubitu cum alio milite peperit filium, & demum, examinatus Piadenæ Androgynum ſe eſſe faſſus, quod ante pro maſculo ſe gerens, ac uxorem tenens, militemque agens celaverat. A Principibus Italiæ Ferdinandus Archidux obtinuerat quinque millia militum, quibus Dux Mantuæ Vincentius & Ioannes Mediceus, Pontificis vero copiis Franciſcus Aldobrandinus præerat, univerſuſque (cum Hiſpanicis & Germanicis legionibus) exercitus ille viginti quinque millibus militum conſtabat. Cum quo menſe Auguſto Ferdinandus à confluente Muræ & Dravi, ubi caſtra pro conjungendis ſuis omnibus legionibus tenuerat, movens, Caniſiam pervenit: & repreſſis excurſionibus Turcarum, cænoſiſque tranſitibus ſtrato in longum ducentorum paſſuum ponte ſuperatis, proximè mœnia arcis illius aggeres erexit: in quibus collocatæ trifariam machinæ contra arcem, à medio Septembre explodi cœptæ, unam turrim & magnam muri partem convulſerant. Sed in ſuperanda foſſa intermedia profundiori, & nimium limoſa acceſſum ad arcem impediente, quæ ponte vel ſarmentis ob continuum jaculorum Turcicorum imbrem ſterni non potuit, oppugnatores illi gravius laborarunt; & acriori irruptione ſub finem Octobris facta, cum magna ſua ſtrage fuerunt rejecti, pluribus ex eis in lacuna illa cœnoſa ſuffocatis. Duces quoque belli non ſatis inter ſe conſentiebant, & Franciſco Aldobrandino in caſtris ex intemperie autumni frigidioris, pluviiſque continuis humidi extincto, Pontificii inter ſe diviſi nullam ferme operam utilem impendere poterant. Nec pauci in univerſo exercitu illo ex morbis & laboribus in dies extinguebantur, ut ad extremum Archiduci magis quo modo rediret, quam quo arcem caperet, conſulere fuerit neceſſe. Ad quòd conſilium ſupervenerat etiam Ruſvurmius ab Alba Regali, & reditum non improbans licet fugæ non diſſimilem,

Androgyni partus.

Italiæ Principes mittunt auxilia ad Caniſiam.

Ferdinandus Archidux Caniſiam oppugnat.

Caniſiæ oppugnationem deſerit Ferdinandus Archidux.

(nem-

(nempè tormentis, ad quæ ex limo extrahenda equi ſufficere non poterant, tentotiiſque & ægrotis plus mille relictis) in eo profuit, quod cum ſuis copiis abeuntis Archiducis terga obſervavit. Atque hunc exitum habuit expeditio illa tantis ſtudiis & impenſis præcipuorum Chriſtianorum Principum inſtituta. A.C. 1601.

Mauritius Auranius Murſenſem Comitatum acquirit.

In Belgio Comes Mauritius poſtquam donatione à Valpurge Comitiſſa Murſenſem Comitatum obtinuerat, menſe Februario caſtrum illius comitatus Crocoviam uſurpatum pro Hiſpanis repetere conſtituit, & eò miſſus ab ipſo Clutius Tribunus aditu per foſſas aquis gelu conglaciatis facili invento, præſidiariis ejus nil tunc hoſtile expectantibus eam occupavit. Menſe autem Iulio ipſe Mauritius cum viginti millium exercitu egreſſus, Bercham ad Rhenum ſive Rinbercam petiit, eo quod præſidium Hiſpanicum ibi collocatum navigationem Rheni Hollandis infeſtam faceret. Ac ſumma celeritate excitatis circa caſtra ſua contra externam vim munitionibus, omnique aditu ad Civitatem illam terra ac flumine occluſo, totis viribus obſeſſos oppugnavit, cuniculis etiam ad ipſas foſſas productis, hoſtiles munitiones præ mœnibus locatas disjecit. Præerat illi præſidio Ferdinandus Davila, cum tribus ſelectiorum peditum millibus, equites pauci aderant, & poſtquam circa defenſionem plures ex ſuis amiſerat, & non pauciores ſaucios haberet, auxilio inſuper deſperato, deditionem fecit, pacta non ſolum militibus, ſed etiam Civibus incolumitate, ac etiam tranſmigrandi quo vellent libertate, & viciſſim facto promiſſo, quòd Archidux debita interim apud oppidanos a militibus illis Hiſpanicis contracta, & aratoribus vicinis pecora abacta ſolveret. Præſidio ibi relicto, Mauritius verſus muram ſui, ut diximus Comitatus Arcem à Duce Iuliacenſi euſque occupatam tranſivit, eamque per deditionem recepit. Inde vero rediit Hagam Comitis ad conventum Ordinum Hollandiæ, qui ibi de paranda defenſione Oſtendæ conſultaturi convenerant.

Rinbercham capiunt Hollandi.

Oſtenda obſidio ſuſcipitur.

Archidux enim Albertus cum Rimbercæ nimium remotæ tam cito ſubvenire non poſſet, in Flandriam omnes ſuos exercitus converterat ad obſidionem Oſtendæ, quam Flandri à multis annis importunius ſolicitaverunt, promiſſis in ſingulos menſes ad ſumptus belli 400000 florenis, donec obſidio duraret, & expugnata Oſtenda 90000 florenis in menſes ſingulos proximi biennii. Tantum enim damni inferri ajebant Flandriæ à præſidiariis illius loci, qui excurſionibus continuis eam oram divexantes, ab Oppidis & Villis vicinioribus immania tributa extorquebant. Cui incommodo ut obviaretur primum à Farneſio anno 1583. deinde ab aliis Ducibus expugnatio ejus loci, magno conatu, ſed irrito ſemper eventu fuit tentata. Et Archidux Albertus ut excurſiones illas inhiberet, plura in illis confiniis conſtituerat caſtella, quorum cuſtodiæ ac præſidia 80000 millia florenorum in menſes ſingulos conſumebant; nec tamen ſufficere poterant ad omnem vim illius incurſionis hoſtilis coercendam. Fuit autem ibi primum pagus non adeò nominatus, inhabitabaturque à piſcatoribus majori parte, quem Ioannes Auſtriacus muro circumduxit: eumque Hollandi nacti, quod Zelandiæ inde maxima incommoda metuerent, firmioribus propugnaculis munierant, Angliæ Reginæ hipotecæ nomine, ejus uſu & defenſione tunc commiſſa. Demum verò Caleto Gallis, & Hulſto ipſis ab Alberto Archiduce intercepto, ne nimium lubricum in Flandria pedem retinerent, illum locum majori cura & impenſa vallo & foſſis undique duplicibus ductis cinxerunt, ut inexpugnabilis videretur, etiam opinione Hiſpanorum, qui ideo expeditionem illam Archiducis improbabant: unde quendam liberius eum locum inexpugnabilem prædicantem, in terrorem aliorum malè de illa expeditione ominantium, laqueo publicè necari fuit neceſſe. Eò itaque ſub finem menſis junii hujus anni Duce Oſſuna cum octo legionibus peditum præmiſſo, ipſe Archidux reliquas copias conduxit, ac

Oſtenda ſitus.

 operis

A.C. 1601. operis excitatis, vineiſque vallum oppidi prope actis, die 5 menſis Iulii inchoata ibi fuit oppugnatio futuris ſæculis memorabilis, & præteritis nullo exemplo audita, præter Troianam fabuloſam. In triennium enim & totidem menſes fuit illa continuata, ſumma ingeniorum, vitium, ſcientiæ militaris, & opum profuſarum contentione, ac mirum in modum erectis ad ejus exitum ſtudiis, & expectationibus Chriſtianorum Principum, qui certatim ad eam viſendam, vel induſtriæ militaris, tanquam in palæſtra talis artis, experimenta capienda, magno numero aſſiduè commeabant. Præfectus in ea Civitate tunc erat Noot cum viginti ſtipendiariorum militum, & uno Civium ſignis, ad quos paulo poſt advenerat Veer Anglus cum octo ſignis Anglorum. Et cum primo eo acceſſu Archidux uſum portus veteris dicti ademiſſet, ac ad novi littoris ripas occupandas ſarmenta, atque ejus generis materiem in maxima copia comportari feciſſet, propiuſque applicatis ſuis munitionibus vallo oppidi immineret, non difficilis ejus oppugnatio videbatur, ſed obſeſſi continuis eruptionibus ac cuniculis ex adverſo actis mox oppugnatores inde removerunt. Æſtus quoq; refluentis maris vehementior aggeres iſtorum non multo poſt disjecit, & fortuitum incendium in caſtris ipſorum exortum, operas quas ad intercludendum illum portum extruxerant diſturbarat, quo & tranſitus navibus venientibus in Civitatem patuit, & in dies recentibus auxiliis & cibariis à longe allatis obſeſſi reficiebantur. Erectum vero poſtea ab iiſdem oppugnatoribus altius contra ea littora propugnaculum, adeo infeſtum erat navigantibus, ut vix aliqua navis ictibus tormentorum non perforata in portum intraret. Ac maximè in illo initio certabatur jaciendis utrimque machinarum vi pilis ignitis, quæ nullo loco Civitatis ſecuros obſeſſos conſiſtere ſinebant, continuo & crebro inſtar denſorum fulminum pervolantes, nempe quæ majori ſæpius quam minori in uno menſe in Civitatem 50000, & ex Civitate in caſtra 20000, numero intorquebantur. Sub finem anni aliquantum fracti laboribus obſeſſi, & peſte inter eos graſſante ad tractandam deditionem inducias obtinuerant, quibus induſtria Præfecti eorum Veeri protractis, cum interim quinque naves Hollandicæ cum novo milite & abundanti commeatu in portum appuliſſent, rejecto omni tractatu, majoribus animis ad defenſionem ſeſe compararunt longiorem, ut ſubſequentia docebunt.

Albertus Archidux oppugnat Oſtendam.

Duxerat etiam interim Comes Mauritius exercitum ad Sylvamducis, ut obſidione ibi inſtituta Archiducem ab Oſtenda avocaret. Sed cum non plures milites quam duo millia equitum, & octo millia peditum haberet, cingere ita Civitatem non potuit, quin ad eam ſubſidia venientia aditum invenirent, & menſe demum Novembre obſidione incœpta, pluviæ & frigora ingruentis hyemis in tantum exercitum ejus afflixerunt, ut ſub finem ejuſdem Novembris receptui canere debuerit.

Mauritius Auranius Sylvam Ducis petit irrito eventu.

Nec aliud ſingularius hoc anno in Belgio accidit, præter maritimas claſſium expeditiones, quæ & ab Hiſpanis & ab Hollandis emiſſæ plurima ab utrinque à tempeſtatibus maris damna retulerunt, ex Hiſpanicis ſedecim navibus cum magna copia auri & mercium, ac plures mille viris demerſis. Olivarius à Nort Hollandicus navigator, Magellanicum fretum tunc tranſierat, & apud Manillam Hiſpanicas naves aggreſſus, Prætoriam ex iis depreſſit, pluresque alias incendit: ſed iterato conflictu ſuperatus, ex ſuis unam navem amiſit, quam Hiſpani Manillam conduxerunt, & ejus nautas ſpe veniæ ad Fidem Catholicam, præter Navarchum, converſos ſuſpendio necarunt.

Hiſpanorum cum Hollandis navalia certamina.

Ab Italia quoque à Comite Fontano Mediolani Gubernatore, unà cum Genuenſibus, & Florentiæ Duce emiſſa fuit claſſis contra Algerim, quæ etiam non multum præſtitit, nam nulla excenſione in littus hoſtile facta inglorìa poſt brevem velifi-

Claſſis ab Italia contra Algerim.

A. C. 1601.

Hiſpani Hybernis auxilia ferunt.

velificationem ad proprios portus rediit. Alia autem Hiſpanica claſſis cum præfecto Ioanne Aguillario, ac quinque circiter millibus militum Hiſpanorum in Hiberniam diverterat, ut opem ferret Tyrinio, ac Catholicis ibi contra Reginam Angliæ ad arma concitatis. Sed nec iſta meliorem fortunam invenit; nam ad portum Quinſalenſem appulſa, vix in terram egreſſis Hiſpanis, Reginæ Angliæ in illa Inſula Gubernator Baro Montiojus gente Blontius, collectis ſtatim tumultuariis copiis, portum illum & ipſam Civitatem Quinſalam obſedit. pars Claſſis iſtius Hiſpanicæ portum Caſtellavenſem, Baltimorenſem & Beranum occupaverat, adjuvantibus Hibernis Catholicis, qui ad famam adventus talium auxiliariorum Hiſpanorum ad arma concurrebant, & Tyronius eorum Dux, collecta aliquanta manu Quinſalam ad liberandum obſidione Aguillarium adjunctis ſibi illis Hiſpanis proceſſerat: ſed à Montiojo cæſus, vix in devia ſylvarum; ejus vero filius Odonel nactus navim in Hiſpaniam evaſit. Hiſpanorum qui cum Tyronio erant Tribunus cum tribus Centurionibus & quinquaginta militibus vivus in poteſtatem Anglorum venit, ac alii mille Hiſpani ac Hyberni in illo conflictu occubuerunt. Vnde Aguillarius de hac clade ſuorum nuntio accepto, tranſigere coactus fuit cum Montiojo, ut Quinſalam & alios portus interceptos Anglis redderet, obtenta incolumitate ſuis Comitibus, & armorum ac impedimentorum abducendorum libertate, ad quæ conducenda, etiam naves aliquæ fuerunt ei cum cautione reſtitutionis ſubminiſtratæ. Hac occaſione rerum Anglicarum memorari poteſt exemplum inconſtantis fortunæ Aulicæ, quod hoc anno Anglia ſtupefacta ſpectavit in perſona Roberti Devoreuſii Eſſexiæ Comitis. Is privatis obſequiis demeruerat ſibi gratiam Reginæ, & ea ſubvectus ad ſummos honorum gradus, præcipuas rerum gerendarum partes in illa Aula obtinebat. Illectus autem majoris poteſtatis ac gloriæ militaris cupiditate, aſſumpſerat adminiſtrationem belli contra illum rebellum Tyronium in Britannia, quod biennio toto continuatum feliciter confecit, ac ipſum Tyronium ad ſuſcipiendas conditiones ſubjectionis coëgit. Sed interim in Aula Regia ejus æmuli, quem præſentem lædere non poterant, abſentem occultis criminationibus facile ſupplantarunt, ductis contra eum affectari Regni ſuſpicionibus, inde quod cum Tyronio remotis arbitris, colloquia habuerat, quaſi in illis de obtinenda pro ſeipſo illa Provincia compoſuiſſet, & quod multos ex ſuo Comitatu Equites auratos creaſſet Regia poteſtate uſurpata, quæ & ſimilia nonnulla credulo fœmineo animo tenacius inhæſerant. Cum itaque & ad ſtabilienda cum Tyronio pacta conſenſum Reginæ requiſiturus, & injuſte de ſe ſparſa purgaturus ad Aulam veniſſet, monitu ne veniret ſpreto, nimirum arbitratus id non juſſu Reginæ, ſed æmulorum arte fieri, ea familiaritate qua nuper abſque ullo reprehenſionis periculo utebatur, in Gynæceum rectà ad Reginam adhuc diſcinctam & incomptam irruit, quæ propterea magis indignata, vocato conſilio, eum omni dignitate privatum ſub cuſtodia manere juſſit; & demum ne domo ſua pedem efferret, vel ad Aulam non vocatus veniret, ſevere præcepit. Vnde æmuli ſumptis animis, nova crimina apud Rginam ipſi affingebant: nempe conſpirationes quibus illam injuriam vindicaret (ſibi magis metuebant accuſatores & Iudices, ſi ille evaſiſſet) eum moliri, imperium fœmineum dicteriis proſcindere, ac penſa & ſtamina Reginæ improperare; tum & ſuperbe exceptos conſiliarios qui ad eum leniendum miſſi fuerant. Ac facile hæc apud exaſperatum jam Reginæ animum fidem invenerunt: & Eſſexus comprehenſus, ac cauſam læſæ Majeſtatis dicere juſſus, licet conſtanter objecta crimina negaret, nec ulla perſuaſione ac veniæ ſpe induci poſſet, ut culpam fateretur deprecareturque, in area Turris Londinenſis capite truncatur ictu tertium repetito. Ejus caput inter alia damnatorum capita in Turri

Tyronius Hibernorum Dux profligatur.

Hiſpani ex Hibernia abire coguntur.

Eſſexia Comitis in Anglia fortuna inconſtans.

Eſſexius Comes capite truncatur.

R 4 Lon-

A.C. 1601. Londinenſi ſublime affixium, Regina è feneſtra contra illam Turrim proſpectans, inter colloquia ipſamet monſtravit Duci Bironio Mariſſchallo Galliæ apud ſe paulo poſt illius Regis Legato, exhorrenti tam feralis ſententiæ recordationem, qua neſcius imminentis fati ſui ſimilis admonebatur.

Henrico IV Galliæ Regi filius Delphinus naſcitur. Gallia hoc anno alta pace quieſcens, fauſtis acclamationibus perſonuit Delphino nato Regi Henrico Quarto, ex Maria Medicea vigeſima ſeptima menſis Septembris die, aſſiſtentibus puerperio de more veteri Principum ſanguinis Galliæ delegatis, & obſervantibus ne alienus fœtus ſupponeretur: Ludovici nomen ipſi fuit impoſitum. *Friderico Palatino naſcente motus terræ.* Eodem anno, eodemque menſe, at octavo menſis die editus fuit in lucem filius ſecundo genitus Electori Comiti Palatino Friderico IV, ex Loiſia Iuliana Naſſovia Comitis Mauritii ſorore. Infauſtum Germaniæ illum partum futurum terra eo ipſo tempore inter Francofortum & Argentinam tremens, augurabantur. Sed non diu ſuperſtes fuit ille puer nam infans obiit.

Iaponum Regni converſiones. In gratiam propagationis Fidei Chriſtianæ ſtudioſorum præſtat quoque hic memoraſſe, quod ſucceſſit hoc anno maxima Imperii Iaponum converſio Taicoſamæ morte, qui cum filio ſuo infanti Iejaſum Daifuſamam tutorem dediſſet, adjunctis ei aliis Coadminiſtratoribus præcipuis diverſorum Regnorum in illa Monarchia Dominis, qui tamen ab ipſo dependerent, illi mox in factiones diviſi, alii cum Iejaſo, alii contra Iejaſum ſteterunt, & Iejaſus congregato trecentorum millium exercitu, ſuos illos adverſarios profligavit, eorum vero præcipui re deſperata, cum ventrem ſibi ſcidiſſent, (eſt fortitudinis in illa gente conſciſcere ſibi mortem talem potius quam vivum venire in hoſtis poteſtatem) anteſignanos tamen tres, Gibunoſcium, Ancocugum, Bonzum, ſive Antiſtitem idolorum ſuorum, & Auguſtinum Tutnoea Mindonum præcipuum Religionis Chriſtianæ in illis partibus propagnatorem & patronum, vivos cepit, & Mejacum deductos capitis ſupplicio affecit, ac triginta prope Regna ſuis iſtis æmulis erepta, inter ſuos aſſeclas diſtribuit. Quo rebus Chriſtianorum, præſertim morte Auguſtini multum afflictis, reſciſſis tamen ea accaſione per Iejaſum Taicoſamæ ſeverioribus decretis contra eos ſancitis, quæ alioquin pars contraria inviolata conſervari *Chriſti fides propugnatur in Iaponia.* voluiſſet, plurima commoda acceſſerunt, & majorum incrementorum ſpecioſæ occaſiones ſunt oblatæ ex partitione nova Regnorum illorum in perſonas Chriſtianis conjunctiores, quorum favore iſti in loca earum Provinciarum ac Inſularum nec dum ſibi pervia ad diſſeminandam Chriſti Fidem penetrarunt. Copioſior iſtorum narratio à relatoribus Iaponicarum rerum peti poſſet: ex quibus adhuc excerpſiſſe, hicque annotaſſe commoditati lectoris non oberit, quod illæ Inſulæ ſitæ ſunt ultra Indias Orientales, inter Septemtrionem & ortum ſolis, cis tropicum Cancri ſub elevatione poli Arctici graduum circiter triginta quinque, ut in globo Terræ è diametro Italiæ opponantur; alluunturque mari Sinarum à quibus à meridie ſibi obverſis ſexaginta leucis tantum diſtant, & ab Hiſpania nova 150 leucis, ut margine extrema in gyro globi Terræ prope Americam contingant, ut alias diximus.

Annus Chriſti, 1602.

Zamoyſcius in Livonia Felinum obſidet. CVm autem ut ſupra diximus Zamoyſcius Cancellarius Poloniæ cum exercitu in Livonia hybernaſſet, remittentibus aliquantum hyemis aſperitatibus, menſe Martio hujus anni Milleſimi, Sexcenteſimi ſecundi, exercitum ex ſtativis contraxit, nihilque feriandum ratus, arces ab hoſte in Livonia occupatas, recuperabat. Et primo Volmario movens Anzelmum, Erme-

A.C. 1602.

Ermezum, & Helmet Oppida ad deditionem coëgit, & omnes arces obvias partim vi, partim metu præſidiariis incuſſo, in ſuam poteſtatem redigens, Felinum pervenit. Arx illa eſt muro ac foſſis circumducta, & majori cura à Cruciferis quondam contra Moſchorum potentiam munita, adjacens Moldaræ fluvio, à confiniis Moſchorum per lacus frequentes in vicinum mare magnos fluctus volventi.

Felini ſitus.

Hanc itaque aggreſſus Zamoyſcius, eò difficilius expugnandam fore advertit, quod pedites non plures quam quingentos in exercitu haberet: tamen inſtituta oppugnatione, Ducis alacritas defectum illum ſupplevit; nam dejecta machinarum vi mœnium parte, & aditu ad arcem patefacto, ipſemet ex equo deſcendens, & ad aſſiliendum arcem progrediens, equites commovit, ut omnes equis relictis certatim peditum munia ſubirent. Ac prima aggreſſione iſti ſuperatis foſſis inter denſiſſima ab obſeſſis exploſa bombardarum jacula ſummo niſi ad arcem penetrarant, eodemque impetu eam pæne ceperant, niſi jaculatorum errore ſummis muri tantum concuſſis,ima altiora quam ut ſine ſcalis aſcendi poſſent,eos irruentes improviſo retinuiſſent. Vnde eo die re infecta retrocedere ſunt coacti, non ſine multa ſtrage,& quidem Nobiliorum, inter quos & Georgius Farensbach Palatinus Vendenſis occubuit. Inſequentibus etiam diebus in promovendis propius arcem operis & machinis, ac in dejiciendis propugnaculis arcis, gravius fuit laboratum, & non pauci deſiderati: immo & ipſe Dux Zamoyſcius dum locum inſtaurandæ oppugnationi commodiorem ſpeculatur, periculum vix evaſit ab ictu bombardæ, qui fibulam ſinguli ejus ventrem ſtringentis diſrupit. Iterata vero irruptione virtuti oppugnatorum etiam fortuna præſto adfuit; nam fervente pugna ignis in arce fortuito in depoſitorium pulveris nitrati illapſus, incendium ingens excitavit, & propugnaculum proximum convulſit, quæ ruina plurimos defenſores unà cum Præfecto Arcis oppreſſit, & reliqui deditione facta, furorem militarem effugerunt.

Zamoyſcius periclitatur apud Felinum.

Felinum capiunt Poloni.

Sed capto Felino major cura Zamoyſcium excepit; milites enim ſeceſſione facta, ſtidendia quæ tota illa expeditione Livonica non habuerant, tanta pertinacia repetebant, ut omne obſequium recuſarent, niſi prius illa numerarentur. Ac plurimæ interim occaſiones rei benegerendæ effluebant: Conſternatus enim hoſtis ex Felino amiſſo, omnem ſpem defendendæ Eſtoniæ depoſuerat, cum & copias quibus progreſſus Polonorum retardare poſſet non haberet, & ſubſidia ex Suecia nonniſi tardiora expectaret. Quare miſſis Legatis ad Zamoyſcium,pacem vel inducias, ſub quibus pax firmior tractaretur petebat. Comes Mansfeldius præerat tum cum Imperio militari loco Caroli Sueci in illis Provinciis: & cum nullas inducias concedendas fore, niſi Derpato, Parnava, Lais, Narwa, & Vaiſteino reſtituto reſponſum tuliſſet, remorante militari ſeditione Zamoyſcium, recollegit aliquantas vires, & arces Eſtoniæ, quæ euſque præſidiis deſtitutæ fuerant munivit, ipſemet intentus ad laceſſendum Zamoyſcium, uti ſperarat à militibus deferendum, & in Poloniam rediturum. Quæ tamen expectatio eum fefellit; nam partim prece, partim pecuniis ex peculio Zamoyſcii proprio deprompris milites mitigati, ut ſtipendia uno & altero menſe expectarent, ad officium redierunt. Sicque impedimento omni ſublato, Zamoyſcius ſtatim levioris armaturæ cohortes in Eſtoniam expedivit, quæ totam eam Provinciam ſumma celeritate decurrentes, in pluribus locis Mansfeldianos ex inopinato oppreſſerunt, Mansfeldio Revaliam fuga ægre elapſo. Derpatenſes præſidiarios ducentos pabulatum egreſſos ex inſidiis adortus Koſakovius profligavit, paucis fuga ſalvatis: Kozacy prope Iberpolim excurrentes, Præfectum Vaiſenſteinenſem Hilium Anglum, & Pilum Livonenſem centurionem cæſo ipſorum comitatu vivos cepe-

Poloni milites in Livonia tumultuantur ob ſtipendia non ſoluta.

Zamoyſcius in Eſtoniam duxit exercitum.

Derpatenſes præſidiarii cæduntur à Polonis.

A.C. 1602. ceperunt. Ipſe Zamoyſcius cum toto exercitu ſubſequens ad finem Iunii prætergreſſus Iberpolum deſertum ab hoſte, præſidioque illi impoſito, proxime Vaiſenſteinum caſtra poſuit. Pro Hilio à Kozacis capto præſidiarii ejus loci Alphonſum quendam Hiſpanum ſibi præfectum delegerant, & Oppidum arci vicinum quod difficilius defendi poſſet, exuſſerant: erantque trecenti ſelectiores ſtipendiarii, præter Oppidanos & ruſticos intro receptos, qui erant quadringenti. Arx autem illa in planitie ſita, eſt acceſſu difficilis propter paludes cænoſas eam circum late ſtagnantes, & ſtructura muri, propugnaculis, vallo, foſſis munitiſſima. Vnde peritiores rei militaris eam niſi longa obſidione ſtringeretur inexpugnabilem judicabant, & tempus illud pro expugnandis aliis opportunioribus locis utilius inſumendum ſuadebant. Zamoyſcius tamen ut Polonis etiam ad munitiora quæque debellanda vires & conſilium non deeſſe probaret, præſertim apud Germanos & Gallos, quorum plurimi eò ſpectatum advenerant, oppugnandam decrevit, & diſpoſitis ad intercludendos omnes ejus aditus excubiis, neceſſaria oppugnationi comparari juſſit. Ab Auſtrali parte qua paludes magis lutulentæ latius patebant, munitiones arcis infirmiores & ad quatiendum machinis faciliores videbantur, ſed immenſi & incredibilis pæne erat operis viam eà parare, præſertim ducendis & propius arcem admovendis majoribus machinis, ubi nec humanum, nec jumentorum veſtigium conſiſtere poterat. Superavit tamen labor improbus, & vincendi cupido omne arduum, nam comportatis ingenti multitudine palis, trabibus & virgultis, illa omnia luto & aquis profunde hiſcentia replebantur. Et dum hæc ibi perficiuntur, exploratores attulerant Suecos cum Eſtonibus Duce Rainoldo Arnep Vicario Comitis Naſſovii (ipſe enim Naſſovius majores copias à Carolo adducturus in Sueciam abierat) prope Revaliam congregari, ut Vaiſenſteino ſubvenirent. Eo itaque Staniſlaus Zolkiewski cum parte copiarum profectus, cum à pabulatoribus Polonis interceptis de ſuo adventu præmonitos Suecos inſtructos ad pugnam reperiſſet, nil cunctatus eos prælio aggreditur. Ac initio una & altera & hora ancipiti Marte certabatur; maxime quod frontem aciei Sueticæ haſtilibus complicatis inſtar ſepis munitam equitatus Polonicus, nempe cohortes Stephani Potocki, & Sigiſmundi Kázánowski cæteris præeuntes perrumpere non poterant, & etiam poſt iteratum impetum retrocedere cogebantur, donec circumacta velitum legio ad tergum hoſtium Ordines eorum turbavit, & omnis equitatus irruens edita magna ſtrage eos confecit. Præfectus eorum Rainoldus haſtâ transfixus occubuit, & ex peditatu vix aliquis vivus ſuperfuit, præter paucos in captivitatem ductos: equites fugientes uſque ad portas Revaliæ Poloni proſequuti, plurimos occiderunt, & aliquos inſigniores vivos ceperunt, Revalia nemine excurrere, & ne quidem bombardas in victores prope portas Civitatis circumcurſantes explodere audente. Caſtra cum tormentis & impedimentis omnibus prædæ victorum ceſſerunt. Apud Vaiſenſteinum autem poſtquam toto menſe Iulio pontium, & erigendorum in paludibus aggerum operæ fuerunt perfectæ, machinæque in eis collocatæ, partem muri Arcis proſtaverant, obſeſſi deſperata defenſione deditionem tractarunt, & initio menſis Auguſti cum armis & ſarcinis ſuis arce tradita abire ſunt permiſſi.

Vaiſenſteinum obſidet Zamoyſcius.

Vaiſenſteini ſitus.

Zolkievius Suecos profligat apud Revaliam.

Nec ultra progredi voluit Zamoyſcius, ſed præſidio Arci illi impoſito, omnique inſtrumento bellico ibi relicto; ac Carolo Chodkiewicz cura illius Provinciæ commiſſa, reditum in Poloniam maturavit, recrudeſcente militum ſeditione, qui ſtipendiorum ſolutionem iterum obſtinacius urgebant. Maxime quod non deeſſent invidi gloriæ ipſius, quorum arte neceſſariorum illi bello, & præſertim pecuniæ ſubminiſtratio præpediebatur. Immo jam inde æmuli (præſertim Potocii

tocii alioquin ejus patrocinio evecti ad meliores fortunas) eam in diverſas ſuſpiciones trahebant, quaſi milites ad tumultuandum contra Regem, niſi ſtatim ex Livonia abiiſſet, ſubornarit, novaſque in Republica turbas molitetur, ut infra ſuo loco attingemus. A.C. 1602.

Nil autem aliud memerabile ſub id tempus in Polonia accidit, peſtis enim acerbius, in omnibus pæne ejus partibus ſæviens, non ſolum publicorum, ſed & privatorum negotiorum curſum interruperat. Comitia tamen Generalia ad principium anni proxime advenientis Cracoviæ celebranda fuerunt denuntiata.

In Belgio vero Archidux Albertus obſidionem Oſtendæ diutius quam putarat trahi moleſte ferens, eam accellare oppugnatione decrevit, comparato apparatu neceſſario, militeque ad periculum ſubeundem ſolutione ſtipendiorum animato, Tribunis functiones & loca diſtribuit, qua ad ſignum datum ſeptima die Ianuarii munitiones hoſtiles invaderent. Hora itaque pomeridiana ejus die, cum aquis recedentibus per nudata ſpatia arenoſa aditus pateret ad mœnia Civitatis præſertim veteris, quæ facilius capi poſſe videbatur, denſa agmina Archiducalium proceſſerunt, ut à quatuor partibus impreſſionem facerent, ſimulque veniebant cunicularii primo Ordini militum permixti, cum ſcalis & ligionibus, quibus propugnacula aſcenderent aut ſuffoderent. Ac fuiſſet actum tunc de obſeſſis, niſi à quodam transfuga Italo præmoniti, diligentius periculo providiſſent, diſpoſitis majori numero quà hoſtes erant adventuri tormentis, quibus primum eorum impetum edita in eis maxima ſtrage fregerunt. Maxima autem vis contra Civitatem veterem cum Gambeloto converſa fuit, & quamvis manipulatim ſternerentur oppugnatores jaculis machinarum, & etiam apertis catharactis erumpentes aquæ plurimos eorum præcipites everterent, tamen per tot diſcrimina eluctati ad propugnaculum Santhilanum, illud ſuffodere cœperant, & in Civitatem ipſam veterem penetrarant. Sed tamen adnitentibus obſeſſis, poſt longum conflictum fuerunt rejecti.

Oſtenda oppugnatur.

Oſtendam ſtrenue defendunt Hollandi.

Ab aliis quoque partibus Civitatis, ſumma contentione utrique certabatur ultra duas horas, donec nocte & æſtu maris ſuperveniente Archidux receptui cani fecit. Bis mille ex Archiducalibus tunc feruntur cæſi & inter Hiſpanorum cadavera unum muliebre fuit inventum, nudotenus torque aureo redimitum: virili habitu illa fæmina militiam pluribus annis profeſſa, inter primos fortiter pugnans occubuerat. Ex obſeſſis non plures trecentis ſunt deſiderati, vulnerati plures. Nil tamen territus illa clade Archidux obſidionem proſequebatur, ac præcipuam curam eo convertit, ut cum primis intercluderet maris aditum obſeſſis, peritiſſimoſque undique rei bellicæ Magiſtros conquiri, & ad ſua caſtra conduci fecit, qui diverſa ad hoc artioficioſiſſima inſtrumenta fabricarant, & inter cætera erexerant propugnaculum (plana forma dictum) terra virgultiſque alta mole congeſtis, ex quo commeantia ad illum portum navigia perpetuo verberabantur. Nautæ tamen pericula omnia continuato ultro citroque curſu, licet raro ſine damno, evadere aſſueverant, & à navigatione præſertim nocte, non ceſſabant, ac quicquid moliebantur Hiſpani, labore & induſtria obſeſſorum eludebatur, ut ſubſequentia docebant.

Fœmina militiam profeſſa.

Oſtenda portum occludi fecit Archidux Albertus.

Non multo poſt nempe menſe Majo Franciſcus Mendoza Admirabilius Arragoniæ, eouſque apud Hollandos à prælio Nouportenſi captivus, ſoluto viginti quatuor millium nummorum aureorum lytro, & commutatione multorum captivorum Hollandicorum fuit liberatus, ac recta ad Archiducem in Caſtris apud Oſtendam degentem venit cum capillitio in humeros dependente, quod toto captivitatis ſuæ tempore tonderi non permiſerat. Hollandi autem cum vident Archiducem circa oppugnationem Oſtendæ perſiſtere, ut eum inde avoca-

Admiralius Aragoniæ ex detentione Hollandica liberatur.

A.C. 1602. avocarent, collectum validiorem exercitum contra Brabantiam duxerunt, & ſub finem menſis Iunii Comes Mauritius eorum Dux Moſam tranſgreſſus, Admiralium qui eo ab Archiduce cum copiis periculo opponendis miſſus circa Tienam caſtra habebat; adoriri propoſuerat, miſſoque caduceatore eum ad prælium evocavit. Sed cum ille in Caſtris ſe contineret, Mauritius Graviam contendit, eamque 20 die Iulii obſedit. Civitas illa eſt in confinio Brabantiæ & Geldriæ ad Moſam ſita, & nonnunquam ad Duces Geldriæ, nonnunquam ad Brabantiam pertinebat, Guilhelmus vero Naſſovius Mauritii pater eam à Burenſi Comite, cujus filiam tunc habebat uxorem emptionis titulo acquiſierat, ſed à Parmenſi occupata, euſque ab Hiſpanis detinebatur. Eam itaque recuperaturus, Mauritius, primo ejus propugnaculum ad Moſam ſitum occupavit, ac erecto vallo & foſſa caſtra ſua circum Civitatem diffuſa ita comminuit, ut omnem vim auxiliariorum à foris venientem facile ſuſtineret. Mox excitatis vineis propius munitiones Civitatis, machinas expediri fecit, & jaculando continuo obſeſſos fatigavit. Mille quingenti intro erant præſidiarii, præter cives trecentos circiter, qui eruptionibus frequentibus oppugnatores laceſſebant alacrius, quouſque ſubſidiis ab Admiralio dandis confidebant. At ubi iſte tentato ad obſeſſos tranſitu rejectus receſſit, ſegnius operi defenſionis inſtabant, & apparentibus oppugnationem Mauritianis, die decima nona Septembris deditionem fecerunt, pacta impedimentorum ac armorum ſignorumque militarium auferendorum facultate; Civibus etiam promiſſa fuit præteritorum Amneſtia, & manendi ibidem vel alio migrandi poteſtas, tum & immunitas à tributis ad certum tempus, ac libertas à recipiendis hoſpitio militibus, pro quorum habitatione loca quædam ſeorſim fuerunt deſtinata. Seditioſis militibus hoc damnum Archidux imputabat, & eos publicato edicto, ni intra certum terminum ad obſequium redirent, proſcripſit; bona illorum fiſco applicanda fore edixit, & in capita ſingulorum præmium percuſſoribus aſſignavit. Sed illi nihil eo edicto moti in pertinacia ſua perſtiterunt, ac tanto majori audacia Brabantiam, agros Leodienſes, ac etiam viciniora Cliviæ, Iuliæ, Coloniæ, Treveris, Aquiſgrani territoria direptionibus & exactionibus vexarunt; donec Principes illorum locorum ea de re acerbioribus querelis Archiducem permoverunt, ut eis non tanquam jure debitam, ſed gratuito ſummam pecuniæ certam numerari juſſerit. Agrum autem Lucemburgenſem Hollandorum copiæ ex alia cauſa excurſionibus afflixerunt: multo enim ante bellium tributum colonis illius tractus impoſuerant, quod cum hoc anno à Magiſtratibus illorum locorum dari prohiberentur, Ludovicus Naſſovius eo excurrens, centum quinquaginta circiter pagos exuſſit, & magnam prædam abduxit, una cum pluribus captivis, inter quos fuit Abbas S. Huberti, poſtea quadraginta millium nummorum aureorum lytro liberatus. Vnde Archidux graviora veritus, Comitem Buquojum ab Oſtenda ad tuendam eam regionem evocavit, & obſidio Oſtendana hoc modo diſtractis Hiſpanorum viribus languebat. Fridericus vero Spinola Genuenſis emeritus ab Hiſpano Rege titulos, quibus divitias ſuas ex mercatura cumulatas nobilitaret, ſumptu proprio claſſem octo triremium inſtruxerat, ut Hollandica littora infeſta tenendo, obſidionem Oſtendanam juvaret: ſed ex eis duas primum prope portum Sabuſalenſem Pyratæ exuſſerunt, & appropinquantes Galliæ littoribus reliquas Angli conſpicati, conjuncta manu cum Hollandico Architalaſſo in naufragia compulerunt, & Spinola cum ſua Prætoria ac una onetaria ægre evaſit Dunchetkam.

Graviam capiunt Hollandi.

Militum ob ſtipendia non ſoluta tumultuantium inſolentia.

Hollandi in Lucemburgam occurrunt.

Spinola Fridericus octo triremus adducit contra Hollandos.

In Gallia nonnulli quietis impatientes damnata pridem de tradendo Hiſpanis Galliæ Regno conſilia inſtauraturi, primum procurabant, ut veneno Regem tollerent: ad quod ſemel & iterum deprehenſum cum Rex eſſet cautior, nutrici

Conſpirationes contra Regem Galliæ.

Del-

Delphini illud propinari fecerant, quæ tamen ut virus ſumpti pharmaci perſenſit, infantem à ſe amovit, & paulo poſt ipſa eo extincta periit. Itaque cum hoc conſpiratoribus non ſucceſſiſſet, Regem ac Reginam, poſteaque Delphinum occidendum ſtatuerant, Bironio Mariſchallo, & Comite Averniæ tanti ſceleris adminiſtris, ut qui Regi familiariores faciliorem perpetrandæ ejus necis occaſionem habituri videbantur. Fidus & charus inter paucos erat Regi Bironius Carolus Gontault genere, à Rege primum Mariſchallus Galliæ, poſtea Dux Bironii creatus, & adminiſtratione Ducatus Burgundiæ,ac aliis amplioribus Præfecturis ornatus. Conceperat autem odium in Regem, quod iſte æmulum ſuum quendam ad dignitates evexerat: ſeu magis elatus tanta felicitate, majores ſpes ſequi voluit, & pactus nuptias filiæ Ducis Sabaudiæ, ac Gubernationes in Gallia ampliores, adhæſerat illi conſpirationi contra Regem, quæ hoc anno per Fineum talium arcanorum conſcium detecta, in ipſiuſmet Bironii caput recidit. Vt enim accitus venerat Fontaneblum ad Regem, comiter ex more ſuſceptus, & remotis arbitris à Rege ipſo de conjuratione & agnitione culpæ admonitus, cum pertinacius negans nullam deprecationem, eoque magis obfirmatum ad perficiendum facinus animum præſeferret, poſtquam à Rege ſera nocte in hoſpitium ſuum redierat comprehenſus, inſequenti die menſis Iunii quatuordecimo ad carcerem turris Antoniæ vulgò dictæ Baſtilla, Pariſios fuit deductus. Vytrius curam habuit demandatam ut eum apprehenderet, qui capulo ejus gladii apprehenſo, cum dixiſſet ut arma traderet, & ſe captivum dederet, ille graviore querela, arma quibus Patriæ ſalutem vindicârat, ne ſibi adimerentur deprecabatur. Sed Vytrio Regis eſſe juſſum reſpondente, ea tradens dixit, nunc primum & ultimum ea depono. Aliqua etiam acerbiora effutiit, quæ magis Regem irritârunt: unde quantumvis exorantibus ejus propinquis, coram Iudicibus cauſam ſuam dicere fuit juſſus. Nec multa indagatione opus fuit, ut enim Bironius vidit à Fineo coram Iudicibus productas ſuas literas, quas uti mandaverat exuſtas fuiſſe credebat, & etiam in teſtem adductum Renazeum, quem ipſe in carcerem conjici & ibi necari præceperat, nec ſuperſtitem eſſe putârat, ipſemet factum agnovit, nec purgare voluit; ſed cogitatum ſolum patrato crimini æquari non poſſe ajebat, & effuſus in jactationem meritorum ſuorum, eorum rationem haberi, vitamque ſibi, uti plurimis poſt impletum damnatumque ſcelus clementia Regis præſtitit, condonari petebat, triginta vulnerum adverſorum in corpore ſuo pro Rege & Patria acceptorum cicatrices Iudicibus oſtenſtans: ut commoti tanto viri ſummi caſu lachrymis temperare non potuerint. Sed ea conjuratio non ſolum in Regem, ſed & in omnes Proceres qui Hiſpanis adverſarentur fabricata erat tam atrox, ut nonniſi terrore ſupplicii Bironii opprimi potuiſſet. Vnde cum nullus appareret ignoſcendi modus, menſe Iulio ſententia damnationis ad mortem fuit in eum prolata: quam adhuc ille non ceſſavit deprecari, ut ſaltem in carcerem vel exilium perpetuum mutaretur, & advenientem quemque eſſe Nuntium factæ ſibi gratiæ arbitrabatur, identidem inclamans plurimos perduelles fuiſſe abſolutos, ſe autem ob meditatum duntaxat crimen damnari. Indulſerat tamen Rex amicorum precibus, ne in foro Graviæ damnationum loco publico ſupplicium ex eo ſumeretur, & bona ipſius quæ Iudices fiſco Regio applicari voluerant, ejus hæredibus abdixit. Die vero decima ſeptima Iulii exſequendo ſupplicio deſtinato, Cancellarius cum quatuor Senatoribus, & totidem Scabinis Civitatis ac Capitalium cauſarum Prætore Baſtillam aſcendens, primum à damnato inſigne Ordinis S. Spiritus, quod ille ex collo ſuſpenſum gerebat, repoſcit; poſtea & Coronam ac pallium, inſignia Ducalia, & baculum Mariſchalleum: eiſque receptis, ſententiam judicii prælegi, tempuſque ſupplicii ipſi denuntiari fecit. Mox ad pegma quatuor palmos à terra

A.C. 1602.

Bironius Mariſchallus contra Regem Galliæ conſpirat.

Bironius Mariſchallus in cuſtodiam traditur.

Bironius Mariſchallus damnatur ad pœnam capitis.

A.C. 1602. ad hoc erectum ductus ille, cum multa fortunam ſuam incuſans dixiſſet, Cancellarium infra unum, (vixit ſuperſtes Bironio tres annos) pro injuſta ſententia ad judicium Dei vocabat, multiſque minis, territo carnifice ne ſe niſi gladio attingeret, linteolo oculos ſibi ipſe obligavit: ſex vix genibus flexus, ſe proripiens linteum abjecit, cum minacibus indignantis animi ſignis: demum vero cum iterum ſe compoſuiſſet, carnifex præveniendum ratus ne denuo aſſurgeret, ocyus ſtricto gladio caput verba adhuc quædam ore volventis abſcidit. Corpus juſſu Regis in ſancti Pauli æde fuit conditum: ac tota illa conſpiratio ejus nece conquievit. Nec Rex contra alios conjurationis ſocios, quamvis plurimi illique inſigniores deferrentur, inquiri permiſit, & publicari fecit edictum, quod omnibus veniam daret, dummodo quiſque ſe in Aula Regia ſiſteret, & culpam deprecaretur. Comitem quoque Averniæ liberum dimitti juſſit, impoſita ipſi obligatione, ut ſe domi contineret. Dux Bullioneus cum monitus ad Aulam venire, & culpam deprecari detrectaret, difficiliori negotio offenſam illam Regis placare debuit, ut in conſequentibus attingemus.

Henricus IV Rex Galliæ in ſocios conjurationis non inquirit.

Dum autem talis hydra in Gallia opprimitur, Dux Sabaudiæ aliam contra Genevam ſuſcitabat. Civitas ea eſt in finibus Allobrogum ſeu Sabaudiæ, ubi Rodanus è lacu Lemano exit ſita,& in ſorte illius Provinciæ computatur, ac propterea graviora ſemper cum Ducibus Sabaudiæ odia exercere debuit, dum ille requirit, iſta denegat diverſa ſervitutis officia: ſed maxime propter Epiſcopatum, cujus omnes poſſeſſiones Genevenſes occupârant, & mox viribus invaleſcentes pacto cum Helvetiis, præſertim Bernatibus, & Friburgiis ſocietatis fœdere, etiam ipſi Duci Sabaudiæ plura viciniora Caſtella & pagos eripuerunt. Eas igitur injurias palam, præſertim propter Regem Galliæ, qui illius Reipublicæ protectionem ſuſceperat, cum ulciſci Sabaudus non poſſet, arte capiendos decrevit. Conſcriſerat itaque exercitum ad Ducem Lotaryngiæ contra Argentinenſes (uti famam ſparſerat) mittendum, & eum per vicos hinc inde diſperſum, uno condicto die propere contractum nocte duodecimam diem Decembris præcedente, cum Albignio Genevam miſit: primi faſciculos quibus foſſas replerent ferebant, alii ſcalas bini ſingulas artificioſe diſſectas,ut uncinulis mox colligari,& rotulis ac panno etiam villoſo in extremitatibus obductæ facile ſine ſonitu admoveri, ac in altum protrudi poſſent. Et initia quidem ſatis proſpere illis inſidiatoribus ceſſerunt; foſſa enim ad novam portam, qua excubiæ negligentius agebantur ſuperata, tribus locis ſcalas muro applicârant, eumque tranſcendentes circiter trecenti in Civitatem penetrârunt. Sed priuſquam portam uti inſtructi erant, admotis petardis ad intromittendum majores copias aperuiſſent, cum incauti per Civitatem ſublato magno clamore captam eſſe Civitatem vociferantur, alii tabernis mercatorum effringendis, prædiſque quærendis attendunt, exciti vigiles & Cives, alii ſcalas admotas ne plures Sabaudici aſcenderent deturbant, alii ad portam defendendam accurrunt, & conſertis cum oppugnatoribus manibus, eos pauciores ſuperant, fruſtra reliquis inſtructa acie in campo portæ novæ adjacenti, ut aperiretur illa porta, expectantibus; ac omnes qui intro venerant fuerunt occiſi, paucis ſaltu ex muro delapſis; quinquaginta vivi capti, ſtatim ſuſpendio fuerunt necati, è Civibus non pluribus quam duodecim deſideratis. Graves deinde contra Sabaudum querelæ propterea fuerunt concitatæ, præſertim ab Helvetiis Genevenſium colligatis, & à Rege Galliæ,quas ille placans excuſabat tale conſilium ſuum, quod diverſis injuriis à Genevenſibus fuiſſet laceſſitus, & quod timeret ne à Ladigerio eadem Civitas non diſſimili actu opprimeretur.

Geneva Civitas.

Sabaudiæ Dux inſidias ſtruit Genevenſibus.

Sabaudiæ Dux inſidias ſtruit Genevenſibus.

Genevenſes profligant Sabaudicos inſidiatores.

Tranſilvaniam eo uſque pro libertatibus ſuis anhelantem, Cæſarianæ copiæ cum Georgio Baſta ad obſequium Cæſaris cogere non ceſſebant, & pluribus cædibus

cædibus afflictam cum edomitam eſſe crederent, iterum nobiliores illius Provinciæ recollectis animis & viribus, Batorei partes inſtaurare conabantur Biſtriciæ congregati. Sed Georgius Baſta cum expeditis legionibus eo propere advolans, conſilia ipſorum turbavit. Vt enim obſidione cinxerat, & oppugnare cœperat Civitatem illam, licet fortiores præſertim Nobiles ad defenſionem ſeſe compararent; plebs tamen timidior, (maxime quod Baſta niſi ſponte deditionem facerent, omnes in prædam militibus tradendos fore comminabatur) magis pro ſua incolumitate ſolicita, importunis clamoribus & ſeditioni non diſſimilibus effecit, ut pacifica deditio tractaretur. Batoreus quoque quo ſibi Baſtam devinciret, & ad meliores conditiones pacis flecteret, ſcripſerat ad Magiſtratum, ut deditionem facerent, ac miſerat ad Baſtam Nuntium, qui declararet, ipſum omnia ſua permittere Cæſaris arbitrio. Vnde obſeſſi poſtquam aliquot diebus oppugnatores fortiter repreſſiſſent, accepta à Baſta ſecuritate de conſervandis libertatibus Civitatis & Provinciæ, & de immunitate ſua ac bonorum ſuorum, præſidium Cæſareum ſuſceperunt. Quæ tamen pacta, poſtquam nobiliores ex Civitate abierant, fuerunt violata à Vallonis & Germanis, qui crudelius omne virorum & fœminarum promiſcuum vulgus ſpoliabant. Reliquæ etiam Civitates dedita Biſtricia, in nomen Cæſaris concedebant, Batoreo ipſomet hortatore, qui dimiſſis paucis quas habebat copiis Geonſtadium, æquam pacem vel inducias ſaltem, quibus durantibus Cæſarem adiret, à Baſta obtinere nitebatur. Proceres nonnulli ad Moyſen Siculorum Ducem ſeceſſerant, & miſſo ad Baſtam nuntio, conditiones pacis cum Batoreo ſtatuendas ita demum ſe recepturos ſignificabant, ſi juribus & libertatibus ſuis & Provinciæ convenirent. Quod ille conſcio Batoreo, & ex compoſito fieri ſuſpicatus, abruptis tractatibus & nullo dato reſponſo, niſi ut Moyſes exercitum dimitteret, & ita demum pacis conditiones peteret, ad eum opprimendum priuſquam Tartarorum auxiliis quæ in proximo adventabant augeretur ivit, eumque conſequutus prope Albam Iuliam, commiſſo prælio fugavit potius quam profligavit, manipulis ejus ex fæce diverſarum gentium collectis, nec Ordinem militarem tenere gnaris, ſtatim per montana in fugam dilabentibus. Batoreus triduo poſt ipſemet in Caſtra Baſtæ veniens, ab iis quæ Moyſes proprio arbitratu tentaſſet ſe purgavit, ac pollicitus ſe in poteſtate Imperatoris futurum, cum Baſta Viſſeburgum intravit, indeque Pragam ivit, interceſſore Summo Pontifice Romano reconciliationem cum Imperatore procuraturus, Baſta interim reliquos qui reſiſterent in Tranſilvania debellante.

A.C. 1602.

Biſtriciam in Tranſilvania oppugnant Cæſariani.

Tranſilvani nova auxilia comparant contra Imperatorem.

Moyſen Siculorum Ducem in Tranſilvania Cæſariani profligant.

Bator Sigiſmundus Pragam it ad Imperatorem deprecandum.

Ac meliore hoc anno Cæſariani in occupandis alienis, quam in defendendis in Vngaria propriis, fortuna ſunt uſi. Rebus enim Tranſilvanicis nimium intenti, infirmiorem exercitum quam Turcicæ potentiæ opponi poſſet, ab illa parte tenebant, & Turcæ hanc occaſionem nacti, ad Albam Regalem, quam anno proximo amiſerant, recuperandam omnem ſuum conatum converterunt, tanto majori ſtudio, quod à Turcarum Imperatore interminatum fuit ſupplicium mortis Serdari Baſſæ, ſub cujus Præfectura ea capta fuerat, niſi eam recuperaret. Nec latebant Cæſarianos hoſtis conſilia, & conductum fuiſſe ab eo ad eum uſum Budam ingentem bellicum apparatum, ac propterea tempeſtive Ruſvurmius ac Golnitzius copiarum Cæſarianarum ductores, introduxerant in eam Civitatem commeatum curribus ſeptingentis. Sed Turcis præter ſuum bellandi morem maturius, nempe initio menſis Auguſti eam oppugnationem accelerantibus, illi ex longinquo pares periculo vires in tam anguſto tempore conducere non poterant: immo non credebant Turcas tam tempeſtive adſuturos, & aliquem de eorum adventu nunciantem, mortis ſupplicio punire voluerant, niſi alii atque alii in horas ab illis partibus accurrentes illam famam divulgatam confirmâſſent.

Turcæ cum magno apparatu bellico in Vngariam veniunt.

A.C. 1602. Nona itaque Auguſti die, Sedar Baſſa exercitum ſeptuaginta millium adductum Civitati circumfudit, etiam paludes eam ambientes complexus, & à duabus ejus partibus, una qua Budam, altera qua Iaurinum ſpectat, aggeribus & vineis excitatis, magno numero machinas bellicas diſpoſuit, quibus continuo contra Civitatem jaculabatur, majori vi contra propugnaculum ſuburbii Segetani converſa, eo quod illo expugnato, ad Civitatem & arcem oppugnandam aditus pateret facilior. In præſidio erant duo millia militum ſelectiorum, inter quos plurimi genere & virtute clariores, præter Oppidanos quingentos, cum Comite Iſolano Italo Arcis Præfecto. Qui diſpoſito ad defenſionem illius propugnaculi Segetani peditatu Hayducorum Vngarico, ipſe cum Germanicis peditibus, ſæpius eòdem accurrens, primam oppugnationem rejecit. Sed poſt alterum diem, cum hoſtis foſſas congeſtis virgultis repléſſet, eis ſuperatis excitata acerrima comminus pugna, defenſores victi propugnaculum deſeruerunt, & ipſe Iſolanus dum ſuccurrere laborantibus nititur, ægre evaſit. Neque moratus hoſtis, machinas ſuas propius Civitatem conduci fecit, earumque vi mœnibus concuſſis, ut invadi poſſent, obſeſſos eruptionibus acriter certantes, & ſæpe vincentes, immiſſa oppugnatorum numeroſiori manu intro repulit. Cumque triduanas pro tractanda deditione inducias petentibus conceſſiſſet, & illi interim novis operis retro mœnia diruta excitatis, ad defenſionem ſe comparâſſent, deditionemque denegarent, deluſum ſe dolens, vehementiori impetu oppugnationi inſtabat, & labefactatis vi tormentorum propugnaculis, tanta pertinacia ſuos intro penetrare cogebat, quod 24 irruptionibus cum immenſa ſua ſtrage, & repletis cadaverum ſuorum congeſtu foſſis repulſi, uſque vigeſima quinta longe majori contentione, ab orto ſole ad occaſum continuata, periclitari debuerint, quo & obſeſſi fatigati iterum ad colloquium provocârunt.

Albam Regalem Turcæ recuperant.

Et dum ad illud ſe componunt, Turcæ ab alia parte per muſcoſa (qua nuper Ruſvurmius tranſierat) virgultis inſtrata tranſgreſſi, plenis agminibus in Civitatem irruerunt, totoque exercitu ſubſequente, cum nullus amplius tantæ multitudini reſiſtere valeret, omnes præſidiarii illius loci & Oppidani quotquot arma ferre poterant, trucidabantur penultimo menſis Auguſti die: Iſolanus utroque pede ſaucius cum aliquot ſociis captivus Conſtantinopolim fuit amandatus; quem tamen inde anno uno elapſo Legatus Gallicus liberavit. Capta autem hoc modo Alba Regali, Cæſariani Duces ſero collectas copias ad ea confinia adduxerant, ut ulteriores hoſtis conatus obſervarent. Et cum iſte inſtauratis mœnium Albæ ruinis, munitionibuſque reparatis Budam revertiſſet, ipſi quoque eum ſequuti, damna Albæ recepta ibi reparare volebant. Adulto jam Autumno Budam oppugnare cœperant, non ſatis præviſo, quod Arce ſitu & ſtructura propugnaculorum tam munita, ac non ſolum à præſidio valido, ſed & à Serdare Baſſa cum exercitu potenti cuſtodita, non tam facile potiri liceret. Vnde mox bruma pluvia urgente inde recedere ſunt coacti, fruſtra impenſo gravi labore, & plurimis fortiſſimis viris in excurſionibus amiſſis, inter quos & Carolus Gonzaga Dux Nivernenſis, qui eam expeditionem cum inſigni Gallorum nobilium delectu ſequebatur, ictus bombardæ jaculo graviter circa pectus, ægre ſpirans evaſit, & Comes Martinengus ibidem occubuit. Peſtum tamen Oppidum in adverſa Budæ Danubii ripa à Turcis neglectum occupârunt, & præſidio impoſito munierunt ad iterandam oppugnationem ejuſdem Civitatis maxime opportunum, niſi poſtea in brevi fuiſſet amiſſum, ut ſuo loco dicetur.

Budam oppugnant Cæſariani.

Carolus Gonzaga Dux Nivernenſis caſus apud Budam.

Peſtum capiunt & muniunt Cæſariani.

Annus

Annus Chriſti, 1603.

Comitia Poloniæ Cracoviæ 1603.

ANni Milleſimi, Sexcenteſimi Tertii, initia Rex Poloniæ Sigiſmundus deſtinavit Comitiis Regni Generalibus, quæ ad finem menſis Ianuarii Cracoviæ incoata in maxima Procerum & Nobilium frequentia celebrabantur. Ac eorum primæ ſeſſiones maxime perſonuerunt lætis trophæis Zamoyſcii Cancellarii: in cujus encomia ob rem præclare in Livonia geſtam, & recuperatam intra annum unum de manu hoſtis prope totam eam Provinciam, magnamque præterea Eſtoniæ partem capto Vaiſenſteino quæſitam, æque Senatorius atque Equeſtris Ordo effuſus publico nomine gratias ei teſtabatur.

Zamoyſcio publice gratiæ aguntur pro recuperata Livonia.

Bernardus Maciejowski Epiſcopus Cracovienſis peroravit nomine Senatorum, primus tunc in eo ordine, cum Archiepiſcopus Gneſnenſis Karnkovius ſenio gravi deficiens ad Comitia non veniſſet, nec Archiepiſcopus Leopol. ſenectute & ipſe languens: pro Ordine autem Equeſtri ejus tunc Mariſchallus Felix Kryski vir ingenio feſtivo, & oratione nativa excellens. Sed æmulos Zamoyſcii bellica illa ejus felicitas angebat: unde jam ante cum ille adhuc eſſet in Livonia, Regis animum (præſertim Stephanus Potocki Felini Præfectus) ab ipſo alienare cœperant, ac magis imminentibus iſtis Comitiis, in quibus ne pro vacantibus dignitatibus apud Regem intercedere poſſet caute providerant.

Zamoyſcii ſimultatum cum Sigiſmundo Rege nova cauſa.

Vacabat autem tunc à biennio dignitas Archimariſchalli Regni dimiſſa à Nicolao Zebrzydowski ad Palatinatum Crac. promoto, ad quam Zamoyſcius Marcum Sobjesbi Palatinum Lublineñ. ſeu Nicolaum Wolski Mariſchallum Aulæ Regiæ promoveri cupiebat. Illam igitur Rex, ne præſentis Zamoyſcii aucti novis meritis ſuffragia pro ea rejicere non poſſet, ſuaſore Ioanne Tarnowski Epiſcopo Vladiſlavienſe partium adverſarum antesignano, pridie adventus ipſius, Marchioni Sigiſmuudo Myſzkowski contulerat, in tantum obnitente Petro Tylicki minore Cancellario partium Zamoyſcianatum, quod vocatus à Rege ad tradendum illud officium (ut ejus fuit muneris) valetudine infirma ſe excuſârit; iterum tamen monitus quod ſi non veniret, ipſemet Rex functionem illam renuntiandi Mariſchalli obire vellet, vel invitus adfuit, ac multa præfatus in laudem ſtirpis Myſcoviorum, nomine Regis baculum inſigne illius Magiſtratus Marchioni tradidit.

Myskovius renunciatur Mariſchallus Regni Polon.

Quo Zamoyſcius Proſoviciæ intellecto ab Andrea Lipski Secretario Regio ſibi obviam progreſſo, nil ſimulata indignatione, uſque & reditum apparere cœperat. Alia quoque ſimultatum cauſa interceſſit, quod cum Rex viduus iterare vellet nuptias cum altera Auſtriaca ſorore germana Reginæ defunctæ, nempe in gradu affinitatis primo legibus Chriſtianis maxime vetito, Zamoyſcius propoſitum hujuſmodi mori caſtiori Polonico deteſtabile improbabat, & ipſius æmulis eum ad impediendum tale matrimonium & domi & foris, præſertim apud Summum Pontificem Romanum, multa moliri criminantibus, Rex facile credens, averſum ab eo animum palam præferebat. Ac aliqui diſſenſiones illas augeri cupientes, rumorem ſparſerant, quaſi Regii ad eum (Regi tam adverſum) in Senatu, exemplo Caji Iulii Cæſaris, opprimendum conſpiraſſent. Vnde auctis diffidentiis, etiam partium ſtudia in diverſa trahebantur, omni malo in jacturam Comitiorum redundante.

Diſcordiæ Civiles Polonorum Comitia turbant.

Quamvis enim Zamoyſcius offenſam taciturnitate premeret, remiſſius tamen publica negotia tractabat, & diſcordiatum hujuſmodi gnari, præſertim novandarum rerum cupidi, quaſi cuſtode remoto, occaſionem ſibi ad turbandam Rempublicam oblatam rati, nonniſi querelis contra Eccleſiaſticos, & diſſenſionibus Religionum Comitia ducebant, præcipuo Comitialium de continuando bello contra

A.C. 1603. Suecos deliberationum capite neglecto. Summa vi hæretici fœderationem ſuam lege publica ſtabiliri contendebant, & conjuncta ſua cauſa cum ſectatoribus Religionis Græcæ Schiſmaticæ, nulla negotia publica tractari permittebant, niſi prius eorum controverſiæ ſopirentur. Ac ſæpe parvo reſpectu dignitatis Regiæ & authoritatis Senatus à Nuntiis Terrarum poſtulata & reſponſa in Senatu inferebantur. Quadam vice contra Eccleſiaſticos & Religionem Romano Græcam Ioanni Swoſzowski Scribæ tunc Terræ Leopolienſis (tamen meo cognato) coram Senatu acerbius in Eccleſiaſticos invehenti, cum Albertus Báránowski Epiſcopus Plocenſis nomine omnium Epiſcoporum reſpondens dixiſſet; degeneres eſſe præſentis ſæculi in hac Republica Cives à majoribus ſuis, qui Religionem Catholicam & ejus Sacerdotes ſummo honore coluerunt: abiens ille ad conſeſſum Nuntiorum,& iterum cum majori eorum parte ad Senatum rediens,inter alia petulantius ad perorationem Baranovii replicata dicere non erubuit, ipſum potius eſſe degenerem, cum neſciatur quo loco ſit natus; omnibus ad talem ipſius audaciam tacentibus: Nec Baranovius contumeliam illam vindicavit. Dux autem Alexander Oſtrogski Palatinus Volhiniæ, aſcendens in arcem, dum Palatii Regii portam catena protenſa, ne Rhedæ & Equites cortem interiorem ea ingredi poſſent, interclusam inveniſſet catenam reſcindi juſſit, cum toto equitatu ſuo quem numeroſum ducebat in aream Palatii Regii invectus: inſequentique die eandem iterum diſtentam, iterum avelli fecit: Et alioquin Zamoyſcio eo uſque infenſior, tum demum ab arce recta ad eum ultro digreſſus, reconciliationem & amicitiam ipſius ambivit. Atque talis erat facies eorum Comitiorum, quod uno qui authoritate invaluerat remittente, nullus è tam multis, qui potiores partes in Republica ſibi vendicabant, & eo gratiam Regis venabantur, reducere poterat ad concordiam diviſas in diverſa Comitiorum ſententias; ut vel inde conſtaret, facilius eſſe carpere virtutem aliorum, quam propria operari. Forenſes tamen Comitiorum cauſæ diligentius tractabantur à Rege cum Senatu ipſis continuo præſidente. Et auditæ fuerunt plures Legationes exterorum Principum, ac Chami Tartarorum Tauricanorum donativum ſolitum petentis,pacemque offerentis. Et poſtquam nullo profectu tempus Comitiorum effluxiſſet, unicum remedium ſuperfuit Hæreticorum & Schiſmaticorum Græcorum, ac etiam Politico-Catholicorum contra Eccleſiaſticos præſumptis conatibus reprimendis, ut Comitia quæ alioquin nonniſi in illorum commodum coaluiſſet, irrita ſolverentur.

Baranovio Epiſcopo Plocenſi facta contumelia.

Oſtrogia Dux inſolentius agit contra Regem.

Comitia Cracovia irrita ſolventur.

Sicque nullo publico negotio definito fuerunt finita illa Comitia, una ſola eaque exigua collecta agraria conceſſa pro bello Livonico, quæ vix emeritis jam militum ſtipendiis exſolvendis ſufficeret. Cura autem illius belli cum titulo & poteſtate Adminiſtratoris Livoniæ Carolo Chodkiewicz fuit commiſſa Duci ſtrenuo, cui & Zamoyſcius inde diſcedens, copias ſuas conſignârat.

Carolo Chodkiewicz Adminiſtratio Livonia committitur.

Nec aliud ſingulare hoc anno in Polonia accidit, præter mortem Staniſlai Karnkowski, Archiepiſcopi Gneſnenſis, Primatis Regni, cum octuageſimum ætatis annum exceſſiſſet, vegeta uſque in finem ſenectute. Aliquis adnotavit ſub hæc tempora in Pictavis Galliæ inventam fuiſſe puellam, quæ concepto edendi faſtidio, abſque ullo cibo & potu integrum triennium vixit, cui naturæ commento Magiſtratus & Medici illius loci fidem adſtruxerunt. Vnde non abs re erit, ſi nos quoque obſervationibus Medicis æque utile memoremus, quod in matre iſtius Archiepiſcopi Karnkovii accidiſſe ipſius Medicus Ioannes Oczko, vir in ea arte ſolertiſſimus mihi & pluribus, qui ſimul aderant narravit, ipſi nonagenariæ dentes novos creviſſe, naturæ magis conſentaneum, qua operante plura in ea ætate pueritiæ propria redire deprehenduntur, indeque bis pueri ſenes eſſe dicuntur.

Karnkovius Archiepiſcopus Gneſnenſis moritur.

Nonagenaria dentes novi enati.

Belgium

A.C. 1603.

Belgium hoc anno nil remiſit ex contentione pro obtinenda Oſtenda: Hiſpanis enim ejus oppugnationem ex ſecundo anno in tertium continuantibus, Hollandi non minori fervore defenſionem ſuſtinebant. Ac jam Archidux fauces illius portus, & omnes aditus ad obſeſſos concluſerat navali opere; ſed vi æquoris relabentis omnia collidente, iterum pervia omnia ſubſidiis Hollandicis advenientibus patuerunt, niſi quod eadem fluctuum vi labefactatis munitionibus obſeſſorum, unum eorum propugnaculum Hiſpani occupaverant, & ab altero ad os littoris pæne intercepto, nonniſi poſt diuturniorem colluctationem virtute propugnatorum fuerunt rejecti. Ut autem firmiori proviſione intercluderent ſubſidia obſeſſis Hiſpani, evocaverunt Sluſa Fridericum Spinolam cum octo triremibus & duabus Liburnicis, ut eam maris oram obſideret. Quod ut cognoverunt Hollandi, ipſi quoque validiorem claſſem eo expedierant, ac ad Vielingam (tractu maris à nautis ita denominato) congreſſæ infeſtæ illæ utrinque claſſes, acerrimo & pluribus horis dubio prælio decertârunt, donec numero Prætorianarum & peritia nautarum prævalentibus Hollandicis, & Spinolas ictibus pilarum tormentorum urgentibus, ipſe Spinola jaculo bombardæ percuſſus cum ſuis plurimis occubuit, plenamque victoriam Hollandis conceſſit. Triremium quoque (quarum multæ ex illa pugna evaſerunt Sluſam laceræ) uſus eo uſque Hollandis formidoloſus, exinde vilior fuit, eiſque navigatio Oſtendam navali apparatu prævalentibus prohiberi non potuit. Hoc tamen Hiſpani ab oppugnatione Oſtendana nil deterriti, inſiſtentes operis circum eam excitandis, & nonnullis munitionibus Civitatis præſidio hoſtili excluſo occupatis, eam proſequebantur magna militarium, & operariorum multitudine in dies utrinque cadente, tanquam non bellum aliquot legitimum, ſed laniena & macellum hominum ibi fuiſſet inſtiturum. Obſeſſis omnia erant difficiliora, undique enim illis Hiſpani ex munitionibus ſuis præaltis imminebant, ut intra mœnia oppidi nullibi tuto conſiſtere valerent, non ſolum cum hoſte, ſed magis cum fluctibus marinis mœnia eorum refluxu conquaſſantibus perpetuo colluctantes. Nec minora à frigoribus & cœli injuriis tolerare iſti cogebantur; dejectis enim omnibus pæne ædibus, in tuguriis ceſpite conrectis degere, ac proxime mœnia ſeſe ſubducere, atque plerumque ſine lare & veſta manere, cibiſque crudis vel in longinquo coctis, navibuſque allatis veſci cogebantur; trabes, tigni, longurii, pali, virgultorum faſces, magno labore navibus allatæ, nunquam ſufficere poterant ad reparandos aggeres: qui vix refecti, iterum æſtu maris redeunte hiſcentes vitium faciebant, novaque reparatione indigebant. In tanta tamen rerum anguſtia obſeſſi biennio elapſo, in annum tertium oppugnationem ſuſtinere, & munitionibus aliquibus amiſſis, novas erigere, hoſtique reſiſtere non dubitârunt, in locum cæſorum, vel malo contagioſo, quod gravius ibi ſerpebat, extinctorum, aliis atque aliis ſuccedentibus, qui ex Hollandia Oſtendam tanquam ad deſtinatam mortem ſe mitti, quantumvis non ignorarent, amplioris tamen mercedis cupiditate eo commeare non ceſſabant.

Oſtendæ obſidio continuatur.

Spinola Fridericus navali prælio victus ab Hollandis.

Oſtendæ defenſorum incommoda.

Nec deerant, qui ab Hiſpanis ad obſeſſos transfugiebant, licet illi omnium neceſſariorum copia abundarent, & ædes in caſtris innumeras haberent ad quævis aëris incommoda fugienda. Unum autem deteriorem rem Hiſpanorum reddebat, nempe æris penuria, ob quam ſæpius miles imperia detrectavit, in ſeditiones vel ſeceſſiones diviſus: ut non tantum Oſtendana obſidio, ſed & plura Belgii munitiora loca propterea periclitarentur. Cui malo ut tandem provideretur, cæſo nuper Friderico Spinola, ejus Germanum Ambroſium Marchionem Venafri hominem opulentiſſimum Archidux Genua in Belgium advocavit, eique cum titulo & poteſtate Præfecti exercitus Generalis obſidionem illam com-

Hiſpanis deficit æs Caſtrenſe.

Spinolæ Ambroſio committitur obſidio Oſtendæ.

A.C. 1603. commiſit. Is itaque imperio tali ſuſcepto, exercituque luſtrato, gloriæ avidus meliori cura & arte omnem illam obſidionem ordinavit, cumprimis ſuppeditata mutuo in nomen & fidem Regis Hiſpaniæ de proprio peculio pecunia, ex qua militi ſtipendia ſtato tempore ſolverentur, ac commeatus & omne inſtrumentum Caſtrenſe tempeſtive provideretur, fructu non inani, ut in ſubſequenti anno attingetur.

Sylvam Ducis iterum oppugnant Hollandi fruſtra.

Interim Mauritius Comes, ut Hiſpanorum circa Oſtendam progreſſus interrumperet, copias Hollandicas ad tentandam iterum oppugnationem Sylvæ Ducis duxerat, Caſtriſque poſitis 18 Auguſti die Civitatem prope contra portam Vuchtenſem vineas excitârat, ex quibus machinarum vi mœnia & ædificia Civitatis vehementius concuſſit. Sed mox Archidux Comitem Fridericum Scheremberg cum exercitu eo miſit, qui ab alia Civitatis parte caſtris ſuis munitis, conatus hoſtis obſervabat: nec aliquid ſingulare fuit ab alterutro ibi geſtum, niſi quod cum Scherembergius ripam Dieſæ fluminis muniri volens, qua hoſti commeatum intercluderet, eo ſelectiores militum legiones ductore Marchione *della Baſſa* miſiſſet, eos Mauritiani conjunctis viribus cum ſeditioſis Archiducalibus, quos ad ſuas partes traxerant, plures numero aggreſſi fugârunt 3 Septembris, cæſo & ipſo Marchione, cujus corpus ſtragulo involutum Mauritius in Civitatem remitti fecit.

Albertus Archidux Sylvam ducis intravit.

Sub initium vero Octobris ipſemet Archidux ad Caſtra illa venit, Civitatemque paulo poſt ingreſſus, obſeſſorum animos ad defenſionem confirmavit.

Hollandi obſidionem Sylvæ ducis deſerunt.

Et bruma ingruente, cum Mauritius contra Civitatem à tanto præſidio cuſtoditam parum ſe poſſe proficere videret, convaſatis omnibus ſuis impedimentis initio Novembris ad propria receſſit. Seditioſis etiam qui ad ipſum tranſierant ſtationem pro hibernis Graviæ conceſſit, receptis ab eis obſidibus & fidelitatis ſacramento.

Societas Ieſu in Galliam reſtituitur.

Gallia hoc anno alta pace quieſcens, poſtquam acerbitates omnes belli Civilis præteriti oblivione ac Amneſtia perpetua ſepeliſſet, reliquam illius calamitoſi temporis memoriam abolevit, recepta in Regnum Religione Societatis I E S V, quam illa tempeſtate corruptæ, & in necem Regis armatæ ſtudioſæ juventutis incerta conjectura exulare fecerat. Reginæ præcipue favore fuerunt reſtituti, cujus opera primum ad familiaritatem Regis admiſſi, ſenſim animo ejus placato, repetere ſua Collegia Rothomagi, Ambiani, & in aliis Galliæ locis ſunt permiſſi, prætterquam Pariſiis, ubi domum tantum Profeſſam & facultatem prædicandi verbi Dei in Templis inſignioribus obtinuerunt.

Elizabeth Angliæ Regina moritur.

Anglia autem luxit mortem Eliſabethæ Reginæ ſuæ defunctæ, tertia menſis Aprilis hujus anni, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo primo: quorum quadraginta quatuor regnans tranſegit non ingloria, & pæne in finem uſque ſine viciſſitudine fortunæ proſperioris. Fœmina animo ſeveriore quam ab iſto ſexu poſſet expectari, hoeque & ſubditis & hoſtibus fuit formidoloſa. Sed Religioni Catholicæ juſto infenſior, cujus cultores ne ſibi inſidias ſtruerent, aut rebellionem concitarent, ſemper timens, ſeverioribus ſuppliciis perpetuo afflixit, & ex Anglia exterminari curabat. Pii Papæ V anathemate magis irritata, eoque contempto, nihilominus nonniſi ipſam ſe agnoſci pro ſummo capite Eccleſiæ Anglicæ juſſit. Virginalem ſtatum & habitum præſeferebat: de quo tamen varii rumores ſpargebantur. Certum eſt Comitem Eſſexium apud eam in pretio fuiſſe: unde etiam quæri ſolebat, quod illum Iudices celerius damnaſſent. Et demum ad venationem egreſſa, arcem illam in qua ille captus fuerat præteriens, alto ducto ſuſpirio ingeminatoque, *ô Comes*; deliquio concidit, ex quo invaleſcente morbo in Caſtro Richmundi obiit intra paucos poſt dies.

Iacobus VI Rex Angliæ renuntiatur.

Succeſſorem ſibi in Regno deſignaverat (Abnepotem Margaritæ Henrici VIII ſororis, filium vero Scotæ Mariæ nuper capitis ſupplicium paſſæ) Iacobum VI Scotiæ Regem codicillis obſignatis, quos Robertus

A.C. 1603.

bertus Cecilia ſibi ab ea vivente concreditos Proceribus in indictis Comitiis de ſucceſſore deliberantibus ut præſenſavit, concordibus ſuffragiis illum Regem acclamaverunt.

Nuntius ad eum miſſus in Scotiam Edemburgum nocte intempeſta veniens, quieſcentem à ſomno excitari periit, confeſtimque admiſſus, ipſum Regem Angliæ ſalutavit. Inde proximo menſe Majo Rex ipſemet Londinum venit, ac diadema Regni, jusjurandumque fidelitatis à Proceribus ſolenni ritu ac ſuperbo feſtivitatis apparatu recepit una cum uxore Anna Danica tantæ dignitatis participe. Aliquantum autem turbavit illa Regni initia detecta mox in Regis novelli necem conjuratio, orta ex innato Anglorum contra Scotos odio: iſtos enim Angli ſibi comparari, vel in familiaritate Regis præferri ægre ferebant. Sed unius & alterius ſupplicio res fuit ſopita: & facile deinceps coaluerunt in unum imperium utriuſque gentis illius ſtudia ſub Rege in utramque æquabili, & in hæreſim ibi receptam tenacius propenſo. Circa quam ut ſententiam ſuam palam faceret, ejus articulos mox typis exprimi & divulgari juſſit, & coacta Londini Synodo dogmata Puritanorum damnari, ac anathemate notari voluit: ſpe ſua fruſtratis etiam Catholicis, qui eum matris ſuæ Mariæ Catholicæ crudelem necem vindicaturum, & Religioni Catholicæ benigniorem fore ſperabant. Cum enim libellum ſupplicem ipſi obtuliſſent pro libero avito uſu Religionis ſuæ, accepta ſeveriori repulſa, duriorem ſunt experti.

Iacobus VI Angliæ Rex cum Anna uxore coronatur.

Iacobus VI Angliæ Rex à Catholica Religione alienus.

In Vngaria cum tractatus pacis non ſucceſſiſſent inde, quod Turca non niſi reſtituto ſibi Strigonio in eam conſentiret, Tartari Samariam uſque excurrentes, rapinis & incendiis eam Provinciam longe lateque vaſtârunt. Cæſariani autem iterum Budæ oppugnationem tentârant, ſed repulſi ab ejus præſidiariis, infecto negotio recedere ſunt coacti: rejectis tamen ab obſidione Peſtenſi Turcis. Cum etiam Cæſariani Caniſiam, & Turcæ Strigonium excitato intro per ſubornata mancipia incendio, ac Papam proditione obtinere voluiſſent, utrique irritum eventum ſunt ſortiti, nec quid memorabile ab alterutra parte fuit ibi geſtum, præter leviores excurſiones & Pagorum populationes, inter quas Cæſariani Hatuanum à Turcis deſertum occupârunt.

Tartari in Vngariam veniunt.

Budam Cæſariani fruſtra tentant.

In Tranſilvania Georgius Baſta Cæſarianorum Dux, cum crederet fuiſſe jam debellatum, adhuc & hoc anno invenit quem vinceret. Nam Moyſes Siculorum Dux anno ſuperiore ab ipſo fugatus potius quam victus, recollectis ſuis copiis, Viſeburgum viginti dierum obſidione ad obſequium Batorei & ſuum coëgerat, & Claudiopolim ac plura viciniora loca in ſuam poteſtatem receperat auxilio Turcarum, qui hac occaſione non pauca ejus oræ oppida in ſuum jus uſurpârunt. Baſta itaque congregatis copiis prope Coronoſtadium hoſtem excipiens, eum fudit, Moyſis inter cæſorum cadavera reperti reſectum à trunco caput, conto infigi & Coronoſtadij ſpectandum exponi fecit. Memoratur etiam hoc anno circa Varadinum terram gravi motu concuſſam tremuiſſe, & mulierem gravidam eo tempore octo infantes uno partu effudiſſe; ſed quid illud prænuntiârit huc uſque non conſtat, niſi quis inde conjecturam traxerit proximiorum Tranſilvaniæ converſionum, quibus Sigiſmundo Batoreo ex illo Principatu ejecto, & Moyſe ſublato, tot alii Duces ſunt exorti, qui eundem Principatum à Dominatu Auſtriacorum vindicârunt, vel ſolum pro ingenio cujuſque portentoſa hujuſmodi ſuccedentibus rerum eventibus accommodari poſſunt, non quod naturæ innumeros fœtus concipientis errores ex ſubjecta materia fortuiti, cæco caſu certum quid futurum poſſint deſignare. Plurima ſimilia hoc ſæculo à diverſis enumerata volens omitto, expertus longo uſu omnia illa vana & obſervatione indigna fuiſſe.

Moyſes Siculorum Dux in Tranſilvania occiditur.

Fœtus octo infantum.

Annus

A.C. 1604.

Annus Chriſti, 1604.

AD exitum obſidionis Oſtendanæ ſtudiis omnium pæne Chriſtianorum Principum & populorum anxia expectatione ſuſpenſis, hic demum Annus Milleſimus, Sexcenteſimus Quarrus ſatisfecit, litemque diremit.

Oſtenda obſidio laborioſa.

Sed quemadmodum validior quiſque morbus in corpore humano propius terminum mortis majori vi inſurgit, & narura omnes reliquas vires ſuas ad reſiſtendum exerit, ſummâque cunctarione contra extremum periculum colluctatur; ita & ad Oſtendam Hiſpani pro expugnatione, & obſeſſi pro defenſione iſtius Civitatis farali jam termino belli illius imminente, omnibus ſimul ingeniorum & corporum viribus adnixi, pertinacius, & pæne ſupra humanum decerrârunt. Er pro Hiſpanis quidem Spinola minus jam de occludendo illo portu ſolicitus,in quo fruſtra roto triennio fuir laboratum, nonniſi cuniculis perpetuo agendis artendebar, quibus dejectas obſeſſorum munitiones identidem occupabat, obſeſſis in locum amiſſarum alias atque alias immenſo labore excirantibus, ut perdirâ magna parte Civitatis quaſi alteram (quam novam Trojam denominârant) erectis retro vetera ab Hiſpanis capta, aliis propugnaculis conſtiruerint, quam etiam vallo ac foſſa profundiori, & aqua circumducere cœpetant, pro ſuo receptu ſi ex Civirate vereri tota excluderentur.

Oſtendani expulſi è veteri Civitate novam muniunt.

Hollandi vero ut laborantibus ibi ſuis aliqua ratione ſubvenirent, Ducem Mauritium cum valido exercitu in Flandriam medio menſe Majo, claſſe ingenri rrajecerunt. Qui Sluſam potius oppugnare quam Oſtendæ ſubvenire malens, (ut quod Hiſpani vel Oſtenda relicta illo vires convertere, vel Sluſa neglecta graviori jactura damnum Oſtendæ Hollandis compenſare deberent) eo directo curſu, Caſandam Inſulam Sluſæ imminentem appulit, ibique expoſito excerciru, propugnacula Hiſpanicis præſidiis firmata unum ab excubiroribus deſertum, aliud vi occupavit, eaque Inſula munita in aliam dictam Iſendicam illatus, illius quoque præſidia magna celeritate expugnavit.

Mauritius Auranius Sluſam oppugnat.

Moxque circum Sluſam operis excitatis, omnes aditus inferendis eo ſubſidiis intercluſit, obſeſſis ad tam inſperatam obſidionem omnibus neceſſariis, & præcipue annona deſtitutis. Ac collegerat Albertus Archidux maxima feſtinatione perttactis in ſuum obſequium ſeditioſis decem millia militum, quorum opera (adjunctis aliquibus legionibus ex ſtatione obſidionis Oſtendanæ) Sluſanos ſublevaret, & Duces belli cum iſtis copiis progreſſi, cum nullum tranſitum ad inferendum obſeſſis commeatum invenirent, viam ferro ſibi per caſtra hoſtis aperire rentârant, perrupta fortirer una hoſtilium caſtrorum parre, quam Friſii obſervabant; ſed majore copiarum numero ex aliis ſtationibus Mauritianis eo accurrente, ſunr rejecti cum ſua magna ſtrage, in qua cecidir & Marchio Rentheus vir primarius. Obſeſſi itaque rerum penuria omnium preſſi, & auxilio deſperaro, 18 die menſis Auguſti pacti incolumiratem corporum, & libertatem abducendi impedimenta ſua, ac ut cum armis ſuis, tympanis, vexilliſque explicatis prodirent, tradiderunt Civiratem illam & Caſtellum Mauritio cum copioſo appatatu bellico, & mulra claſſe præſertim triremibus, quas Frideticus Spinola eo conduxerat. Civitati illi præetat tunc quidam Hiſpanus, Claſſi autem Aurelius Spinola: & nonniſi datâ cautione quod quidam Hollandici apud Archiducem captivi viciſſim liberarentur, fuerunt dimiſſi: Eccleſiaſtici quoque cum omni ſupellectili ſacra abire ſunt permiſſi. Captam autem hoc modo Sluſam Mauririus, majori diligentia muniri curavit, & in ejus præſidio Friderico Naſſovio relicto (inciderat in morbum ipſemet, eoque victoriam proſequi non poterat) Hagam redierat.

Sluſam capiunt Hollandi.

rat. Nec tanti duxit (præſertim jam bene compenſatam habens illam jacturam) Oſtendam, ut periclitanti cum ſummo diſcrimine & eventu nimium dubio ſubveniret; ſed ipſimet Oſtendani ſuæ defenſioni naviter incumbebant, Spinola ſæpe quadraginta ſimul tormentis fulminante pro diſturbandis eorum munitionibus, quarum identidem aliquas occupabat, ſenſimque obſeſſos loco, cedere & dimidia Civitate excluſos, in reliqua nimis anguſte conſiſtere cogebat. Et demum ingenioſo artificio conſtructas ex trabibus, ſuperque multa dolia colligatas rates terra protruſas; in canalem Civitatis novum induxit, earumque beneficio ad propugnacula Civitatis eo uſque intacta tranſmiſſis cunicularis magnam eorum partem evertit, moxq; immiſſa validiori oppugnatorum manu ad propugnaculum Santhilanum, à quo tota ſalus illius Civitatis pendebat, illud occupavit. Atque exinde obſeſſi Civitatem retineri diutius non poſſe judicantes, omnem ſupellectilem ſuam convaſarunt, ac unà cum muliebri & imbelli turba, tormentiſque & peculio Caſtrenſi navibus impoſitam, in Zelandiam tranſmiſerunt, ſclopetis & gladiis ſolum retentis, quibus quoad potuerunt hoſtem propulſarunt. Ad extremam autem neceſſitatem adducti, & præſertim inſolita tempeſtatum vi fluctibus maris continue effervescentibus, eorumq; reliquam ſtationem inundantibus, ut umbilicotenus in aquis hærentes pugnare debuerint, decima octava Septembris die deditionem tractare cœperunt, dieque vigeſima prima ejuſdem menſis perfecerunt. Præfectum ejus loci cum primariis militiæ Ductoribus Spinola in Caſtris ſuis ſplendido convivio excepit, inſequentique die eos militeſque ipſorum omnes cum armis ſuis, tympanis, vexilliſque extenſis, ac cum quatuor quæ retinuerant tormentis per media Hiſpanica Caſtra tria millia numero procedentes, Sluſam deduci juſſit: ægroti vero ex vulneribus plurimi qui ibi remanſerant, navigiis in Zelandiam fuerunt tranſlati.

A.C. 1604.

Oſtendam deditione capit Spinola.

Atque ita finiit poſt triennium menſe tertio illa inter multorum ſæculorum memoriam celebrior obſidio, ſuſcepta non pro Civitate alicujus Provinciæ capite, vel maris domina; ſed pro oppido nonniſi ex clade ſua orbi cognito, & cujus incolarum victus & opes vili piſcatu, & remigio, ac paucis adjacentis terræ jugeribus conſtabant. Magis autem fortaſſis mirabitur poſteritas in illa obſidione cæſorum ſeu mortuorum hominum recenſionem quæ ſequitur. Ex parte Oſtendanorum Gubernatores illius Civitatis 13, Præfecti militiæ 29, Centuriones 563, Signiferi 322, Vicepræfecti 1192, Ordinum ductores 4911, Tribuni vigilum 9188, Milites gregarii 54683, Nautæ 811, mulieres & impuberes 1198, partim peſte ac morbis, & gladio maxima parte abſumpti, omnes in univerſum 72900. Ex parte autem Hiſpanorum Magiſtri equitum 7, Præfecti peditum 15, Magiſtri vigilum 29 Centuriones 565, Signiferi 322, Vicepræfecti 1116, Ordinum ductores 4911, Tribuni 9166, Decuriones 600, milites & cunicularii 54663. Summus Claſſis Præfectus 1, Nautæ 611, mulieres 140, omnes in ſumma 72144, præterquam quod cæſorum Hiſpanorum numerus hac recenſione nonniſi ad finem menſis Iulii iſtius anni fuit comprehenſus. Sumptus autem ibi impenſi, non tantum calculi ponendi modum omnem, ſed & fidem excedunt. Sed vel inde colligi poſſunt, quod fertur Hollandiæ Ordines ſingulis menſibus, ultra militum ſtipendia centum aureorum nummorum ibi communium millia in neceſſaria hujus belli impendiſſe. Hiſpanis vero dubio procul illa victoria tanto majori venit, & amiſſione Graviæ, atque Sluſæ commoditate portus inſtrumento claſſico, & habitatorum frequentia longe præſtantioris. Cum Oſtenda capta magis ſepulchrum mortuorum præferret, horrens tota cadaverum ſemiſepultorum fœtore intolerabili, quo correpti tanquam lue contagioſa plurimi interibant. Vnde Hiſpani ad eam incolendam non oberratos tantum, ſed & criminoſos commeatu, gratiis, privilegiis ſingularioribus invitare debuerunt. Duncherchæ tamen ſecuritatem & celebritatem

Oſtenda in oppugnatione cæſorum numerus.

Oſtendam ad habitandam mercede conducuntur multi.

portus

A.C. 1604. portus qua nunc eſt, illa acceſſio Oſtendæ comparavit, nec aliud ſingulare in Belgio tunc intervenit, præter quod ſub finem anni Hiſpani, quo Hollandis tranſitum in Flandriam prohiberent, propugnaculum apud Iſendicam extruere cœperant: ſed repulſi à præſidiariis Sluſenſibus, infectum opus illud intermiſerunt, moxque majores copias Maritius Princeps Sluſam contra talem eorum conatum ſummiſit.

Galli iterum conſpirant contra Regem.

Gallia confinis Belgio hoc etiam anno feriabatur: ſed reſtinctæ jam in Regem conjurationis ſcintillæ, iterum prorumpere videbantur. Vnde adductus in ejus ſuſpicionem Comes Averniæ, qui & cum Bironio in ea conſenſiſſe deprehenſus fuerat, cum nonnullis aliis captus iterum in dicenda cauſa ſua periclitari debuit.

Iacobi VI Angliæ Regis edicta contra Catholicos.

In Anglia autem poſtquam lues peſtifera hyemis frigoribus temperata ſævire deſierat, Rex Londinum ſolenniori pompa reverſus, munia Regni obibat, aſſumpto etiam titulo Capitis Eccleſiæ Anglicanæ, nec remiſſo odio in Anglia contra Catholicos introducto, quos hoſpitiis alicubi retineri vel recipi ſeverioribus edictis prohibuit. Convenerant ad ipſum ſalutandum multorum Principum Chriſtianorum Legati, ac ea occaſione inchoati cum Regina defuncta de pace ex parte Regis Hiſpaniæ ſermones fuerunt denuo aſſumpti.

Iacobus VI Rex Angliæ pacem facit cum Hiſpano.

Nec multo poſt adveniente Londinum Ioanne Valaſco Comeſtabili Caſtigliæ, cum ſufficientibus ad hoc à Rege Hiſpaniæ mandatis, ac ex Belgio procuratoribus Archiduci Alberti, cujus operâ illa pax tractabatur, firma pax à tot annis omnibus expetita æquis conditionibus coaluit, indigne ferentibus Hollandis, quod in beneficio liberæ navigationis illa pace Anglis in ditionibus Hiſpanicis conceſſæ non fuerint comprehenſi, quaſi eos à ſocietate ſua Rex Angliæ excluſerit.

Turca expeditionem ſuſcipiunt in Vngariam.

Rudolphus II Imperator conquirit auxilia contra Turcas.

In Vngaria hoc anno Turcæ vel pacem qualem vellent conſtituere, vel armis quæ amiſerant repetere propoſuerunt. Veziro ipſo Magno illud bellum adminiſtrare juſſo à novo Achmet Sultano, qui patri Machometi ſub finem anni antecedentis defuncto in Imperio illo recens ſucceſſerat. Nec latebat Rudolphum Imperatorem, quod Turca initia Imperii ſui (pro more gentis) glorioſo aliquo belli ſucceſſu conſecrare, ſibique æſtimationem apud ſuos comparare cupiens, præcipuum militiarum ſuarum robur, quo certior eſſet victoriæ, cum Veziro in Vngariam deſtinaverat: Vnde & ipſe Ratiſbonæ Comitiis celebratis, auxiliíſque ab Ordinibus Germaniæ conquiſitis, majores copias quas hoſti opponeret, comparabat, & miſſo Romam Archiduce Maximiliano, à Summo Pontifice Clemente VIII, centum quinquaginta millia nummorum aureorum ibi communium ex decimis Eccleſiaſticis Italiæ collecta pro ſubſidio illius belli impetraverat. Tranſilvanicæ quoque res cum in ſecuro conſiſtere viderentur. Georgium Baſta cum ſelectioribus legionibus inde in Vngariam, ut illi bello cum poteſtate Vicepræfecti generalis præeſſet tranſire, ac omnes arces finitimas, maxime Strigonium, quod Turcæ ſpectabant, introducto copioſo commeatu & apparatu bellico, muniri fecerat. Priuſquam autem Veſir Baſſa adveniſſet, Turcæ ad pacis tractationem Cæſarianos invitabant; quam licet iſti nonniſi ad trahendum tempus donec copiæ omnes cum Veziro advenirent, quæri exploratum haberent, ne tamen prorſus ab ac abhorrere viderentur, & vel ſaltem hoſtis propoſitum circa conditiones pacis explorarent, (Michaëli Althemio præcipue negotium illius tractationis Cæſar commiſerat) ad colloquium cum ipſis apud Hatuanum convenerant. Sed ex prima propoſitione apparuit magis hoſtilis, quam ad æquam pacem illorum inclinatus animus: Tributum enim ex veteribus cum Zelimo pactis ante hoc bellum quotannis à Cæſare ſolvi conſuetum, & Strigonium ac Tran-

Pacis cum Turca tractatus Cæſarianorum.

Tranſilvaniam reſtitui ſibi volebant: quod ſi iſta armis recuperarent, nullam deinceps rractationem pacis ſe admiſſuros minabantur. Er cum Cæſariani inprimis urgerent, ut caveretur Cæſari, pacta quæ ſtatuerunt in futurum ſervanda fore, cum præterita Zelimi temere ab ipſiſmet Tureis fuerint violata, ac enumerarent plura ab eis ſub iſto bello inique occupata, quæ ex vi pactorum Cæſari potius reſtituenda eſſent, Turcæ dato reſponſo, quod nullas alias conditiones proponendas vel accipiendas in mandaris haberent, colloquium illud re infecta abruperunt. Cumque ad finem Baſſam Budenſem majorem poteſtatem ad moderandum pacis conditiones habere inſinuaſſenr, Althemius Cæſarem Gallum Peſtam ablegavit, ut ibi in vicinia cum Baſſa de iſtis agerer. Sed neque ibi æquius quid potuit impetrari. *A.C. 1604.*

Peſtam capiunt Turcæ.

Er interim Vezir Baſſa cum exercitu adveniens, primum Peſtam à Cæſarianis nec expectato periculo deſertam occupavit, ac inde movens ad Strigonium oppugnandum, 18 Seprembr. penes montem Carolinum caſtra poſuit. Nec poſt mulros dies paci iterum tractandæ fruſtra impenſos, Caſtellum S. Thomæ prope vineas ac aggeres extruxit, unde vi machinarum ejus mœnia quatiebat, continuata oppugnarione ad Octobrem, parvo profectu, præſidiariis fortiter reſiſtenribus, & erupnonibus ex caſtris Baſtæ oppugnarores acriter reprimentibus; in quibus tamen & ipſorum non pauci unà cum Comite Caſimiro Hohenloh ceciderant.

Strigonium Turca oppugnat fruſtra.

Hatuanum Turca occupant.

Tranſilvani iterum deſciunt ab Imperatore.

Stephanus Botſcai contra Imperatorem rebellionem concitat.

Vngarorum defectionis ab Imperatore cauſa.

Vnde Baſſa irerum aſſumi tractatus pacis voluit; ſed neque runc certi aliquid ſtabilito, tredecima die Octobris obſidionem ſolvit, nec Cæſarianis, nec Turcis, prælio univerſali rem committere auſis. Budam tamen Baſſa revertens, Haruanum deſertum à Cæſarianis, impoſito ſuo præſidio munivit, & emiſſa magna pabularorum manu cum Tartaris, quos Chami Tartarici filius adduxerat, longe lareque omnem regionem circa Fillecum & Pallancam, igni & ferro devaſtavit, magna populi Chriſtiani mulritudine in ſervirurem abducta. Dum autem Georgius Baſta circa Srrigonium moratur, in Tranſilvania novi præteritis graviores motus fuerunt excirari à Stephano Botſcai, & à Gaborio Bethlemo, qui quatuor millia Turcarum ad defendendam contra Cæſarianos Tranſilvaniam adduxerat. Et hunc quidem, unaque Turcas ab ipſo conductos Comes Dampier, quem Baſta abiens pro præſidio illius Regionis Lippæ reliquerar, ad Temeſam fluvium ex inopinaro deprehenſum facile tunc fugavit, verum Botſcaii rebellio non ſolum Tranſilvaniæ, ſed & Vngariæ inſigniorum Procerum conſiliis & conſenſu fabricata majoribus difficulratibus Cæſarem implicavit, eumque à dominatu Tranſilvaniæ excluſit. Vngariæ quoque Regni erga Cæſarem fides exinde nutare cœpit, eo facilius quod jam à mulro tempore omnes illos populos, commoviſſent acerbiores injuriæ, quibus ſub ipſius imperio perpetuo exagitabantur. Omnes enim meliores Præfecturas, & dignitates æque milirares ac rogaras, Cæſar non indigenis Vngaris, uti ex vi jurisjurandi ſui tenebatur, ſed exrernis Germanis conferebat. Nobiliores cum dote ampliori Virgines nonniſi ex voluntate Cæſaris nubere poterant, favore Cæſaris in eis maritandis ad Germanos ſemper inclinanre. Si aliquis ſplendidiora patrimonia poſſidebar, levi objecto infidelitatis indicio, bonis ſuis mulctabatur, & eadem bona non Vngaris aliis fidelioribus, ſed Germanis tradebanrur, ut in brevi titulis doralibus, & fiſci nomine Germani, Vngaris veteribus pulſis colonis, opimiora quæque in tora Vngaria prædia poſſiderenr, & Vngari Magiſtratibus, & omni regiminis poteſtate exauthorari, quaſi in peregrino ſolo peregrinis dominis parere cogerentur. Tributa quoque non conſenſu Provincialium, ſed prout Cæſarianis dominantibus libuiſſet, imponebantur; & miles Germanus odio in eam gentem innato, magis quam Turca ſæviebat. Communi autem hujuſmodi cauſæ propriam diſſidentes in Religione adjunxerant, eam occaſionem rebus no-

T vandis,

A.C. 1604. vandis, & aſſerendis libertatibus ſuis opportunam fore arbitrati. Et maxime commoti Comitiorum anno ſuperiore Poſonii celebratorum decreto, quo omnis in illo Regno hæreticarum ſectarum uſus prohibebatur, & ſectarum hujuſmodi aſſeclis pœna exilii fuerat interminata, contra illud obteſtationem interpoſitam facto Gallari Conventu iterârant, poſtquam Comes Belgioioſa vice Georgii Baſtæ Præfectus Cæſareus Caſſoviæ templa omnia ipſis ademerat, & exercitum quodvis, etiam privarum ſuæ ſectæ cuique prohibuerat. Ac cum talibus querelis Vngari juſta remedia in Aula Imperatoris ſæpius quæſiiſſent, á miniſtris illius Aulæ omnibus Germanis, vel Germanis conjunctioribus rejecti, & ad Imperatorem nunquam admiſſi, nonniſi triſtem repulſam domum referebant.

Stephanus Botſcai venit ad Aulam Imperatoris.

Iraque tanto magis exaſperatis ſub hoc tempus eorum omnium propterea animis, ut aliquod levamen inveniretur, Stephanus iſte Botſcai de Kizmaria iverat Pragam: ſed in ea Aula duos menſes commoratus, nunquam potuit obtinere, ut cum hiſce querelis ab ipſomet Imperatore audiretur. Imperator enim Rudolphus ſub illud tempus vergens in ſenectam, & perſuaſus à Ticho Brahe celebri tunc Mathematico, ut inſidias (propinquiorum) caveret, in dies magis moroſus erat, omnibus diffidens in penetralibus ſeceſſibus ſeſe continebat, & neque in templum, neque foras quoquam prodibat, niſi quod deambulare ſolebat in porticibus interioribus, quas multimodas intra Arcem Pragenſem fabricari fecerat cum feneſtris anguſtis & obliquis, ut proſpiciens videri, vel jaculo (quod ſemper timebat) peri non poſſet. Præſertim ad ſtabula equorum quibus videndis impenſius oblectabatur, per angiporruum longos anfractus quotidie commeare ſolebat, & curioſiores ejus videndi copiam nuſquam facilius habere poterant, niſi aſſumpto habitu Agazonum, quaſi curandis tunc illis equis aſſiſterent. In privato miniſterio pauciſſimis familiarioribus utebatur, potiſſimumque mechanicis, ac fœminis: Ac publicorum negotiorum curam omnem prorſus ſepoſuerat, ratiori aditu pro eis tractandis, ad eum patente paucis miniſtris, quorum favore ad ipſum nonnulli in gravioribus, præſertim Legati externorum Principum quandoque admittebantur, eorumque arbitrio cuncta regiminis ratio conſtabat. Ac ſub tali rerum ſtatu Botſcaius nullam proponendis Cæſari negotiis Vngaricis viam inveniens, etiam à Cancellario Cæſareo, quod ei ſejugas ſuas præſtantiores petenti denegaſſet inhumaniter habitus; Praga rebus infectis, Aulaque inſalutata abierat. Comes Belgioioſa quoque Vicarius Baſtæ in Tranſilvania cum ab eo mutuo magnam pecuniæ ſummam petiiſſet, nec obtinuiſſet, Caſtella ejus ſpoliari à ſuis militibus permiſerat.

Rudolphus II Imperator in ſenecta ſua otio deditus.

Stephano Botſcai Aulici Imperatoris occaſionem dant rebellandi.

Stephanus Botſcai Belgioioſam Imperatoris præfectum profligat.

Vnde tanto magis ille irritatus, res novare, & exercitu collecto ordines Tranſilvaniæ in ſuas partes non inviros trahere cœpit. Auxilia quoque à Turcis mox obtinuit, & viribus auctus adventantem contra ſe Belgioioſam prope Varadinum donativis corrupto ipſius Vngarico peditatu, & ad ſuas partes in ipſo initio pugnæ traducto profligavit, paucis ejus militibus ex ſex millibus Germanis ad ſylvam vicinam, & ipſo Belgioioſa Varadinum fuga elapſo, Petzius & Lippaius Præfecti Cæſarianorum Vngarorum primarii ſaucii fuerunt ibi capti, & eorum caſtra cum tormentis omnibus prædæ victoris ceſſerunt. Ad famam autem tantæ victoriæ, certatim Proceres & Civitates Tranſilvaniæ Imperatorem deſerebant: Caſſovia quoque Cæſaris præſidium ejecit admiſſis Botſcaianis, qui ibi ſtatim plurimos ne Cæſarianis faverent ſuſpectos, majori parte Catholicos, trucidârunt. Atque ad initium menſis Novembris Ordines Tranſilvaniæ, & plerique ex Vngaria ibidem congregati unanimi conſenſu Principem Tranſilvaniæ Botſcaium nominârunt, jurejurando ſe invicem obligantes, quod cum ipſo legitima Patriæ, & Religionis libertatem defenderent. Quo audito Georgius Baſta rebus apud Strigonium compoſitis,

Stephanus Botſcai Princeps Tranſilvaniæ renunciatur.

A.C. 1604.

poſitis, reditum in Tranſilvaniam maturavit, & Filecum prætergreſſus, Caſſoviam contendens, varia fortuna nunc victor, nunc victus à Botſcaianis itinera illa obſidentibus, tandem ſub finem Novembris ſuperatis difficilioribus tranſitibus ad S. Andream vicinum Caſſoviæ Oppidum pervenit, illudque ſuo præſidio munivit. Et cum cætera proximiora Caſtella præſidia ipſius admittere recuſarent, niſi prius Caſſoviam recepiſſet, per literas promiſſa delictorum impunitate, & libertatum amplificatione, Caſſovienſes ad deditionem ſolicitavit. Reſponſo autem accepto, quod nil fiderent ei qui multa ante Tranſilvanis promiſerit, & pauca præſtiterit, initio Decembris ad Civitatem caſtra admovit, intempeſtivo jam autumni decedentis, & præter ſolitum pluvii tempore, ut facile judicari potuerit, nihil tunc operæpretii perfici potuiſſe contra Civitatem omni bellico apparatu, foſſis, vallo, propugnaculis firmis, & præſidio ſex millium armatorum inſtructam: uti & ſucceſſit: Nam caſtra ſua prope Civitatem vix dum poſuerat, frequenti jaculorum imbre turbata, ſtatim alio transferre debuit, & eruptiones obſeſſorum ægre ſuſtinens, gravioreſque timens, noctis beneficio relictis multis impedimentis inde ſe ſubtraxit Epperiam verſus, quam ab Oppidanis multis precibus & promiſſis impetraverat. Ibi autem hibernans, majora incommoda & damna tulit à Botſcaianis, qui aſſidue ejus Caſtra impugnabant, & pæne obſeſſa tenebant, ut nec ligna, ac alia à foris neceſſaria abſque quotidiano conflictu ad ea conduci potuerint.

Tranſilvani Georgium Baſta revertentem non recipiunt.

Caſſovia obſidionem deſerit Georgius Baſta.

Ac ſub finem Decembris noctu irruentes Botſcaiani, parum abfuit quin tota illa caſtra ejus expugnârint cæſis tribus legionibus, quæ ſtationem Golnitzii obſervabant, ut & ipſe Golnitzius periculum vix evaſerit, ab accurrentibus reliquis Baſtæ copiis hoſte demum repreſſo. Magnam etiam copiam pannorum laneorum, & pecuniam centum millium nummorum argenteorum Imperialium, quæ Vienna ad Baſtam pro exolvendis militi ſtipendiis conducebatur, Botſcaini interceperant: Et Arces plures trucidatis Germanis in eis præſidiariis, & oppida montana, circa quæ ſunt aurifodinæ, Superioris Vngariæ defectione incolarum occupabant: & quaſi ad omnes Vngariæ Civitates proditoribus ſubmiſſis, repentino excitato metu vel incendio Cæſarianos exturbabant, ut & Comorra ac Rabba aſſidue clauſa teneri, & ab hujuſmodi inſidiis diligentius cuſtodiri debuerit. Atque eo reciderant res Imperatoris Tranſilvanicæ, deteriores mox futuræ, ut annus inſequens monſtrabit.

Botſcaiani perſequuntur Cæſarianos.

Vngariæ Civitates multæ deficiſcunt ab Imperatore ad Botſcaium.

Et ut noſtra potius curemus. Polonia hoc anno quieſcebat, magis veterno quodam, vel ut mare, malacia, futurarum tempeſtatum prænuntia, dum nimirum præter bellum diuturnum Sueticum, etiam armorum Civilium commotionem, ejuſque pediſſequam Moſchicæ pacis violationem, (quæ plena funeſtarum calamitatum agmina in hoc Regnum induxit) præ foribus haberet, ut mox conſtabit. Enim vero res Sueticæ felicioribus Zamoyſcii Cancellarii Anno Milleſimo Sexcenteſimo ſecundo in Livonia ſucceſſibus fuerant inſtauratæ: Suecorum qui palam Sigiſmundo Regi favebant, vel taciti ferociam Caroli Ducis oderant animis ad novas melioreſque ſpes ita erectis. Sed Rege deinceps remiſſius agente, hoc anno reciduo, & irreparabili caſu plane corruerunt. Carolus enim interim reſumpris viribus & ſpiritibus, reliquos addictiores ibi Regi, qui ex Polonia ſubſidia recta per Livoniam jam ſecuram in Sueciam ſummittenda expectantes incauti ſeſe prodiderant, artibus ſuis uſitatis ſubvertebat, & deſtitutos omni ope, ſolum vertere coëgit. Aliorum etiam ſtudia beneficiis ſibi delinivit, & paucis qui latebant, nec hiſcere quidem amplius audentibus, omnia prout liberet ſibi ſucceſſura fore non dubitans, Comitia Generalia Ordinibus Regni Sueciæ Stocholmiæ indixit. In quibus cum propoſuiſſet, ut Sigiſmundo Rege præteritorum Comitiorum decretis Regno Sueciæ abdicato, de Rege novo eligendo, ſine quo uti corpus ſine capite,

Carolus Sudermanus in Suecia rebellionem promovet contra Sigiſmundum Regem.

Carolus Sudermanus Sueciæ Rex denuntiatur.

A.C. 1604.

Carolus Sudermanus Sueciæ Rex denunciatur.

pite, Regnum tuto conſiſtere non valeret, deliberarent, omnium acclamationibus Rex Sueciæ fuit ſalutatus: ac ſtatim uti Regi, jusjurandum fidelitatis ipſi fuerat redditum, actu illo tali formula edicti publicato.

Sueci excuſant ſuam rebellionem contra Sigiſmundum Regem.

Carolus Dei Gratia Electus Sueciæ Rex, & cum eo Ordines Regni militiaque Iudices. Notum facimus univerſis & ſingulis. Quod quandoquidem Legitimus & Naturalis Sueciæ Rex ad multiplicem Procerum petitionem non ſolum comparere & Regni adminiſtrationem ſuſcipere recuſarit, ſed & hoſtem ſeſe declarando, armis Patriam petere non dubitarit, jure eum quo hæreditario fruebatur ſpoliatum, idque in Carolum Sudermaniæ Ducem ejuſque hæredes maſculos ea qua decet ſolennitate collatum voluerimus, tradita ei poteſtate ſecundum præſcriptarum legum tenorem, Nobis & Univerſo Regno imperandi & Regalibus Regni omnibus, ut legitimum Regem decet utendi, fruendi, &c. Addita etiam fuerunt decreta de ſubſidiis ipſi dandis durante bello, & de exulibus, ut intra certum tempus redirent, & Regem novum ſibi reconciliari curarent. Quæ ſtatim typis excuſſa, ad exteros divulgabantur, quo palam fieret Sigiſmundo Regi non ſolum jus Regni illius abrogatum, ſed & ſucceſſionem illius in lineam maſculam Caroli fuiſſe tranſlatam, Sigiſmundo Rege fatali quadam cunctatione ad omnia hæc quieſcente.

Sigiſmundi Regis Poloniæ cunctatio in rebus Sueticis.

Poterat enim anno præterito victoriarum ſuarum curſum ſequendo facili negotio copias in Filandiam ducere, & claſſe in Sueciam aliqua ſubſidia transferre, quod multi Suecorum partium ejus ſtudioſiores deſiderabant. Sed dum ex proprio peculio impenſas ad tale bellum ſubminiſtrare recuſaret, & Poloni Livonia recuperata, rem non ſuam agi arbitrati, (ſeu quod plerique Proceres alieno eſſent à Rege animo) tributa pro Suetica rebellione compeſcenda denegarent, omnis occaſio retinendi illius fugitivi Regni præteriit, longoque ac difficili bello, quantumvis nolentem Poloniam illa cunctatio implicuit. Tunc vero in Livonia publico Regni ſumptu alebatur exiguus exercitus ſolum pro defenſione illius Provinciæ, & cum eo Carolus Chodkiewicz Suecos Vaiſenſteinum oppugnantes, inſigni prælio vicit, ac Derpatum quod eo uſque illi detinuerant recepit.

Carolus Chodkiewicz Suecos profligat.

Cæterum intra Regnum pacatiora videbantur eſſe omnia, Rege intento diſtribuendis dignitatibus & beneficiis, quæ ſub illud tempus vacârunt. Nempe poſtquam Ioannes Tarnowski tranſierat ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem in locum Staniſlai Kátnkowski proxime defuncti, accepit ſucceſſorem in Vladiſlavienſi Epiſcopatu Petrum Tylicki Minorem Cancellarium, & iſte in Varmienſi Simonem Rudnicki Secretarium Majorem Regni.

In Lithuania quoque obierat Chriſtopherus Radziwil Palatinus Vilnenſis, cui in Palatinatu illo ſucceſſit Nicolaus Radziwil (peregrinatione Hieroſolymitana clarus) Palatinus Trocenſis. Præfectura autem generalis exercitus Lithu. ceſſerat Carolo Chodkiewicz Duci fortiſſimo. Ac ſub finem ejuſdem anni vix auſpicatus Præſulatum ſuum Ioannes Tarnowski nempe poſt ingreſſum ſuum Gneſnam ſolennem quarto menſe, vivere deſiit, acerrimus partium Regiarum anteſignanus, & eo in aucupanda gratia Regis felix. Sed omnino uſus probavit, Civium hujuſmodi diviſiones Regis commodis nil unquam profuiſſe, verum inſeruiſſe ſolis lucris ducum illarum partium, Rempublicam autem eouſque diſtraxiſſe, quod iſta pro juribus & libertatibus ſuis in tanta rerum perturbatione, Civiliumque ſtudiorum diviſione periclitantibus ſervandis decertans, ſæpe ultimum diſcrimen ſubierit. Quod & paulo poſt evenit ex novis Nobilium in diverſas partes ſeceſſionibus, quarum initia hoc anno, ut attigimus, gliſcere cœperant ex rumore ſparſo in vulgus, enato vero ex dictis ejuſdem Tarnovii, qui factus Archiepiſcopus Gneſnenſis, aliquando hilarior & effuſior in profitendo ſuo erga Regem ſtudio gloriabatur, quod eſſet coronaturus Regem in brevi Vladiſlaum ejus filium tunc

Tarnovius Archiepiſcopus Gneſnenſis moritur.

noven-

A.C. 1604.

novennem. Quod cum percrebuiſſet, turbari incipiebant omnes, & timore plures ſuſpiciones ſuggerente, ſecretas machinationes quibus libertates Regni everterentur, ac Dominatus abſolutus in Regnum introduceretur, apparari querebantur. Vnde ſub finem hujus anni in Conventibus Terrarum ſingularibus, qui GeneralemConventum in annum proximum indictum ex more recepto antecedebant, graviores de hoc querelæ perſonabant: & ſimul veteres quoque inducebantur, de pactis circa Regis Electionem & inaugurationem conventis, ac jurejurando ipſius ſtabilitis, nec eo uſque impletis. Magis autem augebat rumores iſtos perſeverans, nec quicquam contradicente majori Senatus parte, Regis propoſitum de ducenda uxore Auſtriaca ſorore germana Reginæ defunctæ. Vt enim obſirmata eſt iſtius gentis de Auſtriacis opinio, quaſi in Regnis quantumvis liberis, cum in eis poſuere pedem, ſucceſſiones ſuas perpetuare nolint, plerique ſuſpicabantur illo connubio vites & artes quæri, quibus Regnum hoc in titulos ipſorum hæreditarios tranſiret. Talibuſque & aliis inanioribus ſumptis ex improvida jactatione affectatorum Regiorum conjecturis, concitata populi ſtudia, gravius Rempublicam concuſſerant, ut in conſequentibus annis apparebit.

Poloni incipiunt commoveri contra Sigiſmundum Regem.

Sigiſm. III Regis Poloniæ de ducenda ſecunda uxore propoſitum.

Prudentiores tamen rerum non ignari, aliam cauſam illi matrimonio opponebant, nempe honeſtatem publicam, quam lex omnis in matrimoniorum contractibus præcaveri jubet, & affines in proximo gradu invicem nubere vetat: & maxime mos gentis hujus, quæ tenacior talis honeſtatis, copulas quaſvis ſanguine junctorum etiam diſpenſatione Apoſtolica permiſſas execratur, infauſtas ſemper experta. Quod Zamoyſcius Cancellarius Clementi Papæ VIII, ne in diſpenſando tali matrimonio eſſet facilis, inſinuaverat, deprecans, ut parceret (inquit) honeſtati Polonæ, quam avita gentis iſtius morum ſeveritas, etiam in gregibus equarum violari non permittit. Nec vano profectu iſta ſcripſerat Zamoyſcius; nam Pontifex per celeriores veredarios ultro citroque miſſos explorato conſilio ipſius, dum vixit diſpenſationem illam non dedit. Quid autem fuerit ſubſequutum, loco ſuo attingemus; nunc ſignaſſe ſuffecerit futurorum in Republica diſſidiorum in hoc anno exorta initia.

Poloni abhorrent à matrimoniis in gradu prohibito.

Hoc eodem anno Polonia diuturnioris belli Moſchovitici concepit incitamentum: Demetrius enim quidam ex Moſchovia veniens, & pluribus annis in Provinciis Ruſſiæ oberrans, in Aulis diverſorum ibi Principum habitu famulari, cum originis ſuæ ex Ducibus Moſchoviæ, & ſervatæ ab inſidiis vitæ ſeriem diutius prædicaſſet, tandem narrationi ſuæ fidem & patrocinium cauſæ invenit. Eam autem (veramne an commentitiam hucuſque parum conſtat) tali relatione inſtruebat. Ioannes Baſilius Dux Moſchoviæ duos filios reliquiſſe dicebatur, Theodorum & Demetrium, quorum Theodorus primogenitus, & tunc jam adultus in illo Principatu Patri defuncto ſucceſſerat. Demetrius autem in ultima ſenecta illi ſuſceptus à Matre in propinquo quodam caſtro Vglecz dicto educabatur. Cum itaque Theodoro natura placido & valetudine infirma, ac propterea Imperii curas poſtponente, Boris Odonow Comeſtabilis ſeu Magiſter equirum (Stabuli præfectum vulgo illi dicunt) Moſchoviæ, cujus ſororem uxorem Theodorus habebat, favore ejuſdem ſororis ſuæ apud illum ſummum rerum arbitrium obtineret, ineſcatus dominandi dulcedine, ad occupandum illud Imperium aſpiravit. Nec difficilis ad id patebat illi acceſſus, cum Theodorus ægritudinibus conſumptus, & procreandæ proli minus habilis, in brevi moriturus eſſet ſterilis, dummodo prius infans tenellus Demetrius è vita tolleretur. Hunc itaque Demetrium ſummiſſis ad Caſtrum in quo alebatur ſicariis perſonatis, idem Boris necari juſſerat: Sed mater Demetrii præmonita, alium ei coævum in ejus lecto ſuppoſuit, venientibuſque ſicariis occidendum permiſit, (verita nimirum & ipſa Boriſſii ſævitiam)

Demetrius fingit ſuum genus ex Ducibus Moſchoviæ.

Demetrii fictionis ſeries.

T 3 Deme-

A.C. 1604. Demetrio clam cum uno nutritio talis arcani conſcio ad tutiora dimiſſo. Et Boriſſius quidem patrato tali ſceleri ſpeciem obtendens, Demetrium illum fuiſſe peſte extinctum dicebat, ac matrem ipſius in Monaſterium detruſam, ut hoc idem aſſeveraret ſeverioribus minis obſtrinxerat, Demetrius vero (niſi tamen fabulam egerit) in Ruſſia Polonica educabatur.

Non multo poſt autem Theodorus deceſſit, & ſtirpe Ducali nulla alia ſuperſtite, (aderat Mikitá Románowiez remotior illius ſtirpis cognatus ſed ignavus) Boris Principatum ſine negotio obtinuit Optimatum ſuffragiis, quorum ſtudia vivente Theodoro ad hoc ex induſtria ſibi conciliaverat. Sed Demetrius ut adoleverat, generis & viciſſitudinem fortunæ ſuæ ſeriem prodit: & ludibrio primum re excepta, cum dicta ſignis & argumentis clarioribus comprobaret, pluribus perſuaſit, & præcipue Georgio Mniſzek Palatino Sendomirienſi, ut patrocinium ejus cauſæ ſuſciperit, facta pactione, quod ille Imperium Moſchoviæ adeptus, filiam ejus uxorem duceret, ac refunderet impenſas in talem expeditionem faciendas. Summa itaque celeritate Palatinus conſcripſit exercitum, & adſcito in ſocietatem ſuam Duce Conſtantino Wiśniowiecki, multiſque aliis inſignioribus Ruſſiæ Proceribus, qui numeroſa militum agmina ſtipendiis propriis ad hoc collegerant, ſub finem anni iſtius in Moſchoviam cum Demetrio illo intravit, armis eum in Principatum paternum reſtituturus. Nec infelici ſucceſſu, ſi finis principio reſpondiſſet, ut paulo poſt apparebit. Haud dubie maxima rerum converſio in Imperio Moſchorum inde promanavit, & ſi verum illud, Cometas magnas calamitates prænuntiare, non alteri niſi Poloniæ & Moſchoviæ proxime ſubſequentia belli Civilis mala prædixit Cometes ille, qui anno antecedenti tertia die Octobris primum in decimo ſeptimo Sagittarii gradu conſpectus, uſque ad finem anni iſtius luxit, magnitudine & ſplendore Heſpero ſeu Veneris ſtellæ non diſſimilis, cum & caudam nullam haberet Cometis alioquin uſitatam.

Georgius Mniſzek in Moſchoviam deducit Demetrium.

Cometes ab Octobri 1604 ad finem 1605.

Annus Chriſti, 1605.

VT autem Demetrius ſub finem anni præteriti trajecto apud Kijoviam Boriſthene confinia Moſchoviæ attigerat, non paucos Moſchorum in ſuas partes trahebat, & plura viciniora Oppida occupaverat. Et licet initio Anni iſtius, Milleſimi, Sexcenteſimi Quinti, iniquiorem fortunam fuerit expertus, nempe quod exercitus Ducis Boriſſii Moſchoviticus apud Nowogrodek Severiæ menſe Ianuario ejus copias, necdum ad prævidendum & excipiendum periculum bene ordinatas diſſipaverat, paulo poſt tamen ille recollectis animis ſuorum & viribus Boriſſianos repreſſit, & Putiwlum, Bielſcum inſigniora Moſchoviæ in illo tractu Oppida in ſuam poteſtatem redegit. Vnde Boris gravius illud periculum quam ſperaverat ſibi imminere videns, ſexaginta millium exercitum ex Provincialibus ſuis conſcripſit, eumque menſe Aprili contra Demetrium convertit. Miſerat etiam Legatum ad Regem Poloniæ Sigiſmundum, exprobrans fractam pacis ad 20 annos nuper ſtabilitæ fidem illo hoſtili Polonorum in Moſchoviam cum Demetrio (impoſtore addebat) ingreſſu; ſed reſponſum accepit, ea Rege & Republica inſcia agi, & à Demetrio Moſcho nato ac à Moſchis adjuto, tumultus ibi excitatos ad pactorum vincula nil pertinere. Nec multum obfuiſſet paci communi illa offenſa, niſi ſucceſſiſſet alia, ex eadem tamen enata, ut ſuo loco apparebit. Tunc autem accepto tali reſponſo Dux Moſchoviæ Boris Odonow, arma ad reprimendum Demetrium comparabat: & facile oppreſſurus videbatur virium magnitudine, hominem non plus quam quinque millium tumultuaria manu,

Moſchi plurimi deficiunt ad Demetrium.

Boris Moſchoviæ Dux Legatum mittit ad Sigiſmundum Regem Poloniæ.

manu, nullis certis ſtipendiis ad fidelius obſequium, & ad ſubeundam militarem diſciplinam obligata ſtipatum, non pecuniis, non ullo apparatu, aut peculio bellico inſtructum, & rei militaris prorſus ignarum. Sed fortuna raro inconſtantiæ & temeritati non ſociata, juvit auſum Demetrii, quantumvis male conſultum viciſſitudine ſubita, quæ illius ſæculi prudentiorum & celebriorum militiæ Ducum de iſto bello nullo conſilio, ordine præpoſtero, & per omnia temere ſuſcepto, male ominantium ingenia fatigavit. Ecce enim occulto Dei judicio, quo imperia ſtant & cadunt, Boris Dux menſis Aprilis die 13 dum Legationes Principum externorum publice audit, repentino viſcerum cruciatu correptus, ore, naribus, auribus, multam ſanguinis copiam, & una animam profudit, illicoque extinctus procubuit.

Boris Dux Moſchoviæ moritur.

Quo caſu tam horribili Moſchi Proceres, etiam conjunctiores iſti defuncto territi, animis conciderunt, & plures (ut eſt gens ſuperſtitioſior) juſtitiam cauſæ Demetrii inde metientes, ad eum inclinare cœperunt. Reliquerat Boris filiolum infantem, penes quem ejuſque matrem imperium manere Optimates Moſchi voluerant, & exercitus collecti in ejus fide perſiſtebant. Sed Demetrio majori jam fiducia copias ſuas verſus Moſchuam Imperii ſedem promovente, poſtquam ſemel & iterum minus proſpere (ut in perturbatis & diviſis animis evenire conſuevit) contra eum pugnaſſent, unà cum ſuo Præfecto Bogdano, in partes ipſius tranſierant, & Boriſſii uxor re deſperata, filio filiæque ſuæ venenum propinavit, idemque ipſa ſumens unà interiit.

Boriſſi Ducis Moſchoviæ uxor & filii veneno extincti.

Omni itaque ope deſtituti Proceres Moſchi, cum nullum (unoquoque Procerum periculum ſubterfugiente) Ducem haberent quem ſequerentur, nec tempus haberent ad recolligendas vires quas opponerent Demetrio, acceſſione copiarum Boriſſianarum, & auxiliis novis ex Polonia accurrentibus aucto, ei ſe ſubmiſerunt, ac vigeſima die menſis Iunii hujus anni in Regiam Moſchoviæ introducto fidelitatem jurârunt, traditis ipſi ritu ſolenni Imperii inſigniis. Viſitaverat Demetrius altero poſt ingreſſum ſuum Moſchuam die, Ioannis Baſilii Ducis uxorem, matrem ſuam (ut aſſerebat) in Monaſterio quodam degentem, quæ in præſentia Procerum, eum eſſe filium ſuum ex Baſilio Duce agnovit, & indicia veritatis oſtendit, ac omnem illius fabulæ ſeriem confirmavit. Sed tamen taciti Moſchi eum eſſe impoſtorem judicabant, inveſtigato quaſi eſſet Otropiei Bojari cujuſdam ab oppido *Gálicz* filius Hriſzko denominatus: & preſſo conſilio, jam inde tollendum decreverant opportunitate quæſita, maxime ad ſubmovendos ab eo primum Polonos, quorum validum robur pro cuſtodia ſui corporis in ipſa Vrbe Moſchua retinuerat. Augebantur autem in eum odia illius populi Religionis ſuæ tenaciſſimi, inde quod ſtatim ritus eorum Græcos contemnere cœperat, Latini ritus illi genti nuſquam viſi, & ab auditu exoſi, tractatione publicè introducta: coma etiam capitis, geſtu, habituque corporis cum eorum more non conveniebat, quod ipſi reputant piaculi ſummi loco. Nec in moribus apparebat ingenuitas Principe tanto digna, minuſque gravitas, aut judicium in dirigendo ſtatu publico: mox enim Regno Sueciæ bellum denuntiâtat: contra Turcas & Tartaros ſeſe arma ſumpturum Regi Poloniæ ſcripſerat, necdum ſui ſtatus ſatis ſecurus. Expedierat etiam confeſtim Legatos ad deſponſandam ſibi uxorem Palatini Sendomirienſis Georgii Mniſzek, cujus ope ad tantum faſtigium aſcenderat, filiam Marinam nomine pretioſioribus gemmis, & maximæ æſtimationis monilibus depromptis ex veteri theſauro Ducum Moſchoviæ, ac ad ejus uſum in Poloniam tranſmiſſis. Hocque magis Moſchos offendit: ſed ipſi Demetrio forte profuit in eo, ut necem ei paratam conſpiratores diſtulerint, donec cum ſponſa ſupellex illa pretioſa integra, ducentis nummorum aureorum communium millibus æſtimata in Moſchoviam

Demetrius Dux Moſchoviæ inauguratur.

Demetrius pro impoſtore à Moſchis habetur.

Demetrius incurrit odia Moſchorum.

Demetrius mittit Legatos pro conducenda ſibi ſponſa.

A.C. 1605. rediret. Quod ejus Legati dum eſſent in Polonia (nempe ita inſtructi & talium arcanorum conſcii) priuſquam ea munera ſponſæ præſentaſſent, apud Palatinum ſponſæ patrem ſolicite præcaverant. Vna cum illis Legatis Demetrii ad ſponſam, alia Legatio adfuit ad Sigiſmundum Poloniæ Regem: & Cracoviæ menſe hujus anni Novembre, præſente Rege, & frequentia Procerum Poloniæ, qui ad nuptias Regias ad proximum Decembrem inſtructas confluxerant, ſponſalia illa apparatu ſuperbo fuerunt celebrata. Rex cum filio & ſorore Principe Sueciæ adfuit convivio, & manu ſua Legato Moſcho tradidit ſponſam; eam adhortatus, ut generis ſui Poloni memoriam, & amorem retineret, ac fidem Catholicam in qua fuit educata tueretur. Reliqua ſcenæ iſtius in anno ſubſequenti attingentur. At in Polonia cum ſolutis irritis Comitiis anteactis, domi & foris neglecta, & tota pæne deſerta Reſpublica langueret, quo laboranti ſubveniretur.

Demetrii ſponſaliorum celebritas.

Sigiſmundus Rex Poloniæ Comitia celebrat Varſaviæ 1605.

Comitia Generalia Rex Sigiſmundus ad finem Ianuarii iſtius anni 1605 Varſaviæ indixerat, ad quæ Senatores plurimi & omnium Ordinum primarii quique convenerant quidem, ſed ſimultatibus alii pro Rege, alii contra Regem ab invicem diviſi, non diſſimili profectu & exitu, quam præcedentia Cracoviæ abſolverunt: veteribus querelis nova adjuncta, quod recens defuncta vidua Dzialinia Zamayſcii Cancellarii germana, Præfecturam Brodnicenſem quaſi legibus vetantibus, Rex ſorori ſuæ Annæ Principi Sueciæ contulerat.

Pro dignitatibus quoque tunc vacantibus candidatorum concertatio, ſtudia partium non parum diſtrahebat, dum quiſque ſibi conjunctiorem promoveri deſiderat. Et primatialis quidem poſt Ioannem Tarnowski Bernardo Máciejowski Cardinali Epiſcopo Cracovienſi, Secretaria vero Regni Major Andreæ Opalinski, ac Referendaria Henrico Firley collata, omnium votis ſatisfecit, partium Ducibus æqualiter in iſtos propenſis. Sed pro officio Minoris Cancellarii Regni, quod Petrus Tylicki nuper ad Epiſcopatum Vladiſlavienſem promotus (cum utrumque ſimul retinere lex vetaret) dimiſſurus erat, majori contentione laborabatur. Laurentium enim Gæmbicki Epiſcopum Culmenſem ordo aſcenſus ad altiorem gradum præcipue ſpectabat, ut qui emeritus, eruditione & eloquentia cultiori, rerumque uſu & ad obeundas iſtius officii functiones dexteritate, modeſtia quadam ac affabilitate temperata excelleret: & omnino alium nullum tali Magiſtratui æque parem eo tempore reperiri potuiſſe communis opinio judicabat. Sed ipſi obſtabat, quod minus eſſet acceptus Regiarum partium aſſeclis, qui favebant conjunctiori ſibi Matthiæ Pſtrokonski Epiſcopo Præmiſlienſi, nempe affini & alumno illius Regaliſtæ Ioannis Tarnowski nuper defuncti, viro moribus quidem integro & probo, ſed ſi Gæmbicio compararetur, loquendi & ſcribendi facultate (quod munus illud maxime requirit) minus inſtructo, & Religioſo magis otio, (eo fuerat in juventute initiatus) quam negotio idoneo; iſte tamen, cum eo obligatior & obſequentior Regi futurus exiſtimaretur, ſuffragia potiora obtinuit, renuntiatuſque fuit in iſtis Comitiis Regni Vicecancellarius. Atque talibus tractandis, & forenſibus litibus agitandis trahebantur Comitia, gravioribus Reipublicæ negotiis prorſus derelictis, quæ Nuntii Equeſtris Ordinis in deliberationem ſuam admittere detrectabant, querelis & ſuſpicionibus omnia permiſcentes. Vt enim alias attigimus, ſparſus fuit rumor in vulgus, quod Rex Filium ſuum Vladiſlaum deſignari ſibi adhuc viventi ſucceſſorem in Regno, coronarique vellet, & novum connubium, ac novam cum Auſtriacis ſocietatem libertati iſtius Regni adverſam tractaret.

Polonorum offenſa contra Sigiſmundum Regem.

Eo itaque metu commoti Nobiles in Conventibus Terrarum ſingularibus interim celebratis, præſertim in Belzenſi, Nuntiis ſuis dederant in mandatis, ut in his Comitiis nova lata lege ſecuritati Reipublicæ ab hujuſmodi affinitatibus Auſtriacorum caveretur, & provideretur, ne Rege vivente alius Rex, præſertim

Regis

Regis filius vivente Patre, deſignari vel coronari poſſet, cum hoc modo gentis iſtius libertas eligendi ſibi Regem periclitatura videretur. Cui propoſitioni in conſeſſu Comitiali quanto majori fervore Regaliſtæ obſiſtebant, tanto magis Nuntii in conceptis à principio diffidentiis confirmabantur, ſuſpicionibuſque divulgaris eo major fides conciliabatur, quod Rex conſilium ſuum de nubendo, totis Comitiis (dum in pleno Senatu examinari potuiſſet) ſilentio premebat. Nec erat qui ſe medium interponeret ad illas concertationes dirimendas: Zamoyſcius enim Cancellarius cujus authoritate potiſſimum nitebatur ordo Nuntiorum, cum videret offenſum eſſe ſibi Regem, (in ſua ſententia publice in Senatu conquerebatur, quod ſuum ſincerum amorem, quo uno eodemque Regem & Rempublicam ſimul, cum hæc inquit, recto judicio ab invicem ſejungi non poſſint, diligebat, malevoli criminationibus in malam partem retorquerent) negotiorum publicorum curam ſepoſuerat, & ne ſemel quidem privatum cum Rege, ut ante conſueverat, colloquium habuit. Cumque Nuntii pertinacius circa poſtulata ſua perſiſterent, immo multo plura, nempe de conventis in Coronatione Regis, ac circa educationem Principis Vladiſlai, qui tunc decimum ætatis ſuæ annum complebar, definiri vellent, nec obtinerent, alia quoque quæ magis premebant Rempublicam tractari, concludique non permiſerunt: ut de ſubſidiis ad bellum Suericum promovendum ſubminiſtrandis; confiniis contra incurſiones Tartarorum melioribus præſidiis muniendis; conditionibus fiduciariis Duci Pruſſiæ præſcribendis; cui tamen curator alius Ioachimus Fridericus Elector Brandeburgicus à Rege fuit datus in locum Georgii Friderici olim à Rege Stephano eidem Duci curatoris aſſignati, ac interim defuncti. Finitis vero Comitiis poſtquam Zamoyſcius Cancellarius, & alii non pauci Senatores diſceſſerunt, proponi demum Rex fecerat in Senatu ſuum illud de iterando connubio deſiderium, & variis varia ſentientibus, plurium ſententiæ eo inclinabant, ut acciperet Electoris Saxoniæ filiam: quod ſi mallet Auſtriacam, duceret potius Ferdinandi Archiducis filiam in gradu affinitatis remotiore, & lege minus vetito, quæ Tyroli educabatur. Sed poſtquam Senatores omnes ſuas ſententias dixerunt, nihilominus Rex ſuam voluntatem non declararat. A.C. 1605.

Sub idem tempus die 3 Martii obierat Romæ Clemens Papa VIII, ætate annorum ſeptuaginta, & inſuper podagræ incommodis gravatus, cum ſediſſet in Pontificatu annos tredecim, menſem unum, dies tres. Merito inter clariores rerum geſtarum gloria Pontifices numerandus, propter multa præclare in ſuo Pontificatu ordinata, & incorruptum judicium quod in moderanda Eccleſiæ Catholicæ Hierarchia, & cum primis in deligendis ad dignitatem Cardinalitiam quibuſque inſignioris notæ viris probavit. In ejus locum Cardinalium Collegium ſuffecit Alexandrum Mediceum Cardinalem, qui die 2 Aprilis renuntiatus Papa, nomen Leonis undecimi aſſumpſit: ſed & ipſe annum ætatis ſeptuageſimum egreſſus, ac languens, dum ineundi Pontificatus conſuetam ad Ædem S. Ioannis Lateranenſis pompam ducit, corpore defatigato majori debilitate, & mox ægritudine (non ſine ſuſpicione veneni) concepta, vigeſimo quinto poſt Electionem ſuam die Aprilis 28 deceſſit, in ejuſque locum concordibus Cardinalium ſuffragiis, die 16 Maji electus fuit Camillus Burgeſius Senenſis denominatus Paulus V.

Clemens VIII PP. moritur.

Leo XI Papa creatur & moritur poſt dies paucos.

Paulus V Papa creatur 16 Maij 1605.

Sed ut ad Polonica redeamus, quorum occaſione hæc quoque attigimus, ut ex inſequentibus conſtabit, hoc anno tertia die menſis Iunii præcipuum gentis Polonæ columen Ioannem Zamoyski Archicancellarium & Ducem exercitus Regni vis mortis extinxit, ætatis annum ſexageſimum tertium paucos ante dies egreſſum; de cujus climate (clarioribus viris ſæpe fatali) ſuperato, congratulationes amicorum proxime receperat. Sed paulo poſt paralyſi, vel alio occultioris morbi

Zamoyſcius Cancellarius Pol. moritur.

A.C.1605. morbi malo adeo repente concidit, ut vix aliqua verba leniendis uxoris lamentis proferre potuerit. Providus tamen ad omnia, teſtamentum dum adhuc bene valeret ordinatiſſimum condiderat, & ſine pompoſo apparatu funus ſuum efferri,ac in templo primario Zamoſcii ſuæ ſtirpis & cognominis hæreditario loco deponi juſſerat: vir armis ac literis clarus, omniumque virtutum numeris abſolutus: vindex ſeverus juris moriſque patrii, & cui ſoli totum debet gens Polona, quicquid Regalis dignitatis apud eam habet ſtirps nunc Regia, quicquid ipſamet priſci decoris, quicquid libertatum retinet avitarum,quas univerſas prorſus concidiſſe perpetuo, eandemque cum Boëmis miſerandæ ſervitutis ſubiiſſe fortunam neceſſum fuiſſet, Maximiliano Auſtriaco ejus opera non victo, & ad hoc Regnum admiſſo. Aliquis dixerat de eo: *Sciet olim quem habuerit Ducem Polonia, ſimilem quando ſit habitura neſciet.* Sed non in Polonia tantum, verum in tota Europa inter multa ſæcula, pauci ei pares nominari poſſunt. Geſtorum ejus præcipua ſparſim locis ſuis attigimus,& ſi quis volet ſingula ſingularius recenſere,copioſam materiam ad implendum juſtum volumen habebit. Sublato autem hoc modo Zamoyſcio, iſtoque obice nuptiarum Regiarum cum Auſtriaca defunctæ Reginæ germana, & altero Clemente Papa VIII in eis permittendis difficiliore amoro, alii plures Proceres eas improbantes palam in hoc Regi contradicere non auſuri credebantur. Et totius Aulæ curis ac ſtudiis ad eas perficiendas converſis, Andreas Opalinski Secretarius Regni major Romam gratulatum novo Pontifici Regis nomine,ſimulque ad obtinendam diſpenſationis pro illo conjugio gratiam fuit amandatus. Sigiſmundus autem Myſzkowski Marchio Archimariſchallus Regni ſuſceperat in ſe onus Legati ad Imperatorem Rudolphum pro petenda ſponſa, & deſponſanda Græcii,ac in Poloniam conducenda. Ad quod interim dum diſpenſatio Romæ expectabatur,apparatum & comitatum ſplendidiorem immenſo ſumptu,eoque proprio conquirebat. Sed priuſquam reliquam nuptialem illam pompam recenſeamus,Martialia interponenda occurrunt.Diximus in Comitiis Regni proximis omnem ſecuritatis confinium, præſertim Livonicorum curam fuiſſe abjectam: Quo fretus Carolus Rex Sueciæ novus, omnem Livoniam in ſuam poteſtatem facile redigi poſſe ſperabat,& ſolito majorem collectum exercitumRigam verſus trajecit initio menſis Auguſti cum Mansfeldio Comite ſuarum copiarum Præfecto, qui Dinamunrum Rigæ proximam arcem maritimam à Bialozor Vicepræfecto Lithuaniæ Mariſchalli Doroſtáyski temere deſertam,ſtatim occupavit. Ipſe Carolus cum Duce Luneburgenſi altero copiarum ſuarum Præfecto ſubſequens,apud Parnaviam littus tenuit, & conjunctis ſibi aliis copiis quas ex Filandia Andreas Linderſon ducebat,ad Mansfeldium perrexit, eumq; aſſecutus undecima Septembris luſtrato & recollecto in unum toto exercitu Rigam obſedit. Deſperatæ pæne res Livonicæ tunc erant, cum viribus hoſtis quatuordecim millibus armatorum conſtantibus, exiguum quod erat in Livonia militare præſidium omnis humana ratio objiciendum diſſuaderet.Dei tamen beneficio magnanimitas DucisCaroli Chodkiewicz, qui tunc illi Provinciæ cum exercitu & Imperio, tituloque Adminiſtratoris præerat,periculum illud prælio inter celebriora memorabili ſuperavit. Circa Derpatum tunc degebat Chodkiewicz, quod ad illas partes primos hoſtis impetus convertendos fuiſſe ſperaret: ſed audito primum Mansfeldii adventu, relictis caſtris & impedimentis cum ſelectiori Equitatu duorum millium & quingentorum, ac peditibus prope mille, ac paucis expeditioribus tormentis, ad eum inveniendum properavit: cognitoque quod & Carolus Suecus adveniens, Rigam obſediſſet, ipſe quoque ut ex propinquo Rigenſium animos confirmaret, & hoſtis conſilia obſervaret, donec majoribus ex Lithuania copiis augeretur, ad Dunam fluvium prope Iskelium tribus à Riga milliaribus conſedit, ſummi periculi aleam

Sigiſmundus III Rex Poloniæ mittit Romam pro diſpenſatione ſui matrimonii.

Myſkovius Marchio Legatus ad Rudolphum Imperatorem & ad ſponſam Regiam.

Sueci in Livoniam exercitum ducunt.

Rigam obſidet Suecus.

Chodkiewicz Rigæ in auxilium venit.

Suecus Riga relicta Chodkievicium perſequitur.

non

non jacturus, niſi cogeret neceſſitas, vel opportunitas invitaret. Sed Carolus Suecus intellecta paucitate exercitus illius multitudine copiarum ſuarum ad ſpem victoriæ & Riga facilius potiundi ſi prælio vinceret erectus, dimiſſa obſidione Rigenſi, die 27 Septembris Translationi Divi Staniſlai ſacro Kircholmum ivit, ibique Caſtra ſua Caſtris Chodkievicii oppoſuit. Nec multum utrinque morati acies inſtruxerunt, & protractis ad meridianam prope horam velitationibus, in quibus Poloni proſperioris certaminis omen referebant, Chodkiewicz explorato hoſtilis aciei ordine, admonuit ſuos, quod ab una flumine Duna, ab aliis partibus hoſtium armis cincti, nonniſi à Divina ope & fortitudine ſua ſalutem expectare poſſent, quodque prælium ipſis univerſale jam ineundum eſſet denuntiavit. Et opportune dum in procinctu ſtarent directæ acies, Fridericus Curlandiæ Dux cum quingentis Equitibus Curlandis, in ſubſidium Polonis veniens, ac per Dunam fluvium contempto periculo nando celerius tranſitum quærens, adactis in flumen equis in vadum nulli ante nec peritiſſimis illorum locorum cognito fortuna futuræ victoriæ præſaga illatus, tranſiit incolumis, atque in fronte una cum Prætoria Chodkievicii haſtatorum cohorte conſtitit. Dextrum cornu Ioannes Sapiha tenebat, lævum Thomas Dambrowá tam arcte conglobati, ut cum pauci eſſent numero, proſpectu longe pauciores apparerent, conſilio Ducis, quo hoſti paucitatem illam contemnenti tanto magis ſecuritatem augeret. Vnum gravius Chodkievicio obſtabat, quod hoſtilem aciem in collibus extenſam equitatu invadere commodum ipſi non eſſet. Vnde ſolertiori induſtria remedium tanto diſpendio quæſivit: Inter aciem utramque lata planicie campus patebat, eo itaque ut ex collibus detraherentur Sueci, concitis equis de repente ſpecie fugientium turmas velitum obverti mandavit, & hoſtis eo ſerio in fugam metu effuſos velocius aggrediendos eſſe judicans, in plana deſcendit. Sed mox converſi illi, aciem ſuam ex condicto dilatarunt, ác exploſis tormentis, primum Prætoria haſtatorum cohors, Ductore Vincentio Woyna, in phalangem peditum hoſtilem contis prælongis à fronte & ſclopetis munitam, ſed aliquantum inceſſu illo turbatam irruit. Dambrowá vero cum legione ſua procurrens ad latus apertum dextræ alæ hoſtilis, vento ſibi ſecundo à mari flante uſus, impetu vehementiore in Sueticas turmas invectus, eas cædibus permiſcebat. Siniſtræ ſuæ alæ Equites Carolus Suecus direxerat, ut à tergo Polonos circumvenirent; ſed & hos à Chodkievicio inſtructus Ioannes Sapiha diligentius obſervans, advenientes fortiter excepit, & inſiſtens fugientibus, remoriora hoſtilia agmina invaſit. Atque ita ab omni parte conflictu fervente, Sueci per tres horas multitudine prævalentes pugnam ſuſtinuerunt: ſed Ordines turbatos dum redintegrare non valent, majori confuſione inter pugnandum implicari deficere cœperunt, victoria ad Polonos inclinante: qui in disjectas hoſtium catervas uſque ad veſperam ſævierunt. Novem millia in loco conflictus occiſorum Suecorum fuerunt numerata, præter eos qui in fuga à ruſticis cæſi, vel ex vulneribus in conflictu acceptis perierunt. Ex primariis autem Caroli Sueci Præfectus Fridericus Brunſvicenſis Dux, & alter Luneburgenſis, ac Andreas Linderman, qui primas Imperii militaris apud Carolum partes tenebat, occubuit. Mansfeldius accepto vulnere in fugam conceſſit, ac ipſe Carolus ſaucius ope paucorum ſuorum familiarium ad naves ægre evaſit. Caſtra ejus univerſa prædæ victorum ceſſerunt, cum Suecis captis vivis quingentis, ſignis militaribus ſexaginta, & tormentis undecim. Ex victoribus vero non plures quam octuaginta fuerunt deſiderati, vulnerati plures, & equi plurimi jaculis bombardarum proſtrati. Lætus autem hujus victoriæ Nuntius Aulam Regiam ad inſtruendos majori alacritate nuptiarum apparatus excitavit. Et jam etiam diſpenſatio ad eas à Summo Pontifice Paulo V allata fuerat, ac Archimariſchallus

Legatus

A.C. 1605.

Curlandiæ Dux in auxilium Polonis venit.

Kircholmenſis pugna Polonorum cum Suecis.

Chodkievicius memorabili prælio profligat Suecos.

Suecorum ſtrages in prælio Kircholmenſi.

A.C.1605.

Myskowski Marchio Legatus Regis Poloniæ Pragam venit.

Legatus pro petenda ſponſa ad Rudolphum Imperatorem iverat, vigeſima ſexta die Septembris cum ſplendido & numeroſo Comitatu Pragam ingreſſus. Socium Legationis (ejus arbitrio hoc Rex permiſerat) acceperat Martinum Szyskowski recens favore ſuo ad Epiſcopatum Luceorienſem evectum, nempe alumnum Patrui ſui Petri Myſzkowski Epiſcopi Cracovienſis, ut eum merito tali ad meliores gradus promoveret. Sequebantur etiam ipſum Enſifer Regni Bránicki, Niemojewſcii duo, Felix Kryski, Maximilianus Przerembski Præfectus Petricovienſis, & plerique alii inſigniores Nobiles, novæ Reginæ gratiam tali officio demereri geſtientes: Triginta octo ſejugas, ciſia totidem (quibus inſidebant Aulici nobiliores) trahentes, antecedebant viginti equi præſtantiores Turcici, phaleris auro & gemmis intextis fulgentes: & demum ſequebatur Legatus cum ſuo Collega Epiſcopo, duo ſoli una Rheda vecti, altero vero curru vehebatur Cancellarius Boëmiæ Cæſaris nomine Legatum excipiens, totum agmen claudente magna Equitum caterva. Sed cum ad ſalutandum Cæſarem irent, omnes, trecenti Equites, ſinguli veſtitu & equorum ornatu elegantiore jucundum ſpectaculum præbuerunt. Et liberalius habiti Legati, votique compotes à Cæſare dimiſſi, principio Octobris Græcium Styriæ diverrentes, ſponſalia ibi celebrârunt, Archimariſchallo ſponſi perſonam in ſtipulatione ſponſaliorum repræſentante. Turcicum præſidium Caniſia tunc Græcium prope excurrens, illam feſtivitatem nonnihil turbaverat: ea vero peracta, mater Sponſæ cum Maximiliano Sponſæ germano, ac Margarita ejuſdem ſorore, quæ nuper à Sigiſmundo Batoreo Principe Tranſilvaniæ repudiata fuerat, itineri ad deducendam Sponſam celerius ſe accinxit, & initio Decembris Cracoviam venit. Primumque in ſuburbano Palatio Regio Łobzowo excepta, ibi duobus diebus quieti datis, quarta Decembris die, Regali magnificentia arcus triumphales exquiſitis artificiis fabricatos, & emblematibus ornatos ſubiens, in Arcem Cracovienſem fuit introducta. Triginta turmæ Equitum à Proceribus diverſis exquiſitiori ornatu inſtructæ, pompam illius ingreſſus antecedebant, ac totidem peditum ſigna, quibus inſiſtentes duodecim tibicines Regios holloſerico rubeo veſtitos, Aulicorum inſigniorum & Procerum longus ordo ſequebatur, cum Mariſchallis tribus ſceptra ſua præferentibus, filio Regis & Archiduce ad ejus dextram, & demum Rege ipſo ſolo cum duodecim circum ſtipatoribus, ac totidem curſoribus holloſerico rubeo veſtitis equitante. Inde parvo intervallo præeuntibus aliis familiarioribus ab obſequio Regio Aulicis, octijugæ ex ſelectiſſimis equis phaleris holloſerico rubeo, & uncinulis ex argento inaurato, loco ferri contextis ornatæ cum ſeſſoribus, rubeo quoque holloſerico veſtitis, trahebant Rhedam exquiſitioris operis & pretii, cui inſidebat Regina cum matre & ſorore, cæteris Heroinis & Gynæceo cum aliis duodecim Rhedis agmen illud claudentibus. Spargebantur etiam in populum nummi argentei cum Symbolo *Regnorum ſecuritas*, pari turturum appoſito ab una parte, & ab altera nominibus & inſigniis gentiliis Regis & Reginæ expreſſis. Sed tempus fuit adverſum, pluvium, omni tranſitu luto fœdo ſquallente, ac incondito quodam ordine, & intempeſtive omnis illa pompa ducebatur, in feram noctem cum faſtidio ſpectatorum protracta, ut in turba populi voces, mala inde Reipublicæ ominantis audirentur. Quod vere evenit, ſtatim ab illis nuptiis occaſione diſcordiarum Civilium enata. Acciderat enim quod domum in Arce Palatio Regio contiguam juris quidem Regii, ſed quam Cracovienſis Arcis Præfectus inhabitare ab antiquo ſolebat, & tunc Nicolaus Zebrzydowski Palatinus Cracovienſis ejuſdem Arcis Præfectus tenebat, pro recipiendis nuptialibus hoſpitibus Rex occupari fecerat excluſo Palatino. Quod iſte adeo acerbe tulit, ut injuriæ propriæ, etiam publicas toties in Comitiis agitatas, conjunxerit, omnibus Ordinibus Regni ad eas vindi-

Sigiſmundo III Regi Poloniæ deſponſatur Conſtantia Auſtriaca.

Conſtantia Regina Cracoviam venit.

Polonorum offenſa contra Sigiſm. III Regem in nuptiis Conſtantiæ enata.

vindicandas concitatis, ex more gentis pene inveterato, quod vix unquam cauſam Reipub. contra Regem defendendam quis ſuſcepit, niſi & propria offenſa ſtimuletur. A.C.1605.

In anno proximo iſta conſtabunt. Altera fuit quod Cardinalis Máćieiowski (eouſque iſte dilato aditu poſſeſſionis Gneſnenſis Archiepiſcopatus, Cracovienſem Epiſcopatum retinebat, ut fructus utriuſque perciperet) Legatus à latere ad eas nuptias à Summo Pontifice Romano deſignatus, cum poſt expeditum coronandi actum umbella ſive Baldachino adhuc eo die, quaſi ultimo ſuæ Legationis duarum hebdomadarum ſpatio circumſcriptæ, uti vellet, Rex tempus illud pridie finirum fuiſſe perſuaſus, umbellam deponi volebat; & cum non deponeretur, miſſis janitoribus ſuis eam deponi fecit, ingrediente jam templum Cardinale, qui eam contumeliam magis Dignitati Sedis Apoſtolicæ illatam diſſimulare non valens, Miſſa ſacra brevi expedita, ex remplo ſe proripuit, & eodem impetu Cracovia exiens, ad ſuburbanum ſuum Palatium *Pramnik* receſſit. Iverat ſtatim ad eum leniendum Petrus Skárgá Concionator Regius ex Societ. I E S V, qui durius ab ipſo exceptus nihil effecit. Et licet aliis aliiſque operantibus Cardinalis preſſa ad tempus offenſa videbatur, tunc mitigatus, tamen deſpicatui fuiſſe habitos duos ſimul ex Senatoribus Regni primariis, populus ægre ferebat, hincque ſumpto argumento, variis rumoribus qui de novis conſiliis immutandæ Reipublicæ ferebantur, facilius fidem adhibuit, ut paulo poſt attingemus. Male ominantium quoq; voto reſpondit, quod ſub hoc tempus Tartari in Volhiniam uſque excurrentes, multam gentem agreſtem in ſervitutem abduxerunt, aliqua tamen pars prædæ eis redeuntibus fuit excuſſa, & eorum Ducem Cantimirum Murſa (juvenis annorum decem octo prima iſta expeditione explorabat ſuam ad bellum fortunam ut mos eſt Tartaris) in campis Vdicza caſtris poſitis manipulos ſuos prædatum dimiſſos opperientem, Staniſlaus Zolkievius Præfectus minor militaris fugavit.

Conſtantia Regina coronatur Cracoviæ.

Ritum ſacrum Reginæ coronandæ Petrus Tylicki Epiſcopus Vladiſlavienſis (cui hoc abſente Archiepiſcopo Gneſnenſe incumbit) tractavit 11 die Decembris anni iſtius in Pontificali Templo Arcis Cracovienſis, Cardinalis autem Macieiovius, cum nondum adiiſſet poſſeſſionem Archiepiſcopatus Gneſnenſis, ſolum deſponſationis actum uti Legatus Summi Pontificis Romani expedivit.

Rudolphi II Imp. partes in Vngaria deficiunt.

Et ut ad extrema tranſeamus, proximior Poloniæ primum occurrit Vngaria hoc anno undique miſere dilacerata. Vt enim Stephanus Botſcajus Principatum Tranſilvaniæ invaſerat, omnia in deterius etiam in Vngaria partium Imperatoris declinabant, & Georgius Baſta Præfectus ibi Cæſareus militaris, non jam pro Tranſilvania, ſed magis pro ſuperiore Vngaria conſervanda laborabat. Et quidem poſtquam Caſſoviam amiſerat, adhuc tamen nonnullas illius tractus Civitates, nempe Epperiam, Leutſiam, Bartfeldiam, & Zebenam, utcunque retinuerat cautione præſtita, quod ab eis propoſitos articulos de privilegiis eorum conſervandis, tributis & militum hoſpitiis eis non gravandis, ac libertate Religionis ipſis permittenda approbaturus eſſet Imperator. Sed reliqua loca ad obſequium Cæſaris eadem ratione revocare contendens, cum proclamari edictiſque divulgatis omnibus ſignificare feciſſet, quod ad exemplum Epperienſium, aliis quoque privilegia confirmanda forent, nihil profecit, certatim omnibus ad Botſcaium deficientibus. Neque armis hoſtem multitudine copiarum prævalentem reprimere valuit, quoquo ſe verteret ſuccumbens. Nam & menſe Februario Sagmaria à Butſcaianis capta cum Toccaio illi viciniori ſubvenire nititur, apud Bodacum deſideratis pluribus ex ſuis pedem referre eſt coactus. Villecum quoque à Botſcaianis non multo poſt ad deditionem fuit coactum, & Veſprinenſes victo ſuo Cæſareo Præfecto, nulla vi coacti ad Botſcaium tranſierant. Nec minus negotii Baſtæ dederunt ipſiuſ-

Georgii Baſtæ Cæſarei Ducis milites tumultuantur.

V

A.C.1605. ipſiuſmet milites, qui ſeditione facta ob non ſoluta ſtipendia ejus currus diripuerunt, & Poſonium abeuntes, ſuburbium Viennenſe ibi occuparunt, ferrum & ignem minitantes Civitati, niſi illis ſtipendia retenta numerarentur; ac ægre poſtea fuerunt mitigati, accepta ſtipendiorum octo Menſium pro duodecim Menſibus ſolutione. Denique cum vires Cæſarianis non ſuppeterent, & tractatu pacis cum Botſcaio tranſigere voluiſſent, iſte quoque non ex voto ipſis ſucceſſit.

Botſcaius proponit conditiones pacis Imperatori. Botſcaius enim colloquio iuſtituto, tales pacis conditiones propoſuit, ut Tranſilvaniæ gubernatio penes ipſum eſſet: In Vngaria Generalis Præfectus nonniſi genere Vngarus conſtitueretur: Vallones & Galli ne militarent in Vngaria: Religionis ut eſſet liberum cuique ſuæ exercitium: Arcium præfecturæ nonniſi Vngaris committerentur. Cæſar ut ipſemet Poſonium veniret, & conditiones iſtas approbaret; Baſta vero eas nimium duras eſſe judicans, tractatum illum re infecta intermiſit.

Botſcaius rejecto tractatu pacis contra Imp. Vngaros concitat. Vnde Botſcaius pace deſperata, ad diem decimam ſeptimam Aprilis Serentii Ordinibus Vngariæ Comitia indixerat, interminando pro hoſte patriæ habendum fore unumquemque Nobilem, qui ad ea non veniret. Atque ibi fortioribus vinculis patres ſuas firmavit, & mox pecuniam in ſtipendia ſuorum militum contribuendam Civitatibus imperavit. Sub idem quoque tempus deprehenderat Botſcaius inſidias ſibi inſtructas à Lippaio (ex partibus Cæſarianis iſtum Botſcaius in conflictu cæperat, & in gratiam receptum copiis ſuis præfecerat) quem propterea capite mulctari fecit, ejuſque dives peculium fiſco ſuo addixit. *Botſcaio Turca auxilia dant.* Turca vero menſe Aprili miſſo ad eum Baſſa quodam ad tranſigendum, quod arcis cis Tibiſcum ad Turcas, ultra vero Tibiſcum ut olim ad Ioannem II. Regem, ad Botſcaium pertinere deberent, magna ſubſidia pecuniaria ei dederat; & intellecto quod pacem cum Imperatore tractaret, per alium ſuum Nuncium ad eum deſtinatum, munera eximii pretii, ac equos præſtantiores ipſi miſerat, una cum Regia Corona Vngariæ capta circa cladem Varnenſem Vladiſlai Regis, eum Regem Vngariæ nuncupando, quo ſibi devinctiorem redderet. *Tartari à Botſcaio conducti in Moraviam & Auſtriam excurrunt.* Decem prætérea millia Tartarorum ad eum deſtinarat, qui cum expeditoribus ipſius velitum turmis in Moraviam & Auſtriam eruptione facta, miſerabili devaſtatione eas Provincias afflixerunt, abducta multitudine innumera Chriſtianorum in Turcicam ſervitutem. Alia vero Tartarorum ala, cum eiſdem Botſcaianis Caniſiam verſus excurrens, longe lateque eam regionem populabatur. *Viſegradum Turca capiunt.* Turcæ quoque ea occaſione uſi, Viſegrado menſe Martio proditione Botſcaianorum occupato, arcem ejus diutius à præſidiariis Imperatoris defenſam, tandem ad deditionem coëgerunt. Ac paulo poſt Novigradiam quoque commeatu deſtitutam ceperunt, *Strigonium oppugnant Turcæ.* & inſtitutam validiorem ad Strigonium oppugnationem urgentes, propugnaculum S. Thomæ ſumma vi, licet non ſine magna ſtrage ſuorum, expugnarunt; occupatiſque omnibus circum munitionibus ſub finem Septembris etiam ſuburbium Strigonii (aquaticum dicunt) inferius ceperunt, omnibus præſidiariis ejus trucidatis. *Strigonium deditur Turcis.* Cumque jam arci, deſecta cuniculis majori mœnium parte imminerent, milites præſidiarii Comitem Dampierum Præfectum ſuum tractare de deditione recuſantem comprehenſum in cuſtodia tenentes, ipſimet tertia Octobris tranſegerunt, ut arce ceſſerint, pacti incolumitatem corporum, & vecturas quibus ægroti Comorrham deducerentur cum ſuis impedimentis; mille illorum egredientes ſani ſunt numerati, præter ægrotos: & commeatum non paucum, una cum ſeptuaginta tormentis æneis Turcis reliquerunt. Vnde de propera deditione accuſati, Poſonii plures eorum pœnas dederunt, & ipſe Dampier diutius propterea ſub cuſtodiis detentus, ægre inobedientia militum excuſatus evaſit. Atque tanti conſtitit Imperatori Tranſilvania Batoreos ejeciſſe,

A.C. 1605.

ejeciſſe, eamque ſibi vendicare voluiſſe, quod eo cum potioribus viribus ſuis intentus, tot impenſas, ac recuperatam Albam Regalem, tum Strigonium & intermedia plura inſigniora caſtra iterum amiſit, Tranſilvaniam autem nunquam obtinuit. Sub id enim tempus Botſcaius poſſeſſionem ibi ſuam tantò melius firmavit, congregatiſque Claudiopoli Tranſilvaniæ Ordinibus, jusjurandum fidelitatis ab eis recepit, & per Vngariam cum exercitu incedens, plures arces, & ex præcipuis Neoſelium occupavit, ac Poſonium manus ejus vix effugit. Menſe demum Decembre pacis tractatio fuit iterum inchoata, una & cum Turcis, ad quam Imperaror Sigiſmundum Forgaz, Botſcaius autem Illiſchium deſtinaverat, & cum eo Baſſæ Budenſis Nuncios. Ac faciliores jam Turcæ recuperato Strigonio, cujus reſtitutionem ſemper urgebant, ad componendam pacem videbantur. ſed Botſcaius felicioribus ſuis progreſſionibus ad Vngariæ totius Regnum obtinendum erectus, omnem illam tractationem in longum protrahendo, nonniſi conſiliis ſuis ſtabiliendis accommodavit.

Botſcaio Tranſilvani jurant ſubjectionem.

Botſcaius in Vngaria multa occupat.

Rudolph. II Imp. tractat pacem cum Turcis & Botſcaio.

Botſcaius ad Regnum Vngariæ aſpirat.

In Belgio hoc anno fortuna varia viciſſitudine fluctuans, tandem ad Hiſpanos inclinavit. Primis diebus Maii Mauritius Comes Hollandicas copias Antverpiam prope duxerat, ut ruptis aggeribus ſtagnorum, partim aqua, partim terra firma Civitatem illam obſideret. Sed Hiſpani tempeſtive de tali conſilio ipſius admoniti, circa illum aggerem inſidias diſpoſuerant, & advenientes cum Erneſto Naſſovio ad disjiciendum aggerem Hollandicos, primos è navibus expoſitos trucidarunt, reliquos in fugam verterunt. Vnde Mauritius proditis conſiliis ſuis, nil operæ pretii ſe poſſe ibi perficere exiſtimans, Bergoſomam rediit, & in reditu propugnaculum Vou Hollandis ex Dorthemio in Zelandiam navigantibus multum infeſtum cepit. Et cum percrebuiſſet, quod Spinola nuper ex Hiſpania redux, novis honoribus Aurei velleris Burgundici, & titulo Præfecti Orientalis Friſiæ auctus Flandris inſtigantibus Sluſam recuperare propoſuiſſet, eo Mauritius primus cum ſuo exercitu tranſivit. Eodem vero ſubſequens ad diem ſextam Iunii Spinola, nonniſi Caſtra ſua Caſtris Hollandicis, quæ jam Mauritius bene munierat oppoſuit. Nec alter contra alterum majorem vim exercere tentavit, præter leviores utrinque excurſiones, in quibus Mauritiani fere ſemper vincebant. Interim Claſſis Hollandica, intellecto quod Claſſis Hiſpanica octo præſidiariorum, & duarum minorum navium viris militaribus exercitatiſſimis onerata cum Præfecto Petro de Sarmiento Vliſſipona ſolvens medio menſe Maio, in Flandriam adventaret, ipſa adſcitis pluribus ſuis præſidiariis decem octo numero omnibus cum Præfecto Haultino obviam illi proceſſit, & prope Devoram primum ex illis Hiſpanicis duas naves, ac poſt triduum octo reliquas excipiens, alias in ſcopulos compulſas alliſaſque, alias ictibus bombardarum concuſſas aqua hauſta naufragare fecit, & duas cepit apparatu bellico onuſtas.

Hollandi ab obſidione Antverpia rejiciuntur.

Hollandi Vou capiunt.

Spinola expeditio ad Sluſam recuperan. irrita.

Hollandi claſſem Hiſpanicam profligant.

Spinola autem advertens, quod Mauritio propugnante nil contra Sluſam vel Iſendecam proficere poſſet, ad Rhenum & in Friſiam, ubi proditiones variæ pro Hiſpanis inſtructæ, rei bene gerendæ opportunitatem expectabant, conceſſit, ſub principium menſis Iulii exercitu Coloniam prope coacto. Et primo Cæſaroverdam ditionis Colonienſis Oppidum Prodromi ejus interceperant, quod ipſe adveniens impoſito præſidio munivit, ac inde in Friſiam pergens, octava Auguſti Allenſeiliam ad deditionem coegit, & undecima ejuſdem Menſis Lingam ad præparatam proditionem veniens, vix tentata oppugnatione, ejus deditionem impetravit, Præfecto illius loci invito, qui tamen Agam Comitis poſtea veniens, pœnam capitis propterea retulit. Mauritius vero Princeps, relicto in Flandria circa Sluſam Marchione Brandeburgico, cum inde verſus Friſiam triginta millium

Spinola verò ſuis Rhenum tranſit à Sluſa.

Spinola Lingam proditione capit.

lium

A.C.1605. lium exercitum hoſti opponendum traduxiſſet, magis à proditoribus ſibi timens, quo ſe verteret neſciebat. Iam enim & Groningæ proditio fuit detecta, ac ejus author Conſul illius Civitatis cum duobus primariis Civibus ſupplicio mortis fuit affectus. Rinbercæ quoque ſimiles inſidiæ fuerunt deprehenſæ, ſed tempeſtive ſublatæ; immo & inter Aſſeſſores ſecretioris conſilii Hollandici adfuiſſe aliquos qui Hiſpanis faverent, & deliberata revelarent, non obſcure apparebat, cum & conſilium aggrediendæ Antverpiæ occultius habitum nuper celerius Hiſpanis patuiſſet.

Groningæ proditio detecta & puniti proditores.

Hiſpanorum fautores in Hollandico conſilio deprehenduntur.

Itaque ille Dux palam profeſſus, quod nihil contra hoſtem tentare vellet, niſi contra tales proditiones ſibi provideretur, & (quod Anglis non ita pridem ſeceſſione facta auctiones ſtipendiorum exigentibus, totum ejus exercitum concitarat) Menſes ſtipendiorum ſolvendorum, qui in militia Hollandica ſunt ſolito longiores, nempe dierum quadraginta, ad genuinum numerum triginta dierum reducerentur, in Caſtris ſe apud Daventriam continebat. donec Ordines Hollandiæ ſummam omnem ducendi belli ejus arbitrio, & quorum ipſæ fidem probatam haberet, conſilio permiſerunt, ac menſes hujuſmodi pro ea vice ad triginta quinque dies, dum in Caſtris miles moratur reduxerunt. Demumque iſtis conſtitutis Daventria movit ulteriores conatus Spinolæ, obſervans ejuſque copias carpens: ex quibus prope Mulchemium ex improviſo ſuperveniens, mille quingentos milites, una cum Comite Theodoro Triultio, eorum Præfecto profligavit: in alio vero loco Thomas Filler ab eo ad impediendum hoſti commeatum miſſus, aliquot cohortes Hiſpanicas, quas Marchio Haurius & Comes Solre ducebat, diſſipavit. Dum tamen circa Geldriam aſtu intercipiendam fruſtra occupatur, Bucquoius Comes cum alia exercitus parte, cum qua eum Spinola ad cuſtodiam tranſitus Rheni reliquerat, Vachtenduncum propere ducens, initio menſis Octobris alio derivato eam alluente flumine, cuniculos agere cœpit, & operis nemine impediente, cum præſidium ejus loci exiguum excurſionibus faciendis non ſufficeret, proprius munitiones arcis productis, ut ſemel & iterum irruptionem apparavit, obſeſſos ad deditionem compulit: eodemque impetu Crocoviam Oppidum ibi vicinum Murſenſis Comitatus per deditionem occupavit initio menſis Novemb. Satis autem præſtitiſſe viſi Hiſpani tunc in hyberna receſſerunt, & Spinola iterum in Hiſpaniam nova mandata accepturus diſceſſit. Iverat etiam Teralius Comes cum collectis ex Antverpiæ præſidiis vicinis quatuor circiter militum millibus ad intercipiendam Bergopſomam, & jam nocte intempeſta Petardarum beneficio unam portam aperuerat, ac intro cum magno militum numero penetraverat, ſed ocyus accurrentes oppidani & præſidiarii eum excluſerunt. Et cum iterum illud idem artificium inſtruxiſſet, priori periculo præmoniti Bergoſomenſes, paratiores venientem majori cum clade repreſſerunt. Idemque obvenit apud Graviam Sylveducenſibus præſidiariis, quorum aſtum ruſticus ab eis male tractatus præcurrens Gavienſibus revelarat.

Hollandi ſtipendia militaria ſolvunt in menſes ſex hebdomadarum quadraginta.

Vachtenduncum, Hiſpani capiunt.

Bergopſomam inſidiis Hiſpani tentant fruſtra.

In Gallia hoc anno reliquiæ conjurationis Bironianæ, condemnato ad carcerem perpetuum Comite Averniæ & Comite Interaquenſi ſublatæ videbantur. Dux tamen Bullioneus in non purganda innocentia ſua perſiſtebat. At Religioſi Societatis IESU ab exilio nuper revocati, ut etiam pyramis ſceleris Kaſtelii in Regem commiſſi monimentum, in cujus inſcriptione aliqua erant addita, quæ famam iſtius Religionis ſugillabant, everteretur, effecerunt opera Cottonii ſive Goſippii ejuſdem Religionis Sacerdotis, qui ſe in gratiam illius Regis penitus inſinuarat.

Societ. IESV proſcriptionis ex Gallia memoria abolетur.

In Angla autem hoc anno conſpiratio in Regem ſceleratior fuit compoſita, authore

Angliæ Regi inſidiæ ſtruuntur.

A.C. 1605.

thore Roberto Cateſbii Nobili Anglo, eoque Regis armigero, adſcitis in ſocietatem doli Thoma Vintero, Thoma Percio, Ioanne Vrigt, & Guidone Fauke ex Belgio ad hoc accerſito, qui Londini domum proximam Aulæ Regiæ Weſtmonaſterii, in qua Parlamentum ſeu Conſilium magnum congregari ſolebat conduxerant, & ex ea actis cuniculis ſubter æde Parlamenti, triginta ſex vaſa pulveris poſuerant, ut coacto conſilio, incenſa materia, concuſſum ædificium, & Regem & Proceres qui adeſſent, opprimeret. Forte congregatio talis conſilii, à menſe Februario ad Octobrem, & inde ad quindecimam Novembris fuit dilata, & interim numerus conſpiratorum crevit, quorum unus Comitem Mounteglium ſibi devinctiorem in illo conſilio non poſttemum à tali periculo ſervare volens, ſuppreſſo nomine traditis ejus famulo literis, monuerat, ut illo die ad conſilium non veniret. Quas literas ſenſu ambiguo perplexas, ille ad Secretarium Regis Comitem Saliſburienſem eadem hora detulit, & conjectura inſidiarum in loco conſilii inſtructarum inde ſumpta, Rex omnes angulos illius Aulæ ſcrutari juſſit, fraudemque comperit: ac intercepto apud illud depoſitum nitrati pulveris Guidone Fauke, qui perficiendo facinori, fomite & inſtrumentis neceſſariis inſtructus ad excitandum incendium attendebat, ex illo omnem conjurationis ſeriem, & ſocios cognovit. Quorum præcipui Cateſbyus, & Percius, dum ſe capi non permittunt, à ſatellitibus Regiis ſunt trucidati, alii vero proſcripti, alii vivi capti exquiſita ſupplicia pertulerunt. Tres etiam Religioſos ex Societate IESV illius criminis ſuſpicio notavit, Ioannem Gerardum, Henricum Garnetum, & Oſvaldum Teſmendium, quorum medius Henricus Garnetus, plus viginti annis in Anglia degens, Provincialis ac Summi Præſidis Religionis Catholicæ officium ſuſtinuerat: & comprehenſus quamvis in tormentis diffiteretur culpam, ac diceret deteſtari ſe tantum facinus, ſique ſciviſſet, prohibiturus illud fuiſſet, tamen eodem ſupplicio quo & conjuratores fuit conſumptus, tractus equis ad locum ſupplicii, & ibi in quatuor partes diſſectus: caput ad pontem conto infixum ſpectaculo populi fuit expoſitum. Advenerat autem ſub id tempus Londinum Legatus Regis Hiſpaniæ, qui gratulabatur Regi de conjuratione detecta, & excuſabat, ne de ſuo Domino aliqua ſiniſtra ſuſpicio ex illa conjuratione conciperetur. Sed cum pro Garneti liberatione intercederet, & etiam tringinta millia nummorum aureorum pro eo redimendo offerret, magis irritavit Regem, & ejus ſupplicii executionem acceleravit. Eodem tamen anno Rex Hiſpaniæ pacem cum iſto Rege compoſitam, jurejurando ſolenni Madriti confirmavit, præſente Legato Anglico maximo feſtivitatis Tauro-certaminum, haſtiludiorum, ac chorearum apparatu excepto.

Conjuratio in Regem Angliæ detecta & conjuratores puniti.

Henricus Garnetus Soc. IESU inſimulatus conjurationis in Regem pœnas dat.

Hiſpaniæ Rex facit pacem cum Rege Angliæ Iacobo VI.

Hoc eodem anno Legatus Regis Perſarum ad Imperatorem Rudolphum & ad Regem Poloniæ advenerat, ſocietatem belli contra Turcam expetens, & multa de victoriis proxime de iſto hoſte Regi ſuo partis predicans. Sed ut uno verbo me à tali materia liberem, cuperem ut de iſtis aliquis Zonatas vel Procopius, ſeu Aſiaticus de Aſiaticis ſcriberet: Credi enim non poteſt, quin nobis aliquando imponant noſtri narratores perpetuarum Perſæ de Turca ſine viciſſitudine fortunæ victoriarum, quæ utique ſi veræ eſſent, jam conſumi Turcicum Imperium debuiſſet, & uter de duobus Machometanis vincat, Chriſtianis parum conferre longa experientia comprobavit.

Perſarum Regis Legatus in Europam venit ad Principes Chriſtianos.

Sub finem autem anni hujus in Italia gravius diſſidium initia ſumpſit à Venetis, qui poteſtatem Summi Pontificis Romani eouſque poſthabuerunt, quod aſſumptis armis ei palam reſiſtere non dubitarunt. Tulerant illi varias leges, quibus libertates Eccleſiaſticorum Pontificiis, Conciliorumque decretis, & conſenſu univerſi Chriſtiani orbis approbatæ reſtringebantur: & tum recens pro-

Veneti Sum. Pont. Romano ſeſe opponunt pro reſtringendis libertatibus Cleri.

A.C. 1605.

Venetorum leges diminuentes libertatem Cleri.

mulgato edicto inhibuerant, ne cui in ditione ipſorum liceret Templum, Monaſterium, aut aliquem ſacrum locum ſine conſenſu Senatus ædificare, fundare: & ne quis poſſeſſiones, fundos, domos, & quævis bona ſtabilia in Eccleſias vel pias cauſas teſtamento vel titulo venditionis, donationis, aut aliquo alio transferre poſſet, ſine licentia Senatus ejuſdem, ac in perſonas Eccleſiaſticas juriſdictionem ſibi paſſim uſurpabant ipſorum Magiſtratus. Hæc itaque moleſtius accipiens Summus Pontifex abrogari volebat, primum Clemens VIII, qui lenioribus mediis in hoc uſus cum nihil profeciſſet, ſucceſſor ejus Paulus V, ſeveriora adhibenda judicavit. Tanto magis, quod defuncto Clemente VIII, Dux & Senatus non ſolum leges illas non aboleverat, ſed eas etiam ad omnes ditiones ſuas novo publicato edicto extenderat, & quendam Scipionem Canonicum Vincentinum, ac Brandelinum Valdemarum Abbatem Monaſterii de Nervoſa ob nonnulla objecta crimina capi, includique in ſuis publicis carceribus juſſerat. Acciderat autem quod dum iſte Pontifex eſſet Cardinalis, negotia illa nomine Clementis VIII, tunc Pontificatum gerentis cum Oratore Veneto Romæ præſente tunc Leonardo Donato tractans, & Oratorem in eis conciliandis nimium renitentem inveniens, indignatus dixerat: Si ego eſſem Summus Pontifex, non agerem tot verbis, ſed Ducem & Senatum excommunicarem. Cui Orator reſpondit: & ego ſi Dux eſſem, excommunicationem non curatem. Nec multo poſt ille Pontifex Romanus, & iſte Dux Venetiarum creatus, eiſdem ſtudiis in Magiſtratu quibus ante Magiſtratum pro illa cauſa certarunt: nam Paulus V. ut iniit Pontificatum, monuerat ſub finem anni hujus Grimanium tunc Ducem & Senatum de illis legibus abrogandis, & vinctis Sacerdotibus dimittendis, vel Apoſtolico Venetiis Nuncio tradendis: & cum illi monita iſta negligerent, eorum Oratori Romæ degenti, excommunicationem contra ipſos promulgandam prædixit. Cumque nihilominus in propoſito perſiſterent, Pontifex Ducem interim Donatum defuncto Grimanio ſuffectum, & Senatum anathemate, eorum autem ditionis Civitates & loca Interdicto Eccleſiaſtico ſeu prohibitione Sacrorum ligavit: Dux quoque propoſiti tenax uſque ad acerbiorem contentionem Pontifici reſtitit, ut in anno proximo attingemus.

Veneti carcerant Canonicum Vincentium & Nervoſæ Abbatem.

Pauli V. PP. ante Pontificatum cum Oratore Veneto contentio.

Paulus Papa V. Venetos excommunicat.

Annus Chriſti, 1606.

Poloni commotionem faciunt Rokoſſ. contra Regem Sigiſ.

Rokoſſ. Poloniis ſymbolum in unum concurrendi.

Annus Milleſimus, Sexcenteſimus ſextus, præcipue Poloniæ Regno nefaſtus, illud Civili eoque difficili bello afflixit. Et quidem iſtius jam in annis præteritis clara indicia apparebant, quæ ſuis locis adnotavimus, partim à publicis, partim à privatis Procerum in Regem offenſis profecta. Hoc autem anno demum ad maturitatem & vindictæ conſenſum producta, in apertas diſſenſiones eruperunt, concitato toto Equeſtri ordine ad *Rokoſſ.* Genuinum Etymon iſtius nominis vix dari poteſt, ſed ſonat terminum ſtato tempore controvertendi, & eſt Symbolum in iſta gente uſitatum, quo univerſi Nobiles genere ad conſurgendum contra Regem & Senatum pro vindicandis libertatibus ſuis convocantur. Formidoloſum quondam Regibus, nam eo Nobiles etiam familiares Regis & Procerum heros ſuos tunc deſerere, & in commune opem ſuam conferre obligabantur. Vſus tamen ejus nunquam alius fuit, niſi cum occaſione alicujus Conventus publici, ſeu expeditionis bellicæ, ad Regem omnes Nobiles congregarentur. Cujus ultimum exemplum præceſſerat Sigiſmundi I. Regis tempore, in Anno 1537, cum

cum coacta totius Equeſtris Ordinis manu Moldaviam petens Caſtra ultra Leopolim prope Oppidum Gliniany potuiſſet; tunc enim acclamata hac teſſera *Rokoſſ*, Nobiles omnes Rege & Proceribus relictis invicem conjuncti, ſeveriorem rationem adminiſtratæ Reipublicæ ab ipſis requirebant, ac Senatores quoſdam malorum conſiliorum authores, ſeu tali ſuſpicione notatos tumultu populari pene oppreſſerant.

A.C. 1606. Rokoſſ in Polonia primum concitat 1537. apud Gliniany.

Aliud vero antiquus talis commotionis prope ſimile exemplum vulgo memoratur circa Annum Chriſti 1380 cum omnes Nobiles Regni à Raphaëli Granovio (ex iſtius ſtirpe veniunt Sieniavii) incitati, hujus Teſſeræ *Rokoſſ* comminatione (ſeu injecto metu novandarum rerum, & gravioribus querelis, *Cromer lib.* 13.) Regem Ludovicum adegerunt, ut ipſorum libertates, quas in Vngaria perpetuo degens, per Adminiſtratores plerumque extraneos Regnum adminiſtrans, Præfecturas Arcium Ruſſiæ Vngaris committens, labefactare cœperat, confirmarit; & remiſſo tributo Raſtrali, *Poralne* nuncupato, auxerit; alienigenas præſertim Vladiſlaum Oppolienſem Ducem ad adminiſtratione Regni amoverit, ac in ea ſuffecerit Proceres Polonos Zaviſſium de Kutozwaki Epiſcopum Cracovienſem Dobeslaum ejus fratrem Caſtellanum Cracovienſem ac Sendivoium de Subino Palatinum Caliſſienſem Præfectum Cracovienſ. abrogavitq; decretum ſuum de avellendis à Polonia, & adjungendis Vngariæ Regno Provinciis Haliciæ & Sanociæ.

Iſtius autem ſeceſſionis *Rokoſſianæ*, de qua loquimur, ſeries fuit talis: Indixerat Rex Comitia Generalia Varſaviæ ad menſem Februarium, propter diverſas neceſſitates, quæ Rempublicam binis Comitiis præteritis ſolutis irritis neglectam, & nulla parte contra hoſtiles injurias munitam premebant. In uno itaque Conventuum Provincialium, qui in ſingulis Palatinatibus præcedere ſolent, nempe in Proſovicenſi Palatinatus Cracovienſis Nobiles congregati, omnia quæ Rempublicam & libertates Ordinis Equeſtris afficere videbantur, conſcripſerunt; utque omnino corrigerentur, in Comitiis quæ imminebant procurandum ſtatuerunt, non per Nuncios ut conſueverant, ſed ut ipſimet omnes irent ad Comitia, negotiumque promoverent, ac locum Varſaviæ vicinum ſuæ ſtationi ad hoc deſignarant Oppidum Stæzyca, unde facilius ad Comitia commeare, & reſponſa recipere, de reſponſiſq; conſultare, & etiam alios in ſuam ſocietatem trahere valerent. Inchoatis itaque Comitiis Varſaviæ, illi quoque Stæzyciæ convenerant, & inde omnia quibus gravari Rempublicam ajebant, miſerant ad Comitia ſcripto concepta per ſuos Legatos. Capita eorum præcipua erant: Quod Rex pacta conventa & jurata intra annos viginti à ſua Electione præter lapſos adimplere ne quidem incæperat, quæ ſingula nominatim ab illis Legatis coram Rege in conſeſſu Senatus legebantur; Vxorem ſecundam diſſentiente Senatu acceperat germanam defunctæ iterata affinitate cum Auſtriacis, quorum amicitia Ordinibus Regni ſemper fuerat ſuſpecta: Aliquas Præfecturas arcium & peſſeſſionum Reipublicæ diſtribuerat perſonis quæ lege publica ſimilia beneficia obtinere vetabantur: Ac nonnullas ſub titulo Oeconomiarum contra jura Regni propriis commodis adſcripſerat: Alienigenas plures in Aula tenebat.

Rokoſſ inchoandi modus.

Sigiſm. III Regi Pol. proponunt ſuas querelas Rokoſſiani.

Addita etiam fuerunt complura in quibus Polotici libertates Eccleſiaſticorum reſtringi, & hæretici ea occaſione uſi, ſui ſectis majores immunitates quærebant. Commoverant iſta univerſorum Comitiorum conſeſſum, & ſtudia Equeſtris Ordinis adeo diſtraxerant, ut jam inde appareret, multos ad eos partes ſeceſſuros fuiſſe.

Vnde Rex & Senatus expedierat Albertum Báránowski Epiſcopum Plocenſem cum aliis duobus ex Senatu ad illam Congregationem Stæzyciam, qui ſuaderent, ut ordinatim Comitiorum vita, illa propoſita tot offenſarum capita promoverentur, ne Reſpublica divideretur. Miſerat etiam Rex privatim Concionatorem

Sigiſm. III Rex mittit Legatos Stæzyciam ad Rokeſſianos.

A.C. 1606.

Zebrzydovius præcipuus Rokoſſianorum.

torem ſuum Petrum Skárgá, ut Nicolaum Zebrzydowski Palatinum Cracovienſem, illius ſeceſſionis præcipuum moderatorem (attigimus aliis locis alienati ejus à Rege animi cauſas) mitigaret: ſed publicam cauſam agi, eamque in ror Comitiis præteritis introductam, ac oſciranter rractatam, amplius negligi non poſſe, niſi plena ſatisfactione componatur, æquè Zebrzydovius atque totus ille Conventus reſpondebat. Comitiorum quoque ſententiæ male cohærebant, plurimis, præſertim qui Regis gratiam tali occaſione demereri cupiebant, poſtulata illorum diſſidentium tortuoſa interpretatione elevantibus. Augebantur in dies privatorum mutua odia, quæ non minus publica negotia turbarunt, præcipue quod defuncto Palatino Vilnenſe Chriſtophero Ratziwilio Præfecturam Dudenſem Rex Carolo Chodkiewicz contulerat, filio defuncti Palatini Ianuſſio Radziwil Pincerna Lithuaniæ præterito: quam ille repulſam moleſtius ferens, Lithuaniæ

Radziwil tranſit ad Rokoſſianos.

Nuncios pene omnes ad partes Stæzycianæ ſeceſſionis avocarat, & ipſemet modiis Comitiis abierat Stæzyciam. Acciderat etiam quod Archimariſchallo Marchioni Myſzkowski, ex officio ſuo turbas à Senatus conſeſſu ſubmoventi, famulus ejuſdem Radziwili educta framea ſeſe oppoſuerat, quem à ſtipatoribus armatis Archimariſchalli comprehenſum, & ad pœnam capitis damnatum, ut liberaret Radziwil, tota Comitia commovit, uſque dum veniam illi obtinuit intercedente Senatu: ſed nihilominus abierat Varſavia ſtatim, & cum ſuis aſſeclis Palatini Cra-

Comitia Varſaviæ irrita 1606.

covienſis partibus exinde ſe conjunxit. Comitia autem cum eorum tempus inter contradictiones effluxiſſet, nullo poſtulatorum Equeſtris Ordinis & ſeceſſionis Stæzycianæ definito, nec aliquo negotio publico ſtabilito fuerunt ſoluta. Vnde majores querelæ in populis excitabantur, quaſi Rex ortam tempeſtatem ſedare tempeſtive negligeret, petitioneſque Stæzyciani Conventus juſtas poſtponeret: ac pro libertate patriæ ſolicitis, metus novas ſuſpiciones ſuggerebat, quaſi Rex deſideriis Ordinum reſpondere non curaret, ſed fretus affinitatum Auſtriacarum adminiculis, abſolute dominari vellet. Et eum alii ob reverentiam tantæ Majeſtatis ipſum Regem in iſtis incuſare erubeſcerent, fidelioribus Regi Senatoribus & Conſiliariis quicquid offenderet imputabant, in crimen & pœnam vocantes om-

Minski Staniſlaus Vicecancellarium Regni renunciatur.

nes illos, qui gratia aut familiaritate aliqua apud eum præſtarent. Cæterum in illis Comitiis Archicancellariatus Regni, qui defuncto Ioanne Zamoyſcio vacarat, Minori Cancellario Matthiæ Pſtrokonski Epiſcopo Præmiſlienſi fuit collatus: Cancellariatus autem Minor Staniſlao Minski, Palatino Lencicienſi, viro humanioribus literis ſingularius exculto, & cum primis animo & moribus ſuaviſſimus, ut Magiſtratum illum tanquam ipſi ſoli tunc debitum nullus inviderit. Deſignaverat etiam Rex Cracovienſis Epiſcopatum Petro Tylicki, ægrè ferente Cardinale Maciejowski, qui eum una cum Gneſnenſi retinere deſiderabat. Vladiſlavienſis ceſſit Alberto Baranowski, cui in Plocenſi ſuffectus fuit Martinus Szy-

Bona Regina ex Polonia rediit in Italiam 1556 neglectis filiabus nubilibus.

skowski pro navata opera in adducenda Græcio Regina; iſti autem in Luceorienſi ſucceſſit Paulus Wolucki, relicto Camenecenſi Andreæ Pruchniki, Inrernuncii tunc Neapoli munus obeunti pro exigendis cenſibus in vectigali paſcuorum Apuliæ, & Serici Safaranique Aprucii iſti Regiæ ſtirpi obligatis ex hæreditate Bonæ Sforriæ Sigiſmundi I Regis Poloniæ uxoris.

Bonæ Sfortiæ hæreditas in Ducatu Barenſi.

Illa enim Annus Chriſti 1556 Rege filio ac filiabus duabus nubilibus neglectis, immo & omni mundo muliebri pretioſiore ſpoliatis, fruſtra reclamante Senatu Polono, in Italiam profecta, præter Ducatum Barenſem & Roſſanenſem, quem poſt parrem Ioannem Galeacium Sfortia, & Iſabellam Aragoniam matrem jure

Poloniæ Rex cenſus percipit Neapoli ex hæred. Bonæ.

ſucceſſionis naturalis poſſidebar, coëmerat ibi multa Caſtella, ac iſtos cenſus pro quadringentis triginta millibus Ducatorum Neapolitanorum; ſed ex ram amplo opulentique peculio, ad hæredes ipſius nonniſi hi cenſus (triginta octo millia octua-

octuaginta ſex Ducati Neapolitani nunc ſolvuntur in annis ſingulis)pervenerunt, fraude Ioannis Laurentii Papagoda, unici illius Reginæ conſiliorum ſequeſtri, qui ea A. C. 1558. 17 Novembris moriente Barii,jam linguæ memoriæque uſu deſtituta,ſublevato ad nutum faciendum ejus capite, conſcribi fecit teſtamentum, & in eo legari Regi Hiſpaniæ Barium, Roſſanumque, ſibi caſtrum Capurci, ac multa alia magni pretii dona; hæredibus vero illius Reginæ pauca ſupellex, & cenſus prædicti obtigerant.

A.C. 1606.

Bona Reginæ teſtamentum falſum ſuppoſuit Papagoda defunctæ. 1558.

Conventus autem Stæzycenſis ut vidit in Comitiis nihil ſe obtinuiſſe,literis ad omnes Provincias Regni & Magni Ducatus Lithuanæ datis, promulgavit rationes eorum, quæ & Stæzyciæ, & in Comitiis acta fuerant: & adjunctis querelis, quod à Rege in Comitiis nihil obtinere potuerit, indixerat Conventum Lublini ad menſem Maium proximum, in quo Ordo Equeſtris ex toto Regno conveniens, collatis conſiliis remedia meliora vindicandis libertatibus ſuis provideret. Nec multum cunctati convenerant eò ſtato tempore, non ex Equeſtri tantum, ſed & ex Senatorio Ordine frequentes, ac poſitis caſtris ſeu ſtatione Conventus in prato infra Lublinenſe ſuburbium *Słomiány Rynek* dictum, verſus villam Iakubowicc patente, conſultationes agebant. Primus Palatinus Cracovienſis nempe dignitatis Senatoriæ gradu omnes alios in illo Conventu præcedens, ſermone inſtituto obteſtabatur, quod nihil aliud intenderet, niſi ut Rex pactis jurejurando ſuo firmatis ſtaret, & Privilegia ac leges Regni illibatas ſervaret. Tunc recenſuit omnia quæ Conventus Stezycienſis in Comitiis Varſavienſibus requiſierat, & quæ reſponſa acceperat: concludens fruſtra jam à Comitiis inſtaurationem Reipub. legibus ejus violatis labefactatæ expectari, de eaque actum eſſe, niſi ſecuriori compendio procuraretur. Alii liberius, nec convitiis parcentes, in facta Regis & Senatorum, qui Regi familiariores erant, invehebantur.

Rokoſſiani inducunt alium Conventum Lublini.

Rokoſſianorum conſultationes Lublini.

Aderat ibidem & Staniſlaus Zołkiewski Præfectus exercitus Regni,& non pauci alii partium Regiarum, qui ad media pacatiora illum Conventum flectere nitebantur: Sed eorum conſilia erant ſuſpecta, eò, quod beneficiis recens acceptis Regi devincti fuiſſe viderentur. Vnde prævaluit ſententia, ut *Rokoſſ* inſtitueretur ad menſem Auguſtum proximum,ad quem promulgato nomine Conventus illius edicto, omnes genere Nobiles apud Oppidum Pokrzywnica convenire, fide, honore, & bonorum omnium jactura obligabantur. Aliquis etiam induſtriolus, quo majori ſuſpicionum ſpecie concitaret ſtatum Equeſtrem, ſparſerat famam quo Palatinus Cracovienſis in Conventu illo *Rokoſſ* Generali, revelaturus eſſet (*Coś*) nempe *quiddam*,innuendo eum ſingularius quid Rempublicam afficiens ibi dicturum, ac certatim ex omnibus Provinciis ad illum Pokriwnicenſem Conventum concurrebant Nobiles;ut illa arcana audirent,&ſimul opprimerent. Sed commentum hoc recidit in authorem: Palatinus enim nihil uſquam aliud in conſeſſibus illis intulit, præter ea quæ à principio in publico ſcripto ad Comitia Varſavienſia miſſo expreſſerat.Rex vero tunc morabatur Cracoviæ:& cum vereretur ne à Conventu illo Rokoſſiano nonniſi violenta omnia expectanda ſibi eſſent, ſi conſilia ſua expedire permitteretur, eum exemplo Eugenii Papæ IV qui Concilium Baſilienſe convocato Ferrariam alio Concilio feliciter diſſipaverat, diſtrahendum decrevit,aliumque Conventum Viſliciæ Ordinibus Regni indixit,admonito militiæ Præfecto Zolkievio, plurimiſque primariis ſibi obſtrictioribus, ut ibidem cum numeroſis militarium turmis præſto adeſſent. Inchoato itaque apud Pokriwniciam Rokoſſiano Conventu, cum eo ex omnibus Palatinatibus magno numero Nobiles & præcipui Senatores non pauci conveniſſent, ac electo Mariſchallo totius Conventus illius moderatore Ianuſſio Radziwil Pincerna Lithuaniæ, deliberationes ſuas auſpicarentur; Rex ex ſuo Viſlicienſi Conventu Staniſlaum Minski Vice-

Rokoſſianis Conventus Pokrzywnicia indicitur.

Sigiſm. III Rex VViſlicia Conventum indicit.

Minski Vicecancellarius Legatus ad Rokoſſianos à Rege.

A.C. 1606. Vicecancellarium Regni ad eos miſit, monens ut à cœtu illo præter ordinem collecto abſtinerent, & ſi quæ haberent requirenda à Rege, ad Conventum Viſlicienſem ritè congregatum venirent, libereque referrent. Habebat & alia pacificationis media Vicecancellarius ille, ſed in medio ſuæ Legationis curſu, inopinata catharri fluxione uſum auditis plane amiſit, & negotiorum illorum curam relinquere debuit ſuis Collegis, qui longioribus concertationibus magis Rokoſſianos exaſperarunt. Hoc enim offenderat illos magis, quod legittima patriæ aſſerendarum libertatum *Rokoſſii* remedio, in dubium vocarentur, nihil ſalvum ex libertatibus Equeſtris Ordinis manſurum aſſerentes, ſi iſte unicus earum retinendarum nervus convelleretur. Immo & in Conventu Viſlicenſi congregati pro hac libertate pertinacius decertabant, ſed Regiarum partium promotores numero ſuffrágiorum & armatorum prævaluerant. Mariſchallus Equeſtris Ordinis in illo Conventu Viſlicienſi erat Hieronymus Sieniawski Picerna Regni, nuper à Rege Præfectura Iaworovienſi honoratus, qui duo millia armatorum in ſuo Comitatu habebat, & omnibus acceptus, multos in ſuam ſententiam trahebat. Addictior partibus Regis fuit & Ioannes Potocki, Præfectus Camenecenſis, vir acer, & rebus præclare bello in Moldavia geſtis conſpicuus, qui una cum germanis ſuis Iacobo & Stephano Potociis, præcipuum robur haſtatorum ducebat; iſti Rex ſub id tempus Præfecturam Rawenſem (ut eam vendiderit Stoniſlao Voluckki) contulerat. Ex Proceribus quoque potentior quiſque à Rege ſtabat, & ſi qui contradicere vellent, cum viderent quod contra plures ac potentiores nil prævalerent, ſententiam ſimularunt. Aliqua etiam à Rokoſſianis propoſita ex pactis Conventis, & de libera Regis Electione Rex in Comitiis proximis lege publica ſtabiliturum ſe promiſerat.

Minski Vicecancellarius repente ſurdus factus.

VViſlicienſis Conventus ad partes Regis inclinant.

Atque ita Conventu illo Viſlicienſi in partes Regis reducto, Rokoſſianus Conventus diffluere cœpit, aliis ad Regem, pluribus domos proprias recedentibus. Continuabant tamen præcipui illius Conventus præſides deliberationes ſuas, donec iterum per Caſtellanum Bidgoſtienſem Grzymultowski ad concordiam Conventus Viſlicienſis invitati, cum nihilominus in propoſito ſuo perſiſtent, & alium Conventum ad menſem Octobrem Sendomiriæ pro concludendis conſiliis Rokoſſianis indixiſſent, Rex publicato edicto, quod pro ſeditioſis habendi eſſent, & armis comprimendi, niſi Conventus intermitterent, armaque deponerent, ipſemet cum exercitu contra ipſos ivit, ac ſumma celeritate cedentes perſequens, ad Ianovum Oppidum retardatos trajectu Viſtulæ offendit die 4 Octobr. Solus Staniſlaus Stádnicki cum quingentis fere ſuis flumen tranſierat, Palatinus autem Cracovienſis & Ianuſſius Radziwil ab accurrente Staniſlao Golski Palatino Ruſſiæ cum mille Coſacorum manu, moxque aliis Regiis legionibus ſuccedentibus remorati, ſubſiſtere maluerunt potius, quam in tranſitu fluvii iniqua ſorte confligere, aciemque inſtruxerant non plus tribus millibus armatorum conſtantem: promptam tamen ad omne diſcrimen, niſi Dux Ianuſſius Zbáráski Palatinus Braclavienſis, cui Rex imperium militare tunc commiſerat, aciem continuiſſet Regiam, exoratus à veteranis Equitum Ductoribus, ne pugnare cogerentur contra concives & affines ſuos. Tunc accurrens Zbigneus Oſſolinski Palatinus Podlachiæ cum aliquot Primariis partium Regiarum, inter medias acies obviam ſibi facto Palatino Cracovienſi ac Radiwilo Pincernæ Lithuaniæ, poſt multas per ſalutem Patriæ obteſtationes perſuaſit, ut relictis armis ad Regem venirent, & pacate controverſias de Repub. ſuas dirimi permitterent: & cum adhuc Palatinus Cracovienſis cunctaretur, ne pedes inſidentem equo (præter morem ajebat) Regem ſalutaret, Palatino Podlachiæ, ejuſque exemplo Alexandro Chodkiewicio Trocenſe, & Adamo Sendivoio Czarnkovio Lenciciæ Palatinis deſcendentibus

Rokoſſiani monentur ut ſolvant Conventum.

Rokoſſianos Rex cum exercitu perſequitur.

Rokoſſiani recedentes apud Ianovum ſiſtuntur.

A.C. 1606.

Rokoſſianorum Duces ad Regem veniunt apud Lanovum.

tibus ex equis, ille quoque fide ſecuritatis accepta, ita ab eis aſſociatus una cum Radiwilo pedes venit ad Regem equo inſidentem, ejuſque dexteram oſculatus, paucis verbis(nocte jam ingruente)ſalutationem & teſtificationem ſtudii ſui æque in Rempub. atque in Regiam dignitatem propenſi expedivit, manſeruntque ambo in caſtris Regiis, hoſpitio à Palatino Lenciciensi ad ſtationem ſuam recepti.

Turmæ autem eorum militares poſtquam tota nocte,uti & Regiæ inſtructa acie ſteterant, inſequenti mane accepto ab eis ſigno tranſmiſerant ad adverſam Viſtulæ ripam, complures vexillis explicatis: complicare enim ea nolebant, licet nonomine Regis monerentur. Ac duobus ſubſequentibus diebus Senatorum, qui ibi cum Rege aderant Ordo (in conſeſſu Senatus vehementiori Epilogo Palatinus Podlachiæ exagitavit Palatinum Cracovienſem quod ad arma concitarit totum Regnum pro cauſa civili, quæ civiliter componi potuiſſet)tractavit apud Regem reconciliationem Palatini, & Radziwili concluſione tali: Quod omnia à Rokoſſianis & Ordinibus Regni contra Regem oppoſita in Comitiis Generalibus proximis definiri debent.

Zebrzydovii Palat. Cracovien. declaratio in Senatu apud Lanov.

Interim autem Palatinus cum Radziwilo ſcripto ſuo caverunt, quod milite dimiſſo, quiete Comitia proxima expectarent, nec Conventus Nobilium convocarent. Alio quoque ſcripto Palatinus Cracovienſis requiſitus à Senatu, ſi quid aliud ſciret contra Regem, (uti vulgo jactabatur dicturus *Coś ſeu quiddam*) repetitis ſingularibus ſuis circa hoc declarationibus, primum Stezycienſi, poſtea Lublinenſis ac noviſſima Pokriwnicienſis illis contineri quicquid ſciret, nec plura ſe ſcire manifeſtavit, præter dicta Supremi Mariſchalli & Stephani Kazimierski, ac Marciani Chelmski Aulicorum Regiorum, ex quibus jam introductæ ab ipſo Palatino ſuſpiciones de novis conſiliis Regis confirmari videbantur. Atque ita rebus compoſitis Rex exercitu dimiſſo, Cracoviam redierat.

Demetrii Ducis ſponſa Marina Mniskowna venit in in Moſcuam.

Et dum hæc in Polonia aguntur, in Moſcoviam deducta ſponſa Demetrii Moſchoviæ Ducis Marina filia Georgii Minſzek Palatini Sendomirienſis Moſchuam illius Imperii ſedem die 26 Menſis Aprilis ſuperbo apparatu intravit. Aderat cum ea Pater ejus Palatinus, aderant & Legati Regis Nicolaus Oleśniki Caſtellanus Malogoſtenſis & Alexander Corvinus Gaśiowski Referendarius Lithuaniæ. Dux quoque Conſtantinus Wiśniowiecki, Matthias Niemoiewski, & plurimi ex Polonia,præſertim militares, qui omnes magnifice à Duce illo excepti 29 Aprilis die ſolennia nuptiarum celebrarunt, epulis & ludis continuatis, ad diem 16 Maii, cui ultimæ feſtivitatis illius,proxima 17 ſponſis & hoſpitibus luctuoſa ſucceſſit. Attigimus autem alio loco,quod Moſchi neceſſitate conſtricti Demetrium iſtum in ſuum Ducem receperant,ad tempus opportunum diſſimulato, quod eum fuiſſe ementitum Baſilii Ducis filium præſenſiſſent.Sed ille adeptus imperium,auxit ſibi ſubditorum odia, eo quod nulla imperandi arte inſtructus, nempe inter viliores ſervulos tota vita ſua converſatus, omnia regiminis munia ſine ratione, ſine dignitate obiret, ganeonum & joculatorum familiaritati,conſiliiſque addictus.Inter quos etiam profuſa liberalitate inter convivia pretioſiorem ſuppellectilem ex veteri theſauro Ducum diſtribuebat.Quod vero magis commovit illam gentem tenaciorem moris ſui patrii, quem vel minimum immutari ſummum piaculum reputat,omne pene Ducum Aulæ veteris inſtitutum,introducto in eam cultu & habitu externo inverterat,& Religionis Græcæ Schiſmaticæ innovandæ,ſeu Romano Catholicę ſociandę metum illis populis incuſſerat evidentioribus argumentis,quam ratio Polytica in Dominatu necdum benè ſtabilito ſuaderet. Vnde quamvis à principio non paucos haberet, qui ab ejus partibus ſtabant, vitiis tamen ejus & iſti offenſi, cum cæteris facile in ipſius perniciem conſpirarunt.Studio autē ad nuptialia feſta fraudem inſtructam occultarant, nimirum donec monilia pretii ex auro & margaritis

Demetrii Moſch. Ducis vitia & errores.

ingen-

A.C.1606. ingentis de publico Ducum ærario deprompta, ſponſæque dono (ut alias attigimus) miſſa, ex Polonia cum ſponſa redirent, & præſidium Polonorum quod Dux tenebat, feſtis & ludis ducendis intentum, incautum (nempe genus ad pericula ſemper nimis ſecurum) abſque negotio opprimerent. Quod omnino ipſis ex voto ſucceſſit: Vt enim Vaſil, Iuan, & Bogdan Suiſcii fratres, in quos materna ſtirps ſanguinem Ducum & ſucceſſionem proximiorem ad Principatum derivabat, conjurationem in illum Ducem novum inſtruxerant, in diſſitis poſſeſſionibus ſuis collecta viginti armatorum millia, diverſis portis, quaſi diverſi nobiliores ad obſequium tam celebris nuptiarum actus venirent, in Vrbem introduxerunt, & nocte ſubſequente diem 16 Maii, qua ſplendidiori convivio omnes Poloni à Duce excepti ſolito plus in ſeram noctem hilaritati indulſerant, & ptoinde tanto graviori ſomno torpebant, primo diluculo campanæ majoris ſonitu ut condixerant ſigno ſibi invicem dato, omnes opportunos tranſitus Vrbis occuparunt, eodemque momento diverſi diverſa Polonorum hoſpitia, & Palatium Ducis invaſerunt. Dux excitus inſolito campanæ ſono proſpexerat è feneſtra, & ut vidit tumultuantes armatorum turbas, veſtes aſſumere cœpit: ſed priuſquam veſtiri potuiſſet, irruentes conjurati portam primam illius conclavis effregerunt, facile paucis cæſis excubitoribus, cum reliqui adhuc in ſuis ſtationibus quieſcerent, & mox alias portas demolientes Ducem perſequebantur, qui ſemiveſtitus ad interiora palatii fugiens, cum ultra non haberet quo ſe reciperet per feneſtram ſe demiſit, & quantumvis caſu illo colliſus uſque & ſanguinem vomendo reptans, ad ſtationem ſtipatorum ſuorum Moſchoviticorum, quæ in Arce erat pervenit. Multitudine autem conjuratorum illo quoque accurrente, & atrociora quæque ſtipatoribus, eorumque uxoribus ac liberis, ni ille dederetur comminante, traditus fuit, ac ſtatim ab ipſis miſerabiliter trucidatus. Deinde fune per pudenda tranſmiſſo, in forum ignominioſè tractum ejus cadaver ut populi fuiſſe occiſum Ducem certo ſcirent, conſpicerentque, jacuit toto eo die ibi expoſitum, licet ob deformatam vulneribus faciem dignoſci jam non potuerit, & demum in fruſta conciſum, igne fuit crematum. Per totam autem Vrbem immaniori trucidatione Moſchi (ut eſt gens tanto crudelior quod natura timida) ſævierunt in Polonos, præſertim militares, quos in hoſpitiis ſomno adhuc ſepultos aggredientes, primum arma tradere jubebant, annunciantes ita juſſiſſe Ducem, quem illi cæſum jam fuiſſe ignorabant, & armis ablatis omni amictu ad nudum ſpoliatos, ſecuribus conficiebant. Aliqui ſolertiores cum tumultum audiſſent domibus ſuis obſeratis, arma ſumpſerant, ac fere omnes tales periculum evaſerunt. Et Dux Wiſniowiecki ad quem plures Poloni ſeſe aggregarant, non paucos ex Moſchis vim ſibi admotis etiam tormentis bellicis intentantibus, occiderat. Legati Oleſnicii domus manſit illæſa: Palatinus quoque Sendomirienſis, cum ſe ad defenſionem comparaſſet, omnes quos apud ſe habebat, incolumes ſervavit. Sedato tumultu, Vaſil ſeu Baſilius Suyski Dux fuit renunciatus, qui data ſecuritate Legato Regio, & Palatino, ac Duci Wiſniowiecki, eos intra ſepta ſtationis, quam quiſque eorum tenebat ſeſe continere juſſit, additis cuſtodiis, quæ eos obſervarent. Sponſam cæſi Demetrii reduci fecit ad Patrem Palatinum, ſed omni pene mundo muliebri pretioſiori ſpoliatam: gemmæ autem & monilia aurea, quæ à Demetrio habuerat, ad theſaurum Ducalem referri curavit. Gynæcei Præfecta Tarlowa Caſtellana Sanocenſis vulnus in capite acceperat, dum turbam à cubiculo Sponſæ arcetet, leve tamen, ac ipſa quoque cum omnibus Gynæcei cui præerat fœminis ad Palatinum fuit deducta. Statim autem à tumultu invaluerat rumor Demetrium Ducem vivum effugiſſe, eique applauſu plurimorum excepto, fidem addidit non multo poſt apparens Demetrius, ſive ille, ſive

Moſchi contra Demetrium Ducem conſpirant.

Moſchi campanæ ſono convocantur contra Demetrium.

Moſchi invadunt Palatium Demetrii.

Demetrius Dux Moſcha trucidatur.

Moſchi ſæviunt in Polonos hoſpites.

Baſilius Suyſkinovus Dux Moſchoviæ.

Demetrii ſponſa marita reducitur ad Patrem.

Demetrium à cæde evaſiſſe fert rumor.

A.C. 1606.

Demetrio novo adhærent plurimi.

ſive alius, qui probè mores ac perſonam ipſius finxit. Poloni quoque necis ſuorum vindicandæ avidi, mox ad eum magno numero confluxerunt, pro Demetrioque vero & Duce Moſchoviæ ipſum agnoverunt, orditique ſunt Suyſcio Duci novo fatalis belli telam, cujus ductus in annis ſubſequentibus attingetur.

Rudolph. II Imp. tractat pacem cum Botſcaio & Vngaris.

In Vngaria hoc anno cum res Imperatoris ad ultimum diſcrimen deveniſſent, non ſolum Tranſilvania, ſed & Vngaria tota ſubjectionem ipſi detrectante, unicum quod reſtabat remedium, nempe pacis tractationem quæſierunt. Cujus anno præterito jacta quidem cum Botſcaio fuerunt fundamenta, ſed cum deinceps Ordines Vngariæ eam impedirent, niſi ſimul & cum tota Vngaria pax inſtitueretur, hoc anno demum ad eam perficiendam tam à Borſcaio, quam ab Ordinibus Vngariæ delegati Viennæ convenerunt: quorum primarii erant Iliaſchius, Staniſlaus Turzo, Georgius Humanaius, & Sigiſmundus Forgatz. Et Botſcaius quidem jam penè ultimam vitæ ſuæ lineam ducebat, veneno infectus, ob quod ſibi propinatum Cancellarium ſuum Cataium capitis ſupplicio punierat, ſed tamen de ſuis uſurpandæ Tranſilvaniæ rationibus nil remiſit. Vnde cum conditiones pacis decima quarta Septembris à delegatis utriſque fuiſſent ſtabilitæ, illa fuit prima, quod Botſcaius cum ſuis hæredibus maſculis Tranſilvaniam cum Caſſovia retineret, eam tamen eſſe partem Regni Vngariæ recognoſceret. Cæteræ vero conditiones erant tales, Vngaris permittebatur ut Palatinum Vngariæ eligerent: Archidux vero Matthias non Adminiſtratoris, ſed Proregis Vngariæ titulum gereret, & Corona cum inſigniis Regni in poteſtate Cæſaris maneret. Exercitium Religionis, quam quiſque profiteri vellet, per totam Vngariam ut eſſet omnibus liberum: Epiſcopi autem & Eccleſiaſtici illi tantum qui eſſent genere Vngari nobiles, & poſſeſſiones ac fundos juris nobilis ſuos proprios haberent, Conſiliis publicis adeſſe, jureque ſuffragii in illis uti poſſent, non vero illi qui Epiſcopatus ſolos & ſola Eccleſiaſtica bona vel titulos tenerent. Amneſtia quoque damnorum utrimque illatorum fuit ſancita, & conditiones iſtas pacis etiam Ordines Boëmiæ, Moraviæ, Auſtriæ, jurejurando firmare, Principeſque Imperii ad eas ſubſcribendas invitari debebant. Concluſa autem tali cum Vngaris concordia, facile & cum Turcis pax ſucceſſit, qui eventum iſtorum tractatuum expectabant, apparantes interim obſidionem Gomorthæ, vel Iaurini, niſi Botſcaius conquieviſſet. Ac primum Althemius inducias ad unum menſem, ut interim Vngarorum difficultates componerentur, à Veziro Budæ tunc commorante obtinuerat, & menſe Novembre, Strigonium cum Cæſare Gallo tranſiens, omne negotium pacis ad annos viginti duraturæ tranſegit; hac conditione quod Turcæ Strigonium, & quæ interceperant, retinerent: Vacciam verò Cæſariani haberent. Cæſar ut centum millia nummorum honorarii nomine Imperatori Turcico mitteret, & ſingulis trienniis Legati utrimque ad firmandam pacem commearent. Atque ita Vngaria miſerè tot diuturnis bellis undique dilaniata, hoc anno reſpirare, exoptatamque tranquillitatem poſtliminio revocare cœperat. Sed ad finem Decembris Botſcaio veneno extincto Caſſoviæ abſque prole maſcula, Tranſilvania fuit iterum turbata. Nec profuit Cæſarianis ille dolus ſubminiſtrati Botſcaio veneni, Tranſilvani enim Claudiopoli congregati, Sigiſmundum Racocium ſibi Principem Tranſilvaniæ mox elegerunt, ut in anno ſubſequenti dicetur.

Botſcaius veneno infectus à ſuo Cancellario.

Pacis cum Botſcaio & Vngaris conditiones.

Pax cum Turcis in Vngaria ſtabilita.

Botſcaius veneno extinguitur.

Rakocius eligitur Princeps Tranſilvaniæ.

In Belgio non iniquiorem fortunam Hiſpani hoc anno ſunt experti; nam licet ad Sluſam quam obſervato maris receſſu & aditu arenis ſiccatis patente tentarant, magnam cladem retulerint menſe Iunio; tamen Spinola converſo verſus Rhenum curſu, indeque in Friſiam veniens, Grollium aggreſſus ſumma vi (non parcendo vitæ ſuorum) primum munitiones ejus exteriores poſt iteratam oppugnationem occupavit, & congeſta humo foſſis impletis ad vallum uſque

Grollam Spinola capit.

 Civi-

A.C. 1606. Civitatis perveniens, obſeſſos nono ab obſidione inchoata die, nempe quatuordecima Auguſti ad deditionem coëgit, data præſidiariis ſecuritate vitæ, & aſportandorum impedimentorum ſuorum facultate. Inde progreſſus Rinbercam decima ſeptima Auguſti cum Comite Bucquoio obſedit, ac principio difficultates majores quam ſperarat in ea obſidione eſt expertus; obſeſſi enim erumpentes frequenter plurimos ex ejus exercitu, præſertim in Caſtris Bucquoii trucidabant, & ipſum Spinolam pænè ceperant, niſi inter multas ſuorum ſtrages viam elabendi inveniſſet. Ad propugnaculum quoque trans Rhenum ſitum, ſemel & iterum irruptione facta, cum morte ſuorum pluſquam mille fuit rejectus, ſed tertium repetita oppugnatione cum exteriores munitiones occupaſſet, & Egmontius Præfectus illius præſidii occubuiſſet, obſeſſi abductis omnibus tormentis, & reliquo apparatu igne abſumpto, ad aliam munitionem in Inſula Rheni ſitam conceſſerunt. Occupato vero illo propugnaculo, Spinola ad alteram ripam ad Bucquoium tranſivit, & conjunctis totius exercitus viribus majori cura Civitatis oppugnationem urgebat. Et cum veniſſet Mauritius Comes cum Hollandicis copiis ſuppetias obſeſſis laturus, ſed aditum ad Civitatem undique firmo Caſtrorum Hiſpanicorum vallo circumdaram nulla inveniret, nec hoſtem ad prælium evocare poſſet, ac inde receſſiſſet, re infecta, præſidiarii poſt multos propugnationis labores cædeſque Hiſpanis datas, ſecunda Octobris die deſtituti pulvere ſulphureo deditionem fecerunt, pacti duas naves pro avehendis infirmis & ſuppellectili, & duo tormenta, quæ armati cum vexillis paſſis exeuntes ſecum abduxerunt. Interim recuperarat Mauritius Lochumum Oppidum Grollæ vicinum, & ipſam Grollam obſederat: ſed maturiore jam autumno pluvias frigidiores fundente, cum diutius militem ibi in Caſtris continere non poſſet, re infecta receſſit; ægrè reductis tormentis, cum ferè ubique uſque ad modulos rotarum luto immerſis vehiculis, difficulter traherentur. In mari benigniore fortuna Hollandi uſi hoc anno in Galicia oppidum Ponuedra & Vagona diripuerunt, & Claſſem Hiſpanicam decem octo præſidiarium navium ad eos ex eo mari depellendos egreſſam profligarunt. Ex claſſe etiam eorum quæ ante biennium in Indiam Orientalem abierat, aliquæ naves variis mercibus onuſtæ ſalvæ redierant, ſub hoc tempus in Hollandiam, ac de expugnatis Luſitanorum propugnaculis uno in Inſula Annabona, altero in Inſula Tidorenſi, narratione jucunda plebem Hollandicam permulſerunt.

Rinbercam obſides Spinola & capit.

Mauritius fruſtra conatur obſeſſis Rinbercæ.

Hollandi Galiciæ oppida diripiunt.

In Gallia Dux Bollioneus accuſatus de conjuratione Bironiana, cum ſolum per literas & amicos purgare ſe vellet, venire autem ipſemet ad Regem vocatus eouſque detrectaret, Rex eam cunctationem ſuſpectam habens, collecto exercitu primo vere anni hujus Doncheriam tranſierat, ut inde vicinum parvo milliari Sedanum, illius Ducis ſedem, ipſumque Ducem ibi degentem oppugnaret. Sed Dux vires ſuas impares eſſe tantæ potentiæ videns, ſummiſſione cum Rege agendum maluit, & opera Legatorum Ducis Virtenbergici ac Hollandorum æquas conditiones reconciliationis à Rege obtinuit. Atque ita intra paucos dies compoſitus fuit ille motus, ad quem plurimi præſertim Religionis adverſæ, ſibi illam fabam cudi opinantes, erectis animis pro reſiſtendo vires comparabant.

Henricus IV Rex Galliæ Bullioneum Ducem perſequitur.

Bullioneus Dux reconciliatur Regi Galliæ.

In Anglia nihil hoc anno ſingularius occurrit, præter ſupplicium Henrici Garneti ex Societate Ieſu, quod hucuſque dilatum, nec quicquam Comite ſancti Georgii Legato Regis Hiſpani deprecante, & triginta millia nummorum aureorum Anglicorum pro eo redimendo offerente, menſe Maio hujus anni Londinum ſpectavit: nempe equis tractum Garnerum ad locum ſupplicii, & ibi(ut aliis evenit conjuratis) in quatuor partes diſſectum, inque varia Vrbis compita corporis ejus partibus expoſitis, caput conto ad pontum Londinenſem infixum. Nec multò

Garnetus Soc. Ieſu in Anglia ſupplicio afficitur.

multo poſt alia conjuratio in illum Regem fuit detecta, & in ipſis initiis oppreſſa fortuna Regis, quam ille benigniorem in ſimilibus periculis ſæpius experiebatur.

A.C. 1606. Angliæ Regi inſidiæ ſtructæ deprehenduntur.

Romam hoc anno menſe Ianuario inundavit Tyberis eluvione omnibus prætcritorum ſæculorum majore. Audita fuerunt & tonitrua ſub illud tempus, & Templum D. Petri, ac Templum Capitolinum Aræ cæli fulmine fuit tactum. Idem malum inundationum hoc eodem anno & menſe Anglia quoque ſenſit, fluctibus maris in proximum continentem, maximè Somerſeliæ Provinciæ ad viginti in longum & quinque in latum milliaria erumpentibus, & pagos, ædificiaque obvia proſternentibus, cum quibus innumeri armentorum, oviumque greges, & hominum agreſtium multitudo magna interiit. Eademque tempeſtas in mari quoque vicino verſus Galliam & Belgium multas naves demerſit.

Romæ inundatio.

Inundationes in Anglia portentoſa.

Quod autem attigimus in anno præterito commotionem Venetorum contra Sedem Romanam Apoſtolicam exortam, ea hoc anno magis exarſit. Nam Summus Pontifex cum leges Venetorum Eccleſiaſticis libertatibus adverſas abrogari vellet, & illi ad ejus poſtulata obduruiſſent, fulmine excommunicationis ad officium reducendos decrevit: quæ excommunicatio menſis Aprilis die decima-ſeptima, in hoc anno publicata, opinione plus obfirmatos eorum animos invenit. Non ſolum enim ei non detulerunt, verum etiam eam nihil valere, neminemque obligare declaraverunt, & publicato ſexta die Maii per omnia loca ditionis ſuæ edicto ſeverè prohibuerunt, ne quis illam ſervaret, aut quævis alia ſcripta Roma, & undecunque ab Eccleſiaſticis, aut ad Eccleſiaſticos tranſmiſſa reciperet. Subſequuta deinde fuerunt ſcriptorum jurgia moleſtiora, quibus Iuriſdictio Summi Pontificis in decreta ſingularium Principum plenam poteſtatem in Provinciis ſibi ſubjectis obtinentium, quoad temporalia, & quoad ſtatum Politicum in dubium vocabatur, & ex defectu Iuriſdictionis quoad iſta ipſius cenſurarum robur elevabatur. Et quidem ab Eccleſiaſticis, eiſque Italis, & majori parte Religioſis, quorum præcipui erant Antonius Quirinus, Ioannes Marſilius Neapolitanus, Paulus Venetus ex Ordine Servitarum, Fulgentius ex Ordine ſancti Franciſci, & alii diverſi: ad quorum ſcripta cum Cardinalis Bellarminus eruditè reſpondiſſet, & Cardinalis Baronius non minus docta quam pathetica parænesi (edito hoc Opuſculo, & duodecimo ultimoque Annalium ſuorum Tomo, obierat ſubſequenti anno Scriptor ille celeberrimus) omnes illorum ſcriprorum ac Venetorum rationes diluiſſet, contentionis hujuſmodi æſtus perculoſius efferbuit, & contraſcriptorum ſtylus, eouſque acerbitatis proceſſit, ut neque à contumeliis contra tanta nomina cumulandis temperarit. Singula ſi recenſeantur, innocuæ aures non poſſent non offendi: Vnde & ſuprema Apoſtolica poteſtas, ea ſcribi vel legi vetuit: & excedit rationem compendii iſtius noſtri prolixior narratio eorum. Vnicum tamen monuerim Lectorem, ut maturius conſideret Pontificis excommunicationem convelli à defenſoribus Venetorum, inde præcipue quod dicunt eam fuiſſe latam monitione & cauſæ cognitione non præmiſſa, cum tamen omnes illæ controverſiæ prius Romæ cum Legato Veneto ſæpius fuerint diſputatæ, & ei ipſemet Pontifex prædixerit, quod excommunicationem ferre decreviſſet, monueritque de hoc Ducem ac Senatum per literas breves, ac per ſuum Venetiis reſidentem Nuntium: atque integri decem menſes (præter tempora Clementis Papæ VIII) iſtius cauſæ cognitionibus, pœnarum comminationibus, ac ultro citroque reſponſis dandis fuerunt inſumpti, priuſquam excommunicatio prodiiſſet. Schiſma ſanè pernicioſum in Eccleſia Catholica excitaſſet talis diſſenſio, niſi tempeſtivè fuiſſet ſopita. Iam enim Eccleſiaſtici (præter viliores animo, qui exilii metu morigerari Venetis maluerunt) memores ſui Sacerdotalis officii, & erga Summum

Veneti excommunicantur à Summo Pontifice Romano.

Veneti opponunt excommunicationi interdicta ſua.

Venetorum in cauſa pro & contra defenſiones.

Baronius Cardinalis Parænesim ſcripſit ad Venetos & obiit anno ſubſequenti 1607.

Veneta cauſa defenſionum fundamentum.

Veneta ex ditione abeunt Eccleſiaſtici propter interdictum.

A.C. 1606. mum Pontificem obſervantiæ tenaciores, imperium Venetorum detrectabant, clauſa Templa tenebant, divinis publicè peragendis abſtinentes. Et cum ad ea exercenda cogerentur, exulare maluerunt: idque integræ congregationes, ut Capucinorum, & Societatis Ieſu, quæ è cunctis Venetorum locis ad viciniora Pontificiæ ditionis & Mediolani oppida ſeceſſerant. Anglia verò & hæretici omnes læto applauſu illud Schiſma exoriens ſalutantes, omnem opem contra Pontificem Venetis promiſerant, & Pontifex ad tuendam cauſam ſuam copias colligere cœperat, ſimulque Rex Hiſpaniæ, qui Venetis denuntiari fecerat, quod Pontificem totis viribus & opibus ſuis defendere ſtatuiſſet. Singuli quoque Principes Italiæ, alii contra Venetos, alii pro Venetis arma apparabant, & tota Italia Claſſicum canebat, nutriente maximè illum ignem oleo ſuffuſo à Comite Fontano Mediolani tunc Gubernatore, qui arbitratus oblatam ſibi fuiſſe hanc opportunam occaſionem, qua Civitates meliores Venetorum ſuo Regi ſubjugaret, omnes quos poterat Principes contra eos (dicebat ille ad juvandum Summum Pontificem) excitabat. Sed nimium comparandis apparatibus bellicis intentus, metum vicinis Principibus, immo & ipſi Pontifici injecerat, ut magis eſſent ſoliciti, ne Hiſpanus Venetis in ordinem redactis, totius Italiæ imperium uſurparet. Atque hoc juvit, ut pax celerius componeretur; Galliæ enim Rex, cujus potiſſimum intererat, ne in Italia potentia Hiſpanorum majora caperet incrementa, & ne poſtea bello aperto eorum conatus reprimere cogeretur, tractationem pacis introduxit. Et primo Dux Florentinus proponi fecerat talem concordiæ modum, ut Veneti quatuor Cardinales eligerent, quorum arbitrio in cauſa iſta ſtarent: quod cum illi non probaſſent, ſed ſolius Regis Galliæ judicio ſe ſubmitterent, iſte commiſerat Cardinali Gioieuſio, ut nomine ſuo negotium illud expediret.

Fontanus Mediolani Gubernator arma comparat contra Venetos.

Galliæ Rex tractat pacem inter Summum Pontificem & Venetos.

Et ne faſtidium pariat Lectori, ſi iſta materia nunc finiente anno 1606 intermiſſa, in alio demum loco requiri deberet, eam cum Anno Chriſti Milleſimo, Sexcenteſimo ſeptimo continuabimus.

Annus Chriſti, 1607.

MEnſe itaque Martio Anni iſtius 1607. Cardinalis Gioieuſius Venetias divertens, ibique explorato quibus conditionibus pacis Dux & Senatus ille acquieſceret, Romam rectà inde iverat, & ad colloquium Pontificis admiſſus, eum faciliorem ad ignoſcendum, quam ad vindicandum invenit. Statim enim Cardinalibus Seraphino, Giurio, Delphino, & Perona (Galli omnes & Venetus unus) pacificationis media examinanda permiſit, & poſt paucorum dierum deliberationes operante Cardinali Perona, conceptam ab illis Cardinalibus abrogandæ excommunicationis in Venetos latæ formulam approbavit. Reverſus itaque Cardinalis Gioieuſius Venetias menſe Aprili, cum exhibuiſſet in Collegio illius Senatus literas Summi Pontificis Breves ut vocant, pro ſtabilienda pace, eam perfecit tali ordine. Poſt prævia aliquot Senatuſconſulta illius Reipublicæ, ad quæ Doctores & Theologi primarii fuerant accerſiti, ad Cardinalem Gioieuſium, qui in domo Legati Regis Galliæ ibi reſidentis ſubſiſtebat, adduxit Secretarius Ducis & Senatus illos duos Eccleſiaſticos carceratos, Scipionem Saracenum Canonicum Vincentinum, & Brandolinum Abbatem Nervoſiæ, & obteſtatus quod eos Summo Pontifici daret Dux & Senatus in gratiam Regis Galliæ, ſalvo jure ſuo quod in puniendis Eccleſiaſticis obtinet, eos tradidit Cardinali, qui eoſdem acceptos, iterum cuſtodiæ tradi mandavit, uti Summi Pon-

Gioieuſius Cardinalis pacem Venetis cum Summo Pontifice concludit.

Pontificis captivos. Deinde Cardinalis veniens in conſeſſum Ducis & Senatus, excommunicationem interdictum jam eſſe ſublatum à Summo Pontifice denuntiavit, & viciſſim ut Dux & Senatus mandatum ſuum quod cenſuris Pontificiis oppoſuerat abrogaret, ſublatamque eſſe à Summo Pontifice excommunicationem & interdictum omnibus ditionis ſuæ ſubditis ſignificaret, poſtulabat. Quod & obtinuit, totumque negotium pacis ita ſtabilivit, omni quæſtione de firmitate illarum legum in præjudicium libertatis Eccleſiaſticæ promulgatarum ſuppreſſa, & etiam omiſſo alio ritu relaxandarum ſimilium Eccleſiaſticarum cenſurarum. Paulo aliter recenſet hujus reconciliationis ſeriem *Thuanus lib.* 137. nos ſequimur Maurocenum Senatorem Venetum, qui præſens ibi interfuit, & melius potuit ſcire. Nec Amneſtiam offenſarum uſquequaque plenam conceſſerant Veneti, præſertim incolis ditionis ſuæ; nam licet Eccleſiaſtici, qui ſolum verterant ad ſuas ſtationes redire fuer[illegible] permiſſi; ut redierant ſtatim Capucini, tamen qui audacius propugnando ji[illegible]ontificium, gravius offenderant, extorres manſerunt: ut Epiſcopus Patavini[illegible] Religioſi Societatis Ieſu, contra quos inſuper ſeveriora fuerunt ſancita De[illegible], ne per ditiones Venetas commeare deberent. Quam proſcriptionem igr[illegible]iæ ſimilem nullæ Pontificis, Regum, Principumque interceſſiones deprecari valuerunt. Alias quoque cauſas odorari poteſt ſagax Lector, propter quas illa concordia plurimis diſplicuit: & magis Gubernatori Mediolani Fontano, fruſtrato exinde offa, quam ſpe devoraverat pinguiori, ſed culpa maximè ſua, cum inconſultè terruerit, Pontificem, petens ab eo Ferrariam & Anconam pro conſtituendo ibi ad uſum belli illius (ut ajebat) armamentario, & cautione ne Pontifex poſſet facere pacem ante quinquennium ſine conſenſu Regis Hiſpani, ſumptuſque in idem bellum faciendos ipſi compenſaret. Non ſolum autem Italiæ, ſed & Belgio hic annus in ſedandis bellicis motibus propitius affulſit. Et quidem annis duobus antecedentibus, & Rex Angliæ, & alii interceſſores diverſi pro componenda ibi pace laborarunt, ſed remora illa unica, quæ & Rudolphi Imperatoris pro ea perficienda conatus everterat, nempe ut inprimis Hollandorum communitas pro libera Republica agnoſceretur, non ſolum tractatus ipſos, ſed omne eorum initium diſtinebat.

A.C. 1607.

Venetias redeunt Eccleſiaſtici.

Soc. Ieſu Religioſi redire Venetias prohibentur perpetuo.

Pax inter Hiſpanum & Hollandos tractatur.

Hoc anno itaque dubium illud ſublatum, facilem viam promovendo negotio aperuit. Primo autem miſerat Archidux Albertus Ioannem Gevart Turhautanum, qui Hollandos invitaret ad pactionem, vel pacis diuturnæ, vel induciarum aliquarum: & cum illi conſtanter renuerent, omnem tractatum cum Rege Hiſpaniarum vel Archiduce, quorum imperium excuſſerant, & Rempublicam liberam multo labore & ſanguine ſibi comparaverant, ne nimirum ſemel partam libertatem in dubium vocarent, Archidux iterum cum pleniori mandato miſit Ioannem Naium Franciſcani Ordinis virum diſertum, qui ineunte Martio Agam Comitis veniens, ſpem Hollandis fecit, quod ſi tractare pacem vellent, Rex Hiſpaniæ & Archidux tanquam cum liberis, & in quos nullum jus haberet ſe tractaturum declaraturus eſſet. Cumque illi ad hoc expreſſam cautionem requirerent, Naius Bruxellas reverſus Archiduci perſuaſit, fruſtra cum jactura pacis illis negari, quod re ipſa tenerent, & literas ipſius obtinuit, in quibus expreſſum fuit, quod Archidux mandatum ipſi ejuſque Collegis dederat, ut cum fœderatarum Provinciarum Ordinibus tanquam liberis, & in quos nihil juris quiſquam habeat, pacem vel inducias tractaret. Nibil minus Hollandi quam eouſque deſcenſurum Archiducem ſperarant, ut tamen literas ejus manu cum illa declaratione ſubſcriptas receperant, amplius ſibi nil cunctandum rati, ad pacem quam tot bellis quæſierant, tractandam conſenſerunt. Primumque inducias octo menſium ſtabilierant, quæ à 4 die Maii inciperent, ac ſuper eis conſenſus à Rege Hiſpaniarum

Naius Franciſcanus nomine Hiſpaniæ Regis pacem cum Hollandis tractat.

Hollandos Hiſpaniæ Rex agnoſcit eſſe Rempublicam liberam.

 intra

A.C. 1607. intra tres menſes obtineretur, authographaque induciarum hujuſmodi 24 Aprilis utrimque commutarentur: durantibus autem iſtis induciis, ut tractatio pacis firmioris menſe Septembri inciperet. Interim tamen Hollandi priuſquam ad tractationem induciarum conſenſiſſent, & dum adhuc dubitarent, an illam delarationem Achiducis Hiſpani ratam haberent, expedierant ſub finem Martii claſſem triginta navium cum Architalaſſo Iacobo Hemskirchio ad decurrendum mare Hiſpanicum: qui cum à pyratis Anglis & Gallis accepiſſet, claſſem Hiſpanorum viginti navium circa fretum Gaditanum commeantibus Hollandicis inſidiari, tranſgreſſus Promontorium S. Vincentii, propè Gades illam claſſem invenit, cum ejus Præfecto Ioanne Alvares Davila, commiſſaque pugna 26 Aprilis, acerrimè quatuor horis continuata claſſem illam Hiſpanicam diſſipavit, ſeptem ex ea majoribus triremibus, & aliis minoribus pluribus igne abſumptis aliis demerſis, ut nonniſi binæ triremes, & quinque aliæ naves Hiſpanæ ſalvæ evaſerint, & ipſe Præfectus claſſis Davila cum tribus millibus militum exercitatiorum perierit. Hollandicus quoque claſſis Præfectus Hemskerchius in primo conflictu ibi occubuerat, ſed ſocii nil territi ejus morte, & magis accenſi ad vindictam, victoriam obtinuerunt non plus centum deſideratis ex ſuis, & quinquaginta vulneratis, Stabilitis autem induciis Hollandi illam claſſem revocarant: & ſub finem Iulii cum allatus Regis Hiſpaniæ ſuper induciis conſenſus, pro quo impetrando ille idem Ioannes Naius Franciſcanus in Hiſpaniam iverat, votis eorum non reſponderet, (nempe illis verbis conceptus, approbamus omnia quæ frater noſter Albertus in cauſa induciarum cum Ordinibus Hollandiæ tractaturus eſt, ratum habituri, quicquid in vita ſua cum eis egerit) iterum in ampliori formula procuratus, & menſe Octobre redditus, ipſos tandem placavit, & ad tractandam pacem longiorem induxit, ut in ſubſequenti anno attingemus.

Hollandica claſſis profligat Hiſpanicam.

Poloniæ quoque hic annus in componendis domeſticis motibus fatalis fuit, licet iſti longè diverſa ſorte, & nonniſi ſanguine Civili reſtincti, demum conquieverint. Videbatur autem anno præterito, apud Ianovum omnis illa tempeſtas fuiſſe ſedata, remiſſis ad Comitia Regni Generalia omnibus quæſtionibus utrimque controverſis: ſed Nobilium ordo malè conſultum fore libertatibus ſuis judicavit, ſi authoritas congregationis *Rokoſſiana*, nempe univerſalis Reipublicæ Concilii, ſubjiceretur cenſuræ Comitiorum, ad quæ Senatores & Nuntii tantum Terrarum, iique cum circumſcripta poteſtate convenire ſolent. Nec uſquequaque confidebat judicio Comitiorum, in quibus Rex præſideret, & præſens facilius in ſuam ſententiam plures trahere, vel etiam deterrere poſſet; ac propterea concordiæ Ianovienſi ſubſcribere noluit, ſed actis Conventibus in Kolo Sieradiæ, & unuſquiſque Palatinatus in ſuo conſueto loco, Conventum Generalem ad 28. Martii iſtius anni 1607. Andreioviæ celebrandum indixit. Quo ad diem præſtitutum Nobiles magno numero convenerant, atque unà aderat Palatinus Cracovienſis, qui omnem ſeriem rei geſtæ apud Ianovum prius per literas ad omnes Provinciarum Tribus perſcriptam, in eo Conventu voce propria ſingulatius expoſuit, teſtatus ibi tranſacta pro ſua parte rata fore, ſi ea communi conſenſu Ordines rata haberi vellent, ad quod unicum determinandum eò conveniſſent. Quam propoſitionem conſeſſus ille majori offenſarum exaggeratione excepit: querebantur enim plerique, quod artibus novis Rex coacto apud Viſſiciam anticonventu (ut ajebant) eorum unicam retinendarum patriæ libertatum anchoram abrumpere, & vi armiſque apud Ianovum quod libuerat extorquere ſtuduiſſet, atque ita adempta Ordini Equeſtri poteſtate convocandi *Rokoſſ*, abſolutè genti liberæ dominari vellet. Et pluribus ſimilibus odiorum & ſuſpicionum fomentis cumulatis Conventus ille incitatus, rejecta Ianovienſi concordia,

Poloni continuant ſeceſſionem contra Sigiſmundum Regem.

Andreiovienſis Conventus Rokoſſianus.

Zebrzidovii Palatini Cracovienſis declaratio Andreioviæ.

A.C. 1607.

cordia, uti (ajebant) vi extorta, & cum ſolo Palatino Cracovienſi ac Pincerna Lithuaniæ Radziwilo inita, Rokoſſianum Concilium jam ante omnibus Ordinibus denuntiatum continuandum, determinandumque decrevit. Cui ſiquidem Rex arma opponeret, armorum quoque præſidium providendum ordinavit, audaciore quoque curam colligendi militis ſuſcipiente. Vnde Rex toto Regno rurſum turbatos Nobilium Ordines nulla alia retione ad officium reduci poſſe videns, niſi cum primus ſuæ & Comitiorum quæ celebranda erant ſecuritati proſpiceret, miſerat Hieronymum Cielecki Secretarium ſuum ad Staniſlaum Zolkiewski Præfectum exercitus, ut copias Quartianas dominatas promptas haberet, & cum eis ad condictum Comitiorum tempus adeſſet, vel magis ut confirmaretur pro partibus Regiis; affinitate enim Palatino Cracovienſi conjunctus, timendum erat, ne ad illius partes tranſiret, ſeu neutras teneret. Ac propterea in omnem caſum Rex intentus, Potocios, qui præcipuum robur Equitum haſtatorum in illo exercitu ducebant, ſingularius ſibi obſtrinxerat, & Stephano Potocki cuſtodiam Arcis & Civitatis Cracovienſis commiſerat. Alii quoque Regiarum partium multum militarium agmina congregabant, & Lithuanicæ copiæ cum Carolo Chodkiewicz earum Duce fuerunt accerſitæ. Atque ita rebus conſtitutis, Rex ad Comitia quæ in menſem Majum (tempus operæ militari commodum) indixerat, relicta Regina Cracoviæ, Varſaviam cum Aulico ſolo comitatu ſuo venit. Moxque diverſis itineribus ſubſequutæ militares legiones. Caſtris medio milliari à Varſavia apud villam *Folwárki* poſitis conſederunt. Nec minori cura Rokoſſiani vires ſuas inſtruxerant, & collecti prope Stæzyam ſtationem expediendis conſiliis ſuis fixerunt: ubi orſum querelarum contra Regem inſtitutarum retexentes, eas augebant novis inventorum recens (ut ajebant) ad evertendas libertates Nobilis Ordinis conſiliorum ſuſpicionibus, & niſi plena ſatisfactione tollerentur, articulum jurisjurandi Regii de non præſtanda ipſi obedientia, cum ea quæ juravit non adimpleret, exequendum urgebant. Quidam circumforaneorum rumorum collector, ſcripſit cauſam illarum turbarum fuiſſe, quod Poloni Concilium Tridentinum recipere recuſarent: nihil fallacius. nam illud receptum fuit in Polonia altero poſtquam finierat anno in Synodo Petricovienſi opera Staniſlai Hoſii Cardinalis, Epiſcopi Varmienſis. Alteram idem cauſam recenſet, Ieſuitas, quos inquit Status Equeſtris pellendos Regno volebat: ſed neque hoc veriſimile, niſi quod iſtorum ut & omnium aliorum Eccleſiaſticorum libertates hæretici, & Politici Catholici in aliquibus reſtringi volebant. Cauſæ autem veræ illorum motuum fuerant, ut alias attigimus, pacta conventa in Electione Regis, quæ ut implerentur, Nobilis Ordo pertinacius inſtabat: tum & leges publicæ in aliquibus violatæ, quarum obſervantiam reſtitui optabat, idque caſtigatis illis qui earum violatarum authores fuiſſent, pulſiſque externis, qui Regi familiatiores, morem regiminis exoticum in Rempublicam inducere videbantur. Ac præterea hæretici quoque hac occaſione (ut & in aliis Regnis fecerunt tempore difficiliori ſemper) libertates ſibi prorogari petebant. Authenticis ſcriptis iſta omnia expreſſa circumferebantur, & tabulis publicis ſingularum Provinciarum fuerunt inſcripta, ut facile quis conſequi poſſit omnium illarum propoſitionum capita præcipua iſta fuiſſe, nec illud *Cos* artificioſe imputatum moderatoribus Rokoſſianis, uſquam in illis publicis ſcriptis apparuiſſe. Neque hic Apologiam teximus, ſed lectorem præmonemus ſignari hic ſingulariora, & veriora, miſſis rumoribus, aut conjecturis pro animi cujuſque in alterutram partem affectu compoſitis, quorum dubia fides ex monumentis Actorum publicorum facile convincitur.

Rokoſſiani arma ſumunt contra Sigiſmundum Regem.

Sigiſmundus III Rex Poloniæ arma comparat contra Rokoſſianos.

Comitia Varſaviæ 1607.

Rokoſſiani Stezicia iterum congregantur.

Polonorum cauſa querelarum contra Sigiſmundum Regem.

Longum autem eſſet recenſere, quæ inter Conventum illum Rokoſſianum & Comitiorum Regiorum conſeſſus interceſſerunt: ſed pro more noſtro rem ipſam

 ſolum

A.C. 1607. ſolum attingemus. Totum illud Comitiorum tempus inſumptum fuit mittendis ultro citroque legationibus, & diſputationibus trahendis, quibus Comitia Regia Conventum Rokoſſianum illegitimum & ſeditioſum eſſe arguebant, Rokoſſianis ejus authoritatem præſtare Comitiorum conſulto defendentibus;ac interim Comitiorum Regiorum conſeſſus, ut aliquid pro libertatibus communibus inſtaurandis præſtitiſſe viderentur, nonnulla principaliora ex articulis à Rokoſſianis propoſitis, præſertim ea quæ legibus palam contraria irrepſerant, tollenda decreverunt. Et correcta fuerunt aliqua novis tunc legibus ſancitis, ut ſunt expreſſa in publico Actorum Comitialium volumine: addita quoque fuerunt Regis promiſſa de implendis pactis conventis in Electione Regia, nunquam tamen fuerunt impleta. Et cum maxime commoviſſet Regem rumor divulgatus, quaſi aliqua conſilia ad opprimendam Rempublicam agitarit, ut evidentius eum dilueret in conſeſſu Senatus & Nuntiorum Terrarum publico, patentibus etiam Curiæ portis, quo ex populo plures introvenirent ac audirent, ipſemet clara voce in eam ſententiam peroravit. Injuria ſibi ab inimicis illam calumniam impingi, quaſi aliqua in perniciem iſtius Reipublicæ & libertatum illius derogationem moliretur, cum nunquam niſi jurijurando, & debito ſuo ſatisfacere, & libertates Ordinum magis augere quam minuere ſtuduerit, eaque voluntate ſe fore ſemper certo omnes ſcirent, ac aliis ſecus perſuaſis annuntiarent, lacrymis obortis reliquum ipſi ſermonem abrumpentibus. Actis etiam illorum Comitiorum declarationem talem inſeri juſſit, quod Electio Regis genti iſti, uti fuit ante, in futurum quoque æviternis temporibus maneret libera: hocque & diplomate manu ſua ſubſcripto, & ad Archivum Reipubl. tradito cavit. Sed magis derogatum tunc fuit libertatibus iſtis lege lata, quæ articulum jurisjurandi Regii de non præſtanda Regi obedientia, quando jurijurando ſuo non ſatisfaceret, circuitu multiplicium monitionum ambiguo circumſcribens, enervavit, & pæne abrogavit, ut ex ejus contextu colligere licet.

Sigiſmundi III Regis Poloniæ publica declaratio.

Electionem Regis Poloniæ confirmat Sigiſmundus Rex.

Poſtquam autem Rokoſſiani nullis mediis flecti poterant, ut aequieſcerent in Decretis Comitiorum, iſtiſque finiendis dies præſtitutus immineret, edictum Comitiale Rex promulgari fecit, quo illis mandabat, ut Conventum ſuum ſolverent, ac arma deponentes, pacem publicam turbare deſinerent. Deſignari quoque fuerunt ex Senatus conſulto nonnulli qui ſi ita res ferret, pacificationem cum eis tractarent. Atque ita Comitia finierant.

Rokoſſiani monentur à Rege ut arma deponant.

Ipſi vero conteſtati quod à Rege officii ſui debitum requiſierint, nec obtinuerint, articulum ejus jurisjurandi de non præſtanda ipſi obedientia, ſi pactis in eo expreſſis non ſatisfaceret, in tali caſu valere declaraverunt, literiſque in publicum ſpargendis conceptam obnuntiationem, quod Sacramento obedientiæ ei præſtito ſint propterea ſoluti, manibus ſuis ſubſcripſerunt: à qua tamen ſubſcriptione non pauci ipſorum ſe ſubtraxerant, & cum altero die Caſtra moviſſent, plurimi ad propria abierunt: Staniſlaus quoque Stádnicki cum ſuo Comitatu quingentorum armatorum aleam Martis tentare nolens, eos deſeruerat, & pæne ſtipendiarii militares ſoli cum Zebrzydovio Palatino Cracovienſi, ac Radziwilo Pincerna Lithuaniæ remanſerant, omneſque reſidui ad numerum paulo ſupra 4 millia fuerunt reducti. Ibant tamen audacius iter Regis Cracoviam petentis intercepturi. Statim enim finitis Comitiis Rex occaſione ingentis incendii Varſaviæ fortuito excitati, quod magnam Civitatis partem abſumpſit, nocte intempeſta ex Arce (veritus in incendio hoſtium inſidias) ad caſtra ſua conceſſerat, & inſequenti die convaſato omni ſuo apparatu, movit verſus Cracoviam itinere Varcenſi. quod ipſi prævenientes, ultra oppidum *Wárká* obſederant. Regemque ea pergentem, die 23 Iunii inſtructa acie expectabant. Ac perſuaſum habebant, quod Rex

Rokoſſiani obedientiam Regi præſtare nolunt.

Varſaviæ incendium ingens 1607.

Sigiſmundus III Rex movet contra Rokoſſianos.

A.C. 1607.

Rex prælio certare non vellet, ſed per delegatos ad hoc ob Ordinibus in Comitiis præteritis concordiam aliquam tractaturus eſſet: & magis confidebant quod milites Quartiani præcipuum exercitus Regii robur majori parte Nobiles genere Cives cum Civibus, & plurimis propinquitate ſibi conjunctis pugnam recuſaturi eſſent: unde tranſitum Regiis copiis per fluvium *Wárká*, quem facile impedire poterant, permiſerunt. Nec uſquequaque tunc ſua ſpe fruſtrati ſunt quoad Quartianos, nam ut adverſæ hinc inde acies conſtiterant, (præter quod pauci ex turmis levioris armaturæ ad velitandum excurrebant) cataphracti nempe Quartiani immoti ſtabant, & ex eis Gabriel Leznicki ad illos procurrens, ne ſibi timerent à Quartianis admonuit. Sed utraque acie ad caſtra reducta, cum ſeverius proptèrea in Leznicium, & alios qui confligere detractarent inquiri Rex juſſiſſet, eum nonniſi prælium meditari, & Quartianos vel invitos pugnaturos adverterunt.

Sigiſmundi III Regis apud VVarkam congreſſus cum Rokoſſianis.

Leznicius ſupplicio aſſicitur.

Vnde ne imparibus viribus cum Regiis congredi cogerentur, verum traherent tempus, quouſque Rex pacem tractaret, vel advenirent ipſis ſubſidia quæ à diverſis (ſeu ut fama ferebat à Gabriele Batoreo Tranſilvaniæ Principe in locum Sigiſmundi Rákocii ſub id tempus ſuffecto) prima vigilia inſequentis noctis præmiſſis impedimentis, ordine ſervato abierunt: idque greſſu non ignavo: nam ea nocte licet brevi (prope ſolſtitium æſtivum) ſex milliaria Polonica ſunt emenſi. Evitare tamen non potuerunt conflictum: nam Rex Quartianos exemplo Leznicii, quem concilium bellicum propter pridianum cum hoſte colloquium, ſuſpendii ſupplicio damnarat, territos, obſequentiores ſibi fore judicans, majoribus quam ſperari poterat itineribus inſiſtendo illorum veſtigiis proceſſit, utque eos fuerat aſſecutus tertio ultra Radomiam milliari Polonico apud Pagum *Guzowo* (fatali denominatione à tubere ex ictibus alicui incuſſis inſignito loco) die 6 Iulii inſtructis Ordinibus conſiſtentes, nullo oblato aut admiſſo colloquio, ſtatim ad pugnam ſigna infeſta promoveri juſſit. Aciem non firmaverant illi ſuam auxiliis, & incommodo loco congreſſus electo, ſolem ventumque habebant adverſum, ac ex agri in quo ſtabant, recens arati gleba arida, arenoſa, ad motum equorum ingens pulvis ſurgens, omnem pæne proſpectum ipſis adimebat. Exceperunt tamen prælium fortiter, & ala eorum ſiniſtra invecta in Regiam dextram, Cui Carolus Chodkiewicz militiæ Lithuanicæ Præfectus præerat, eam diſſiparat. Eleati quoque eorum (ſic dicti præſtantiores Equites ex toto exercitu ſelecti ad audaciorem impreſſionem faciendam, pro teſſera humeros rubris faſciis præcincti) ut irruerant in mediam aciem Regiam, eam totam pervaſerunt, quo univerſæ Regiorum turmæ turbari cœperunt, ac in Prætoria cohorte, quæ Regem cuſtodiebat pluribus dilapſis, vix quinquaginta Equites remanſerant, & accurrens Palatinus quidam (cujus nomini parco) ſuadebat ut Rex ad tutiora tempeſtive ſe reciperet: qui ſi ita feciſſet, quaſi concitatis ad fugam reliquis ſuccubuiſſet prorſus; ſed percontatus, an ſuorum peditum phalanx, cui præerat Iacobus Potocki ceſſiſſet loco, & num bombardas exploſiſſet? auditoque quod firma adhuc cum bombardis non exploſis ſtaret; ipſe quoque immotus manſit, Ordineſque retinuit. Ex Rokoſſianis vero cum nulli alii ad continuandam incœptam pugnam ſubſequerentur, atque auxilia ad hoc diſpoſita à loco deſtinato fatali quodam errore aliò deviaſſent: immo Petrus Laſcz, qui ſiniſtram alam Regiam oppugnanti Herburto cum ſua legione auxilium ferre debuerat, jam iniens certamen (metune Panico an dolo) repente comploſis manibus exclamans *Periimus*, retro ſigna ſua convertiſſet, illi quoque qui primi ſatis ſtrenue pugnarunt, eodem impetu uſque ad extrema caſtrorum Regiorum eruperunt, ordinibuſque ſolutis, in diverſa ſunt diſperſi.

Sigiſmundus III Rex Rokoſſianos apud Guzowo profligat.

Et Palatinus Cracovienſis qui ſummum imperium apud ipſos tenebat, perſuaſus alios

A.C. 1607. alios periiſſe, alios cum Laſcio vi rejectos, & in fugam compulſos fuiſſe, ſeque ſolum nil amplius proficere poſſe, complicatis vexillis ſuis receſſit; vel magis quod præ aëre nimium pulverulento, nec videri quibus eſſet ſubveniendum, nec imperia dari, aut exaudiri poterant: unde & Regii primum poſtquam ſubſedit pulvis recolligebantur, tumque demum neminem ex adverſo pugnantem videntes, in diſperſos præſertim pedites,& in impedimenta (Equitibus Rokoſſianis ille pulvis tempus fere duarum horarum commodarat ad evadendum) ſæviebant. Omnino autem ſola perſeverantia Regis illam victoriam comparavit, miro Dei conſilio, quod Rokoſſianis in curſu ferociæ ſuæ confuſis, & Regiis magis ad avertendos quam inferendos ictus intentis, pauciſſimi occubuerunt, nec plures quam triginta in ipſa acie utrinque occiſi ſunt inventi: in fuga circa direptionis ſarcinarum, pedites maxime circiter ducenti:ex inſignioribus nullus,præter quod ex Regiis Alexander Kálinowski Præfectus Braclavienſis haſta graviter fuit vulneratus. Erant qui putabant longius eſſe inſequendos Rokoſſianos fugientes;ſed Staniſlaus Zolkiewski Præfectus militiæ ſuaſit,ut parceretur Civili ſanguini,dum in tuto jam Regis res eſſet, & quibuſdam violentiora conſilia urgentibus, palam reſtitit. Tamen Felicem Herburt, cui Regem offenſiorem fuiſſe conſtabat, quidam in longinqua perſecuti comprehenderant,& Procopium Pekoſlawski in domo propria, quam ibi proximo habebat; propterea alii cautius ſe ſervabant, ne in manus Regiorum venirent. Hieronymus quoque Rozrazewski Noviemiſcanus, cum inter Regios aberraſſet,agnitus à Comitatu Adami Czarnkowski Palatini Lencicienſis fuit detentus. Ex Regiis vero plurimi nec poſtremi nominis, altero demum die ex fuga revertebantur ad Regem,& alii ad remotiora delati, Regem profligatum fuiſſe ſparſerant. Recta autem à loco prælii Rex Cracoviam verſus contendit, ac inde demum exercitum dimiſit; prius tamen miſſo Stephano Potocki ad occupandam Lanckoronam Arcem, natura loci & præſidio Palatini Cracovienſis munitam, quæ Cracoviæ quatuor milliaribus vicina, novis ipſius molitionibus, & ex proximis Vngariæ confiniis conducendis copiis oppurtuna fuiſſet. At Palatinus Cracovienſis poſtquam tribus menſibus partim apud Bernardinos in Monaſterio Opatovienſi, partim apud Martinum Szczucki prope Opatoviam paucis conſciis latuerat,ſub finem Septembris in villa *Ryki* Stęzyciam prope cohortem ſuam Prętoriam recollectam luſtravit, ac alios Rokoſſianos manipulos palatim vagantes convocavit, quorum numero circiter duorum millium armatorum auctus, menſe Octobre Verſaviam, ac inde Varkam tranſiens, vires & copias ſuas inſtaurabat, pluribus ad ipſum ad redintegrandum bellum illud Civile à vulnere magis recrudeſcens concurrentibus. Paulo poſt diſceſſum Palatini Varſavia, convenerant ibi Senatores primarii & Equeſtris Ordinis non pauci,ex Comitiis anteactis ad componendas controverſias ſæcularium cum Eccleſiaſticis deſignati. Qui miſſa legatione eum ad tractandam cum Rege concordiam hortabantur, hocque idem flagitarunt à Rege moleſtius accipiente quod Palatino licet victo, præſertim Eccleſiaſtici, nuper ab ipſo Rege ad ſummas dignitates evecti, patrocinari non deſiſterent. Subinde tamen aliis atque aliis Proceribus concordiam hujuſmodi ſuadentibus tandem Rex ceſſit, ut in proximo dicemus.

Felix Herburt captus.

Pekoſlavius captus.

Zebrzydovius Palatinus Cracovienſis diſperſas copias ſuas colligit.

Interim Felix Herburt cum Procopio Pekoſlavio captivus Cracoviam ductus ad pœnam criminis læſæ Majeſtatis vocabatur: Iamque Rex eum capite mulctari juſſerat, ſed poſtea illi pepercit Sigiſmundo Marchione Myſzkowski Archimariſchallo Regni, penes quem eſt in Aula Regia jus gladii, ſtudio exequi talem ſententiam, quouſque Rex placaretur differente, ne ſibi imputaretur hujuſmodi ſeveritas, eoque in ſe odia popularia cumularet, quæ eum maxime uti Regi proximum, ſeu magis ipſum Regem per ejus latus petebant.

Herburt & Pekoſlawſki periclitantur de vita.

Et

Et dum Polonia talibus diſſidiis Civilibus laborat, grave damnum tulit à Carolo Sueco Rege in Livonia, omni tunc præſidio militari ad Civile bellum inde abducto nudata. Vaiſteinum illius Provinciæ ſive Eſtoniæ Arcem, opere artis militaris, & ſitu loci circumquaque paludibus muſcoſis late patentibus, munitiſſimam, Ioannes Zamoyſcius anno 1602, ſumma vi ceperat, præſidiumque ibi relictum aſſiduis excurſionibus vicina hoſtis loca divexabat. Ad eam itaque Arcem recuperandam cum Caroli Sueci copiæ iviſſent, Andreas Zborowski, cui Arcis illius cuſtodiam Chodkievicius tunc commiſerat, juvenis ingenio & animo acri, ſed ad bellica pericula incautus, cum toto fere illo præſidio trecentorum militum excurreraт, ut hoſtes diſtractis alicubi Ordinibus incedentes interciperet. Sed nimium longe ab Arce, nempe duo milliaria Polonica progreſſus, & itinera ipſorum minus explorata habens, ab eis ex improviſo circumdatus, & vulnere accepto vivus cum pluribus ſuis captus, temerarii ſui conſilii pœnas dedit. Eo vero ſublato, ad arcem oppugnandam Sueci procedentes ut primum advenerunt, vacuam defenſoribus inventam, deditione paucorum qui intro manſerant occuparunt, commeatu & apparatu bellico ſufficienter inſtructam. Ibi enim Zamoyſcius omne inſtrumentum bellicum Tikocino, Vilnaque magna copia ad illam expeditionem conductum reliquerat, & Chodkievicius ad diuturnam ejus obſidionem, ac ad majorem vim repulſandam neceſſaria providerat.

A.C. 1607.

Vaiſteinum Arx Eſtoniæ capitur à Suecis.

Aliam quoque jacturam Polonia hoc anno ſenſit amiſſo Staniſlao Minski minori Cancellario Regni, quem anno præterito fluxione catarrhi auditum amiſiſſe diximus. Iverat ille Neapolim ad Thermas Puteolanas, earumque beneficio recuperarat ſanitatem: ſed menſe Auguſto, quo in Italia Solis ardores viatoribus exitiales eſſe ſolent, in Poloniam properans, ex æſtu itineris nimio correptus febri ardentiori, Patavii obiit omnium dolore, cum in omnes comis, æque omnium ſtudia ſibi devinxiſſet.

Minski Vicecancellarius Poloniæ, moritur.

Et quoniam nihil occurrit quod ex ſucceſſibus aliarum Europæ Provinciarum in hoc anno ſingularius adnotemus; Vngaria enim tunc nonniſi ſtabiliendæ concluſioni cum Turca pacis, & Gallia gratulationibus novæ proli Regis maſculæ vacabat, eo Polonicis geſtis finito, inſequentem Milleſimum, Sexcenteſimum octavum, eiſdem quoque inchoabimus.

Annus Chriſti, 1608.

A Trigimus autem paulo ante commotionem illam Rokoſſianam à prælio Guzovienſi, redivivam novis incrementis & viribus ſucceſcere cœpiſſe. Exemplo enim Herburti cum Pækoſlavio detenti in captivitate, & Palatini Cracovienſis ſpoliati poſſeſſione Arcis & Præfecturæ Lanckoronæ, (licet ea non ad ipſum ſed ad filium ejus pertineret) omnes alii ejuſdem factionis territi, ne eadem fortuna de vita & bonis ſuis periclitari cogerentur, non tam cauſam Rokoſſianam quam ſecuritatem jam propriam armis tueri volebant. Quare Proceres Regni ſoliciti, ne iterato & graviori Civili bello Reſpublica involveretur, Regem precibus & perſuaſionibus fatigare non ceſſabant, ut motus illos priuſquam venia deſperata invaleſcerent, pacata reconciliatione ſopiret; tanto magis quod Palatinus Cracovienſis ſuo & omnium partium ſuarum nomine nil aliud requirebat, niſi ut ſalvo honore & ſecuritate priſtini ſui ſtatus arma deponere valeret.

Sd Rex gravius offenſus criminationibus quæ de illo è conventiculis Rokoſſianorum in vulgus ſparſæ ferebantur, ne inultæ fidem apud credulos invenirent, vel

A.C. 1608. vel alios in poſterum ſpes impunitatis ad convitia ſimilia temere fingenda, divulgandaque provocaret, eorum authores ſeveriori animadverſione caſtigari volebat: ſi modo de iſtis certi quid conſtaret inter multos Rokoſſianos, præſertim anteſignanos negantes, qui nonniſi cauſam ſcripto conceptam, & in acta publica relatam, ut immutari non poſſet, ſe tractaſſe affirmabant. Ac ea difficultate indagationis oppoſita, intercesſores illi poſt multos labores obtinuerunt, ut Rex ad pacificationem conſenſerit, ad quam perficiendam vocatus Senatus menſe Majo Cracoviæ convenit. Eo itaque & Palatinus Cracovienſis à Staniſlao Zolkiewski Præfecto militari Regni, concordiæ illius ſequeſtro aſſociatus, utque erat condictum recta in conſeſſum Regis & Senatus introductus, Regem ipſum ſedentem accedens voce ſummiſſa ſalutavit, offenſamque remitti ſibi (aliquis irriſor feſtivus ſubornarat puerulum ut in conferta turba Regi proxime adſtantium ſublatus ſublimis in humeros perorante Palatino exclamarit alta voce *Ave Rabbi*, oeyuſque ſe ſubtraxit) petiit: hocq; facto cum locum ſuum in Senatu accepiſſet, Archiepiſcopus Leopolienſis Zamoſczki (tunc Princeps Senatus) nomine concordiam illam laudabat initio ſumpto à verbis: *Hæc dies quam fecit Dominus*, Regi minus grato, quod non humilius Palatinum tractaſſet, & ſolam tranquillitatem Reipub. hoc modo reſtitutam prædicaſſet. Nullæque reconciliationis conditiones ſunt interpoſitæ, præter illam ſimplicem deprecationem; ſed Amneſtia præteritorum tam Palatino, quam aliis qui cum eo advenerant, & omnibus aliis qui poſtea eadem ratione Regem deprecarentur, fuit conceſſa: Et quidem ita, ut etiam ſtabilienda eſſet eadem Amneſtia lege publica in proximis Generalibus Comitiis, in quibus & ea quæ in Rokoſſianis Conventibus à Rege requirebantur Ordines examinarentur, ac univerſali conſenſu definirent, talique definitioni Rokoſſiani ſtare tenerentur. Præfectura quoque Lanckoronæ Palatino fuit reſtituta, cauto inſuper quod & alias Prefecturas tuto retineret, quamvis juſtæ cauſæ ſubeſſent, propter quas, nempe ob non ſolutam ex eis juxta præſcriptum legum penſionem Reipub. (Quartam dictam) jure privari illis potuiſſet.

Sigiſmundus III. Rex Poloniæ reconciliatur Rokoſſianis.

Herburt & Pekoſlavius liberi dimittuntur.

Felix Herburt & Pekoſlawski fuerunt quoque dimiſſi ex cuſtodiis, data ſponſione quod à Conventibus publicis frequentandis abſtinere, & intra domeſticos ſuos parietes ſe continere deberent. Calumniæ autem in mores Regis jactatæ imputabantur Staniſlao Stádnicki Lanczucenſi *Diabolo* ob morem malitiam denominato, pro quo ut cauſam diceret, vel ſe purgaret, ad Comitia proxima Regni Generalia dies illi fuit dictus: ubi die adveniente verbis conceptis ex ſcripto ea quæ de Rege dixiſſe ferebatur in publico Comitiorum conſeſſu inficiari, & Regem deprecari eſt coactus. Inter eundem Palatinum & Marchionem Sigiſmundum Myſzkowski Archimariſchallum Regni interceſſerant jurgia acerbiora, circa quæ convitiis, uſque & ſcripto divulgatis, impotentius mutuo certarunt; & ne novarum turbarum anſa eſſent, condictum fuit, ut ea ſcripta quoque lege publica abrogarentur in comitiis proximis juxta formulam abrogationis in illa Cracovienſi Convocatione probatam. Reliquum illius Convocationis progreſſum abrupit morbus Regis, quo graviore nempe febri ardentiori pluribus diebus non ſine periculo vitæ laboravit, tuncque decumbens Archiepiſcoparum Gneſnenſem, qui nuper extincto Cracoviæ Cardinali Macieiowski vacabat, Alberto Báránowski detulit, in Vladiſlavienſi Epiſcopatu Matthiæ Pſtrokonski Archicancellario ſucceſſore ipſi deſignato.

Myſzkovii cum Zebrzydovio jurgia componuntur.

Máciejowski Cardinalis moritur.

Livonia hoc anno in præſentia Caroli Chodkiewicz Præfecti militaris Lithuaniæ tutior, Regis Sueci minas facile contempſit. Iſti enim venienti & Rigæ Civitati obſidionem oſtentanti, magnam claſſis partem Chodkievicius, pretio corruptis ejus nautis quibuſdam Anglicis, exuſſit, eumq; cum reliquis navibus in fugam

com-

A.C. 1608.

compulit. Inde autem Parnaviam, ut eam Civitatem portu commodam, quam unicam ex Livonicis Civitatibus Suecus adhuc detinebat, recuperaret, ivit. Nec infelici eventu, ut enim oppugnationem ibi inſtituerat à Septentrionali Civitatis parte, omnibus obſeſſis eò converſis, ſummiſſo Vilhelmo Barberio Gallo cum Petarda ad meridianam portam, eam aperuit, intromiſſoque milite, inopinatos propugnatores oppreſſit, ac Civitatem cepit.

Parnaviam à Suecis capit Chodkievicius.

In Moſchovia poſt cæſum Demetrium Ducem, plureſque Polonos eadem fraude circumventos, ac ſublatos, & Sponſam Demetrii una cum Palatino Sendomirienſi Patre, Legatiſque Regiis a novo Duce Baſilio Suyski in captivitate detentos, attigeramus rumorem percrebuiſſe, quod ab illa cæde licet ſaucius vivus tamen evaſerit Demetrius. Cui rumori apud credulos, fidem mox conciliavit è latibulis prodiens Demetrius ſive ille idem, ſive quis alius nomine ejus aſſumpto: ferebatur fuiſſe Hawrilo Wierowkini Boiari Starodubenſis, ſeu Hrysko Otropiei Galicenſis filius. Sed quiſquis ille fuerit, tanta induſtria ſimulatorem geſſit, ut etiam familiarioribus Demetrii cæſi ſecretiorum conſciis non paucis impoſuerit. Polonis autem ſe eſſe verum Demetrium tanto facilius perſuaſit, quod iſti motibus Civilibus domi compoſitis, agmina militaria ſtipendia mereri, iiſque ſolis vivere adſueta, non haberent quo educerent, & injuriam circa illam cædem Demetrii genti ſuæ illatam vindicandam cuperent. Vt primum itaque Demetrius iſte novus apud Starodubenſes & Putiwlenſes apparuerat, certatim ad eum ex Polonia & Lithuania numeroſæ militarium turmæ confluebant, cum quibus ille ad finem proxime anni elapſi, Milleſimi, Sexcenteſimi ſeptimi, apud Kozielsko octo millia Moſchorum Suyſcianorum profligavit, Præfectumque eorum Matthiam Miſinowi cepit, eoque progreſſu felici, ſtatim omnes Civitates Severiæ in ſuum obſequium traxit.

Demetrium ad novum concurrunt Poloni.

Moſchi profligantur à Polonis cum Demetrio novo venientibus.

Initio autem iſtius anni Milleſimi, Sexcenteſimi octavi, Dux Roman Rozynski majores copias ex Polonia cum Martino Walawski ſuo vicario ad eum miſerat: nec multo poſt Dux Adam Wiśniowiecki, Samuël Tyskiewicz, Charlinski, Mieleſzko, & demum ipſemet Dux Roman Rozynski cum frequenti armatorum comitatu adfuerunt. Coſacorum quoque Zaporoſcianorum & Dunenſium octo circiter advenerant eò millia, ut jam validus ex omnibus iſtis ſimul junctis conſtaret exercitus, in quo ſumma imperii militaris delata fuit Duci Rozynski omnium conſenſu; & pænè ſeditione, ac reditu in Poloniam comminato, niſi proſcriberetur Miechowiczki, eò quòd ex iſtius conſilio Demetrius parum fideret Rozinio, eumque levius eouſque tractaſſet. Suiſcius quoque novus Moſchoviæ Dux, excitus tanto æmuli ſui incremento, Delectum in omnibus Moſchoviæ Provinciis indixerat, ex quo centum ſeptuaginta millium tumultuariam magis quam bello utilem turbam congregatam cum germano fratre ſuo Demetrio Suiski obviam hoſti expedivit, & decima die menſis Maii apud *Bolchow* Oppidum utrinque exercitus illi congreſſi, primum leviter velitando æquali Marte certarunt: ſed inſequenti die prælio commiſſo, poſt brevem pugnam Moſchi magis territi conſpectu ſubſequentium curruum, & Caſtrenſis Comitatus Polonici, in quo lixæ & calones maximo numero vexillis extenſis ſpeciem novi adventantis exercitus præferebant, loco cedere, majorique impetu æquitatu Polonico irruente Ordinibus turbari cœperunt, moxque accepta clade magna diſſipati, caſtra cum machinis bellicis, impedimentiſque omnibus prædæ victorum reliquerunt. Quinque millia Moſchorum qui ex illo conflictu Bolchoviam confugerant, quarto poſt die oppido tradito, in nomen Demetrii jurarunt, ejuſque Caſtris ſe adjunxerunt: Caluga quoque & ſingula obvia Oppida progredienti obſequium deferebant: Moſaiſcum vi ad deditionem fuit coactum. Vnde nihil quod amplius ſibi obſiſteret

Rozynski Dux exercitus Demetrii renunciatur.

Moſchoviæ Ducis Suiſcii expeditio contra Demetrium.

Moſchorum clades apud Bolchow.

Demetrio deditionem faciunt oppida multa Moſchoviæ.

repe-

A.C. 1608. reperiens Demetrius, magnis itineribus inde recta ad ſedem imperii illius Moſchua contendit, ſpe plenus quod Moſchi poſt Bolchovianam cladem conſternati, facilè Suiſsio relicto, in ejus partes tranſirent. Et ſucceſſiſſet hoc omnino, niſi illa quinque millia Moſchorum à Bolchovienſi deditione ipſum ſequuta, mutata fide Moſchuam transfugientes, infirmiores quam ferebat opinio vires Polonorum fuiſſe divulgaſſent. Ex quo Moſchi animis confirmati, Suiſcio adhærere maluerunt, Poloniſque diutius, quodnam in proſequenda victoria tenere deberent

Moſchi cum Suiſcio Duce vires reparant.

conſilium, fluctuantibus, & inſtabilibus caſtris circum Moſchuam oberrantibus, tempus habuerunt inſtaurandi exercitum, cum quo itinera Severiam verſus intercluſerant, Polonis ultra Moſchuam progreſſis, ut nullus ex Polonia ad illos pateret aditus, & plurimi ad eos ex Polonia commeantes, rei ignari interciperentur.

Demetrius cum Polonis Moſchuam obſidet.

Donec ipſi comperto ſuo errore, verſus partem Auſtralem ad aditum Vrbis Moſchuæ ex Severia caſtra ſua reduxerunt, & cæſis Moſchicis copiis, quæ ipſis tranſitum apud viam Tuerenſem inſederant, in loco Tuſin, confluentia fluvii Moſchæ & Tuſini cincto, ſtationem ſibi tutam firmarunt, indeque excurſionibus crebris Moſchos intra mœnia Civitatis compulerunt.

Menſe verò Iulio à Legatis Regiis & Palatino Sendomirienſi, apud Suiſcium à cæde Demetrii detentis, Petrus Borkowski miſſus ad ipſos in caſtra,

Legati Regis Poloniæ conantur Polonos à Demetrio avocare fruſtra.

tractavit ut in Poloniam redirent, nec interrumperent compoſitionem pacis generalem, quam jam Legati iſti conſtituiſſent: ſed nihil obtinuit. Et interim Dux Rozynski præveniendum ratus Moſchorum conſilium, quorum ſeptuaginta armatorum millia cum Duce Baſilio Kniaſio Maſalski ad rivum Chodinka conſtiterant, ut quæſita opportunitate Polonos oppugnarent, ſummo ſilentio

Demetrianorum Polonorum cum Moſchis conflictus apud Chodinka.

exercitum nocte è caſtris eduxit, & inſtructis Ordinibus, hoſtilia illa caſtra una leuca Moſchica inde diſſita in aurora invaſit, editaque ingenti ſtrage, totum illum exercitum diſſipavit; Ducemque ipſum Maſalski, & caſtra cum triginta machinis bellicis cepit, cæſorum numerus erat 14000, inter quos plurimi nobiliores & patricii. Nec Polonis incruenta illa victoria ceſſit, nam dum in caſtris hoſtium diripiendis occupati, multi ex eis ordines deſeruiſſent, recol-

Moſchi ex fuga recollecti Polonos cædunt.

lecti Moſchi ex fuga, & plures ex Vrbe Moſchua excurrentes, prælium inſtaurarunt, illudque à ſummo mane ultra meridiem protraxerunt, in quo cæſi plures ex Polonis partam victoram pænè amiſerant, niſi ad extremum pro ſalute magis (cui fuga nulla profuiſſet) ferocius pugnantes, ingruentem ho-

Demetrii exercitus augetur.

ſtium multitudinem repreſſiſſent. Ac ab illa victoria plures Provinciæ ad Demetrium acceſſerunt. In dies quoque majores ex Polonia quoque ad ipſum conveniebant: Alexander Zborowski legionem mille quingentorum equitum,

Legati Regis Poloniæ dimittuntur à Suiſcio Duce Moſchorum.

alteram non minorem Sapiha, Andreas Mlocki, Wilamowski, Bobowski, ſinguli numeroſas veteranorum cohortes adduxerant; ut exinde Moſchi deſperarent viribus ſuis profligatis, tam fortem adverſarium poſſe debellari. Nova itaque inierant conſilia, & pacti cum Legatis Regiis, ac cum Palatino Sendomirienſi, quod reverſi in Poloniam efficerent, ut mandatis Regiis exercitus

Demetriani Poloni Legatos Regios à Moſchis dimiſſos intercipiunt.

ille revocaretur, & cogeretur ex Moſchovia exire, eos una cum Marina Sponſa cæſi Demetrii dimiſerunt. Sed Demetriani cauſæ ſui Demetrii meliora inde adminicula comparaturi, miſſo Alexandro Zborowski cum duobus equitum millibus, eos omnes à Moſchua Vrbe ad quinquaginta milliaria, nempe Bialam uſque progreſſos, ex itinere ad caſtra ſua retraxerunt, voti ab initio non ſatis compotes,

Demetrii cæſi ſponſa cum ſuo patre Demetrium novum non agnoſcunt.

cum Sponſa & Pater Sponſæ, omneſque illi Demetrium hunc longè diverſum eſſe à cæſo Demetrio verò affirmarent, & Kniaſius Maſalski in prælio Chodinenſi captus, clàm profugiens Moſchuam, tota reductæ Sponſæ, & dubiorum ipſi oppoſitorum ſerie Moſchis narrata, nutantes ipſorum animos in fide Suiſcii

con-

A.C. 1608.

confirmavit. Tamen poſt varios utrimque tractatus, & Sponſa & Sponſæ Pater (ne in Patriam inglorii redirent) ſimulare cum aliis maluerunt, & poſt dies decem Sponſa quæ interim cum Patre ſeparatam ſtationem habuerat, ad ſtationem & cohabitionem Demetrii tranſivit. Eique etiam Pater Palatinus cum filio ſuo Staniſlao adhæſit, data Legato Regio Nicolao Oleſnicki Caſtellano Malogoſtenſi poteſtate, ut in Poloniam rediret, cum & ejus Collega Alexander Corvinus Gaſiowski jam à Biała priuſquam à Zborovio interciperetur diverſo itinere in Lithuaniam abiiſſet. Atque ita Demetriani fabulam quam inchoarant veriſimiliori ſpecie inſtructam, majori applauſu continuarunt. Caſtra ſua ad longiorem uſum & hyemis imminentis incommoda munierunt, excitatis in eis Duci Demetrio, & plurimis aliis ædificiis, ut civitatem amplam præferrent. Provinciæ quoque Moſchoviæ omnes, præter Nowogrodek majus & Smoleſcum ad eos tranſierant, & commeatum ipſis copioſum tota hyeme ſuppeditarunt. Nec aliud præſidii ſuperfuerat Moſchis Suyſcianis, niſi ut à Rege Sueciæ tunc Carolo implorarent auxilia, quæ valida cum Duce ſtrenuo Ponto della Gardia cum recepiſſent, eorum opera Demetrianos tota ſubſequenti ætate diſtinuerunt. Provinciæ quoque non paucæ gravioribus tributis ac injuriis exacerbatæ, à Polonis paulo poſt defecerant, & diſcordiæ mutuæ eoſdem non parum turbarunt, pæne quadam fatali vi (veluti impoſturam Demetrii iſtius deteſtaretur) fortunæ ipſius cum jam jam ad culmen perveniret, obicem opponente.

Demetrii caſi ſponſa novo Demetrio copulatur.

Demetrio novo Provintia Moſcha tributa dant.

Moſchi ex Suecia auxilia advocant.

Moſchi à Polonis vexati tributis deficiunt.

In Polonia autem nonnulli Senatores ſuadebant Regi, ut ipſe imperium Moſchorum tunc ita diſtractum invaderet, quo honeſtiori occaſione parta gloria, præteriti belli Civilis Polonici macula aboleretur, & Provinciæ Poloniæ reliquis inſolentium turmis, quæ paſſim adhuc agricolarum & mercatorum commeantium facultatibus inſidiantes vagabantur, purgari atque liberari potuiſſent. Et licet maturiores pacta induciarum cum Moſchis dudum ſtabilita, quorum tempus nondum præterierat, violari non debere, judicarent; tamen vicit eorum ſententia qui cenſebant, pactorum illorum vinculum in diverſa diviſis Moſchorum populis ſervire non poſſe, ſed ad Demetrium qui magna parte Imperii Moſchici jam potiretur referri debere, cumque Rex ipſi ſuffragaturus duceret exercitus in Moſchoviam, eum potius conſervationem pactorum adjuturum, quam eis contraventurum. Cum vero niſi Comitiis generalibus celebratis, & reliquis Rokoſſianis difficultatibus in eis ſublatis, Rex eam expeditionem ſuſcipere non poſſet, ad annum proximum fuit dilata, ut ſuo loco dicetur.

Sigiſmundus III Rex invitatur ad invadendam Moſchoviam.

Diſcordiæ inter Rudolphum Imperatorem & fratrem ejus Matthiam Archiducem hoc anno ſunt exortæ à tali principio: Vngariæ & Auſtriæ utriuſque Ordines, ſive ita inſtructi, ſive etiam pertæſi, quod ad Imperatorem ſolitarium difficilis ipſis pateret pro expediendis negotiis ſuis acceſſus, tumultuari, & de conſtituendo ſibi Rege murmurare cœperant. Itaque cum Matthias Archidux coactis Poſonii Generalibus Comitiis, quibus Auſtriæ quoque utriuſque Legati interfuerunt, ea quæ pacem illarum Provinciarum concernerent tractanda nomine Imperatoris propoſuiſſet, præcipuè ut pacificatio nuper Viennæ cum Legatis Botſcaii inita approbaretur, ac ab omnibus Ordinibus Vngariæ & Auſtriæ obſervaretur, eo quod in ea potiſſimum tranquillitas gentis illius conſiſteret, iſtis ex voto expeditis, in colloquiis eorundem Comitiorum introducebantur à diverſis quærelæ contra miniſtros Imperatoris Aulæ, à quibus nunquam tempeſtivè negotia gentis iſtius curarentur; Alii conſiderandum ſuadebant, quam melius ſaluti earum Provinciarum conſultum eſſet, ſi Principem haberent, qui præſens neceſſitates eorum cognoſceret, ac ingruentibus undecunque periculis prævidendis intentus, maturè ſubveniret. Nec multa cunctatione conſenſerunt illi populi omnes, ut Matthiam

Rudolphi II Imperatoris diſcordia initia & Matthia Archiduce.

 ſibi

A.C. 1608. *Matthias Archidux Vngariæ Rex renunciatur.*

ſibi Regem & Principem eligerent, conjunctaque manu Vngari cum Auſtriacis mutuo ſeſe fœdere obligarunt, ut nonniſi ipſius imperio parerent. Quod moleſtius accipiens Rudolphus Imperator, (nimirum ſe viventem exauthorari & à fratre ſupplantari) cum nil ſimulato dolore, illam omnem Poſonienſis Conventus ſabricationem irritam facere niteretur, Matthias milite mox magno numero conſcripto, cauſam ſuam armis, tueri volebat. Rudolphus quoque tanto majori inde indignatione & ſuſpicione concepta. dilectus militares in Provinciis fieri, arceſque muniri juſſit: & apertè claſſicum jam utrinq; canebatur, ut fraterna illa odia nonniſi gravi bello conciliari poſſe viderentur. Statim tamen ſummus Pontifex medium ſe interpoſuit, & unà Electores Imperii, quorum opera mitigatus Imperator, jus Regni Vngariæ Matthiæ conceſſit, utque ad illud inauguraretur, coronam & inſignia regalia Vngarica, quæ apud ſe Pragæ tenebat, cum Cardinali Dietrichſteino, Poſonium ad diem inaugurationi novi Regis præſtitutum miſit. Adminiſtrationem quoque Auſtriæ utriuſque ipſi conceſſit, Tirolenſi Comitatu ſibi reſervato. Atque tali cinere operta tunc fuit illa fratrum diſcordia, quæ in brevi poſt gravius exarſit, ut ſubſequentia docebunt. Interim Rudolphus Comitia Ordinum Germaniæ celebravit Ratisbonæ, in quibus loco ipſius Ferdinandus Græcienſis Archidux præſidebat. In Belgio, poſtquam à Rege Hiſpaniarum ſecuritas de rata habenda pace quæ ibi tractaretur allata fuit, licet in aliquibus punctis non ſatisfaceret Hollandis, tamen iſti conſenſerunt, ut tractatio hujuſmodi inſtitueretur, atque ad eam Regis Galliæ, Angliæ, Daniæ (ſine quorum arbitrio nihil ſe velle agere profitebantur) Legatos accerſierunt. Menſe itaque Februario Ambroſius Spinola cum aliis ab Alberto Archiduce deputatis Hagam Comitis tranſierat, à Mauririo, Guilhelmo, Henrico Naſſoviis, obviam cum ſplendido Equitatu venientibus humaniſſimè ibi exceptus. Sed inſtituto colloquio, cum pacis conditiones examinarentur, plura in eis impedimenta hinc inde ſunt deprehenſa; & maximum navigationis indicæ, quam Rex Hiſpaniæ prohibitam eſſe Hollandis volebat. Nec minores difficultates opponebantur de religione, & commerciis mutuo in Europa exercendis: Tamen ſcripto concepta in iſtis dubiis moderatio tranſmiſſa fuit cum Ioanne Naio, ad Regem Hiſpaniarum, ſi eam probaret: & expectatus ille (protogatis de menſe in menſem induciis) demum menſe Iulio rediit; non tamen attulit confirmationem Regis qualem Hollandi deſiderabant. Vnde magis fluctuari, & diffidere iſti de Regis animo, & etiam ea, quæ jam in fidem ab Archiduce interpoſitam concluſerant, ambigua habere cœperunt; quo pacis firmæ concluſione prorſus deſperata, cum Spinola ſaltem longarum induciarum tractationem inſtitui curaſſet, ea quoq; abrupta rebus infectis cum ſuis Collegis menſe Octobre Bruxellas rediit. Legati Regum nihilominus colloquia de hujuſmodi induciis longioribus continuarunt, præſertim Ioanninus ſupremi conſilii in Gallia præſes illius Regis Legatus, qui magis intermedias partes agens, Archiducemque identidem conveniens difficiliora impedimenta ſuperaverat, & eis ſublatis reaſſumpta tractatio tandem anno inſequenti finem optatum ſuit ſortita, ut illo loco attingemus.

Concordia inter Rudolphum Imperatorem & Matthiam Archiducem tractatur.

Haga Comitis pax inter Hiſpanos & Hollandos tractatur.

Angliæ Rex Hibernos ad obſequium ſuum reducit.

In Anglia Rex rebellionem dudum in Hibernia graſſantem hoc anno extirpavit; Tironius Comes eam excitaverat, & per multos annos ſtrenuè promoverat: ſed miniſtris Regiis majori cura invigilantibus, in anguſtias redactus, fuga in Galliam & inde Romam evaſit, ſalutique ſuæ conſuluit. Reliquiæ quoque illius rebellionis, cum iterum attollerent caput, à Regiis copiis depreſſæ, in Provincia illa tota conquieverunt. Nec armis ſolum, ſed & ſcriptis Rex Angliæ illas conjurationes & defectiones perſequebatur.

Legem tulerat tali verborum tenore ut jurarent cuncti: *Se vere & ſincerè agnoſcere, profiteri, teſtificari declarare ex animi ſententia coram Deo & hominibus Iacobum*

cobum Regem ſupremum omnium Regnorum & ditionum quæ poſſidet Dominum, nec Pontificem, nec per ſe, nec ullius auctoritatis Eccleſiaſticæ vi, vel Sedis Romanæ vel ulla alia ratione, poteſtatem aut auctoritatem habere Regem deponendi, vel de Majeſtatis ſuæ regnis ac ditionibus diſponendi, aut poteſtatem cuiquam Principi extraneo faciendi, ut eum damno afficiat, aut ditiones invadat, aut ullos ſubditorum ſuorum à Majeſtatis ſuæ obedientia & ſubjectione exonerandi, aut licentia conceſſa ad arma contra ipſum capienda, tumultus excitandos, & ſtatum publicum conturbandum. Iurare item ex animo non obſtante ulla declaratione, vel excommunicationis, aut privationis bonorum ſententia jam conceſſa, vel in poſterum concedenda per Pontificem ejuſque ſucceſſores, vel quamcumque auctoritatem ab iis vel à ſancta Sede derivatam contra Regem hæredeſque ſuos, vel quamcumque ſubditorum ab illius & hæredum obedientia abſolutionem, ſe fidem & veram obedientiam ſuæ Majeſtati & hæredibus & ſucceſſoribus præſtituros, ipſumque & illos totis ſuis viribus contra omnes conſpirationes & invaſiones quæ prætextu alicujus declarationis vel ſententiæ fient, defenſuros, & operam daturos, ut eorum notitia ad ſe undecunque pervenerit, eas protinus revelent, & manifeſtas faciant; Inſuper jurare quod ex toto corde abhorrent, deteſtantur, & abjurant hanc impiam & hæreticam doctrinam, Principes à Papa excommunicatos & ditionibus privatos per ſuos ſubditos & alios quoſcunque poſſe deponi & occidi. Ad ultimum credere, & teſte, & conſcientia perſuaſum habere, neque Papam, neque alium quemcunque poteſtatem habere ab hoc juramento aut aliqua ejus parte ſubditos ſuæ Majeſtatis abſolvendi. Proinde ad illud jurandum ſponte accedere, omnibuſque indulgentiis ac diſpenſationibus in contrarium factis renuntiare, & juxta verba expreſſa, & planum eorum ac communem ſenſum, citra illam æquivocationem aut mentis evaſionem, vel ſecretam quamcunque reſervationem, ex animo & ultro in vera viri Chriſtiani fide jurare, ſic me Deus adjuvet, &c.

Angliæ Regis juramentum.

Quod juramentum licet Rex ille ad civilem tantum obedientiam pertinere affirmaret, tamen cum aperte poteſtatis Sedis Apoſtolicæ Romanæ repudiationem contineret, improbabatur à Catholicis. Vnde contra Georgium Blacuellum Presbyterum in Anglia Catholicorum, qui illud poſſe ſuſtineri dicebat, & jurarar, Cardinalis Bellarminus & Franciſcus Suares aperiendo ejus graves errores ſcripſerat, & ille quoque Rex à gladio ad ſtylum converſus, ipſemet confecit libellum cum titulo, *Triplici nodo triplex cuneus*, ſeu *Apologia pro juramento fidelitatis*; illumque ad omnes Principes Chriſtianos miſit, quaſi eorum cauſa ageretur, cum defenderetur ipſorum poreſtas Civilis, ut vulgo dicitur *In temporalibus*; ſed ubique exploſus fuit ille libellus, & provocavit Card, Bellarminum, ut iterum ſub nomine Matthæi Torti, & demum nomine proprio cum titulo *Apologiæ* contra illum reſponderit, ut extant iſta typis impreſſa. Tamen hucuſque Catholici Angli de iſto juramento quoad Civilem obedientiam invicem diſſident, & plerique pertæſi vexationum, Blacuellum ſequuntur.

Bellarminus Cardinalis refutat ſcripta Angliæ Regis.

In Italia hoc anno Paulus Papa V, Franciſcam Pontianam Romanam Viduam vitæ innocentia & miraculis claram, in Sanctorum numerum retulit, die 29 Maii hujus anni, ſolennia illa rituum Sacrorum populo Romano applauſu, & magnifico apparatu celebrante. Nec multò ante venerat Romam ad Pontificem Legatus Regis Gongi ex Iaponibus ætatis annorum pluſquam ducentorum, ſed ex incommodis longioris itineris, in quo unum annum ferè conſumpſerat, ſeu ex intemperie aëris inſolita naturæ ſuæ, in morbum incidit, & priuſquam ſalutaſſet Pontificem obiit, cujus funus pompa celebri elatum, in Baſilica S. Mariæ Majoris fuit depoſitum.

Franciſca Pontiana refertur in Sanctorum numerum.

Iaponum Regis Legatus venit Romam.

Menſe autem Octobre ipſo die feſto S. Lucæ Ferdinandus Magnus Dux Hetruriæ celebravit Florentiæ feſtivitatem nuptiarum filii ſui Coſmi cum Magdalena filia Caroli Archiducis Auſtriæ Græcienſis, ſorore Ferdinandi ac Maximiliani, qui eam

Florentiæ Dux nubit Magdalena Auſtriaca.

A.C. 1609. Florentia Ducis nuptiarum celebritas.

eam conducebat Flotentiam & præter Archiducem adetant ſeptem Cardinales in illis nuptiis, cum inſignioribus quibuſque Romanis, aliiſque Italicis nobilibus. Nec defuit illi pompæ magnificentia apparatus, magis ſpeciem luxutiantis Italiæ repræſentans.

Annus Chriſti, 1609.

NOn multum autem illis nuptiis Ferdinandus Dux ſupervixit: ſed quaſi per eas ttadito in filii manus imperio, ipſe ineunte hoc anno Milleſimo, Sexcenteſimo Nono, è vivis exceſſit. Princeps animo excelſo, & omnibus polyticis artibus in tantum inſtructus, ut in multis ſæculis vis æqualem habuetit. Et ille maxime Principatum Hetruriæ pro familiæ ſuæ ſucceſſione ſecuta ſtabilivit. Eo præcipuè, quod cum ex pactis Caroli V Imperatoris omnia præſidia locorum munitiorum Hetruriæ nonniſi ex Hiſpanis genere conſtare debetent, hoc ſubjectionis jugum eouſque à Medicis toleratum; primus iſte Ferdinandus feliciter excuſſit, ſenſim ſuffectis in locum ſingulorum Hiſpanotum decedentium Italis,aſtuque caute celato, donec Hiſpani omnes ſe inde excluſos fuiſſe mitarentur.Commoverat ea res gravius Hiſpaniæ Regem, qui ſeverius illud jus ſuum vindicaturus videbatur, ſed Philippum II tunc ſenio deficientem, ac ad omnia languėntem, Dux Ferdinandus miſſo Philippo Guicciardino Legato, variis oppoſitis excuſationibus diſtinuit,& mora longiori mitigato Hiſpanorum conſiliariorum fervore, Iuvenem quoq; Philippum III Regem facile placavit. Ac demum iſta nova affinitate cum Auſtriacis,omnem illam offenſam abolevit.Maritima tamen Tuſcæ oræ propugnacula, ut Herculis pottum. ac Orbitellum hucuſque Hiſpani tenent,ſolo Livorno in poteſtate Ducis relicto,quod idem Ferdinandus portu commodiori ibi conſtructo,aggetibus, operiſq; in mare productis munito,& Civitate ibi inſigniori fundata nobilitavit,claſſeq; valida(pactis cum Hiſpanis prohibetur, ne plures quam quinq; triremes atmatas emittat in mare)comparata, ac ibidem collocata,in mati Tyrrheno pyratarum audaciam compreſſit, & littora Africana continuis excurſionibus divexans, Turcas ea parte in perpetuo metu continuit.Quinimmo & remotiora Turcici Imperii loca,Claſſis hæc Livornea ſæpius expugnavit, & proxime ante Ducis iſtius mortem ad Cyprum Inſulam progreſſa,Famam Auguſtam ejus inſulæ caput pænè cepiſſet,nî detectis maturius quæ præparatæ ad hoc fuerant, inſidiis, Turcæ ſecuritati ſuæ præcaviſſent. Iuſtis autem perſolutis Duci Ferdinando, Ordines omnes Hetruriæ jusjurandum fidelitatis reddiderunt filio ejus Coſmo annorum viginti, & tali oneri non ſatis maturo; unde ſumma regiminis penes matrem ejus Lotaringam multis annis permanſit.

Ferdinandus Florentiæ Dux moritur.

Hiſpanica præſidia ex locis Ducum Florentiæ excluſa.

Livornum à Ferdinando Florentiæ Duce munitum.

Coſmo novo Duci ſuo Florentini jurant fidelitatem.

Nec aliud ſingularius hoc anno in Italia accidit, præter Legationem à Rege Perſarum Xanabas, cum qua Roma Aligoliſek Mordar venerat & in publico concurſu populi, per portam Populi à curialibus Pontificiis multo Romanorum equitatu præeunte introductus, Regio ſplendore à Pontifice fuit tractatus. Ad hoc profuit illa Legatio, quod per eam patuit tanto liberiot tranſitus in Perſidem Religioſis diverſis, qui eo ad diſſeminandam fidem Catholicam, à Pontifice Romano iterum cum hoc Legato fuerunt deſtinati.

Perſarum Legatus Romam venit.

In Belgio hoc anno tandem per multos labores emollitis Martialibus animis pax deſiderata coaluit ad annos duodecim, Antverpiæ die decimaquarta Aprilis è ſublimi Senatorii palatii pergula publicata per Secretarium civitatis Henricum Moy, aſſiſtentibus ipſi delegatis partium. Triginta octo articulis illa fuit comprehenſa,& typis divulgata,cum conditione quod eam ratam habiturus eſſet Rex Hiſpaniæ, confirmatetq; intra tres menſes, uti Albertus Archidux ſe procuraturum ſubmi-

Hiſpani cum Hollandis pacem faciunt ad annos 12.

A.C. 1609.

Pacis inter Hiſpanos & Hollandos conditiones.

ſubmiſerat, & obtinuerat. Summa autem conditionum pacis ea fuit, quod Rex Hiſpaniarum & Archidux Ordines Hollandiæ eſſe Rempublicam liberam agnovit, & quod cum eis tanquam cum liberis, & in quos nullum jus haberet tractabat. De cætero ut remotis hoſtilibus ſtudiis quiſque quod eouſque poſſedit retineret, commercia utrinque in omnibus locis cujuſque partis, etiam in Indiis, dempta inſolentia pyratica, exerceri poſſent. Aliqua etiam fuerunt addita de litibus forenſibus, & perſequendis hæreditatum ac ſucceſſionem privatorum juribus. Ac magnis lætitiæ ſignis illa concluſio pacis fuit excepta, præſertim Antverpiæ toto triduo collucebant ignes, & ludi feſtivi ad hoc inſtituti viſebantur, licet in Hollandia plures è plebe, præſertim quibus tota victus ratio ex ſtipendiis militaribus conſtabat, vel qui præda pyratica vivere aſſueverant, contra eam fremerent; & omnino iſti omnem illam conſenſionem evertiſſent ni authoritas Regum Galliæ, & Britanniæ, Legatorumque ipſorum prudentia eos ad pacatiora conſilia flexiſſet. Vnde nonniſi iſtis univerſa illius conciliatæ pacis laus ceſſit. Atque ita reconditi fuerunt ad tempus enſes Belgici ſanguine civico reſperſi.

Hollandica plebs execratur pacem cum Hiſpanis.

Iuliacenſis Dux ultimus moritur.

Sed in Germania hoc anno novo bello occaſionem dedit mors Ioannis Guilhelmi Iuliæ & Cliviæ Ducis vigeſima quinta Martii Duſſeldorpii defuncti. Cum enim nullam prolem reliquiſſet, diverſi qui connubia cum ſobrinis & cognatis ejus inierant, tali cognationis jure ſucceſſionem quoq; hæreditariam in ejus Principatu ſibi vendicabant. Præſertim Elector Saxoniæ ac Marchio Brandeburgicus, & Vilhelmus Volfgangus Comes Palatinus Neoburgicus. Imperator autem Rudolphus intermedius ad fœminarum ſucceſſionem jus fiduciæ Imperialis derivari non poſſe arguens, commiſerat Archiduci Leopoldo, ut omnem illam Ducis defuncti ditionem occuparet, & promulgato edicto competitores monuit, ut coram Tribunali ſuo rationes ſucceſſionis quiſque ſuæ deduceret, & hæreditatem adire, niſi ex ſententia judicii Imperialis non auderet. Graviori itaque metu illi competitores perculſi, ne ipſis excluſis, ad Auſtriacos Imperator eam hæreditatem traheret, quærelas apud propinquos amicoſque ſuos circumferebant, & conquiſitis copiis, Iuliacum vi repetere ſtatuerant. Et tunc quidem cum Archidux Lopoldus eas Provincias occuparet, armis abſtinuerunt, ſinguli tamen hinc inde auxilia ſibi tempeſtive comparantes, totam fere Germaniam ad arma concitarant, uſque & Galliam, ubi Rex ſub iſtis rumoribus menſe Iulio magna feſtinatione numeroſum colligebat exercitum, non ſine timore vicinorum, ne in quem alium moles illa belli recumberet; ſed ſubſequentia docebunt, quem exitum res illa Iuliacenſis habuerit.

Iuliacenſis hæreditatis competitores.

Rudolphus II Imperator Iuliacenſem ditionem committit Leopoldo.

Iuliacenſes heredes arma ſibi & auxilia comparant.

Henricus VI Rex Galliæ conſcribit exercitum.

Matthias Rex Vngariæ coronatur Poſonii.

In Vngaria autem initio hujus anni Poſonii, permittente ut ſupra memoravimus Cæſare Rudolpho, Matthias Archidux ejus germanus Regnum Vngariæ ſolenni inauguratione capeſſivit, cum applauſu ſummo Vngarorum denominatus Matthias II, Rex Vngariæ, hocque nomine inſignita numiſmata aurea & argentea tunc circa illam ſolennitatem in vulgus ſpargebantur. Non tamen ibi conquieverunt fraterna odia; nam Matthias Vngariæ Regno minus contentus, mox de Boemiæ quoque & Imperii ſucceſſione ſibi caveri voluit, exorta ſuſpicione ne eam Imperator Archiduci Leopoldo quem impenſius colere videbatur, deferret: attamen manus eam litem diremit, ut ſuo loco dicemus.

Matthiæ Regis nova cauſa odiorum contra Rudolphum Imperatorem.

Sigiſmundi III Regis Poloniæ in Moſchoviam expeditio.

Attigimus autem alias, quod rerum omnium ſtatu in Moſchovia perturbato, Regi Poloniæ Sigiſmundo plures ſuadebant, ut ea occaſione uteretur, converſiſque eo militiis quæ poſt ſopitum recens domeſticum Rokoſſianum bellum otioſæ vagabantur, ad minus Smolenſcii & Ducatus Severienſis, quem olim Moſchi à Lithuania & Kijovia avulſerant, recuperationem tentaret. Sed magis domeſticorum jurgiorum Rex pertæſus, & gloriæ avidus, eam expeditionem

A.C. 1609.

Varſaviæ Comitia 1609.

ſuſcipiendam decrevit, Comitiaque Generalia Varſaviæ ad menſem Ianuarium hujus anni Ordinibus Regni indixit, in quibus reliqua civilium controverſiarum dubia componeret, & abiens in Moſchoviam, quieta omnia domi relinqueret. Quod ipſi ex voto ſucceſſit, adverſariis quoque clementiam ejus extollentibus,

Stadnicius verbis ſcripto conceptis inficiatur dicta in Regem Sigiſmundum.

quos poſt ſimplicem deprecationem in gratiam recipiebat: Staniſlao Stadnicki Lancycenſi excepto, qui priuſquam Regi reconciliaretur, publice ex ſcripto verbis conceptis negare debuit, quæ de Rege temere dixiſſe ferebatur, ut alias attigimus. Legem etiam Rex ſancivit, qua jus liberæ Electionis Regis Ordinibus Regni confirmavit, & aliam circa reſtitutionem Eſtoniæ, ac arcibus in confiniis Regni ſuo ſumptu ædificandis, tum & de claſſe maritima pro uſu Regni comparanda; & de externis ad conſilia tam publica quam privata non adhibendis, nec ad dignitates aut beneficia Regni promovendis. Aliquæ etiam leges fuerunt latæ circa privatas querelas inter Ordinem Eccleſiaſticum & Equeſtrem, & circa Ordinem judiciorum. Et officium Archicancellarii relictum à Matthia Pſtrokonski ad Epiſcopatum Vladiſlavienſem promoto, contulerat Rex Laurentio Gęmbicki Epiſcopo Culmenſi Vicecancellariatum autem poſt defunctum Staniſlaum Minski, Felici Kryski, à quo Referendariam relictam obtinuit Ioannes Swiętosláwski fovore Andreæ Bobola Cameræ Regiæ Præfecti, moleſtius ferente repulſam Staniſlao Zolkiewski militari Regni Præfecto, quod ejus ſuffragium pro Nicolao Danielowicz poſt operam in bello civili præterito tam fideliter (ajebat etiam contra conſcientiam) navatam poſthaberetur. Quievit tamen aliorum beneficiorum ſpe delinitus, & comitia pacata finierunt.

Caſimirus Sigiſmundi III Regis Poloniæ filius naſcitur die Lunæ 21 Martii 1609.

Sub eiſdem autem Comitiis Rex Sigiſmundus Duci in Pruſſia Alberto Friderico ægromente, poſtquam deceſſerat ejus curator primus Georgius Fridericus, & alius Ioachimus Fridericus Elector Brandeburgicus, aſſignarat tertium curatorem Ioannem Sigiſmundum itidem Electorem Brandeburgicum. Hoc vero peracto, Cracoviam rediit, auctus filio de Lunæ 21 Martii hujus anni nato, cui nomen Ioannis Caſimiri dedit. Et ut primum Regina ex doloribus illius partus convaluerat, Vilnam cum ea & liberis, ac toto Comitatu Aulico ivit, eoque copias omnes convenire juſſit. Menſe vero Auguſto luſtrato apud Orſam exercitu, qui ſex millibus haſtatorum, & decem octo levioris armaturæ equitum millibus, quinque vero millibus peditum conſtabat, adverſi littora Boriſthenis legens in Moſcho-

Sigiſmundus III Rex Poloniæ in Moſchoviam tranſit.

viam proceſſit. Perſuaſerat autem ei Leo Sapiha Cancellarius Lithuaniæ, quod Smolenſcum, ut primum illi oppugnatio oſtentaretur, deditionem eſſet facturum. Vnde Rex eo recta contendens, apparatum bellicum, præſertim machinas majores ad concutienda mœnia idoneas, conduci non fecerat. Sed ut Menſe Sep-

Smolenſcum deditionem facere recuſat, & obſidetur.

tembre eo propius acceſſit, denſioribus jaculis & excurſionibus Smolenſciani præſidii exceptus, ſenſit hoſtem nonniſi hoſtilia meditari. Michaël Boriſſius Sehin Palatinus præerat illi loco cum triginta millibus armatorum ex Bojaris ejuſdem Provinciæ collectis, & præter eos in Civitate cenſebantur quadraginta millia virorum, qui arma ferre poſſent, omnes bello, præſertim munitionum defenſioni idonei, ut eſt gens Moſcha etiam plebs vilior in pugnando pro vallo & foſſa ſumme induſtria. Aderat præterea in civitate peculii caſtrenſis, & commeatus immenſa copia, quo robore fretus Sehinus, nullum colloquium de deditione à Cancellario Lithuaniæ ſæpius evocatus admittere voluit, immo eruptionibus crebris Re-

Smolenſcii mœnium ſtructura.

gios aſſidue laceſſebat. Spes tamen erat quod civitas muro quidem octo cubitis craſſo, eoque à terra quindecim cubitis ſecto lapide, ac aliis viginti in altum cubitis coctis lateribus conſtructo, propugnaculiſque opportune circum diſpoſitis cincta, ſed nullo vallo, nullis foſſis à foris munita, vi machinarum demolitis mœniis expugnari, vel in tanto populo quantumvis copioſa annona in brevi conſumi, deditioq;

ab

ab obſeſſis poſt paucos menſes neceſſitate extorqueri potuiſſet. Atque tali conſilio obſidio inchoata, inter varias laborum viciſſitudines prope biennium duravit. Primum autem tunc Rex, cum vidiſſet obſtinatioribus animis reſiſtere velle obſeſſos, machinas Vilna & Tikocino adduci, inſtrumentumque omne ad oppugnationem neceſſarium conquiri juſſerat, & in iſtis conducendis reliquum tempus iſtius anni effluxit. Nec aliud notabile ibi interim ſucceſſit, præter quod exercitu circo diſpoſito, omnes ad illam Civitatem tranſitus fuerunt intercluſi, Rex ipſe in aditu ab itinere Orſenſi prope ejus mœnia caſtris poſitis, eiſque ad ripas Boriſthenis ab ea parte protenſis conſtiterat, & à parte Orientali, uſque ad fluvii ejuſdem alveum Coſaci ſtationem habebant. A Septemtrione autem ultra Boriſthenem montem Pokrovii occupaverat Ioannes Potocki Palatinus Braclavienſis cum ſua legione haſtarorum, qui intra paucos dies exuſto oppido in adverſa Civitati Boriſthenis ripa uſque & aquationem obſeſſis ademerat. Applicaverat etiam Bartholomæus Nowodworski Eques Melitenſis ſtipatorum Regiorum Præfectus ad portam Michalovienſem Petardam, qua disjectis repagulis, aditum intro civitatem apetuerat. Sed cum trecentis ſolis peditibus opus aggreſſus, dum alii ad hoc deſtinati oſcitanter ſubveniunt, à concurrentibus magna vi Moſchis excluſus, re infecta retrocedere debuit: & hoſtis illo periculo præmonitus, portas omnes retro eas excitatis intra Civitatem aggeribus, operiſque ita munivit, ut amplius dolo ſimili tentari aut convelli non poſſent.

A.C. 1609.

Novodworſcius Eques Melitenſi Petardam applicat ad portam Smolenſcenſem fruſtra.

Annus Chriſti, 1610.

VLteriorem illius obſidionis poſt Oſtendanam noſtro ſæculo celebriotis progeſſum, excepit Annus Milleſimus, Sexenteſimus Decimus. Et quidem ab ea Regem ſpecioſiores occaſiones ad Moſchuam ipſam Imperii ſedem avocabant: ibi enim Moſchorum Suyſcianorũ vires quamvis auxiliis ex Suecia acceſitis fulcirentur, crebriora cum Polonis Demetrianis prælia attriverant, & iſti in ſolo alieno, neglectu tamen ſummo, ſecuritate nimia, ac propter multitudinem imperantium inſtabilibus ſemper conſiliis rem gerentes, propriamet mole in ruinam trahebantur. Iamq; in anno ſuperiore 1609. ab eis deſciverant omnes pæne Civitates majores, præter Severienſes, irritatæ tributis, quę immoderata ac intempeſtive ſeditio militaris extorto Ducis Demetrii conſenſu, in ſolutionem ſuorum ſtipendiorum colligi voluerat. Vnde tumultuantes locorum diverſorum populi, quæſtores hujuſmodi tributorum partim in vincula conjecerant. partim trucidarant: & Poloni rebellionem illam vindicaturi, in plures Provincias diſpartito exercitu, vires ſuas diſtraxerant, ut in caſtris, quæ perpetuo circa Vrbem Moſchuam hætebant, ad reprimendas excurſiones Moſchorum præſidium infirmius haberent. Ac exinde non raro iniquiorem Martem experiebantur. Eorum præcipuus Dux Rozynski in quodam conflictu ſagitta in latere dextro trajectus, longo tempore graviter decubuit, & nunquam bene convaluit. Et menſe Majo commiſſum prælium poſtquam diutius ſuſtinuiſſent, ac victores ad caſtra redirent, novis ſubſidiis aucti Moſchi eos fatigatos, & confuſis Ordinibus pugnam repetentes adorti fugarunt, capitis plurimis, & cæſis multis, præſertim peditibus, qui quadringinti obſervabant vadum torrentis Chodinká.

Moſchorum Suyſcianorum ac Polonorum Demetrianorum rerum ſtatus.

Dimiſſa quoq; duo millia Equitum cum Alexandro Zborowski obviam copiis Germanicis ex Suecia cum Ponto della Gardia ductorem Skopin Suyski advenientibus, eòdem menſe apud Torcicum feliciter unam legionem illorum profligarunt, cæſis ſexcentis Germanis; & poſtea coëuntem univerſum Moſchorum ad Ger-

Poloni apud Torcicum Moſchos profligant.

A.C. 1610. Germanos illos exercitum, ipſi quoque accerſitis ex caſtris ſuis melioribus auxiliis, apud Twerum triginta leucis à Moſchua diſtantem menſe Septembri prælio adorti, diſſiparunt. Iamque ibi debellatum fuiſſet, niſi media acies, quam ipſemet Alexander Zborowski ducebat ceſſiſſet loco: ala enim & dextra & ſiniſtra ſuperarat oppoſita ſibi hoſtium agmina, & eos quoque qui illam Zborovii aciem mediam inſequebantur excepit, & toto campo fugavit; ſed numero longe inferior, hoſtes recedentes longius inſequi, ac pedites hoſtiles qui equitatu ſuo, utrinque in pugnam effuſo immoti ſteterant, aggredi non valuit. Cæſi fuerant in illa pugna mille Germani equites ex parte Moſchorum, & ex ipſis Moſchis ſex millia, ex Polonis non pluribus quam quinquaginta deſideratis. Et hæc quidem proſpera reputabantur: ſed ut diximus, inclinante Demetrii fortuna, lætioribus iſtis adverſa mox ſuccedebant. Illa enim Zborovii media acies ex fuga ad victoriam vix quinta die revocata, ut ignominiam ſuam novo aliquo facinore edito aboleret, in eodem loco alium cum hoſte congreſſum expectandum eſſe cenſebat, cæteris ad tutiora paululum recedendum ſuadentibus, ubi majora ſubſidia expectarent, & equos acquirerent, quorum plurimos in pugna proxima amiſerant. Et ita diviſis ſtudiis dum incaute, alii in campo ibi vicino, alii in ipſo oppido Twer degunt, à Moſchis in aurora ex inopinato irruentibus pœne fuerunt oppreſſi, niſi celeri fuga (cum ex ſomno ad pugnam in tanta perturbatione concurrere, ordineſque inſtruere non poſſent) alii per campeſtria ad caſtra ad Moſchuam, alii in arcem Twer præſidio Koſacorum munitam elapſi ſalutem ſervaſſent, impedimentis omnibus & majori parte equis amiſſis. Inſuper illos qui in arcem Twer confugerant, Moſchi diutius oppugnarunt: ſed tertio cum maxima ſua ſtrage rejecti, veriti adventantia obſeſſis auxilia receſſerant, & inde Volgam progreſſi apud Kolaſinum iterum cum Polonis variante ſorte decertarunt. Vtrunque autem nec dum deſperata, dubia tamen jam æque Moſchorum Suyſcianorum ac Demetrianorum Polonorum fortuna, ſpem amplam Sigiſmundo Regi ſuggerebat, quod ſi relicto Smolenſco recta Moſchuam ipſam petiiſſet, inter duos illos litigantes fractos, ipſe potentior facile rerum potieretur. Alii ſuadebant ut ſi circa obſidionem Smolenſci, perſiſtendum eſſet, partes Demetrianorum Polonorum, ad quas inprimis diſtrahendas Rex propendebat, integræ relinquerentur: quin potius juvarentur ſummiſſis auxiliis, ne eis debilitatis vel ſublatis Suyſcianæ confirmatæ, & Smolenſco ſubvenirent, & Suyſcio Imperium, vel Moſchis jus eligendi ſibi Ducem ſtabilirent. Quod planè evenit, omniumque in annos plures ſubſequentium malorum cauſa fuit. Rex enim Polonos à Demetrio avocare non potuit, niſi multis præmiis & ſtipendiis ipſis conceſſis, quæ in brevi in tantum excreverant, ut in eis exolvendis militi per ſeceſſionem justo plus repetenti, Reſpublica Polona in ultimum pæne diſcrimen adducta, nullo operæ pretio diu multumque laboraverit. Demetrio quoque à Polonis relicto, omnes civitates & Provinciæ quæ eum eouſque ſequebantur, Suyſcio ſe conjunxerunt, coëunteſque hoc modo ſopitis inteſtinis diſſidiis, & quaſi bello civili reſtincto, in mutuam concordiam Moſchi, domi ſecuri externam vim unanimes felicius repreſſerunt, libertatemque eligendi Ducem ſibi ſervarunt. Licet enim, ut mox apparebit, validus Suyſcii exercitus ad ſubveniendum Smolenſco tendens profligatus, & Suyſcius ipſe cum duobus fratribus captivus in Poloniam fuiſſet abductus; Moſchi tamen qui ante pro Demetrio varie diſtrahebantur, eo amoto conjunctis mutue ſuis viribus ac ſtudiis, pro non admittendo alio Principe, niſi eo quem ipſimet elegiſſent, conſtantiſſime certarunt, & quantumvis per multas clades vicerunt. Et ut ſeriem ipſam rei geſtæ proſequamur, poſtquam ſteterat ſententia ut Poloni cum Demetrio militantes inde avocarentur, deſtinarat Rex ad illos Adamum Stádnicki Caſtel-

Poloni apud Twerum à Moſchis fugantur.

Sigiſmundus III Rex Poloniæ opportunitatem occupandi Moſcham rejicit.

Demetrianarum virium Polonis diſtractio damnoſa.

Sigiſmundus Rex mittit Legatos ad avocandos à Demetrio Polonos.

A.C. 1610.

Caſtellanum Præmiſlienſem, Chriſtopherum Zbáráski Hypparchum ſeu Comeſtabilem Regni, Ludovicum Veiher, & Martinum Kázánowski, præmiſſo eodem prænuntio Ioanne Lojoczowski Dobek; miſerant & ipſi ad Regem Nicolaum Marchocki, Vrzeſcium, Dudzinski, & Slatkowski, qui petebant ne eorum conatus pro Demetrio ſuſcepti impedirentur: ſed toto negotio ad tractatus in caſtris Demetrianis ineundos rejecto, ibi demum coram delegatis utrinque longioribus diſceptationibus certabatur. Militares enim omnes tenacius perſiſtebant circa fœdus, quod recens ad primam adventus Regis intra fines Moſchoviæ famam, de non relinquendo Demetrio jurejurando interpoſito inierant: Non pauci ad Regem dimiſſo Demetrio tranſire volebant, dummodo ſtipendia emerita apud Demetrium Rex illis ſolveret. Verum prudentiores cenſebant cum Demetrio perſeverandum, hoſtemque diſtinendum, donec Smolenſco expugnato Rex ipſe Moſchuam veniret, ita enim futurum judicabant, ut totus exercitus ille cum Civitatibus Demetrio eouſque ſubjectis, quaſi manu traditus in poteſtatem Regis veniret, qui alioquin dubiis adhuc omnium animis de Regis apud Smolenſcum progreſſibus, & voluntate Reipublicæ ad exſolvenda quæ ſtipulabantur publico nomine ſtipendia, in diverſa ſtudia diſtrahendus eſſet. Nec pauci prævidebant Demetrii damna ex diſſipato ejus exercitu; non alteri quam Moſchis Suyſcianis commodum allatura; cum obſidione Vrbis Moſchuæ tam moleſta eo ipſo liberari deberent, & non tantum Civitates & Provinciæ Demetrianæ, ſed & magna pars illius exercitus, preſertim Koſaci Dunenſes, ad eos eſſent tranſituri, ac non pauci mutuis diſſidiis interituri. Quod eventus mox probavit.

Rozynski Dux & Zborovius deſerunt Demetrium.

Poſtquam enim Delegati Regii illius exercitus Ducem Romanum Rozynski & Alexandrum Zborowski, ac præcipuos militum Tribunos variis promiſſis in partes Regis traxerunt, Demetrius, re deſperata clam cum omnibus Bojaris Moſchis qui ei adhærebant Calugam profugit: Sponſa ejus Marina Mniſzkowna in caſtris manſerat, & multum ſolicitata à Delegatis Regiis (promittebant ei uſumfructum in vita ſua Præfecturæ Samborienſis) ut ad Regem concederet, Demetrium ſequi maluit, virili habitu cum una ancillula, & paucis Dunenſibus Koſacis, primum ad oppidum Dimitrowo, deinde Calugam aſſumtis nonnullis Polonis equo vecta. Major autem deinde caſtra Demetrianorum univerſa turbaverat confuſio, dum contenderent alii ſequendum Demetrium, alii Regem, alii expectandum donec Rex ſuper ſolvendis ſibi ſtipendis certi quid reſponderet. Audiebantur paſſim querelæ acerbiores contra Ducem Rozynski, quod ipſius artificiis Demetrio in fugam compulſo, exercitus totus tantorum laborum præmiis fraudaretur, & uſque ad tumultum res proceſſit. Koſacos enim Dunenſes ex caſtris prodeuntes Rozynski, quaſi à ſeceſſione prohibiturus, inſtructa equitum ſuorum legione invaſit, in quo conflictu duo millia virorum ceciderant, parſque magna illorum Koſacorum Moſchuam ad Suyſcium, alii Calugam ad Demetrium evaſerunt, pauciores cum Zaruczki ſuo Tribuno in caſtris manſerunt. Et poſt dies paucos graviorem ſeditionem Poloni Equites excitarunt exploſis ſclopetis in Rozinium, ut periculum vitæ ægre evaſerit, ſecedenteſque extra caſtra, melior pars ipſorum cum Tyſzklevicio ad Demetrium abire decreverat. Et licet tunc maturiorum cura mitigati illi motus aliquantum conquieverint, non multo tamen poſt recrudeſcentibus jurgiis, cum non eſſet tutum hoſtem prope ad omnes occaſiones intentum inter perpetua diſſidia ſine ulla diſciplina & obſequio militari hærere, vel exclusis ſeditioſis, paucos in caſtris excubare, omnes conſpiratione facta conclamarunt diſceſſum, ac convaſatis præmiſſiſque impedimentis, initio menſis Martii anni iſtius caſtra ſua, quæ civitatem amplam ſtructuris ædificiorum repræſentabant, incenderunt: fide ſibi mutuo data, quod ſervatis ordinibus omnes ſimul

Demetrius profugit ex caſtris.

Marina uxor ad Demetrium profugit.

Demetrii Caſtra tota turbantur.

Demetriani obſidionem Moſchæ ſolvunt.

A.C. 1610. ſimul concordes Volokum uſque progrederentur; ac inde demum in diverſa quo cuique libuit ſunt diviſi. Sapiha cum ſuis Calugam ad Demetrium conceſſerat: cum Duce Rozynski & Alexandro Zborowski quatuor millia Equitum ac pauci Dunenſes Koſaci in partes Regias tranſierant. Atque ita robur illud quod Vrbem Moſchuam, & totam Moſchoviam pluſquam biennio obſeſſam, oppreſſamque tenuit, & in finem ſubjugare potuiſſet, concidit Regiorum conſilio & damno, cum hoſtem proſtratum obſidione Moſchuæ tam gravi ſoluta erigi, & bellum quod meliore compendio alieno periculo & impenſa ducere expediebat, nullo fructu in proprias cervices & ſumptus aſſumere maluerunt.

Suyſcius Dux Moſchoviæ vires reſumit. Nec dubie Moſchi Suyſciani inde primum attollere caput cœperunt: ſtatim enim ut Demetrianos poſt adventum in eorum Caſtra Delegatorum Regiorum nutare & tumultuari intellexerant, Peraſlaviam & Alexandriam (Oppida cum territoriis amplis) exturbatis inde Demetrianis præſidiis recuperarunt, Sapiham ab obſidione Troycze recedere coëgerunt, & omnes ditiones circa Volgam in poteſtatem ſuam receperunt. Obſidione autem Moſchicæ Vrbis ſoluta, tanquam poſt diuturnum carcerem libertate plena donati, viribus & animis aſſumptis, omnes Regiones Moſchicas in ſuum obſequium traxerunt. Expedierantque mox Volviovium ad perſequendum Ducem Rozynski, qui retinuerat *Wolok* oppidum, & *Oſipovi* Monaſter, opportuna loca ad ſervandos liberos tranſitus pro reditu Moſchuam, ac ipſemet ibi manſerat cum mille quingentis equitibus & quadringentis Dunenſibus Koſacis, reliquo exercitu Viaſmam uſque verſus Caſtra Regia

Rozynski Dux obiit. cum Alexandro Zborowski præmiſſo: Sed morbo gravi non multo poſt correptus ibidem obiit, & Volviovius meliorem occaſionem rei bene gerendæ nactus, Po-

Volocum Moſchi recuperant. lonis morte ejus inter ſe diviſis, Volocum nemine reſiſtente (cum & Dunenſes conſpecta tantum oppugnatione inde deceſſiſſent) recepit. Oſipovii Præſidiarii diutius ipſi reſtiterunt, & Gallos cum Tribuno Petro della Ville recens ex Suecia conductos, beneficio petardæ dejecta porta in Arcem irruentes fortiter

Poloni Oſipovii in præſidio relicti caduntur. rejecerunt. Sed penuria commeatus preſſi & ſubſidiis deſperatis, cum armata manu tranſitum per infeſta ab hoſte circumquaque itinera audacius, quam conſultius quærerent, pars cæſi, pars vivi ab hoſte capti, ex mille quingentis vix trecenti ſalvi evaſerunt. Atque ita Moſchi Suyſciani illis expulſis omnem regionem

Moſchi in auxilium Smolenſco veniunt. uſque ad Smolenſciana territoria, ubi Regia Caſtra ſtabant, obtinuerunt. Et majora aggreſſi contempto Demetrio circa Calugam cum paucis Sapihanis deſidente, collectum triginta millium exercitum, una cum Gallis mille & Germanis cum Ponto della Gardia, ac recens cum Eduardo Horn ex Suecia conductis ſex cir-

Cluſinenſe prælium Polonorum cum Moſchis. citer millibus ad ſuccurrendum Smolenſco duxerunt. Dies fuit Dominicus menſis Iulii octavus, quo Staniſlaus Zolkiewski Dux exercitus Regni cum parte copiarum ex Caſtris Regiis Smolenſcianis educta, iſtos prope Cluſinum oppidum primo diluculo aſſecutus, memorabili prælio ſuperavit, cum ipſe non plus quam octo millia pugnatorum haberet: peditatum enim omnem cum Koſacis reliquerat circa Czarowe Zamieſcie ad intercludendum ibi Volviovium cum octo millibus veteranorum Suyſcianorum præcedentem. Non incruenta tamen illa victoria Polonis ceſſit: nam primo ab haſtatorum congreſſu profligata ala ſiniſtra Moſchorum, quibus Demetrius Suyski frater Ducis cum ſummo imperio præerat, in dextra ala contra Germanicas legiones gravius laborarunt, maxime quod iſtæ conſtiterant circa ſepes quaſdam querinas, quas dum illi perfringere conantur, Germani uſque tertio onerandi & explodendi ſclopetos ſuos tempus habuerunt, & plurimos ex adverſo irruentes confecerunt: donec equorum impetu & plurimorum morte aperta via, ac à latere ſubvenientes aliæ cohortes eodem illatæ, hoſtilem equitatum cædibus permiſcentes, in

fugam

Digitized by Google

A.C.1610.

fugam compulerunt, quam ipſemet quoque Pontus della Gardia ad tres leucas continuavit. Sed Poloni ab inſequendo illo equitatu revocati, ut peditatum Germanicum ex pugna ad ſua caſtra ſubductum oppugnarent, dum acie inſtaurata ad confligendum procurrunt, Germani primum ſinguli, tum bini, terni-que ad eos tranſibant, & demum omnes ſublatis pileis tractati deditionem petierunt, obſidibuſque datis ex parte Polonorum Adamo Zolkiewski agnato Ducis exercitus, & Petro Borkowski, nec quicquam Ponto ex fuga reverſo obnitente, deditio fuit concluſa.

Germani auxiliares Moſchorum vincuntur à Polonis.

Germani auxiliares Moſchorum deditionem faciunt.

In Moſchos autem qui diſperſi iterum confidentes illo peditatu Germanico recolligebantur, effuſa tota acies, magnam ſtragem edidit fugientibus ad veſpaſam uſque inſiſtens. Caſtra quoque & tormenta bellica, ac impedimenta Moſchorum omnia prædæ victorum ceſſerunt. Periit in ea pugna Stanislaus Bac Lanckoronski Tribunus Equitum veteranus, Andreas Borkowski affinis meus, & plurimi minoris nominis fortiores. Apud Czárowe Zamieśćie occubuerat Martinus Vehier, dum avidius inſequeretur Voluiovianos, qui etiam poſt conflictum Cluſinenſem deditionem fecerunt. Zolkievius autem victoriam proſequens, nil moratus Moſchuam verſus contendit: quo interim Sapihani quoque cum ſuo Demetrio, cæſis Tattaris apud Troycza quos ipſis Suyſcius oppoſuerat, & præſidio Suyſciano decem millium circa Borowsko appreſſo, via Colomnenſi pervenerant.

Zolkievius à pugna Cluſinenſi Moſchuam petit.

Vnde Moſchi poſt cladem Cluſinenſem aſſurgente inſuper etiam obſidione Demetriana, qua jam perfuncti fuiſſe videbantur, cum & auxilia Germanorum à foris accerſita à ſe defeciſſent, & domi nulla facultas reparandi vires ſupereſſet, in extremas redacti anguſtias tale conſilium ſunt commenti.

Demetriani iterum Moſchos profligant.

Baſilio Suyski Duci ſuo exoſo, jam apud populum ob infelices ſucceſſus, Imperium abrogarunt: nempe ut poſt eum amotum ſpe Polonis injecta de eligendo in Ducem Moſchoviæ Principe Polono, eorundem opera Demetrium hæreditario ſucceſſionis titulo illum Principatum ambientem tollerent, & jus liberæ Electionis Ducis ſibi inſtruarent in perſona Poloni Principis, quem deinde metu præſenti liberati, & viribus aliquando confirmati, cauſis & artibus jam tunc præmeditatis, hoc gradu excluderent, ac demum pro arbitrio Ducem ſanguinis & moris ſui nativi ſibi eligerent.

Suyſcio Moſchi abrogant Imperium.

Quod ipſis ex voto ſucceſſit, cum Polonis nimium credulis, & ad futura incautis, quo ſuo vitio iſti jam ante Demetrianas partes debilitarant, & tunc errorem errori cumularunt. Nam Præfectus Polonici exercitus Stanislaus Zolkiewski, ſtatim ut Moſchi Principem Vladiſlaum pro Duce Moſchoviæ recipere promiſerant, ſubſidia ipſis contra Demetrium miſit, & ipſemet cum toto exercitu propere ſubſequens, à parte Occidentali Moſaiſcum ſpectante Moſchuam Vrbem prope caſtra poſuit.

Zolkievius fert ſubſidia Moſchis contra Demetrianos.

Et cum ab adverſa Vrbis parte Colomnenſi Demetrius cum ſuis Sapihanis ſtationem ſibi ſumpſiſſet, ipſe quoque eo per Vrbem mediam cum exercitu inſtructo, Moſchis portas omnes aperientibus, tranſiit. Nec difficile Sapihanos Regnis Poloniæ fide publica interpoſita, quod ſolvenda eſſent ipſis euſque apud Demetrium emerita ſtipendia (in quibus ſolvendis poſtea Reſpublica Polona ingemuit) à Demetrio avocavit, & Demetrio fuga Calugam elapſo, omnes etiam alios ejus ſocios in ſuas partes attraxit.

Zolkievius reliquos à Demetrio Polonos avocat.

Adhæſerant enim illi adhuc non pauci Bojari Moſchi, & Zaruczki Dux ſtrenuus Dunenſium Koſacorum: alioquin genere Polonus à Tarnopoli, ab infantia apud Tartaros, & poſtea apud Dunenſes in militia exercitatus. Iſti itaque una cum Principe Tartaro Kazimowski, relicto Demetrio, ad Zolkievium tranſierant: & Moſchi tradito in ejus cuſtodiam Baſilio Suyski Duce ſuo exauthorato cum Ioanne & Demetrio ejus germanis, in nomen Vladiſlai Principis Sigiſmundi Regis Poloniæ filii jurarunt. Zolkievius quoque cum præci-

Suyſcius Dux Moſchoviæ Zolkievio deditur.

Moſchi in nomen Principis Vladiſlai jurant,

Z

puis

A.C.1610.

Zolkievius jurat Moſchis de adducendo ipſis Duce Vladiſlao Principe.

puis Tribunis juravit, quod Vladiſlaus Princeps ad eos quamprimum veniret, ac jura libertaſque eorum conſervaturus eſſet.

Moſchi Legati pro conducendo Vladiſlao Principe mittuntur.

Ad Regem autem Smolenſcum tunc adhuc obſidentem expedierant Moſchi Filaretum Fedorium Mikitowicz Metropolitam Roſtovienſem, & Baſilium Galiczyn, qui nomine omnium Ordinum Moſchoviæ rogarent, ut Vladiſlaum Principem Moſchuam quamprimum adduci, eumque Ducem Moſchoviæ inaugurari permitteret.

Moſchorum dolus in eligendo ſibi Duce Principe Vladiſlao.

Sed jam inde apparebat eos longe diverſa meditari: Prælatum enim in illa Electione Patri filium Imperio immaturum, nempe annorum quindecim, idque conditionibus à quibus mens quævis honeſta abhorreret, præcipue ut Religionem ritus Græci profiteri, ejuſque baptiſmo initiari deberet, palam innuebant, eum eligi qui fraudi magis obnoxius facilius tolli poſſet, vel ſi Pater differret eum mittere donec adoleverit, aut ſi uterque in ſuſcipiendis illis conditionibus hæſitaret, cauſa in alium transferendi ſuffragia prompta adeſſet.

Smolenſcum deditionem non facit in nomen renuntiati Ducis Vladiſlai.

Nec ambigua talis conſilii conjectura illa fuit, quod Præſidiarii Smolenſci deditionem in nomen Principis Vladiſlai tanta ſolennitate jurisjurandi Ducis Moſchoviæ renuntiati facere pertinacius recuſabant, ea ſola excuſatione oppoſita, quod ei nonniſi Moſchuam advenienti ſubjici vellent: Seu iſta ac ſimilia plura lubricæ gentis illius fidei argumenta Regi ſuggerebant Zolkievii æmuli, qui gloriæ ſuæ detractum putantes, quicquid cederet alienæ, ejus apud Moſchuam acta perpetuo ſugillabant, & abrogari volebant.

Potocii diſſuadent Sigiſmundo Regi ne Principem Vladiſlaum mittat Moſchis.

Præſertim Potocii, primas partes in conſilio militari apud Regem à bello Rokoſſiano conſequuti, facile ei perſuaſerunt, Moſchos tot cladibus jam confectos, armis in finem poſſe ſubjugari, & glorioſius ipſi futurum, ſi victor genti illi jura daret, non electus in perſona filii reciperet: Demum vero bello partum Imperium, ac aliqua certa pace ſecurum, traderet filio tanto gratiori propterea futuro. Atque hæc ſententia prævaluit, nempe non concedendum Moſchis eligentibus Principem Vladiſlaum, ſed vi adhibita obſequium ipſis imperandum; quantumvis præmonerent maturiores, fidem Rege conſcio à Zolkievio ipſis datam, & jurejurando firmatam violari non decere; bellum cum gente juris & propoſiti ſui tenace nonniſi anceps, difficile & diuturnum fore; militem à Demetrio magno numero avocatum, promiſſa ſtipendia, quæ ex ærario Moſchico à novo Duce Vladiſlao Principe habuiſſet, repetiturum in Polonia, & Rempub. in tam immenſo ære ſolvendo ſummas anguſtias paſſuram, vel illo ſoluto exhauſtam, longiori bello trahendo non ſuffecturam.

Poloni damna multa referunt ob denegatum Moſchis Vladiſlaum Principem.

Doloſa quoque Moſchorum ingenia magis jam fuiſſe nota, quam ut caveri non poſſent, & Principi Moſchuam ingreſſo, Imperiique habenas adepto non defutura media quibus conditiones illas duriores ſibi impoſitas faceret remitti, vel ſaltem differri, interim dum perſolverentur ſtipendia militibus, & contra majores Moſchorum fraudes, ſubſidia firmiora ex Polonia providerentur. Ad minus autem Rex ipſe ſtatim iviſſet Moſchuam, quod & à primo ſuo in Moſchoviam ingreſſu conſultiſſime feciſſet; ac dubio procul fluctuantes adhuc tunc Moſchos omni robore militari deſtitutos non difficile ſubjugaſſet: Sed hoc quoque conſilium fuit neglectum fatali quadam illius Imperii ſorte:

Sigiſm. III. Rex Poloniæ ad occupandam Moſchuam, pro filio Vladiſlao dum ire renuit eam amiſit.

Nempe quod indecorum videretur deſerrere obſidionem Smolenſci ab uno prope anno continuatam, & eo magis, quod ſperaretur feliciter expedienda fore proxima oppugnatione, ad quam jam omne inſtrumentum neceſſarium fuerat comparatum. Tali tamen ſpei non reſpondit eventus; nam dum Regii oſcitanter agunt, & poſtquam machinas prope murum Civitatis applicarant, nulla impreſſione facta ultra quindecim dies otiantur, obſeſſi interim à tergo illius loci ducta profundiore foſſa vallum excitarunt, ac tum demum vibrari cœptæ machinæ licet

jam

A.C. 1610.

Oppugnatio Smolenſcii inordinata.

jam magnam muri partem, ac duo proxima propugnacula dejeciſſent, irruptione tamen facta oppugnatores nil profecerunt, immo plurimi in illa foſſa noviſſime ducta non præviſa præcipitati, nec pauciores à vallo novo bombardarum jaculis petiti ac proſtrati perierant. Sicque magna clade accepta retrocedere ſunt coacti. Poſtea cuniculis agendis diutius certabatur, profectu nullo, ſed cum jactura evidenti temporis, quod utilius ſummæ rei apud Moſchuam impendi potuiſſet. Ibi enim (ut ad propoſitum redeamus) licet jam Moſchi audirentur querulari de non ſervatis pactis mutuo juratis, & eorum Legatis apud Regem euſque detentis, in apertam tamen ſeceſſionem necdum prorupperant, veriti potentiam Zolkievii, in Vrbe Moſcua cum exercitu excubantis. Et non minus quod Demetrius Galugæ deſidens Zarucio à Rege (indignabatur iſte quod ibi vilius quam ſpetarat habitus ſit, & redierat ad Demetrium) ad ſe reverſo aliquantas vires aſſumpſerat. Iſtum enim Moſchi uti hoſtem domeſticum, ac pro quo invicem diffiderent, magis metuebant, & Polonos quorum ope ab ipſo defenderentur, obſervabant, totamque Vrbem una cum Ducali palatio Krimgrod nuncupato eorum poteſtati permiſerant; quamvis Zolkievius diu multumque reſtiterit priuſquam legionibus ſtationes intra Civitatem diſpoſuiſſet inſidias metuens. Talis itaque rerum apud Moſchuam euſque fuit ſtatus, quod adhuc ad aliquam frugem reduci potuerit, dummodo Rex operam quam apud Smolenſcum perdebat, illuc convertiſſet. Sed turbata fuerunt ibi magis omnia non multo poſt diſceſſum Zolkievii, qui pertæſus quod ejus conſilia apud Regem poſtponerentur, & à malevolis carperentur, ſimulato quod iret Vladiſlaum Principem adducturus, Moſcua abjerat Smolenſcum, & inde in Poloniam. Et ut primum apparuerat, quod poſt colloquium ipſius Rex nihilominus perſiſteret in ſententia de non mittendo in Moſchoviam Principe Vladiſlao, ac inſuper Suyſcios captivos, ac Legatos Filatetum & Galicinum in Poloniam ſub cuſtodiis amandaſſet, dignitates etiam & Magiſtratus Moſchicos perſonis vilioribus diſtribueret, Moſchi per omnes Provincias ſummo animorum conſenſu defectionem apparare cœperunt. Adjuvit autem eorum conatus mors Demetrii, quem ſub finem anni hujus circa venationem occiderant Tartari cuſtodes fideliores corporis ipſius, ulciſcendo necem Czary Kazimowski Tartari nuper ab eo ob ſuſpicionem proditionis trucidati. Eo enim cæſo ſtatim ipſis conjunxit Zarucius vires Demetrianas & Coſacos Dunenſes, licet ipſemet adhuc adhæreret filio Demetrii ex Marina Mniſzkowná ſuſcepto, ſeu ſuppoſititio, ut alii volebant, ipſa enim ſterilis fuiſſe narrabatur. Cætera iſtius tragediæ in anno ſubſequenti proſequemur, poſtquam ſingulariora quæ in aliis Chriſtiani orbis partibus hoc anno evenerunt breviter attigerimus.

Moſchua Vrbs ſtatus dum expectat Vladiſlaum Principem.

Zolkievius Moſchua diſcedit in Poloniam.

Suyſcius Dux exauthoratus & Legati Moſcha in Poloniam ablegantur.

Moſchi deficiunt à Vladiſlao Principe.

Demetrio filio ex Marina Mniſzkowná adhærent aliqui Moſchi.

In Polonia enim nihil aliud occurrit præter mortem Matthiæ Pſtrokonski Epiſcopi Vladiſlavienſis, cui ſuffectus fuit Laurentius Gæmbicki Cancellarius Regni, & iſti in Culmenſi Konopácki Palatinus Chelmenſis, poſt amiſſam uxorem tunc viduus. Deceſſerat quoque ſub finem anni Barbara Tarnowska Ioannis Zamoyski olim Cancellarii Regni relicta, fœmina generis claritate, marito victoriis & literis inclyto, filioque ex eo genito Thoma ſpei maximæ feliciſſima: Præfectura Miedzyrzecenſis, quam illa obtinuerat vivens, delata fuit Zolkievio exercitus Præfecto.

Polonia Procerum viciſſitudines.

Et ut tandem ad externa tranſeamus. Gallia præcipue hunc annum agendis inaugurationis Reginæ ſuæ triumphalibus feſtis fauſtiſſimum tranſigere volens, nefaſtum vidit, & funeſtum Regi ſuo Henrico IV, qui ad ſummum fortunæ faſtigium evectus, repente decidit. Compoſuerat ille ſumma felicitate & virtute ſua in Gallia belli civilis tempeſtates, & reſtituerat priſtinum nitorem ac armo-

A.C. 1610. rum gloriam illi Regno: quin & vicinioribus populis tranquillitatem ejus authoritas facile perſuaſit. Ac majora quædam animo ille volvens, conſcripſerat ſub hoc tempus validum exercitum, ſive Mediolanum repetiturus, ſive Iuliacenſem controverſiam moderaturus, ſeu quod ſpem conceperat conſequendi Romanum Imperium annis & morbis confecto jam & morti proximo Imperatore Rudolpho. Sed quicquid illud fuerit, magnum & arduum quid illum moliri apparebat, vel inde quod tanquam ad dubios gravioris alicujus belli eventus, primum filio & uxori omnia domi ſecura, & Regni ſucceſſionem certam providere conabatur. Atque eo fine diem tredecimam Maii ritu ſolenni coronandæ Reginæ indixerat, quem actum poſtridie inunctio quoque primogeniti (Delphinum Galli vocant) ſubſequi debuiſſet, niſi tanta conſilia turbaſſet fortuna diu conſtans ſtare neſcia. Ecce enim poſtquam Gioieuſio Cardinale facta inaugurationis operante apud S. Dionyſium, die præſtituto Regina fuerat coronata, Rex Pariſios teverſus dum inſequenti die per eam Vrbem rheda vehitur, à ſcelerato quodam nominari indigno, ictus cultro in ventre vulnus lethale accepit, & ſtatim animam exhalavit. Anguſtior tranſitus ad vicum obliquum non permittebat ſtipatores aſſiſtere rhedæ, & ea in obverſando phaleris quadrigarum implicatis firmata, ſicarius in omnes occaſiones intentus, repente inſiliens axi, toto niſu impegit cultrum in ventrem Regis; ſtatimque comprehenſus, nec cruciatibus exquiſitioribus, nec blanditiis potuit induci, ut nominaret ſocium, vel conſcium criminis, ſed affirmabat inſtinctu proprio ſe concepiſſe illud facinus, & toto triennio procuratum, ſæpiuſque irrito conatu tentatum, tunc tandem perfeciſſe: ſupplicii quoque acerbitatem, ne gemitu quidem deprecari viſus fuit ille nefarius. Vrbs autem tota caſu tanto concuſſa parum abfuit à tumultu, diverſis in diverſos, priuſquam certi quid ſcirent, cauſam necis Regis referentibus, & vindictam expoſcentibus. Sed tandem ſedato illo motu, omnes in luctum effuſi, pro pompoſo inaugurationis Regiæ apparatu, lugubrem commutarunt, nec ullum alium Regem magis Galli planxerunt.

Galliæ Regina Henrici IV Regis uxor coronatur.

Henricus IV Rex Galliæ à ſicario occiditur.

Sicarius Henrici IV Regis neminem conſcium ſceleris nominavit.

Nulli quoque in Provinciis rerum novatores apparuerunt; forte quod formidarent Regias illas in tanto numero copias, quaſi de induſtria ad talem caſum collectas. Et ſtatim congregati Proceres primogenitum defuncti ſeu Delphinum Regem Galliæ ſalutarunt, nuncupatum Ludovicum XIII novennem tunc, interim dum adoleret Reginæ ejus matri, (Blancha tunc vocatur) vicaria adminiſtratione Regni commiſſa: quod voce præconis illico fecerunt proclamari. Præſidio locorum duplicata fuerant, ac paulo poſt ut conſtitit ſecura ubique eſſe omnia, totus ille exercitus exauthoratus, parte in auxilium Brandeburgico Electori conceſſit Iuliacum, quo nos quoque commode tranſire poſſumus, poſtquam in Gallia adhuc unicum in hoc anno geſtum ſingularius adnotaverimus, nempe Ludovicum XIII, octava die Octobris Rothomagi Regem Galliæ fuiſſe ſolenni ritu inunctum & coronatum.

Galliæ res ubique pacatæ poſt mortem Henrici IV.

Ludovicus XIII, Galliæ Rex renuntiatur.

Ludovicus XIII, Galliæ Rex coronatur 8 Octobris, 1610.

Iuliaci autem, ut in anno præterito attigimus, Rudolphus Imperator Adminiſtrationem commiſerat Archiduci Leopoldo, qui inter hæredes competitores in Tribunali Cæſaris pendente pro eo Ducatu longa lite, longa tempore gauderet bolo tam pingui, vel inter dubia litigantium jura, non dubiam ſpem in titulos ſuos ditionem illam transferendi teneret. Hæredes itaque illi injurioſum eſſe ſibi rati, quod non cognita cauſa ab adeunda hæreditate arcerentur, immo excluderentur, poſtpoſito Cæſaris mandato, quo à vi abſtinere, ſed jure pro eadem hæreditate experiri jubebantur, in ſuffragium ſuum arma ſumpſerunt præſertim proximiores in illa ſucceſſione, Princeps Neoburgicus, & Elector Brandeburgicus, qui partim ex Gallia, partim ex Germania contractis copiis, meliora

Iuliaci hæredes armis ſuam hæreditatem repetunt.

ditionis illius loca occuparunt. Iuliacum Provinciæ illius caput non tam facile obtineri poterat, eo natura loci, ac uliginoſo circum ſolo, foſſiſque & ſtructuris firmioribus munitum ab Archiduce Leopoldo impenſiori cura cuſtodiebatur. Sed hoc quoque in poteſtatem Principum hæreditatem illam prætendentium mox conceſſit opera Mauritii Comitis Naſſovii, qui cum apparatu ingenti bellico & numeroſo veteranorum exercitu ex Hollandia adducto, ſub finem menſis Iulii hujus anni obſidione ibi inſtituta, adituque à duabus partibus per paludinoſa congeſtis virgultis inſtrata patefacto, ac propugnaculis exterioribus vi captis, civitatem illam ad deditionem coëgit. Arx aliquantum reſtitit, & demum poſt quatuor ſeptimanarum oppugnationem, cum auxilia non haberet, menſe Septembre deditionem fecit. Atque hoc perato Mauritio victore ad propria reverſo, duplicatum ibi præſidium Brandeburgici & Neoburgici manſit, indignante ob ejectum inde Leopoldum Imperatore Rudolpho, qui tamen præter quædam edicta, tunc contra iſtos Principes nil ſeverius decrevit: ſed tantum inſtituto Coloniæ conventu, ab Electore Trevirenſi & Comite Hohenſollerio, cum adjunctis Ludovico Haſſiæ Landgravio, Electore Moguntinenſe & Duce Brunſvicenſi, controverſiam hanc hæreditatis Iuliacenſis tractari ac componi voluit, irrito eventu ab initio Septembris ad Novembrem uſque protracto illo tractatu, cum Principes poſſidentes requiſiti, ut ante omnia arma deponerent, præſidia ex locis occupatis, Iuliaco præcipue deducerent, & ſequeſtres bonorum controverſorum aliquos non ſuſpectos eligerent, in eorumque manu bona iſta reponerent, demumque judicato ac Cæſaris decreto ſtarent, rejecta tali propoſitione inſiſtere maluerint poſſeſſioni acquiſitæ: nempe confiſi patrociniis Galliæ & Angliæ Regum, quorum Legati tanquam interceſſores cauſæ ipſorum ad illos tractatus ſemper admittebantur; vel magis quod Imperator moleſtiis domeſticis implicitus, longinquiora curare non valeret. Recrudeſcebant enim in dies gravius contentiones Archiducis Matthiæ pro ſucceſſione in Imperio & in Regno Bohemiæ, quam Archidux Leopoldus favore ipſiuſmet Imperatoris ambiens, exercitum occaſione Iuliaci collectum, Paſſavium Bohemiæ vicinum traduxerat, non obſcuro indicio conſiliorum, quæ ſub initium anni proximi in apertum eruperunt.

A.C. 1610.

Mauritius Naſſovius Iuliacum capit pro hæredibus.

Iuliacenſis cauſa controverſia tractatur fruſtra.

Rudolphi Imperatoris cum Matthia Archiduce odia recrudeſcunt.

Leopoldus Archidux conſcribit exercitum.

Romæ hoc anno prima Novembris die feſtivitati Omnium Sanctorum dicata, Paulus Papa V, Beatum Carolum Borromæum Cardinalem & Archiepiſcopum Mediolanenſem in Sanctorum numerum retulit: cujus celebritatis pompam apud S. Petrum in Vaticano Mediolanenſes ſumptu perquam magnifico inſtruxerant. Nec dubia ille vir Beatus perfectionis Divorum honore dignæ teſtimonia æque vivens ac moriens habuit, ut in divulgato de ejus vita libello videre licet.

Carolus Borromæus in numerum SS. refertur.

Sub finem ejuſdem anni Hiſpani centum millibus ducatorum mercati à Rege Xequo Mauritano, celebre portu propugnaculum Marroci Larachium dictum, die Præſentationis Beatæ Mariæ Virginis, ipſomet Xequo portas aperiente occuparunt. Pulſus ille fuit à Mulero Gidano ſuo fratre paterno Regno, quod ut vindicaret, auxilia ab Hiſpanis obtinuit, & pro mutuata ad hoc ſibi pecunia, ipſis tradidit illud caſtrum, ex oppoſito Gadium ad columnas Herculeas mari imminens, natura loci inexpugnabile, & navigatoribus Hiſpanis eouſque infeſtum.

Larachium in Africa Hiſpani occupant.

Annus Chriſti, 1611.

A.C. 1611.

Smolenſci obſidio continuatur.

SEd cum inchoatione Anni Chriſti, Milleſimi, Sexconteſimi Vndecimi, ad noſtra redeamus. Sigiſmundus Rex Poloniæ oppugnationem Smolenſci, quam deſerere indecorum videbatur, in iſtum annum continuavit, non inutili labore, ut paulo infra conſtabit. Niſi quod majora damna tulit, dum ibi occupatus, Moſchis dedit tempus reſumendi animos, & arma conquirendi, quibus impoſitum jam pæne cervicibus ſuis jugum excuterent. Ac eouſque illi clam conſilia defectionis agitarant; ad principium autem iſtius anni Leponow apud Peraſlaviam Rzezaniæ aliquanta manu militarium ſub ſigna convocata palam cœpit tumultuari, & Bojaros omnes ad arma ſumenda concitare, dimiſſis per Provincias Nuntiis ac literis, in quibus querebatur fractam à Polonis fidem, Principe Vladiſlao in Moſchoviam non adducto: occupata per dolum Vrbe Moſchua, & Legatis Moſchis una cum Suyſcio Duce nuper exauthorato in Poloniam relegatis. Koſacos quoque Dunenſes cum Zaruſcio ad ſe attraxit, promiſſo quod pulſis Polonis filium Demetrii cæſi, cui illi adhærebant, Ducem Moſchoviæ creari faceret. Et alium exercitum circa Nowogrodkum majus, Proſzowecki colligebat, nemine tanta auſa, uti expediebat, in ipſis initiis opprimente, cum Rex à Smolenſco ne viribus diſtraheretur, nullas copias ad diſſipandos illos cœtus mittere vellet, & præſidiarii Moſchuæ numero interim multum imminuti ad tutandam ſtationem ſuam vix ſufficerent. Vnde turbatorum illorum Moſchorum catervæ in dies creſcebant, & populi civitatum, confiſi tantis rebellionis viribus, ubique novandis rebus ſtudebant. Maxime autem Vrbis Moſchuæ incolæ, quibus dudum ad talem perfidiam nonniſi Duces deerant, ad famam adventantis Leponovi, in necem Polonorum ibi præſidium tenentium conſpirarunt, eo periculoſius quod iſtorum robur ſex mille equitibus, & mille peditibus conſtans, longe impar eſſet viribus multitudinis tam ingentis. In Vrbe enim Moſchua centum octuoginta millia domus tunc numerabantur, ad quas præter habitatores genuinos, plurimi à foris Moſchi refugii ſpecie, vel magis conſpirationis conſcii confluxerant. Hocque veritus Alexander Coruinus Gaſiowski præſidii illius Polonici tunc Præfectus, licet præmoneretur à Bojaro ſibi addictiori Solticho, ut præveniret conſpiratores priuſquam armis inſtruerentur, præſertim laceſſitus ab illis, die Dominico Palmarum ex ſuis aliquibus cæſis, maluit quieſcere & diſſimulare tunc, intentus ſolùm muniendis contra graviora pericula caſtellis Kitaigrod & Krimgrod, quæ intra civitatem inſtar propugnaculorum fortiſſimorum continent tabernas mercatorum opulentiorum, & palatium Ducis: immenſa univerſæ Vrbis ſpatia ambiente muro Albo denominato, cujus parietum, turriumque ac portarum ſtructura cujuſvis celebrioris Vrbis mœnium magnificentiam æquaret. Sed tamen evitari non potuit, quin Moſchi inſtructam habentes conſpirationem, tertio die poſt Dominicam Palmarum ſigno dato ſonitu per totam Vrbem campanarum arma ſumpſerint contra illos præſidiarios Polonos, qui fortiter exceptum primum hoſtis impetum repreſſerunt, ſtrage pluſquam ſex millium Moſchorum, & demum excitato pluribus locis incendio, quod intra paucas horas omnia tam amplæ Vrbis ædificia (nempe lignea) & cum eis innumeram plebem abſumpſit. Inſequenti die etiam ſuburbium ultra fluvium Moſchuam ſitum à Strzelciis ſeu Sagittariis habitatum exuſtum fuit juſſu Gaſievii, ut eà ſubſidiis Poloni-

Moſchi ad defectionem perficiendam arma ſumunt.

Moſcha Vrbis magnitudo.

Moſchi oppugnant præſidium Polonorum in Vrbe Moſcha.

Moſchi profligantur à Polonis in Vrbe Moſcha.

cis

cis pateret aditus, qua prohibitus nuper Nicolaus Struſius ſub ipſo tumultu cum ſua legione à Moſaiſco advolans opem ferre non poterat eis laborantibus. Et tunc quidem illi habitatores Moſchi ferro & igne ſic edomiti ſupplices veniam petebant, ſed poſt paucos dies intra Feſta Paſchalia ad naturam redierunt, & omnes (pauci inſigniores Bojari intra arces cum Polonis degentes, in eorum fide perſiſtebant) conjunxerunt ſe Lepono, qui cum Zarucio & Proſovecio centum millium exercitum ducens, adjutus inſuper à tanta conſpiratorum manu, poſt paucas cum Polonis leviores dimicationes, illius civitatis mœnia ſeu muros albos occupavit, & Polonos arcem Ktimgrod & Kitaigrod cum parte albi muri caſtellis illis proxima retinentes obſedit, unico tranſitu circa fluvium Moſchua ipſis remanente libero, qua commeatum & ſubſidia longo tempore recipiebant, & crebras excurſiones in hoſtem emittebant fortuna variante.

A.C.1611.

Moſchi obſident Polonos in Vrbe Moſcha.

Interim vero Sigiſmundum Regem ſolicitum tenebat longior quam ſperarat obſidio Smolenſci, & magis rei nummariæ defectus ac ſtipendia militi toto illo tempore non ſoluta, propter quæ in exercitu illo ſeceſſio aliqua periculoſior timebatur. Nec ſuppetebat alius modus quærendæ ad eum uſum pecuniæ, niſi apud Ordines Poloniæ in Comitiis Regni, quæ propterea ad menſem Septembrem proximum fuerant indicta. Eo itaque Rex profecturus, ne quid intentatum ad frangendam pertinaciam obſeſſorum relinqueret, oppugnationem ſcalis admotis apparari juſſit nocte diem tredecimam Iunii antecedente: Iacobus Potocki (poſt defunctum paucos ante dies Ioannem Potocki fratrem ſuum) Palatinus Braclavienſis, & tunc primus militiæ Præfectus à parte Orientali ſcalas ſuas applicaverat, Germani autem pedites Vejeti ad turrim angularem caſtra Regia ſpectantem; & aurora illuceſcente aſcendetant utrique murum, ſed intro civitatem ob præcipitem locum cum deſcendere non poſſent, ibidem ab accurrentibus defenſoribus conſtricti, dubio nimium eventu pugnarunt, donec Bartholomæus Novodworski ſtipatorum Regiorum Præfectus, ipſemet applicata ſubter canalem è civitate Boriſthenem verſus patentem petarda, triginta cubitis late murum ea parte dejecit, & Doroſtayski Mariſchallus Lithuaniæ cum Prætoria cohorte illa irruens, forum civitatis occupavit. Perculſi enim tam inopinato caſu defenſores, arma & ſtationes ſuas ſtatim deſeruerunt, & oppugnatoribus libero tranſitu jam undique patente, nonniſi latibula quærebant, plurimique deductis uxoribus & ſupellectili pretioſa ad templum unicum inſtar arcis ſibi muro extructum pulverem nitratum, qui ibi ſubtus in ſumma copia aſſervabatur, Saguntina rabie ſuccendi curarunt, & ruina templi obruti interierunt. Sehin Palatinus & Præfectus civitatis in propugnaculo quodam cum ſociis quindecim ſeſe continuit, & denuntiari fecit, quod potius pugnando mori vellet, quam ſeſe dederet, niſi alicui ex Ducibus primariis: nimirum veritus ne milites exoſi crudelitatem hominis quam in captivos exercuerat, ipſum diſcerperent: unde ipſimet demum Iacobo Potocki accurrenti ſeſe ſubmiſit. Atque ita Rege ab adverſa Boriſthenis ripa ſpectante, militaris fortitudo vi cepit Smolenſcum deſideratis ex Germanis peditibus octo tantum; ſed periiſſent omnes in illo aſcenſu mœnium nullo fructu, niſi tempeſtive beneficium Novodworſcii petardæ ipſis ſubveniſſet.

Smolenſcum oppugnatur à Polonis.

Novodvorſcius petarda dejicit murum Smolenſci.

Smolenſcum captum vi aperta.

Smolenſci defenſorum obſtinatio.

Sehin Palatinus Smolenſci captus.

Occubuit quoque Staniſlaus Gorecki Tribunus equitum veteranus, dum foſſam diruto vi machinarum muro oppoſitam ſuperare conatetur. Nec multi ex hoſtibus quoque in illo conflictu ceciderunt, ſtatim enim proclamatum fuit, ut miles cædibus abſtineret, præda contentus: ob quam etiam exorta rixa denuntiari Rex fecit, ut ſinguli quicquid cepiſſent, conferrent in commune, (Maydan vocant) ex æquo inter omnes dividendum. Sed meliora ignis devoravit fortuito

 exorto

A.C.1611. exorto incendio, quo & tecta omnium mœnium conflagrarunt. Frumenti vis maxima ibi reperta fuit, ut non dubie triennio adhuc obſidionem ſuſtinere potuiſſent obſeſſi, cum & omni inſtrumento bellico abundarent, præterquam quod plurimi eorum deceſſerant, partim morbis, partim pugnando, ex octuaginta millibus (comprehenſa hoc numero plebe promiſcua) ab incœpta obſidione vix octo mille relictis ſuperſtitibus. Sedato illo motu Rex triduo continuo convivium militibus exhibuit: & paucis diebus datis ordinando præſidio Civitatis illius captæ, ac ſubſidio mittendo Moſchuæ obſeſſæ, in Poloniam ad præſtitutum Comitiis diem reditum maturavit, fato quodam erroribus errorem noviſſimum cumulante, quo partum Polonis Imperium Moſchoviæ è manibus elaberetur. Prudentiorum enim judicio expediebat continuare victoriam, & à Smolenſco capto, recta Moſchuam iviſſe, ubi Moſchi conſternati clade Smolenſci, & nec dum pro rebellione ſatis concordes, cum à parte Polonornm nobiliores adhuc ſtarent, ad officium revocari, vel ſaltim ſolvi potuiſſet obſidio Vrbis Moſchuæ, qua in poteſtate Regis manente, omnia redintegrare non difficile fuiſſet. Sed Rege in Poloniam reverſo, omnia in deterius ruere cernebantur: Moſchi fideliores Regi deſperare cœperunt, rebelles vero majori audacia oppugnationi Arcis Moſchuæ inſtabant, & ejus præſidiarii Poloni, quo citius logioribus propugnationis laboribus liberarentur honeſtiori titulo ob non ſoluta ſibi tanto tempore ſtipendia miſſionem flagitarunt.

Sigiſmundus Rex epulum militibus capto Smolenſco exhibent.

Sigiſmundus III Rex Poloniæ capto Smolenſco negligit continuare victoriam.

Moſchica res poſt diſceſſum Sigiſmundi Rigis ruunt in deterius.

Ac jam initio ſeceſſiones permittente Rege in ſolutionem hujuſmodi ſtipendiorum, theſaurum Ducalem acceperant: ſed quod æqua æſtimatione pro univerſis exercitus ſtipendiis exolvendis ſuffeciſſet, illi pro exigua ſui debiti parte licebantur. Erat ibi ſtatua Salvatoris ex auro ſolido magnitudine juſtæ hominis ſtaturæ, pondo trecentorum quinquaginta librarum auri, quam illi diſſectam in partes rapuerunt: duodecim Apoſtolos ejuſdem magnitudinis, & metalli Suyſcius Dux neceſſitate belli preſſus in nummos conflaverat. Erant & alia rariorioris pretii ſupellectilia, quibus tamen militaris avaritia expleri non valuit, licet ex tantis divitiarum acervis nonniſi ſceptra, coronas, ſellas, & inſignia Ducum in illo gazophilacio relinquerit. Vtcunque tamen præſidiarii illi Moſchuæ tunc placari tanto auro ſacro, aliquanto tempore ſtrenuam & conſtantem operam in ſuſtinenda obſidione præſtiterunt, aſſiduis excurſionibus tam in adverſa Moſchuæ ripa, quam intra muros albos cum hoſte certantes. In medio enim Civitatis exuſtæ, erat taberna publica, in qua in magna copia ſal depoſitum pro uſu communi Civitatis aſſervabatur, quod inde & obſeſſi & oppugnatores quotidie petentes, cruentos ſemper congreſſus agebant. Leponoum quoque inſigni arte Gaſievicius trucidari fecerat, confictis litteris, quibus ipſe Leponow Provincialibus mandaſſet, ut Koſacos Dunenſes ubicunque locorum invenirentur tollerent, quæ literæ per ſubornatam perſonam cum ad manus Sidori Ducis Koſacorum Dunenſium veniſſent, concitatis iſte in tumultum ſuis Koſacis, Leponoum occidit. Et licet in iſtius locum ſtatim Moſchi Trubecium ſuffecerint, qui cautior contra ſimiles Gaſiovii dolos, ejus emiſſarios novas conſpirationes inter Dunenſes ſeminantes comprehendi, & exquiſitis cruciatibus necari curabat, nec multo poſt diſceſſum à Smolenſco Regium obſeſſos tanta vi oppugnavit, ut omnem aditum muri albi, (cujus ille eouſque quatuor portas retinuerant) & etiam tranſitum ultra fluvium Moſchua ipſis ademerit: tamen poſtquam ſex ſeptimanis incluſi nulla ope humana liberari poſſe viderentur, manifeſto divino auxilio 15 Augusti (circa Sacra Feſtivitatis Aſſumptionis Deiparæ Virginis Mariæ, Concionator prædixerat illis, ut à pluribus talis periculi conſciis audivi, quod eò die ſublevandi eſſent à tam gravi obſidione, patrocinio ejuſdem Glorioſæ Virginis) præter

Poloni milites ærarium Moſcha Ducum expilant.

Moſcha Ducum theſauri.

Gaſievius Leponum Ducem Moſchorum tollit.

ter omnem ſuam ſpem obſidionem illam excuſſerunt. Emiſerant illi priuſquam ab hoſte fuiſſent in tantas anguſtias redacti, pabulatum ter mille & quingentos lixas ac ſervulos, quibus cum commeatu reverſis, & tranare fluvium Moſchuam inchoantibus, Moſchi qui illum tranſitum obſervabant ſubito timore perculſi, & nulla pugna tentata profugerunt, deſertis Caſtellis quæ ſatis firma tenebant. Obſeſſi quoque eruptione facta Moſchos totis Caſtris, quaſi validiora veniſſent ad arcem auxilia turbatos, ex proximis arci ſtationibus ejecerunt, ac partem albi muri cum quatuor portis quas ante habuerant, recuperarunt. Sed ab eo tempore nonniſi de profectione conſilia agitarunt, & in Poloniam ad Comitia Legatos expedierant denuntiatum, quod ſi Rex non mitteret in Moſchoviam Principem Vladiſlaum, ipſi ſua ſtipendia à Republica repetituri eſſent, & non amplius quam ad diem ſextam Ianuarii proximi Moſchuæ defenſionem ſuſtinere vellent. Nec minus attulit incommodi bello illi Moſchovitico poſt diſceſſum Regis in Poloniam diſcordia Ducum: præſertim quod Iacobus Potocki Palatinus Braclavienſis à Rege relictus Smolenſci cum Imperio militari, moleſte ferret Carolum Chodkiewicz Præfectum exercitus Lithuaniæ ad propugnandam Moſchuam fuiſſe accerſitum, quaſi ad conſortium partæ gloriæ, ad quam iſte eouſque nil contulerat, & aliquali plauſibili ſucceſſu totam ad ſe traheret. Vnde etiam Tribunorum ac militum (prout quiſque in hunc vel alterum propendebat, & Potociis favebant plures) diſtracta ſtudia, magnas ſæpe rei bene gerendæ occaſiones interverterunt. Poſt illum conflictum diei Feſti Virginis Aſſumptæ Moſchos confuſos tota Vrbe pelli potuiſſe evidentius apparebat, ſed unus Tribunus militaris addictior Chodkiewicio, ne ea laus ipſi Chodkiewicio in proximo adfuturo præriperetur interceſſit, & pugnam tunc diſuaſit. Chodkiewicio autem advenienti, malevoli ſumptis levibus argumentis à ſeveritate ipſius, odia acerbiora apud præſidiarios Moſchuæ conciliarunt, ut judicia ejus recuſaverint, & obſequium ipſi denegarint. Nec quicquam contra hoſtem illo præſente tentarunt, immo accelerata conſpiratione pro diſceſſu, prodierant ex Arce Moſchua, relictis ibi ad ſextam Ianuarii è medio ſui paucis defenſoribus, quo reſpectu reliquum theſauri Ducalis fuit expilatum. Iſti enim defenſores ut intro manerent, ultra ſtipendium ſolitum, aliud murale denominatum, pro eo quod excubias pro muro equitibus non convenientes agere deberent, ſibi aſſignari poſtularant, utque ejus eſſent certi, pignoris loco acceperant Coronas Ducum, unum à Maximiliano Imperatore olim Duci Iuano datam, alteram à Demetrio comparatam, utraque autem erat ex auro ſolido, gemmis & lapidibus precioſis ornata: Item ſceptrum è cornu unicornis integro in ſummitatibus auro & gemmis incluſo: Cornua bina unicornis integra, tertium dimidiatum: ſellam pro equo Ducis auro & gemmis variegatam: duos pileos auro & lapidibus precioſis contextos, quibus Duces Moſchoviæ coronari ſolebant, ſceptrum & pomum aureum, utrumque lapidibus rarioris precii inſigne. Et quomodo poſtea à die ſexta Ianuarii in Poloniam abierint in anno ſubſequenti ducetur.

A.C. 1611.

Poloni Moſcha præſidiarii auxilia recipiunt & oppugnatores Moſchos profligant.

Legati ad Comitia à præſidio Moſcha.

Præſidiarii Poloni Moſcha ſeceſſionem faciunt.

Polonorum Ducum militarium æmulationes Moſchicas res everterunt.

Poloni præſidarii Moſchua diſcedunt.

Moſchua Ducum theſaurus reliquus diripitur à militibus.

Coronas Ducales Moſchoviæ milites accipiunt.

In Comitiis autem hujus anni Varſaviæ nonniſi gratulationes & applauſus ob expugnatum Smolenſcum audiebantur. Staniſlaus quoque Zolkiewski Præfectus Exercitus Regni memorabilem duxit triumphum, antecedente ſplendido & numeroſo equitatu, ſequebatur eum in curru ſublimis Baſilius Suyski nuper Dux Moſchoviæ, & duo Suyſcii ejus germani captivi holoſerico rubeo veſtiti, quos ille ingreſſus Curiam ubi Rex cum Senatu & Ordinibus univerſis conſedebat, præſentavit adhibita ex hiſtoriis in quibus erat verſatiſſimus, ad venuſtatem & gravitatem inſtructa perorarione, qua adverſam fortunam captivorum & majeſtatem iſtius Reipublicæ ex debellato & victo tanto Duce raris antiquiori

Comitiorum Varſaviæ 1611 ſtatus.

Suyſcius Moſcha Dux captivus publicè in Comitiis præſentatur.

Zolkievius in hiſtoriis exercitatiſſimus.

A.C.1611.

Suyſcius in Arce Goſtinenſi ſub cuſtodiis detinetur.

quiori ævo viſis exemplis comparavit. Ad Arcem Goſtinenſem fuerant amandari deinde iſti Suyſcii, & ſub cuſtodiis quidem, liberaliter tamen habiti, ac poſt annum unum defuncto Baſilio Duce, ac altero ejus fratre, Iwan junior obtinuit libertatem.

In tantum autem corruperat illa publica lætitia judicium Comitiorum, quod in eorum conſultationibus, ac ſi jam debellatum fuiſſet nonniſi de retinenda Moſchovia, & redigenda in Provinciam tractabatur, nec ulla ſubiit mentio de periculis, quæ fœdus illud militare erat allatum Reipublicæ: nempe quod omnes cenſerent, non obligari Rempublicam ad ſolvenda ſtipendia militibus Demetrianis, quæ ipſa inſcia promiſſa nonniſi ex Moſchicis tributis æquo jure ipſis eſſent repetenda. Vnde binæ tantum collectæ agrariæ pro neceſſitatibus illius belli fuerunt à Republica conceſſæ, ex quibus Rex centum millia aureorum nummorum ſeu florenorum in Polonia uſitatorum, quæ de proprio peculio apud Smolenſcum erogaverat, in primis detraxit, & Præfectus ærarii (Staniſlaus Warſzycki tunc fuit) in milites quidem, ſed domum jam reverſos reliquum diſpenſavit, nulla parte illius pecuniæ publicæ in Moſchoviam ad milites, qui ſub ſignis & in fœdere ſeceſſionis erant, miſſa: cum tamen iſti quantumvis exigua ſolutione à perficienda tunc ſeceſſione ſua remorari potuiſſent. In iiſdem Comitiis Ioannes Sigiſmundus Marchio & Elector Brandeburgicus, fiduciariam ſucceſſionem in Ducatu Pruſſiæ, ſibi à Republica concedi petit, poſt defunctum proxime Albertum Fridericum Anſpacium Ducem, qui motus mente ſub cura Georgii Friderici, ac iſto defuncto ſub Ioachimi Friderici, & deinde ſub iſtius Electoris, ipſius vice eam Provinciam adminiſtrantis euſque vixit. Ac poſt varias conſultationes, decreta ipſi fuit poſſeſſio illius Provinciæ: verum circumſcripta diverſis legibus, quibus Reipublicæ jus & proprietas Dominatus in illa Provincia ſtabiliretur; præſertim quod jure ſucceſſionis talis gaudere poſſent maſculi filii legitime nati ſolummodo Ducis iſtius Ioannis Sigiſmundi, & ejus Germani fratres Ioannes Georgius in Sileſia Dux Iegendorfius, Erneſtus & Chriſtianus Vilhelmus Archiepiſcopus Magdeburgi, filiique eorum maſculi ex legitimo matrimonio tantum; eis vero deficientibus Provincia illa ad Regnum Poloniæ rediret. In eadem circumſcriptione injunctum fuit Duci, ut tributum triginta millium florenorum ad ærarium Regni Poloniæ annuum ſolveret, & alia triginta florenorum millia, quotieſcunque in Comitiis Provinciis Regni iſtius contributio agraria indiceretur. Addita quoque fuerunt multa circa juriſdictionem & judicia Ducis in ſubditos illius Provinciæ, & circa liberum recurſum ad Regem appellantibus a Decretis ejuſdem Ducis ejuſque Magiſtratus, quæ longiora ſunt quam ut hic ſingularius recenſeri poſſint, & extant typis expreſſa, conjuncta voluimini legum Regni iſtius. Solutis demum Comitiis Elector ille medio menſe Novembre venerat Varſaviam, & obvium habuit Regem in campo ſuburbano Civitatis via Zakrocimenſi, quem primus ex equo deſcendens Elector poſtquam ſalutaſſet, & ad palatium deduxiſſet, ipſe quoque ad palatium Villæ Regiæ Iazdowo comitatus à Delegatis Regiis ſeceſſit, ac inſequenti die inſumpto moderandis conditionibus committendæ fiduciæ (ſeu feudi) hujuſmodi, die tertio ad Regem ſuper pegmate in area Bernardinorum ad hoc erecto habitu Regali conſidentem venit, flexuſque genu utroque jusjurandum fidelitatis, uti cliens Regi præſtitit, prælegente verba jurisjurandi Archicancellario Regni, qui tunc erat Laurentius Gembicki Epiſcopus Vladiſlavienſis, & Rege Vexillum cum inſigni Regni Poloniæ Aquila alba, ac leges feudi conceptas ſcripto ipſi tradente. Epiſcopus autem Fulinatenſis Simoneta, uti Nuntius Apoſtolicus denuntiavit interpellationem Summi Pon-

Brandeburgico Electori feudum Pruſſiæ confertur.

Brandeburgicus Elector jurat fidelitatem Regi Poloniæ.

Pontificis de Epiſcopatu Sambienſi & Pomeſaniæ, ab illis Ducibus ſuppreſſo, & de jure quod Cruciferi Sedi Apoſtolicæ in illa Provincia quæſierunt: atque hæc in Polonia anno iſto agebantur. A. C. 1611.

In cognata autem ejus Bohemia, fraterna odia iterum recruduerant: cum enim Matthias Archidux Regnum Vngariæ vi à Rudolpho Imperatore extorſiſſet, eoque ut attigimus ſupra, non contentus, etiam Bohemiæ Regno inhiaret, Imperator eam injuriam vindicaturus, Archiducem Leopoldum ipſi opponere volebat. Is itaque milites à Iuliaco deductos, & eouſque tali fine Paſſavii ſubſiſtere juſſos, ac ad numerum quatuor millium equitum, & novem millium peditum auctos, initio hujus anni in Boëmiam Romano Duce venire fecit, qui prædis & populationibus in obvia quæque ſævientes, Buduitium Oppidum inſigne, ſummiſſis inſidiis captum ſpoliarunt, & præſidio impoſito ad longiorem præmeditatæ neceſſitatis uſum munierunt. Ac primo divulgatum fuit, quod iſti milites quaſi tumultuantes ſtipendia ſolum emerita ab Imperatore repeterent; ſed cum Pragæ appropinquarent, longe diverſa parari apparuit: denuntiari enim fecit Leopoldus, ut in tota Vrbe reciperentur, quodque venirent non hoſtili animo, ſed ut dignitatem Imperatoris defenderent. Boëmis autem præſertim quod Matthiæ magis faverent, ad arma conclamantibus, illi ad vim converſi, irruptionem in Oppidum Pragæ parvum fecerunt, & trucidatis fere quadringentis ex Civibus qui reſiſtere voluerant, conflictum illum in duas horas (non ſine cæde quoque ſuorum) continuarunt, ac nonnullis ædibus direptione & incendio deformatis, reliquos habitatores ſubſidium à Civitate veteri (ponte intercluſa) deſperantes & lintea- mina alba è feneſtris in ſignum ſubjectionis explicantes, ad obſequium coëgerunt. Nec difficile Curiam quoque pulſis cuſtodiis occuparunt, & præſidiarios à Boëmis in Arce conſtitutos, una cum Felſio Præfecto, ad ſuâs partes tranſire fecerunt.

Leopoldus Archidux in Boëmiam exercitum ducit.

Leopoldi milites vi Pragam parvam occupant.

His ex voto peractis, die 16 Februarii Leopoldus tanquam delegatus Cæſaris in campo arci proximo totum illum exercitum luſtravit, & jurejurando in nomen Cæſaris ab eo recepto, ſtationes & machinas ad quatiendam Civitatem veterem diſponi ac diſplodi juſſit. Sed neque hoc modo illa ad officium revocari potuit, magno numero Proceribus & Nobilioribus quibuſque ad ejus defenſionem concurrentibus, qui & fecialem mandata Cæſaris adferentem admittere noluerunt; reſponſo dato, quod in fide Cæſaris permanerent, Leopoldo tamen & ejus militi ſubjici nulla ratione vellent. Interim ad Matthiam miſerant, ut ſubſidia vel adventum maturaret, & Franciſcum Tenagelium à Cæſare ad Electores & Principes Germaniæ pro conquirendis contra Matthiam auxiliis dimiſſum ex itinere retraxerant, pontem & ripas fluvii intermedii firmioribus excubiis munierunt, ne inde à Paſſavianis offenderentur obſervantes: donec Leopoldus videns quod obſtinationem eorum frangere non poſſet, & Matthiam cum decem octo armatorum millibus in proximo adeſſe audiret, nocte undecimam Martii præcedente, milites illos Paſſavienſes Buduitium dimiſit, & ipſe Praga diſceſſit. Matthias vero 24 Martii die adveniens, ſummo applauſu & ſuperbo Boëmorum apparatu fuit introductus in Civitatem veterem, ubi poſt multas querelas, opera Henrici Iulii Ducis Brunſvicenſis reconciliatio inter ipſum & Cæſarem coaluit certis conditionibus, quarum capita præcipua erant; ut Rex Matthias ex vectigalibus Boëmiæ Cæſari quotannis vita ejus durante trecenta millia nummorum aureorum ſolveret: Cæſar Præfecturas Bardovitiæ, Brandiſiæ, Liſaviæ, & Petſevariæ una cum Arce Pragenſi in vita retineret; Iuriſdictionem Imperialem plenam haberet: Boëmiæ autem Regni & ejus Provinciarum admini-

Leopoldi milites à Praga veteri rejiciuntur.

Leopoldus cum ſuo milite Praga diſcedit.

Matthias veniens Pragam cum Imperatore tranſigit de Regno Boëmiæ.

A.C. 1611. miniſtrationem cederet Matthiæ Regi Conſiliarii quoque Cæſaris nonnulli interim ſub cuſtodiis detenti, fuerunt liberi dimiſſi, una cum Tenagelio, qui uſque & tormenta pertulit. Nec minus negotii in concilianda illa pace attulit concertatio ſuper Privilegiis & libertatibus Boëmorum, præſertim hæreticorum, quorum licentia & publicus hæreſis uſus tunc maxime fuit ſtabilitus, literis ut vocant *Majeſtatis*, tali occaſione à Rudolpho eis datis. Atque his omnibus ſopitis, poſtquam Cæſar abſolverat Boëmos à jurejurando fidelitatis ſibi debitæ, Matthias Rex juravit ſe ſervaturum eorum Privilegia, nominatim Boëmiæ, Sileſiæ, Luſatiæ, Moraviæ Ordinibus ſervientia, & ritu Eccleſiæ Catholicæ ſolenni à Cardinali Dietrichſteino ſacram unctionem, omniaque inſignia regalia, ac ſimul jusjurandum ſubjectionis Ordinum illius Regni recepit die vigeſima tertia Maii, in Sacello D. Venceſlai Baſilicæ Pragenſis Arcis.

Rudolph. II Imp. abſolvit Boëmos ad obedientia ſibi debita.

Matthias coronatur Rex Boëmiæ 23 Maii 1611.

Iuliacenſis hæreditatis concordia tractatur Iutroboci.

Iuliacenſis quoque controverſiæ hoc anno concordia fuit tentata, congregatis ad eam tractandam Iutroboci Lipſiam prope Electoribus Saxoniæ & Brandeburgi, ac multis Principibus illarum proſapiarum, ubi poſt longa colloquia in eo conſenſerunt, quod Elector & Domus Saxonica quæ interim obtinuerat ab Imperatore diploma (ſeu notiori nomine Inveſtituram) ſuper illo Principatu, deberet conjunctim cum Brandeburgico & Neoburgico Principe poſſidere eundem Principatum, numerata certa pecunia, ſimul atque ad ejus poſſeſſionem admitteretur: Et intercederet apud Cæſarem pro revocandis edictis contra illos Principes publicatis, quibus diploma quoque ſuper illa ſucceſſione à Cæſare ſi poſſent obtinere liceret: Quodque cauſa tota in judicio Cæſaris cognoſcenda & definienda eſſent, cum adjunctis ad concipiendam ſententiam definitivam duobus Principibus à partibus nominandis, & demum victor cauſæ rem obtineret: Neoburgicus tamen illam concordiam nunquam ratam habuit. Nec multo poſt Elector Saxoniæ Chriſtianus II denominatus obiit ſubita Apoplexia correptus, cum fatigatus, ac ſudore madens ab haſtiludio hauſtium frigidioris ceteviſiæ avidius ſumpſiſſet. In ejus locum ſucceſſit Ioannes Georgius frater ipſius germanus.

Neoburgicus Princeps concordiam Iutrobocen. non ſuſcipit.

Chriſtianus II Elector Saxoniæ moritur.

In Comitiis autem Imperialibus Norimbergæ toto menſe Octobre & Novembre in magna frequentia Principum continuatis, nihil fuit concluſum deliberatione ſuper eligendo Romanorum Rege ad proximum Ver rejecta. Interim Matthias Rex initio Decembris Viennæ Auſtriæ nuptias celebravit cum Anna Archiduce Ferdinandi Tirolenſis filia, ſicque annum hunc totum lætus tranſegit, præter quod ex Vngaria non ſatis proſpera adivit. Gabriel enim Batori novus Tranſilvaniæ Princeps, uſus hac opportunitate, quod Matthias Rex Boëmicis rebus diſtineretur, occuparat Hermeſtadium, & reliqua Tranſilvaniæ loca, pulſis Auſtriacis præſidiis.

Matthias Rex nuptias celebrat cum Anna Auſtriaca.

Gabor Betlem Tranſilvaniam occupat.

Hoc anno etiam bellum inter Daniæ Regem & Suecum initia ſumpſit, inde quod Suecus mare Balticum infeſtum teneret, & plures Danos navigantes Rigam, in Curlandiam, in Pruſſiam, ſpoliaſſet, ac in Norvegia Daniæ propria diverſa Regalia & titulum Nordlandiæ ſibi uſurparet. Vnde Daniæ Rex poſtquam ſcriptis ad Ordines Sueciæ literis, præjudicia illa tolli, & damna illata ſibi compenſari poſtulaſſet, & ne reſponſum quidem obtinuiſſet, miſſo caduceatore bellum Regi Sueciæ denuntiavit; nec expectato quid reſponderetur, (tardius enim reſponderat Suecus amicam compoſitionem offerens) primis diebus Maii Chriſtianopoli movens Calmariam contendit, & contra Oppidum primo oppugnatione inſtituta, illud vi cepit, trucidatis omnibus ejus defenſoribus ſub finem menſis Maii. Arx diutius reſtitit, ſed & iſtam profligata claſſe Suetica, quæ obſeſſis ſubſidium ferebat, & Suecis qui in proximo caſtro poſuerant in fugam verſis,

Daniæ Rex Sueco Regi bellum infert 1611.

Calmariam Dani Rex capit.

A.C. 1611.

in fugam verſis, ad deditionem tertia de menſis Auguſti coëgit, ac Inſulam Olandiam ac Borcholmiam, quæ Arcis illius juriſdictionem ſequi ſolet, in ſuam poteſtatem redegit. Nec multo poſt ultimis diebus Octobris Carolus Sueciæ Rex, confectus mœrore ex infelici hoc ſuo ſucceſſu obiit, & belli illius difficultates reliquit ſucceſſori, de quo à principio Sueci multum diſſentiebant, aliis ad Sigiſmundum Regem, aliis ad ejus fratrem Ioannem ex alia matre Gunilla, aliis demum ad Guſtavum Adolphum defuncti Caroli filium inclinantibus; ſed tandem iſte omnium ſuffragia & Regnum obtinuit.

Carolus Rex Sueciæ moritur.

Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ renunciatur.

Annus Chriſti, 1612.

DIximus ſupra Polonos præſidiarios Arcis Vrbis Moſchuæ condixiſſe ſeceſſionem ad ſextam Ianuarii conſequentis iſtius Anni Milleſimi, Sexcenteſimi, Duodecimi. Adveniente itaque illa die præſtituta, cum nec monitionibus Regis, nec precibus præfectorum militarium à propoſito ſuo avocari poſſent, diſceſſum conclamarunt, & concilio facto elegerunt ſibi Mariſchallum Ioſephum Cieklinski, ac certos Conſiliarios & Tribunos, quibus commiſerunt Imperium militare: iſtiſque Ducibus recta in Poloniam arce Moſchuæ relicta abierunt. Septem millia Equites erant iſti ſponte propria unius impoſtoris Demetrii auſpicia ſequuti, cum quo nullis ſtipendiis, vel ſaltem non Polonicis Moſchoviam edomuerant, & in finem ſubjugare poterant; ab eo autem inconſulto ad partes Regias nullo operæprecio, (immo Moſchorum commodo quorum vires ita fuerant redintegratæ) avocati, ſtipendia ingentis ſummæ à Republica Polona uſurparunt, ne theſauro quidem Moſchico Ducali tantæ æſtimationis, quem ut alias memoravimus diſcerpſerant, ſatiati.

Præſidiarii Moſcha facta ſeceſſione ex Moſchovia diſcedunt.

In Poloniam autem ingreſſi, Leopoli Mariſchallo & Magiſtratui ſuo ſede fixa, manipulatim in Palatinatibus minoris Poloniæ diviſi, omnes Præfecturas Regias occuparunt, & æque iſtis atque Eccleſiaſticorum poſſeſſionibus immoderata tributa impoſuerunt, donec ſtipendia quæ prætendebant à Republica reciperent.

Moſchicæ ſeceſſionis militum inſolentia.

Sed ne Moſchuam quam ipſi deſeruerant nos quoque deſeramus, ibi manſerat Demetrianorum una legio Sapihana denominata. Pars quoque Smolenſcianarum copiarum cum Staniſlo & Predborio Koniecposki eo iverat: ac quo non ceſſaret Ducum æmulatio, (unica ibi cauſa ſeceſſionum militarium, & demum rei totius jactura) Iacobus Potocki Palatinus Braclavienſis laudem ſervatæ Arcis illius ſibi ipſi non Chodkievicio tribui cupiens, miſerat eo Nicolaum Struſium ſuum ſobrinum cum parte peditatus Smolenſciani; iſque toto tempore reliquo à diſceſſu fœderatorum pro præſidio ibi præfuit, ſtudiis militum ita diviſis, ut non minus ad ſimultates mutuo exercendas, quam ad hoſtem propulſandum eſſent intenti. Vnde provenit, quod Moſchis circumcirca Arcem illam obſidentibus, pro ſervando anguſto, qui adhuc patebat ad Arcem juxta fluvium Moſchuam tranſitu, & obſeſſi in recipiendis, & ſubſidiarii in ferendis ſubſidiis oſcitanter agebant, nec alter alteri ſubvenire opportune curabat, illudendo laboranti, ut gloriam ſibi ſuamet virtute pararet. Non multo poſt legio illa Demetrianorum Sapihana, quæ quatuor millibus equitum conſtabat, ab hujuſmodi turbatoribus concitata à Chodkievicio deſcivit, ac inito quoque fœdere pro repetendis ſuis ſtipendiis in Poloniam ſeceſſit, moderatoremque talis fœderis ſeu Mariſchallum elegerat ſibi Ioannem Zalinski, qui Breſtiæ Lithuaniæ

Moſcha in præſidio remanſit Sapihana legio.

Polonorum Ducum in ſervanda Moſcha diſſenſiones.

Sapihana legio ſeceſſione facta Moſcha deſerit.

Miles ſeceſſionis Moſchicæ tributa gravia exigit.

A. C. 1612.

Sigiſm. III, Rex Pol. conſilium ferum ſuſcipit de mittando Vladiſlao Principe in Moſchoviam.

cum adjunctis ſibi conſiliariis confidens, longe lateque circum in Palatinatibus vicinioribus Regias Eccleſiaſticorum poſſeſſiones ſociis fœderis ejuſdem diſtribuit ſtationibus & tributis divexandas, donec à Repub. ſtipendia ipſis ſolverentur. Rex autem Sigiſmundus tum demum permotus querelis Ordinum, quod debitum ſtipendiorum tantæ multitudini ſolvendorum recideret in Rempublicam; nonniſi propter denegatum Moſchis Principem Vladiſlaum, ſerum conſilium de eo in Moſchoviam deducendo ſuſcepit, ſpe non incerta quod adhuc Moſchi ad officium revocari potuiſſent, ſi modo celerius egiſſet. Sed in in conquirendis copiis totum tempus rei gerendæ opportunum effluxit. Fœderati equites, qui ſperabantur ſequuturi iſtum Principem tantopere ante deſideratum, ineſcati otio & affluentia ſuorum ſtativorum, loco moveri noluerunt.

Miles ſeceſſionis Moſchicæ Regem comitari in Moſchoviam recuſat.

Smolenſcum Rex Sigiſm. venit.

Præſidium Smolenſci Moſchuam ire cum Rege detrectat.

Sigiſm. Rex milites Smolenſcii ipſemet pro contione invitat ad iter Moſchicum.

Peditatus vero Germanici legiones duæ, quarum unam Theodorus Dinhoff Dux militaris veteranus, alteram Vrſemberg ducebat, adulta jam æſtate Vilnam advenerant, eiſque demum receptis, ac luſtratis, Rex eſſumpto Principe Vladiſlao movens, eas tarde incedentes Orſæ iterum diutius expectavit. Smolenſcum deinde menſe Octobre adveniens, majorem remoram invenit; Equitatus enim ibi ſubſiſtens (in quo potiſſima ſpes erat) Regiis conjungi caſtris juſſus, pertinacius recuſabat, niſi pars ſtipendiorum emeritorum, vel donativum aliquod ſibi numeraretur: quæ difficultas plurimum negotii attulit, cum deeſſent & pecuniæ, & alius equitatus, præter unam Prætoriam haſtatorum, & paucas velitum cohortes, nec ſuperari potuit, quantumvis Rex (perſuaſus ab aliquibus quod eo modo flecterentur) convocatos omnes pro concione milites ipſemet allocutus, ad illam expeditionem invitarit; donec eo cum ſuo Comitatu iter Moſchuam verſus ingreſſo, à maturioribus admoniti, quod evidentem turpitudinem non evitarent, ſi in tanta neceſſitate desererent Dominum ſuum, reſipuerunt. Non omnes tamen, ſed mille ducenti equites ſolum Ductore Adamo Zolkiewski (Iacobus Potocki Palatinus Braclavienſis, qui illi militiæ præerat, decumbebat ex quartana) Viaſmam conceſſerant, ubi Rex & eorum & Chodkievicii adventum præſtolaturus ſubſtiterat, medio itinere inter Moſchuam & Smolenſcum. Acciderat autem quod ipſo die diſceſſus Regis è Smolenſco, catharacta penſilis Ducalis portæ, (ſeu ita denominatæ) qua Rex erat tranſiturus caſu abrupta & delapſa portam obſtruxerat, nec ulla vi dimoveri poterat, ut Rex ad aliam portam deflectere debuerit: omine non vano, quod introitus Ducales in Moſchovia conſequuturus non eſſet.

Omen ſiniſtrum eundi Moſchuam Sigiſmundo Regi.

Moſchi obſident Polonos in Arce Moſchua.

Interim enim Moſchi obſidioni Arcis Moſchicæ inſtabant, tanto majori fervore, quod Chodkievicius poſt diſceſſum legionis Sapihanæ viribus diminutus, eorum conatibus reprimendis non ſufficeret; præſertim quod peditatum nullum habebat ad oppugnandas munitiones, quas illi ingenti opere extruxerant, & continuo in circuitum arcis promovebant. Tota tamen æſtate diſtinuit hoſtem, & obſeſſis neceſſaria ſuppeditavit; & demum menſe Septembre cum Moſchi excitatis aggeribus & Caſtellis ad ripas fluvii Moſchua ex adverſo Arcis omnem ad eam aditum intercluſiſſent, ac obſeſſi extrema rerum penuria laborarent, ille cum commeatu copioſa adveniens, hoſtilem primo exercitum, qui campeſtria proxima inſederat diſſipavit, deinde & tranſitum ad Arcem vi aperuit. Ad horam meridianam à ſummo mane duravit ille conflectus, & jam patente libero ad Arcem acceſſu, iſti auxiliarii omnia in tuto eſſe arbitrati, tantiſper donec reficerent obſonio vires conſederant, introducturi mox quadringentos currus intro Arcem cum commeatu: Pedites quoque quingenti, quos recens adduxerat Niewiárowski intrarant in Arcem, cum Moſchi recollecti denſis agminibus in currus illos irruerunt. Nec poterant equites ſubvenire

Moſchi profligantur à Polonis.

in

in loco ruderibus foſſiſque toto impedito, & ripis præaltis Moſchuæ fluminis imminente, circa quas Moſchi pedites omnes ſtatim ut accurrerant abditi, denſum jaculorum imbrem emittebant. Verum Struſius præſidii Arcis illius Præfectus incuſabatur, quod tunc (forte invidia gloriæ Chodkievicii) excurſionem non fecerit, cum valuerit peditatu. Sed quiſquis cauſa fuerit, illo caſu concidit tam certa, tanto ſanguine, tot victoriis, totque impenſis parta Polonis ſpes potiundi Moſchoviæ imperio: priuſquam enim Chodkievicius alium comparaſſet commeatum, Moſchi firmioribus propugnaculis aditus illius Arcis omnes obſtruxerant, & obſeſſi conſumptis in cibum non equis tantum, ſed & iis à quibus natura abhorret, (neque enim canibus, felibus, ac humanis carnibus pepercerunt, quodvis corium minutim conciſum ac elixum mandurarunt) fame conſtricti ſub finem menſis Octobris deditionem fecerunt, non Arcis ſolum, ſed & perſonarum ſuarum. Statim enim in cuſtodias ad longinquiora Moſchoviæ loca ſunt omnes abducti, præter Struſium, qui Moſchuæ toto tempore captivitatis ſuæ detinebatur. Viazmiæ Rex eum nuntium accepit, & deliberatione inita rediretne progredi maluit, ut Moſchi de eligendo ſibi Duce adhuc animis fluctuantes, ad recognoſcendum Principem Vladiſlaum, vel ad tractatus aliquos pacis elicerentur. Ac Federouſcum uſque pervenerat, legione equitum Smolenſcianorum recta Moſchuam præmiſſa, qui ſub ipſis Vrbis illius portis excurſionibus excepti, ne ad colloquium quidem Moſchos evocare potuerunt. Ad ipſum quoque Regem nullus Moſchorum venit, immo clauſis ubique oppidis hoſtilia præferentes, ex inſidiis pabulatores Regios non leviter affligebant. Quod iſti ulturi, Volocum oppidum oppugnarunt irrito eventu. Inter injurias enim hyemis acerbioris cum ſub dio in caſtris diutius conſiſtere non poſſent, & pabula equorum deficerent, reditum maturare ſunt coacti. Rex recta Smolenſcum, & inde in Poloniam revertebatur itinere moleſtiſſimo (adſui præſens) propter alternas inter frigora intenſiſſima pluvias, quibus glacies uliginoſorum locorum & fluminum (ibi ſunt frequentia) diſſoluta, difficiles ac pæne impervios tranſitus viatoribus reddebat; plane præter ſolitum illius regionis uſum, quod à medio Decembre ad medium Ianuarium Boriſthenem fluvium bis gelu concretum, bis humidior tepidi aëris intemperies diſſolverat. Atque hic fuit exitus expeditionis illius, & Electionis Principis Vladiſlai in Ducem Moſchoviæ, ad quam evertendam unus error non ſuffeciſſet, niſi tam multiplices fuiſſet cumulati. Nec licuit deinceps tanta damna reparare, cum Moſchi ſtatim Michaëlem Fedorowicz filium Metropolitæ Roſtocienſis, qui tunc adhuc ſub cuſtodia detinebatur Mariæburgæ, Ducem Moſchoviæ concordibus votis elegerint, & uno ex diadematibus Ducalibus, quæ in illa direptione theſauri Ducalis Sapihanæ legioni ſorte ceſſerant, ac penes quoſdam ex illa legione in præſidio Arcis Moſchuæ uſque ad deditionem demoratos vinctoſque circa deditionem reperta fuerant, coronarint, pro eoque conſtantiſſime decertarint, ut locis ſuis apparebit. Demetrii quoque aſſectatores circa Calugam diverſantes, eadem hyeme oppreſſerant, corruptis pretio Dunenſibus Koſacis, à quibus Marina Mniſzkowná cum filio ſuo ex Demetrio ſuſcepto tradita, aquis ſubter glaciem immerſà, & Zarucki ipſius defenſor palo infixus interiit.

A.C. 1612. Moſchi præripiunt commeatum Polonis. Poloni Præſidiarii Arcis Moſchuæ deditionem faciunt. Sigiſm. Rex accepto Viazmiæ de dedita arce Moſchua Nuntio progreditur verſus Moſchuam. Moſchi elici non poſſunt ad tractatus de recipiendo Vladiſlao Principe. Volocum oppugnant Poloni irrito eventu. Sigiſm. Rex redit ex Moſchovia in Poloniam. Hyems ſolito tepidior in Moſchovia. Moſchi eligunt ſibi Regem Michael. Fedorowicz. Demetrii uxor Marina Mniſzkowná ſuffocatur cum filio.

Dum autem ita Poloni hoc anno infeliciter aliena quærunt, etiam propria in Moldavia amiſerunt; tanto graviori jactura, quod inde proceſſit infinita ſeries majorum calamitatum, quæ Regnum hoc in annis conſequentibus miſerabiliter afflixerunt, eique perpetuum timorem ultimi interitus adduxerunt, Tartaris tali occaſione in Moldavia ſede comparata. Cujus mali germina in dies & annos

Moldaviam amittunt Poloni.

A.C.1612. annos ſingulos acerbiora vidit noſtra ætas: poſteri judicabunt an nōn ſequentur longe deteriora. Præſentia quod attinet, ante triennium deceſſerat Moldaviæ Princeps Hieremias Mohila, cujus filius natu major Conſtantinus (jus hæreditariæ ſucceſſionis in illo Principatu habebat, proſapia vetus Ducalis, præſertim iſta Mohiliana) ſucceſſerat in illo Principatu, & Machmet Imperator tunc Turcarum, eam ſucceſſionem confirmarat, hocque præcavebant ſemper in pactis ſuis cum Turca Reges Poloniæ, & uſque armis ſæpius (ut olim expeditione Ioannis Tarnovii contra Petrum Palatinum, & alia Nicolai Sieniavii Palatini Ruſſiæ, A. C. 1552 qua Alexandrum Moldavis Palatinum dedit, tum & A. C. 1572 Nicolai Mielecki, pro Bogdano reſtituendo ad illum Principatum. & altera A. C. 1595 Ioannis Zamoyſcii Ciczoriana. & A. C. 1600 Michaliana, ac Ioannis Potocii plurimis, vindicarunt, ut in iſta Ptovincia ſocia Regni Poloniæ, nempe cui à multis retro ſæculis ſocialem fidelitatem uti clientes Duces illi jurate ſolebant, nonniſi legitimi Ducalis ſanguinis, nativique Moldavi Polonis addicti præeſſent, ſtatumque tantum, illudque moderatum tributum ad ærarium Ottomanicum penderent: ne nimirum iſtis excluſis, Turcæ præficerent ibi alienigenas fideliores ſibi, & iniquiores Polonis, vel inſtituerent præſides Baſſas ſui generis, ſui permitterent eò conduci colonias Tartarorum.

Is itaque Conſtantinus ætate & conſilio immaturus, in brevi offenderat in multis vitio affinium, à quorum arbitrio ſumma regiminis totius Moldaviæ pendebat, & meliora emolumenta, immo vectigalia quoque Turcæ deſtinata in eorum uſus derivabantur. Vnde Turca cum uno & altero anno conſuetum ab eo tributum non recepiſſet, & monitionibus nil proficeret, ſubornarat Stephanum Tomſza (incertum quo fuerit genere iſte, niſi quod inter Vngaros pedites Regios meruerit in Polonia) qui opera Tartarorum à Cantimiro Murza adductorum, Moldaviam invaſit, ipſo Conſtantino Chocimum fuga ægre elapſo. Quam injuriam Proceres Regni maturiores magis Rempublicam, quam Conſtantinum afficere judicantes, per Legationes & amicam compoſitionem vindicandam cenſebant, & ſi hoc non ſuccederet, tum demum armis idque nomine publico, & cum exercitu bene inſtructo, pro recuperanda Provincia Reipublicæ ſocia certandum. Verum Stephanus Potocki affinis Conſtantini, nempe cujus ſororem germanam Mariam uxorem habebat, moræ impatiens, & elatus victoriis fratris ſui Ioannis Potocki nuper præfecti Camenecenſis, qui multa bello in illa Provincia præclare geſſerat, viribus propriis pellere è Moldavia Tomſzam conſtituit. Nec deſiſtere voluit à propoſito, licet monitus à Rege, ſed conquiſitis ſubſidiis à primariis illorum confinium, ac collecta in fidem Conſtantini juſta militum manu, una cum ipſo & ejus fratre Alexandro intravit in Moldaviam initio menſis Auguſti iſtius anni; ſex millibus pugnatorum conſtabat ipſius exercitus, præter juvenes nobiliores plurimos, qui exercitationis cauſa ejus caſtra comitabantur: & par fuiſſet periculo, ſi modo nimius contemptus hoſtis peritiorum in arte militari Tribunorum conſilia non turbaſſet. Inde enim evenit, quod nulla lex militaris in inceſſu ſervabatur, ſine ullo ordine pabulatores in longinqua deflectentes ab hoſte intercipiebantur: excubiæ raræ agebantur: excurſores, ac exploratores nulli præmittebantur, & nulla prorſus notitia quo loco hoſtis eſſet, quas copias duceret habebatur, donec tranſmiſſo fluvio Prut, Gerazus Ammiano Marcellino, *libro* 31. *Hiſtoriæ fol.* 3. (aliis, & Cromero *libro* 12. *Hieraſus* dictus, forte quod regionem ex qua emanat inhabitabant Hieri populi Sarmatiæ olim finitimi, ubi nunc eſt Ruſſiæ Pocutia montibus Tranſilvaniæ conjuncta) apud confluentem Dzie-

Moldaviam invadit Tomſza.

Potocii Stephani expeditio in Moldaviam.

Potocii Stephani clades in Moldavia.

A.C. 1612.

Dziezam hoſtis ex inopinato advolans cum triginta millibus equitum Tartarorum, montes proxime imminentes inſedit, & nil moratus cum Potociani tum primum Ordines inſtruerent, & locum commodum ubi aciem explicare poſſent non haberent, (*Saſowy Rog* ille locus denominatur à multis cladibus Moldavorum & Polonorum præſertim Wiſniowięcii notus) irruens & à fronte, & ab utroque latere, ut ne quidem expędire arma poſſent, eos concluſit; & etiam à tergo ripis fluminum occupatis, omnes ſine pugna & cæde in vincula accepit, præter paucos qui inter confertas hoſtium turbas eruperunt, ex quibus etiam in lubricis fluminum illorum nimium rapidorum alveis alii abſorpti, alii aquis ſuperatis à Tartaris intercepti perierunt. Ipſe Stephanus Potocki refugerat inter currus Caſtrenſes,ſed agnitus perductuſque ad Tomſząm,paucos poſt menſes Conſtantinopolim fuit miſſus. Conſtantinus inter viliores captivos latens apud Tartaros, nec agnitus, frigore & egeſtate cui non aſſueverat interiit, ejus frater Alexander tenerior annis & facie venuſtiori Gynæceo Turcæ adſcriptus, ad Machometiſmum tranſivit. Alii Nobiliores gravi lytro Tartaris perſoluto libertatem redemerunt. Aperta autem, qua nunquam patuit via, per Moldaviam ad interiora Poloniæ, ſtatim Tartari ab illo conflictus loco, recta in Poloniam excurrerunt, cædibus incendiis & rapinis longe lateque in obvia quæque ſævientes. Nec erat qui obſiſteret. Potocius enim omnes ex illis partibus militares, & etiam præſidium Arcis Camenecenſis ſecum abduxerat. Staniſlaus Golski Palatinus Ruſſiæ, collegerat quidum tumultuarie duo millia equitum, ſed ipſos quoque clade illa Potociana perculſos, meliori tempori ſervare maluit. Nec multo poſt ſenectute & morbo gravatus obierat, eique in Præfectura Barenſi Staniſlaus Zolkiewski Palatinus tunc Kijovienſis, & exercitus Regni Præfectus beneficio Regis ſucceſſit, dimiſſa Alexandro Zborowski Præfectura Miedzyrzecenſi. Hoc anno quoque natus fuit Sigiſmundo Regi filius nominatus Ioannes Albertus die 25 Maii hora antemeridiana.

Potacius Stephanus captivus mittitur Conſtantinopolim.

Conſtantinus Mohila Palatinus Moldaviæ interiit.

Tartari in Podoliam excurrunt.

Ioannes Albertus filius Sigiſmundo Regi naſcitur.

Et ut externa quoque attingamus, hujus anni initio menſe Ianuar. Imperator Rudolphus II, obiit 60, ætatis ſuæ anno, Imperii 36. quos omnes exegit in ſumma animi tranquillitate ac quiete, Praga, immo & ex palatio ſuo vix unquam ſe movens, & bella quæ cum Turca habuit, per Legatos adminiſtrans. Ad ultimum turbarunt ejus otia odia fraterna, quæ & vitam ipſi abruperunt: Rex Matthias cum uxore ad finem Ianuarii Vienna Pragam adveniens, funus ejus ad Templum Arcis Pragenſis efferri fecit ex palatio, pompa lugubri in aliud tempus dilata. Inquiri etiam fecit in ejus miniſtros familiariores, quorum Ruſcius ærarii Præfectus, veritus acerbiorum quæſtionum cruciatus, laqueo ſibi injecto in carcere vitam finivit. Elector vero Saxoniæ & Palatinus Rheni (Bipontinus tunc uti tutor Friderici Flectoris impuberis) qui ex Bulla aurea Caroli IV, vices Imperatoris vacante imperio ſuſtinent, ſtatim mortem Imperatoris omnibus Germaniæ Ordinibus denuntiarunt, ſingulos ad pacem interim ſervandam adhortantes, quoad Imperator novus eligeretur. Et morte Imperatoris comperta Elector Moguntinus, ut Cancellarius Imperii, Electores Francofurtum evocavit. Nam condicta fuit dies undecima Maii pro eligendo Rege Romanorum Francofurti; eodem tempore præſtituto convenientes Electores Francofurtum, Matthiam Regem, qui etiam præſens ibi adfuit, Imperatorem Romanum ſalutarunt, cumque ritu ſolenni decima quarta Iunii coronarunt, ſacra Coronationis exequente Archiepiſcopo Moguntino. Vxor Imperatoris tertio poſt die fuit coronata ritu perſimili: cujus rationes cum ſint jam à multis divulgatæ, non eſt quod hic recenſeantur.

Rudolphus II Imperator moritur.

Matthias Rex inquirit in miniſtros Rudolphi.

Electores denuntiant mortem Imperatoris in Germania.

Matthias Imperator Rom. eligitur & coronatur, 14 Iunii, 1612.

Matthia Imperatoris uxor coronatur.

Pragam reverſus Imperator, menſe Octobre Rudolphi Imperatoris funus ſo-

A.C. 1612. lenni apparatu efferri, ac in templo Cathedrali ſepulchro includi fecit, ipſemet aſſiſtens illi celebritati, una cum Archiduce Maximiliano fratre, & Ambroſio Spinola, qui tum Pragam venerat ex Italia, accitus ab Hiſpanis novum bellum in Germania apparantibus; cujus cauſam ut haberent, obtinuerant ab Imperatore, quod commiſerit ipſis, ſive Adminiſtratori Belgii Alberto Archiduci executionem mandati pro demoliendo opere Mulchemiano prolati. Iuliacum enim poſſidentes Principes oppidum ditionis Iuliacenſis Mulchemium munierant inſtar Civitatis contradicentibus Colonienſibus, qui poſt multas ea de re querelas agitatas impetrarunt, ut decreverit Imperator, quod obſtantibus Colonienſis Civitatis privilegiis, in loco illi tam vicino aliam Civitatem fundari non liceret, & cum nihilominus Principes Iuliacenſes in muniendo Mulchemio perſiſterent, mandata contra ipſos pœnaria niſi deſiſterent, Imperator interpoſuerat, eorumque executionem Hiſpanis commiſerat, ac etiam executionem alterius mandati prolati contra Aquiſgranenſem Civitatem, ubi hæretici contra Catholicos pro aſſerendo ſibi libero hæreſis uſu, quantumvis mandatis Imperatoriis prohiberentur, tumultuari non ceſſebant: quid porro ſucceſſerit, paulo infra attingemus.

Rudolphi Imperatoris pompa funebris.

Mulchemium demoliendum committitur Spinolæ.

Aquiſgrani tumultus.

Gallia & Hiſpania hunc annum feſtivis ludis ac ſpectaculis exegit, propter initas mutuo connubiales affinitates. Hiſpani enim Regis filiam Annam deſponſavit tunc Galliæ Rex Ludovicus XIII, & viciſſim Hiſpani Regis primogenitus Philippus Elizabetham illius Regis germanam.

Ludovico XIII. Galliæ Regi deſponſatur Anna Hiſpana.

Hiſpaniæ Regi deſponſatur Eliſabetha Galliæ Regis ſoror.

Anglia quoque hoc anno nuptialibus curis vacavit, filia unica illius Regis Iacobi VI, in matrimonium collocata Friderico Electori Palatino, qui ſub finem iſtius anni per Hollandiam in Angliam claſſe delatus, Londini ſponſalia iſta confirmavit. Sed in primo eo ſuo adventu lugubrem illam Aulam invenit ex morte Henrici Valliæ Ducis Regis illius primogeniti, interim veneno extincti. Vnde ad principium anni proximi pompa ejus nuptiarum fuit rejecta. Nec aliud ad præſens notabilius ex illis partibus occurrit.

Friderico Electori Palatino deſponſatur filia Regis Angliæ.

Henricus Angliæ primogenitus veneno extinctus.

Attigimus alias à Daniæ Rege Suecis fuiſſe illatum bellum, quod ille continuans, multa damna à Suecis in Norvegiam excurrentibus accepit, & naves plures onerarias amiſit; ipſe autem Sueciam ingreſſus, Elsburgum & Goltbergum oppida bene munita oppugnauit, & ad deditionem coëgit; inde progreſſus Ienocopiam cinxit obſidione, quam tamen re infecta ſolvit, deficiente ſibi commeatu, & tandem utrique bello iſto fatigati, pacem tractarunt anno ſubſequenti. Ex Italia hoc anno nil ſingulare occurrit, præter conjurationem contra Ducem Parmenſem ab ejus ſubditis fabricatam, quam tempeſtive detectam, Dux ille bene vindicavit, aucto ſuo peculio prope quinquaginta millibus nummorum aureorum in annuis cenſibus ex poſſeſſionibus conjuratorum fiſco ſuo applicatis, & inſuper ſupplicio conjuratorum, quorum præcipui fuere, Hieronymus de Sala Marchio, Horatius Simoneta Comes, Pius Torellius Comes, Alphonſus San Vitalis Comes, Ioannes Baptiſta Maſſa Comes, ac minoris notæ plures, præſertim miniſtri iſtorum.

Dani cum Suecis belli progreſſus.

Parmenſes contra ſuum Ducem conjurant.

Annus Chriſti, 1613.

Sigiſmundus III, Rex Poloniæ reverſus ex Moſchovia celebrat Varſaviæ Comitia 1613.

REvertens autem ab Expeditione Moſchica Rex Poloniæ Sigiſmundus, indixerat Comitia Generalia Ordinibus Regni ad menſem Februarium hujus anni, Milleſimi, Sexcenteſimi Decimitertii Varſaviæ, quo emenſo ducentorum viginti milliarium Polonicorum itinere, (tanta enim eſt

eſt à Smolenſco Varſaviam diſtantia) veniens, præcipua deliberationum Comitialium capita proponi fecit, de procuranda ſolutione ſtipendiorum militi Moſchico: & ſi impenſæ pro bello contra Moſchos proſequendo non ſuppeditarentur, ad minus providerentur pro ſervandis ibi arcibus quæſitis, præcipue Smolenſco, ac de vindicanda clade in Moldavia nuper accepta, ipſaque Moldavia temere à Tomſza uſurpata. Pro recuperatione Regni Sueciæ ſubſidium à Republica tantis anguſtiis preſſa ſperari non poterat, inſinuatum tamen fuit, ut admonerentur Ordines, quod Moſchua, unde Rex in Sueciam divertere propoſuerat amiſſa, amitteretur quoque tanta rei benegerendæ pro vindicando illo Regno occaſio, & bellum quod inde Livoniæ immineret, meliori compendio Moſchicatum virium averti potuiſſet. Quamvis autem tam ardua negotia intentiorem curam requirerent, de recepto tamen more diſtrahendi privatis Comitialia conſilia ſtudiis nil remittebatur. Laurentius Gembicki poſt adeptum à triennio Epiſcopatum Vladiſlavienſem euſque lege vetante retinebat Archicancellariatum Regni, cujus dimiſſionem cum obſervantiores legum urgerent, alii ad proxima Comitia differendam ſuadebant, ne nimirum offenderentur ſuffragatores, & præſertim Marchio Sigiſmundus Myſzkowski Archimariſchallus Regni, qui Henrico Firley ex competitoribus potiori, nempe favore Reginæ ſubnixo, maxime averſabatur. Atque iſta contentio majorem Comitiorum partem extraxit, & tandem dimiſſum Archicancellariatum, Felix Kryski minor Cancellarius obtinuit, in minori autem Cancellariatu Firlejus ſucceſſit. Nec hic tamen quieverunt Nuntii Terrarum (Mariſchalli inter eos munere Maximilianus Przerębski Præfectus Petricovienſis fungebatur) ſed quaſi tunc primum experrecti damna ſuſcepti inconſultò contra Moſchos belli, & magis avocati à Demetrio exercitus, ac in ſtipendia Reipublicæ adſcripti, tantoque exinde onere Rempublicam gravatam eſſe ſentientes, querelis omnia permiſcebant. Parumque abſuit quin Comitia abrumperentur rebus infectis, & nulla pecunia proviſa in ſolutionem illorum ſtipendiorum, ut quæ inſciis Ordinibus Regni promiſſa, ſuos authores non Rempublicam obligarent. Vicit tamen eorum ſententia, qui domum non tunc dum incendio flagraret, ſed eo prius reſtincto (tale argumentum Kryſcius Archicancellarius oppoſuerat) verrendam eſſe ac ordinandam cenſebant: nempe intempeſtive inquiri cauſas mali, cum jam militi rapinis Provincias omnes divexanti perſuaderi non poſſet, ut ſtipendia ſua non à Republica, ſed à promiſſorum ſponſoribus repeteret. Ac finientibus Comitiis impoſita fuit omnibus Provinciis octupla collecta agraria, quæ ſuffectura videbatur ſolvendo illi debito. Sed inſolentia militum variavit calculum; non contenti enim ſtipendiis conſuetis, extraordinaria ſeorſum pro excubiis muralibus, ad quæ eques (ut ajebant) non tenebatur, requirebant, ac præterea compenſari ſibi damna accepta (nempe equorum amiſſorum) volebant. Interim legiones quoque Smolenſcianæ ſeceſſionem maturarunt, & relicto Smolenſco, in Poloniam progreſſæ, occuparunt Provincias majoris Poloniæ & Pruſſiæ, Electo ſibi Mariſchallo Zbigneo Silnicki, qui Sedem ſibi cum potioribus illius militiæ Præfectis Bydgoſtiæ fixerat. Et æque iſti ultra ſolita ſtipendia, donativa exigebant, univerſique illi exercitus debiti ſui ſummam reducebant ad centies centena millia aureorum ſeu florenorum communium in Polonia, id eſt in optimæ qualitatis moneta, cum duobus florenis, & decem communibus obolis ſeu groſſis, unus tunc aureus nummus Vngaticus, quadraginta autem obolis argenteis denarius (talerus dicitur) Imperialis conſtaret. Cui ſolutioni cum rationes tributorum ex proximis Comitiis collectorum non reſponderent, alia Comitia extraordinaria ad finem menſis Novembris ejuſdem anni

A.C. 1613.

Kriſcius Felix renuntiatur Cancellarius Regni.

Firlejo defertur Vicancellar. Regni.

Poloni ſerò errores in bello Moſchico commiſſos advertunt.

Miles Moſchicus non tantum ſtipendia ſed & damna accepta repetit.

Smolenſcum præſidiarii deſerunt.

Stipendiorum Moſchico militi debitorum ſumma.

A.C.1613. Varſaviæ Rex cum Ordinibus Regni celebravit. In eiſque partim ex donatione Eccleſiaſticorum & Præfectorum bonorum Regiorum, partim ex agraria collecta ſolito majori, ac novis tributorum nominibus rantæ neceſſitari proviſum fuit, cum admiratione omnium etiam externorum, qui judicabant nulla ratione in Polonia conquiri potuiſſe tantam vim pecuniæ, in qua conferenda ditiſſima quævis Regna laboratent, præſertim in tantis anguſtiis, cum miles omnes Civitates & poſſeſſiones juris Regii ac Eccleſiaſticorum veluti bello captas teneret, & premeret ingentibus rributis, ut quæ extorta à ſingulis agricolis pauca jugera colentibus, quolibet trimeſtri excederent duodecim aureos ſeu florenos communes. Anno demum ſubſequenti conquievit hoc malum, ut ſuo loco dicetur.

Tributorum ſumma quæ militaris inſolentia exigebat poſt bellum Moſchicum.

Hoc autem anno nihil accidit aliud in Polonia memoria dignum, cum Moldavica negotia domi rebus tantopere turbatis curari non potuerint. Expeditus tamen fuit Samuël Targouwski Nuntius ad portam Ottomanicam, conqueſtum quod Conſtantino Mohila legitimo Moldaviæ Principe pulſo, contra pacta mutua Tomſza ibi præſideret. Liberatio Stephani Potocki, qui in turri nigra denominata, compedibus ferreis vinctus apud Conſtantinopolim tenebatur, privatim tractari debuit, ne iſte publico nomine invaſiſſe Moldaviam crederetur. Menſe Aprili Gneſna tota cum templo Cathedrali, & inſtitis Mercatorum, qui eo ad nundinas magna frequentia confluxerant, incendio fortuito conflagravit: quod malum in Germania quoque Magdeburgam & Oſnaburgam ſub idem tempus afflixit. Aula vero Regia toto hoc anno congratulationibus feſtivis vacavit, ob renuntiatum primo ſub Comitiis novum Magiſtratum Cancellariæ, deinde menſe Iulio collatam Referendariam Hieronymo Cielecki, & Secretariam majorem præteritis pluribus maturioribus emeritis, juveni Iacobo Zadzik impotenti favore Andreæ Bobola Præfecti tunc Regii Cubiculi adjuto. Demum die ſeptima Octobris ipſi Regi Sigiſmundo natus filius Carolus Ferdinandus ad fauſtos applauſus omnium animos tanto magis excitavit.

Legatus mittitur ad Turcam pro rebus Moldavicis.

Gneſna conflagravit.

Carolus Ferdinandus filius Regi Sigiſm. naſcitur 7 Octobris. 1613.

Apud exteros quoque hoc anno Mars quievit, nam & Dani cum Suecis initio hujus anni bellum & controverſias mutuas ſopierunt, ea conditione, ut Suecus Rex à titulo quem uſurparat in præjudicium Dani abſtineret, ipſi Danus Colmariam cum Inſula Olandia reſtitueret, Helſpurgum vero interim retineret, donec certum pecuniæ debitum ſibi ſolveretur à Sueco.

Danus cum Sueco pacem facit.

Imperator Matthias menſe Martio Poſonii Vngarica Comitia celebravit, in quibus uxorem ſuam diademate Regio Vngariæ ſolenni ritu coronari fecit: cumque rumor ferret Turcam ſtabilita cum Perſianis pace, arma ſua in Vngariam tranſlaturum, munioribus Vngariæ locis præſidia Germanica impoſuit, fruſtra reclamantibus, & Privilegia ac pacta recens ab ipſo jurata opponentibus Vngaris. Mox etiam ad alia Comitia Ordinum Germaniæ Ratisbonam Imperator tranſivit: ubi multis oneratus querelis contra judicium ſuum Aulicum propoſitis, quod majorem debito juriſdictionem ſibi uſurparet, Cameralem autem deprimeret, ſubſidia contra Turcas Tranſilvaniam armis infeſtis interim petentes dubia obtinuit, & imperfectis aliis negotiis Comitia illa ſolvit. Editis quoque novis mandatis, ut intermitterentur operæ Mulhemicæ munitionis quæ contra edicta Imperialia continuabantur, ſeverius inhibuit. Palatinus autem Rheni Fridericus Elector celebratis in Anglia Londini anni hujus principio nuptialibus feſtis, ſponſam ſuam per Hollandiam Heidelbergam menſe Iunio hujus anni conduxit. Et non multo poſt quoque Volffgangus Vilhelmus Princeps Neoburgicus Palatinus, uxorem accepit Magdalenam Vilhelmi Ducis Bavariæ filiam Catholicam ipſe hæreticus, non vana ſpe ſuæ converſionis facta, ut in ſubſequentibus apparebit.

Matthiæ Imp. uxor coronatur Regina Vngariæ.

Matthias Imperator impoſuit præſidia Germanica arcibus Vngariæ invitis Vngaris.

Ratisbonæ Comitia Germaniæ celebrat Matthias Imperator.

Frideric. Palat. Elector adducit ex Anglia in Germaniam ſuam ſponſam.

Neoburgicus Princeps Volffgangus accipit uxorem Vilhelmi Bavariæ Ducis filiam.

Batoreæ

A.C. 1613.

Batoreæ ſtirpi hic annus fatalis fuit, ut quæ ſub hoc tempus & Principatu Tranſilvaniæ penitus excidit, & tota fere defecit. Menſe Martio extinctus fuerat apoplexia Sigiſmundus Batoreus, quondam Princeps Tranſilvaniæ varias fortunæ viciſſitudines expertus. Allectus enim affinitate Auſtriacorum, cum eis propterea Tranſilvaniam invitam tradere promiſiſſet, illum errorem nec perficere nec corrigere unquam potuit, & demum ſupplex Imperatori factus, cum in Arce Lobkowicii in Boëmia privatam, eamque quietam vitam ageret, ex novis ſuſpicionibus malæ fidei inſimulatus apud Rudolphum Imperatorem, ſub cuſtodiis Pragæ miſere vitam finiit.

Batoreus Sigiſmundus Tranſilvaniæ Princeps moritur Pragæ ſub cuſtodiis.

Gabriel autem Batoreus, quem Tranſilvani libertatem ſuam avitam vindicantes, & iniquius reputantes, ut Auſtriacis ſolius Sigiſmundi Batorei arbitrio ſubjicerentur, (cæſo Andrea Cardinale à ſatellite Rudolphi Michaële, & deinde Sigiſmundo Rakocio eo Principatu ſponte cedente) Principem ſibi ſuffecerant, mox odia Provincialium, præſertim Nobiliorum impotenti Dominatu in ſe concitavit.

Batoreus Gabriel Tranſilvaniæ Princeps eligitur.

Eorum vero exinde inſidias, ac Turcarum vim evitans, cum Cæſarianas copias in auxilium ſibi acceſiſſet, ab iſtiſmet trucidatus interiit, tali modo: Gabor Bethlem ab ipſo proſcriptus confugerat ad Imperatorem Turcarum ibique degens & patrocinium ſui aliorumque Tranſilvanorum ab eodem Batoreo (ut affirmabat) oppreſſorum agens, ut erat vir ingenio acri, magnas amicitias apud Primores illius Aulæ ſibi conciliarat, ut ei Principatum Tranſilvaniæ detulerint, pacto, quod Lippam & Geneum ipſis redderet, & fidelior eſſet.

Gabor Bethlem auxilia Turcæ adducit contra Batoreum.

Ac demandatum fuit hoc negotium Serdaro Baſſæ ſeu Generali Duci exercitus Budenſis, qui ſub finem menſis Augusti iſtius anni cum decem millibus equitum, & aliquot millibus peditum, itinere in Tranſilvaniam inſtituto, à meridie portam ferream (ut vocant) tranſitum verſus Devam nimium anguſtum, & qui à pauciſſimis contra majorem vim defendi poſſet, per ſubordinatos à Bethlemo Tranſilvanos occupavit, viaque Devam verſus patefacta, Leippam & Geneum ad lævam linquens, Lugatium, quod in proximo obvium reſiſtere voluerat expugnavit, eaque exercitum intra Tranſilvaniam conduxit. Ab alia quoque Tranſilvaniæ parte contermina Valachiæ Oglii Baſſa cum tribus Ianizerorum millibus in tractum Berſacenſem ac Cronoſtadienſem per aſpera & invia montium fugatis paucis Seclis, qui ibi excubabant, penetravit. Vnde Tranſilvani tam inſperato periculo conſternati, & alii jam ante à Batoreo animis alienatis ad novas ſpes erecti, ad Bethlemum & ad Serdarem deficere cœperunt.

Tranſilvani à Batoreo deficiunt ad Bethlemum.

Princeps vero Batoreus collecta tumultuaria militum manu, cum eam viribus hoſtilibus imparem eſſe adverteret, Varadinum conceſſit, ut ibi in loco munitiori ſubſiſtens, majores copias colligeret, & auxilia à Cæſarianis expectaret. Nec tardarunt iſta, ſed feralia: eo enim Georgii Turſonis Palatini Vngariæ juſſu à Forgatſio Cæſareæ in Vngaria militiæ Præfecto miſſus Nicolaus Abbaſi Præfectus Tokaienſis propere adveniens, præſidium Cæſareum in arcem Varadienſem intromitti poſtulavit: Et cum Batoreus renueret, hoſtilemque magis Cæſareanorum animum odoratus, ſuaſu Tranſilvaniæ conſiliariorum, quorum inſigniotes non pauci ipſi adhuc adhærebant, immo ipſo quoque Bethlemo invitante, potius reconciliationem cum Turcis tractare vellet, eum vigeſima ſeptima Octobris, quaſi ad luſtrandum exercitum evocatum Abbaſius à ſuis peditibus in inſidiis collocatis, ſclopetorum jaculis configi, & trucidari curavit.

Batoreo veniunt in auxilium Cæſariani contra Bethlemum.

Nempe ratus quod eo ſublato Varadinum in partes Cæſaris tranſiret, ejuſque præſidium reciperet. Ea tamen ſpe fruſtratus fuit, offenſis tam atroci ſcelere Varadinenſibus, qui non multo poſt miſſo Andrea Gitio Præfecto ſuo ad Gaborium Berhlem, ei potius ſe dediderunt; cadaver Batorei plauſtro impoſitum & bobus Erſetum conductum ſine ullo honore humatum fuit. Omnes autem Tranſilvaniæ Proceres

Batoreus occiditur ab auxiliariis ſuis.

Varadinum deditur Bethlemo.

A.C. 1613. ceres & Civitates Bethlemo ſtatim adhæſerant, & Serdar Baſſa datis literis ad Palatinum Vngariæ, quod tantum ad amovendum ex Tranſilvania Batoreum advenerat, nec hoſtile quid Vngariæ adferret, Temeſuariam exercitum ſuum reduxit, ibique hibernavit, obſervans quomodo Tranſilvani obſequentes eſſent Bethlemo, præſertim in Comitiis, quæ initio Novembris Claudiopoli cum Ordinibus illius Provinciæ celebravit, ibique feliciter ſopitis controverſiis ſub Principatu Batorei excitatis, Principatum ſuum ſtabilivit.

Bethlem Gabor Princeps Tranſilvaniæ renuntiatur.

In Italia autem hoc anno diuturnum bellum principium ſumpſit à morte Ducis Mantuæ Franciſci ſine prole maſcula defuncti, relicta unica filia Maria & Margarita filia Ducis Sabaudiæ genita. Cum enim Ferdinandus Cardinalis frater germanus Franciſci defuncti in illo Principatu ſucceſſit, filiamque ejus uti tutor naturalis in ſua cura retineret, Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, eam curam ad ſe Avum, & ad matrem pupillæ Margaritam, Turinum ſtatim à morte mariti tranſlatum, pertinere ratus, tanquam injurioſè ſibi præreptam, armis repetere decrevit. Et quo meliorem belli cauſam haberet, adjunxit veteres querelas de Marchionatu Montisferrati à Carolo V Imperatore Proſapiæ Gonzageæ adjudicato, cujus ipſe Sabaudus hæreditariam ſucceſſionem per longas Paleologæ genealogiæ ambages ad ſe trahebat. Menſe itaque Aprili anni hujus cum valido exercitu Monsferratum hoſtiliter ingreſſus, Trinum, Albam, & alia plura Oppida, ad tam inopinatam vim minus proviſa facile cepit, omnemque eam regionem ſpoliavit, agricolis ingenti pecunia direptionem redimentibus. Mox tamen Mantuanus Dux collectis copiis, & aliis ex Gallia cum Duce Nivernenſi agnato ſuo accerſitis, conatus ejus Niſam obſidentis repreſſit.

Mantuæ Dux Franciſcus moritur.

Mantuæ Dux Ferdinandus.

Sabaudiæ Ducis diſſidiorum cum Mantuano cauſa.

Sabaudiæ Dux in Monsferratum infeſta arma ducit.

Pontifex quoque Romanus, Veneti, & alii Italiæ Reguli patrocinium Mantuani ſuſceperunt, denuntiaruntque Sabaudo, quod ſi pacem Italiæ turbaret, & ablata Mantuano non reſtitueret, contra ipſum communia arma converterent. Statim etiam Rex Hiſpanus uti Mediolani Dominus, (cui ex mutuo Principum Italiæ olim initio fœdere pacem Italiæ tueri incumbit) Gubernatorem ſuum Mediolani contra Sabaudum arma ſumere juſſit, & Regina Galliæ exercitum conſcribi fecit, ducendum in ditiones Sabaudiæ, niſi ille Dux occupata in Monsferrato dimitteret, ac dubia controverſiarum ſuarum arbitrio amicorum Principum permitteret. Quod tandem ille precibus ita armatis tunc conceſſit, & confiſus maxime Hiſpano Regi, quod uti affinis cauſæ ſuæ in tractanda concordia faveret, ac ante omnia pupillam ſuæ matri Margaritæ reſtitui faceret, relictis locis quæ interceperat, exercitum ſuum ad propria reduxit. Sed tamen non multo poſt cum amica compoſitio ex animo ipſi non ſucceſſiſſet, iras reſumpſit, & tota iſtius belli moles in Hiſpanum recubuit, ut infra attingemus.

Sabaudiæ Dux Mantuano reddit loca intercepta.

Annus Chriſti, 1614.

ANno Chriſti, Milleſimo, Sexceteſimo, Decimo Quarto, Polonia vacavit congregandis pro milite ingentis ſummæ pecuniis, ad quas cum tributa in Comitiis proximis imperata non ſufficerent, quod deſiderabatur, quæſtores publici ex privatorum peculio mutuo conquiſierunt, & tandem menſe Iunio ſolutione completa illas inſolentium turmas diſſiparunt. Ex eis plurimi ad latrocinia converſi, ſub ſignis magno numero cum oberrarent, Staniſlaus Koniecpolski cum præſidiaris Ruſſiæ Quartianis eorum Ducem Kárwácki circa Haliciam profligavit, ac captum cum aliquot primariis ſociis Leopoli palo infigi fecit. In Lithuania quoque graſſantem Czeladká, Rex miſſa velitum

Miles fœderatus Moſchicus in Polonia exauthoratur.

Militum ſeditioſorum manipuli diſſipantur.

A.C.1614.

tum ſuorum cohorte Aulica, comprehendi; & Varſaviæ capite plecti juſſit, atque ita latrocinia illa coërcita conquieverunt. Confinia tamen Ruſſiæ à Tartarorum incurſionibus tota hac æſtate infeſta tenebantur, Tomſza novo Moldaviæ Palatino hoc modo vires Polonorum diſtinere, ne in poſſeſſione Moldaviæ ab ipſis turbaretur. Nec quicquam æqui obtinere potuit Samuël Targowski Conſtantinopoli Legatus Regius, cui minitanti quod pax abrumpenda eſſet, niſi Tartari in officio continerentur, & Tomſza homine facinoroſo & externo amoto, Palatinus in Moldavia nativus ex ſtirpe illius gentis Ducali commendatus à Rege Poloniæ juxta morem veterem, & pacta per Felicem Herburt Legatum Regium ſtabilita conſtitueretur; Turcæ ambigua reſponſa dabant, debilitatas à Moſchico Polonorum vires minoris æſtimantes, quam ut tunc talem injuriam poſſent vindicare. Sed tamen ea non omnino inulta ceſſit: Koſaci enim Zaporoviani centum ſcaphis tranſgreſſi Pontum Euxinum ſub in tempus, celebre Aſiæ Septemtrionalis propugnaculum Synopen ceperunt, & ablata cuncta pretioſiore ſupellectili, incoliſque ejus omnibus internecione deletis vaſtarunt, cædibus & incendiis in illa maritima ora longe lateque graſſati. Atque eo tranſitu explorato, irruptionibus continuatis diutius Turcicas ditiones divexarunt, ut ſubſequentia docebunt.

Tartari incurſionibus Ruſſiam divexant.

Coſaci Synopen expugnant.

Menſis Novembris die quarta Sigiſmundus Rex auctus fuit filio quarto ex Conſtantia Auſtriaca, cui nomen impoſuit Alexandri. Nec aliud memorabile hic annus attulit Polonis poſt expeditionem Moſchicam ægras vires domi continentibus. Moſchis quoque enervatis diuturno illo bello, ſatis fuit reprimere impetum Guſtavi Regis Sueciæ, qui ſpe ſibi injecta conſequendi apud eos Principatus, cum auxilia ipſis contra Polonos miſiſſet, poſtea Michaële Fedorovicz ad illum Principatum evecto, eluſum ſe ſenſit. Eam itaque injuriam vindicaturus, mandavit Ponto della Gardia ſuo auxiliariarum copiarum apud ipſos Præfecto, ut Caſtella omnia quæ ibi cuſtodiebat, in nomen Sueticum Moſchis excluſis retineret, & ipſemet Rex collecto majori exercitu Moſchoviam ingreſſus, Pleſcoviam obſedit. Sed oppugnatione inſtituta ab obſeſſis fortiter rejectus, & à ſupervenientе Moſchico exercitu non levi clade accepta retroceſſit. Et demum pacto quod nonnulla ex occupatis caſtella, & certam pecuniam pro impenſis in auxilia eo ſummiſſa factis acciperet, amicitiam cum novo Moſchorum Duce inſtauravit.

Alexander filius Sigiſmundo Regi Poloniæ naſcitur 4 Novembris 1614.

Suecia Rex bellum infert Moſchis.

Suecia Rex pacem facit cum Moſchis.

Pro pace autem Polonis componenda Moſchi opem Matthiæ Imperatoris implorarunt, miſſa Legatione ſplendida, quam Imperator Lincii audivit, & ſequeſtrum ſe offerens eorum cauſæ in futuris anni proximi Polonorum Comitiis tractandæ, initio hujus anni Legatos illos munifice habitos dimiſit Hollandiam verſus, qua iter mari ad portum Archangeli Moſchicum erant facturi. Et ut occaſione iſta ad res Imperii tranſeamus, præcipue ibi pro Iuliacenſi hæreditate diſtrahenda Principes poſſidentes & viciniores novis artibus certarunt, oborta ſuſpicione de Volfango Vilhelmo Neoburgico Principe, poſt connubium cum filia Ducis Bavariæ, & Religionem Romanam Catholicam per ipſum ſuſceptam, ne conſentiret Hiſpanis, qui omnes modos potiundi illa Provincia Iuliacenſi quærebant. Hoc enim veriti Hollandiæ Ordines, vel forte conſcio Electore Brandeburgico, qui in cauſa hac ſua ipſorum patrocinio nitebatur, ſummiſerunt Suigellium, ut munitiora illius Provinciæ loca ſolertioti aliqua machinatione interciperet. Quod ipſe cum Cliviæ & Duſzeldorpii fruſtra tentaſſet, Iuliaci menſe Aprili hujus anni, feliciter perfecit, corrupto Friderico Pithamio Arcis illius Præfecto, à quo velut hoſpes in tranſitu Iuliacum intromiſſus cum Hancroto & Bonno, oſtenſis literis Mauritii Principis ad quid venerant, præſidiariis

Moſchi Legati ad Matthiam Imperatorem.

Neoburgicus Princeps ad fidem Catholicam Romanam convertitur.

A.C. 1614.

Hollandi præſidio proprio muniunt Iuliacum.

diariis Brandeburgicis ut quieſcerent facile perſuaſerunt: Neoburgicos vero qui reſiſtere voluerant, cæſis nonnullis oppreſſerunt: Ac mox utriſque excluſis, accerſitum ex vicinioribus propugnaculis Hollandicis validum præſidium ibi collocarunt. Neoburgicus quoque hoc intellecto, Duſzeldorpio Præfectos Brandeburgicos qui ibi, ut in omnibus illarum ditionum locis ex concordia Tremonienſi & Hallenſi, tanquam ſimul poſſidentes degebant, ablegavit, eamque Civitatem externo milite (interim dum introduceretur ille miles, convocatat ad convivium primarios qui contradicebant ex illo Senatu) munivit. Nec multo poſt Monhemio & melioribus in Bergenſi Ducatu oppidis præſidia propria impoſuit. Brandeburgico etiam ſua non negligente circa Cliviam, quo à Duſzeldorpio omnia ſua impedimenta transferri fecerat.

Neoburgicus Princeps Duſſeldorpium occupat.

His autem exciti Hiſpani, conſilium invadendi Iuliacenſes ditiones diu ante conceptum maturarunt, prætexentes exequutionem decreti Imperialis contra Aquiſgranum & Mulhemium, quam Archiduci Alberto ab Imperatore committi fecerant. Delegatus itaque exequutionis illius Ambroſius Spinola cum exercitu Hiſpanico ex Belgio movens, menſe Iulio Aquiſgranum venit, ac facili negotio, ad obſequium Imperatoris revocavit illam Civitatem, quæ dimiſſo Brandeburgici (hoc ſponte receperat Civitas illa Ducum Iuliaci patrocinio uti ſolita) præſidio, Imperialis poteſtatis arbitrio ſeſe permiſit, ac exauthorato novo ex hæreticis collecto Magiſtratu, veterem Catholicum, pro quo amoto, talis controverſia fuerat exorta, in locum & dignitatem priſtinam reſtituit. Inde Spinola controverſus ad regionem Iuliacenſem, Duranum deditionem ſponte offerens præſidio ſuo munivit, & tertiis Caſtris Mulchelmio oppropinquans, illud quoque nemine reſiſtente occupauit, immiſſiſque operariis, quos magno numero Colonia advocaverat, munitiones & ædificia oppidi illius demoliri ac ſolo æquari curavit. Atque iſtis rigori decreti Imperialis ſatisfactum videbatur. Sed Spinola alio exequutionem illam derivans, etiam Duiisburgum, Orſaviam, Berchemium, Caſteram, Grevenbrucum, Iuliacenſis hæreditatis oppida, ad deditionem coëgit, præſidiaque Hiſpanica in eis collocavit: & infra Rynbercam Rheno ponte inſtrato trajiciens, exercitum cum multo apparatu bellico Veſaliam duxit. Et principio quidem Veſalienſes ad defenſionem neceſſaria comparare cœperant, ſed ut primum vibratis machinis una porta concuſſa dedicit, & non paucos propugnatores oppreſſit, plebs imbellis edito magno ejulatu, Magiſtratum ad tractandam pacem flexit; mulieres quoque cum liberis mœnia complentes Spinolæ clementiam implorabant. Vnde colloquio inſtituto deditio concluſa fuit iis conditionibus, quod Civitas mille præſidiarios Hiſpanicos reciperet, nec victum nec ſtipendia illis ſubminiſtratura: quod iſto præſidio liberaretur reſtituto Iuliaco ab Hollandis in ſtatum priſtinum: quod Brandeburgico tali facto nil præjudicaretur, liceretque ipſi abducere tormenta ſua quæ ibi habebat: & quod nihil mutaretur tam in Politico quam in Eccleſiaſtico Civitatis ſtatu. Interim Mauritius Naſſovius Hollandorum Dux cum copiis ſuis, quas dum Spinola decreto illo Imperiali exequendo inſiſteret, apud Caſtrum Senchianum detinuerat, cognito quid ille plus ultra quærebat, ipſe quoque Emericum, Reeſam, nec quicquam opponentem, quod neutri parti adhæreret, per vim occupavit, ac Calcaram, Gocham, Genepum, aliaque plura Cliviæ oppida ad ſuſcipiendum præſidia Hollandica coëgit.

Spinola Aquiſgranum ad officium reducit.

Spinola in Iuliacenſi ditione multa loca occupat.

Mulhelmium demolitur Spinola.

Vaſaliam introducit præſidium Hiſpanicum Spinola.

Mauritius Naſſovius Emericum Reeſam occupat.

Hæcque partitio hæreditatis Iuliacenſis tunc ſtetit, dum Hollandi Hiſpanos eam præripientes timent, & vulgus exiſtimat Hiſpanos Neoburgico, Hollandos Brandeburgico militare, neutro iſtorum fructum ex tanto patrocinio ſentiente, ut experimentum evidentius mox probavit. Cum enim ſub finem anni iidem Prin-

A.C. 1614.

Principes opera Legatorum Angliæ, Galliæ, Daniæ Regum & Electorum Colonienſis, ac Palatini, atque Ducis Virtembergenſis Xanti oppido Cliviæ tractatu inſtituto, certa concordiæ capita conſcripſiſſent, nempe ut demolitis Iuliaci & Duſzeldorpii munitionibus, & præſidiis Veſalia aliiſque locis abductis, juxta Tremonianam & Hallenſem concordiam uterque Princeps conjunctim ad deciſionem cauſæ illas Provincias adminiſtraret, fructuſque earum æqualiter participaret, Archidux Albertus eam concordiam ſibi quidem placere, pro parte tamen Hiſpaniæ Regis & Imperatoris ratam ſe habere, vel Veſalia præſidium deducere non poſſe reſpondit. Quinimmo Spinola Veſaliæ præſidium ad tria millia armatorum auxit, Veſalienſibus (cum opponerent deditionis conditionem de recipiendis mille præſidiariis expreſſam) eluſis, eo quod verborum conditionis illius contextus majorem præſidii numerum non excluderet. Vnde Hollandi quoque cum ad dimittendum Iuliacum & demoliendas munitiones ibi excitatas omnia præparaſſent, in eo retinendo perſtiterunt, & æquè iſti atque Hiſpani propria compendia quærentes, nomine tantum quiſque clientis ſui in expugnandis & uſurpandis illius hæreditatis oppidis abuti non ceſſarunt, ut in ſubſequentibus conſtabit.

Iuliacenſi de hæreditate concordia tractatur.

Veſaliæ præſidium Hiſpani augent.

Francofurti ad Mænum turbæ jam dudum contra Senatum à plebe excitatæ, hoc anno in Iudæos converſæ, eos miſerè afflictos, Vrbe ejecerunt. Tandem tamen delegatis Imperatoris adnitentibus, poſt longas controverſias conquievit ſeditio illa contra Iudæos incitata, & antiquus Magiſtratus in locum ſuum fuit reſtitutus, paucis ex populo tumultus authoribus comprehenſis, & in carcere delegatorum ad pœnas edicti Imperialis reſervatis. Imperator verò Lincii Comitia Provinciarum ſui patrimonii ſub hoc tempus celebravit, in quibus præcipuam deliberationem habuit, an induciæ cum Turca ad annos viginti initæ ſervari deberent, poſtquam eas ipſemet Turca violaſſe videbatur, uſurpato ſibi Dominatu Tranſilvaniæ; quam nuper armis oppreſſam imperato majori tributo, Gaborio Bethleemo ſuo nomine adminiſtrandam dediderat, ab eaque non paucas arces avellere, ac propriis præſidiis munire ſtatuerat.

Francofurti tumultus excitati ſedantur.

Matthias Imperator Comitia celebrat Lincii Provinciarum hæreditariarum.

Quod priuſquam perficeretur, omnino impediri, & Tranſilvanis quotum adhuc non pauci patrocinium Imperatoris implorabant, ſubveniri matureque jus ad eam Provinciam Regno Vngariæ vindicari expediebat. Sed Vngari experti quanti ipſis conſtaret fidem tali hoſti datam infringere, inducias illas ſervandas cenſebant. Præſertim quod conditionem illis appoſitam (ut Tranſilvania inſimul Regi Vngariæ & Turcæ jurata eſſet) Turca nunquam approbatit, & tranſacta cum Sigiſmundo Batoreo ac Stephano Botzſcaio circa illam Provinciam ſemper impugnarit: Vnde ille conditioni quam nunquam recepi contraveniſſe dici non poterat: magis autem quod apparatus ad tantum bellum nullus in promptu haberetur, & nonniſi longo tempore conquiri deberet, cum tamen Turca jam ſatis eſſet armis inſtructus, & accepto rupti fœderis reſponſo, quod ejus Legatus in eiſdem Comitiis præſens avidius expectabat, prius Vngariam invadere, quam juſtus exercitus ipſi opponendus comparari potuiſſet. Placuit itaque tunc pactis qualia Turca confirmarat acquieſcere, donec tempus opportunitatem meliorem reſarciendæ jacturæ Tranſilvaniæ præſentaret. Turcæ autem miniſtri, publicata pace cum Imperatore, ſuas vires Temeſuariæ collectas ad proxima inde Tranſilvaniæ confinia converterunt, ut Lippam, Geneum, Aratum, Borenum vi occuparent, niſi ipſis à Gaborio Bethleemo ſponte traderentur. Quod præſentientes illorum oppidorum incolæ, Præfectos Gaborii ejecerant, & neceſſaria ad defenſionem ſumma alacritate præparabant, confiſi auxiliis à Forgazio Vngariæ militari Præfecto Imperatoris juſſu ſibi mittendis. Sed poſt expedita Lincii Comitia, iis deſperatis,

Vngari non permittunt interrumpi pacem cum Turca propter invaſionem Tranſilvaniæ.

A.C. 1614. ſperatis, Gaborii qui contra eos ipſemet occaſione ſumpta ob Præfectos ſuos ab ipſis ejectos, quaſi contra rebelles arma ſumpſerat, arbitrio ſeſe permiſerunt.

Lippa Geneum Turcis traditur à Bethlemo.

Ille verò ſive quia Turcis ita condixerat, ſive quod Ordines Tranſilvaniæ Varadini ad Comitia ſub id tempus congregati idem cenſerent, Turcam non irritandum eo tempore maximè, quo nulla alicundæ ſubſidia ſperari poſſent, præſidia Turcica in ea loca introduci permiſit, promiſſo accepto quod Givaria, & Huſta à Turcis pridem occupata, viciſſim Tranſilvaniæ reſtitueretur.

Galli conſurgunt contra Reginam propter affinitates initas cum Hiſpanis.

In Gallia à cæde Regis Henrici IV, cum Regina mater pro filio impubere Ludovico Tredecimo Regnum adminiſtraret, varias inde offenſarum & odiorum cauſas Galli traxerunt, quæ eouſque gliſcentes, hoc anno in apertum eruperunt, occaſione accepta ex tractatu Reginæ cum Hiſpanis inito de danda filia ſua Elizabetha primogenita Regis Hiſpani primogenito filio Philippo in uxorem, & viciſſim filia illius Regis primogenita nomine Anna Maria accipienda in uxorem filio ſuo Regi Ludovico. Illum enim tractatum pernicioſum Regno Galliæ Proceres arbitrari & magis quod ipſis inſciis & inconſultis concluderetur indignati, ab Aula, Regina matre & Rege juvene inſalutatis receſſerant: præſertim Princeps Condæus, Bullionius, Longavillus, Nivernenſis, qui ab initio anni hujus militem, quo tutiores concepta ſua conſilia promoverent, conſcripſerant, divulgatis per Provincias ſub titulo Condæi literis, in quibus omnes querelas ſuas congeſſerant.

Condai Principis querela contra Reginam.

Præcipua autem fuit, quod Regina in adminiſtrando Regno externorum, nempe Italorum & Hiſpanorum opera uteretur, ac meliores officiorum gradus ex illorum arbitrio diſtribueret, vel illis ipſiſmet conferret; ut nuper Marchionem de Ancri ad officium Mariſchalli Regni evexerat, atque ab ejus conſilio non in privatis tantum, ſed in gravioribus publicis negotiis, omnes alios Aulæ Regiæ miniſtros pendere volebat, ne Parlamenti quidem authoritati parcendo. Quæ cum evidentiora eſſent, quam ut poſſent diſſimulari vel excuſari, omnium animos commoverant, & à Regina averterant magis, poſtquam tanti Duces novandis rebus claſſicum cecinerunt.

Galliæ Regina inducit Principes ad concordiam.

Tempeſtive tamen ſcintillla iſta in ipſis initiis fuit reſtincta: cum enim Principes illi menſe Aprili Soiſſonii ad conſultandum de hujuſmodi offenſis conveniſſent, Regina mater miſſis eò delegatis ſuis cum literis fidei, cavit, quod Comitia Generalia ad menſem Auguſtum Senæ indicerentur, & in iis quicquid ex tribus Regni Ordinibus deputandi pro inſtaurandis juribus & libertatibus communibus ſtatuendum judicaverint, Rex exequi, ac noxia quæ irrepſiſſe deprehenderentur abrogare vellet. Principi quoque Condæo & omnibus qui eum ſequebantur, Amneſtia admiſſorum plena fuit conceſſa, & nonnulli ex illis dignitatibus & beneficiis aucti. Ac licet Comitia illa promiſſa celebrari non potuerint, multa tamen quæ offendere videbantur, tunc Regina corrigi fecerat, niſi integrum manſiſſet, quod maximè Gallos afficiebat, de ineunda Regia affinitate connubiali cum Rege Hiſpano, & de Ancreo, qui nihilominus dignitatem Mariſchalli ac regiminis poteſtatem retinuit. Vnde poſtea diſſidium illud recruduerat, ut ſuo loco apparebit.

Sabaudiæ Duci conditiones pacificationis cum Mantuano datæ.

De rebus Italicis adnotavimus Anno ſuperiori, quomodo Sabaudiæ Dux expugnata & ablata in Monteſerrato Duci Mantuæ reſtituerat, fretus quod ira pro obtinenda re controverſa conciliater ſibi favorem Regis Hiſpani, verum iſte poſt longos & Summi Pontificis & Regis Galliæ per Legatos tractatus reſponderat reſtitutionem pupillæ, & cognitionem totius controverſiæ inſtitui non poſſe, niſi Sabaudus filiam ſuam Margaritam Viduam Franciſci Ducis Mantuæ Ferdinando Cardinali novo Duci Mantuæ in matrimonium traderet, ac arma deponeret: de quo mandatis quoque Cæſareis ipſum admoneri procuraverat.

Sabau-

A.C.1614.

Sabaudus itaque fruſtratum ſe videns, & quidem ab affini cujus ſuffragio confidebat, omnes iras, quas contra Mantuanum conceperat, in Hiſpanos convertit, & tanto majorem apparatum bellicum collegit, quod jam cum potentiore decertare deberet. Mediolani quoque Hiſpani Regis Gubernator, magno numero copias & ex Hiſpania & ex Regno Neapolitano congregarat. Sed tamen uterque hoc anno dirimentibus congreſſum armorum Summi Pontificis & Galliæ Regis Legatis Vercellis ad hoc congregatis, intra tractatus pacis ſeſe continuit, præter leves dimicationes circa munienda utrinque confinia, præſertim ad Borgetum Vercellas prope, ubi Hiſpanos novum propugnaculum excitantes Sabaudi impedire conabantur.

Sabaudia Dux contra Hiſpanos arma ſumit.

Cum autem tractatus Vercellenſes non ſucceſſiſſent, alios inſtaurarant in Civitate Aſtenſi, ſub finem anni iidem Legati, Savellus pro Summo Pontifice, & Marchio Rambolietus pro Rege Galliæ, ac conſcripſerant leges pacis tales.

Aſtenſis tractatus pacis inter Sabaudum & Hiſpanos.

Quod Sabaudus omnem militem dimitteret, præter ordinaria ſuorum locorum præſidia, & Hiſpanus ſponſore Summo Pontifice & Galliæ Rege caveret ipſi, & ejus ditioni ſecuritatem. Ejus controverſiæ cum Mantuano per arbitros utrinque eligendos intra ſex menſes deciderentur: Mantuanus Margaretæ viduæ filiæ Sabaudi Gazam pretioſam ac ſupellectilem omnem, & dotem, ac donationem propter nuptias redderet. Subditi utrinque qui adverſæ parti militaverint in gratiam ſui quiſque Principis immunes redirent: damna damnis acceptis mutuo compenſarentur; & loca intercepta Dominis propriis reſtituerentur. Quas conditiones Sabaudus quidem ratas habuit, ſed dum Hiſpani in eis ſuſcipiendis deliberant, ipſiſmet inſtigantibus, iteratum decretum monitionis Princeps Caſtilonius Imperatoris nomine Sabaudo præſentavit, ut arma planè deponeret.

Sabaudia Dux monetur ab Imperatore ut arma deponat.

Annus Chriſti, 1615.

VI de majoribus difficultatibus ſubortis Annus inſequens, Milleſimus, Sexcenteſimus, Decimus Quintus, totum negotium magis turbatum excepit. Hiſpani enim meliorem cauſam nacti oppugnandi Sabaudum ſpecie exequendi decreti Imperialis, omiſſa pacis compoſitione Aſtenſi, bellum apparatunt, & congregatum apud Nonnam exercitum, menſe Maio ad obſidendam Aſtim duxerunt. Nec minori fervore Sabaudus contra hoſtem cum copiis ſuis proceſſit, ac poſt plures conflictiones Hiſpanos Aſti imminentes excurſionibus cruentis afflixit, demumque ad accipiendas conditiones pacis coëgit. Gubernator ſiquidem Mediolanenſis, oppugnatione illa in alterum menſem prorracta, cum in dies ex ſuis plures partim cæde, partim peſte abſumi, & eſſe difficiliorem quam putarat illius Civitatis expugnationem videret, indecorum quoque ac periculi plenum reputaret pedem inde referre, dum Sabaudus ad ſe inſequendum eſſet promptus, formulam pacis primæ Aſtenſi ſimilem à Marchione Rambolieto pro Rege Galliæ, ac à Reinaldo Zeno, pro Republ. Veneta Legatis conſcriptam approbavit, eaque ſervata poſtquam Sabaudus mille pedites ex Civitate Aſtenſi dimiſerat, Gubernator cum ſuis Caſtris ad Crocebiancam receſſit; cumque ille reliquum militem præter neceſſaria præſidia dimiſiſſet, Gubernator quoque ad propria rediit, ac ſubſequenti tempore reliquæ conditiones utrinque adimpleti debuerant.

Hiſpani Aſta oppugnant.

Hiſpani formulam pacis Aſtenſis cum Sabaudo ſuſcipiunt.

In Germania hoc anno, cum Hiſpani (ab hoc incipiendum quod maxime premebat Germanos) Principis Brandeburgici & Neoburgici concordiam Xantenſem approbare nollent, immmo Duisburgum & alia loca intercepta majoribus præſi-

Hiſpanorum in Germania dilatata vires ſuſpecta.

A.C.1615. præſidiis munirent, Siburgum quoque Abbate ejus loci conſentiente recens occupaſſent, Principes Germaniæ diſſidentes in Religione ſuſpicabantur eos à Catholicis ſubornatos, alia quoque in Germania Hæreticorum loca in ſuam poteſtatem redigere propoſuiſſe. Cæſarem autem ad omnia connivere, cujus nomen ſaltem executioni Aquiſgranenſi ac Mulchemienſi Hiſpani prætenderent, & longè alia peterent taliter palliati. Principes itaque illi Religionis diſſidentis menſe Februario hujus anni Norimbergæ per Legatos ſuos frequentem conventum celebrarunt, in quo præſentibus etiam Legatis Galliæ, Angliæ, Daniæ Regum, & Ordinum Hollandiæ fœderatorum, conſultarunt de remediis contra talia pericula. Ac in eo conſenſerunt quod Elector Saxoniæ nomine omnium ſupplicavit Imperatori, ne permitteret terminos commiſſæ à ſe poteſtatis pro executione Mulchemiana in tantum dilatari, ut vicinis ſit gravis, & quandoque Imperium Germaniæ transferat ad Hiſpanos. Ipſis autem Hiſpanis (cum palam culpa dari non poſſet, juſſa Imperatoris ac Neoburgici Principis titulos ad omnia præferentibus) æquè perſonatos Antagoniſtas opponere placuit, quod euſque diſplicuerat. Moleſtè enim tulerant nonnulli, quod Hollandiæ Ordines quaſi Brandeburgici cauſæ patrocinium gerentes rebus Imperii ſeſe immiſcuerant, ac arma ſua in Iuliam introduxerant. Sed tunc major potentiæ Hiſpanicæ metus eas querelas ſopivit pluribus illorum confinium Iuliæ ac Veſtphaliæ incolis ſub Hollandorum tutelam ſponte concedentibus. Mox enim Altena ac totus Comitatus Marchenſis, & non multo poſt Herfordia cum Comitatu Ravenſpurgenſi eorum præſidia ſuſcepit, verita ne ab Hiſpanis præoccuparetur. Quinimmo & Brema, ac multæ Anſiaticæ Civitates hoc eodem timore perculſæ, ſocietates cum iiſdem Hollandis inierunt, quamvis Imperatoris & Electoris Saxoniæ monitis ab hujuſmodi conſilio avocarentur.

Germaniæ Principes conqueruntur contra Hiſpanos apud Imperatorem.

Ravenſpurg. Comitatum Hollandi occupant.

Anſiatica Civitates fœdus ineunt cum Hollandis invito Imperatore.

Hic idem annus in Germania Brunſvicenſium cum Duce ſuo à multis annis vario forenſi & Caſtrenſi litigio agitatam controverſiam terminavit, poſt trium menſium obſidionem ſtrenuè toleratam ab illa Civitate, adjuta maximè ab Anſiaticis Civitatibus, quarum Legatis, & à parte Ducis Rege Daniæ ac Principibus Electoribus adnitentibus ſub finem hujus anni obſidione ſoluta, reconciliataque fuit ſuo Duci, conditionum præcipua, ut Cives Duci ſuo fidelitatem juxta formulam anno Chriſti Milleſimo, Quingenteſimo, Sexcenteſimo Nono conceptam jurarent, & Dux eorum Privilegia confirmaret, ac manuteneret, abolitis utrinque actis omnibus tempore diſſenſionis in Aula & Camera Imperiali procuratis, cum Amneſtia damnorum mutuo acceptorum. Aliqua autem difficiliora ad arbitros communes & judicium ordinarium fuerunt rejecta. Vormatia quoque ſub id tempus concitata in tumultum Iudæos ejecit: ſed paulo poſt eò adveniente delegato Electoris Palatini cum valida militarium manu, popularis ille furor conticuit, & juſſu Imperatoris aliquibus ex populo tumultus autoribus comprehenſis tranquillitas, & Iudæi Civitati fuerunt reſtituti.

Brunſvicenſis civitatis cum ſuo Duce controverſia ſopiuntur.

Vormatia ejiciuntur Iudæi.

Imperator autem Matthias Viennæ degens Turcicam Legationem audivit, & pacta ex proximis Comitiis Lincienſibus per delegatos juxta concordiam apud Situatorocum 1606 factam utrinque conſcripta, ad annos 20 roboravit. Exoratus quoque à Turca pro Moſchis, ut pacem inter eos Polonoſque uti jam promiſerat componeret, miſerat Eraſmum Heidelium ad eam tractandam in Poloniam, ubi etiam omnium ſtudia à bello illo deferbuerant. Nam licet Sigiſmundus Rex jus filii ſui Vladiſlai ab illa gente in Ducem Moſchoviæ Electi vindicare cuperet, id tamen nonniſi per tractatus tentari tunc poſſe judicabat, cum Poloni à bello præterito feſſi, & magis à milite fœderato exhauſti, nullam pecuniam ad ſumptus bellicos contribuere vellent, & Comitia menſe Februario anni hujus

Matthias Imperator Legatum in Poloniam mittit pro pace cum Moſchis.

Comitia Poloniæ Varſaviæ irrita 1615.

hujus Varſaviæ inſtituta irrita fecerint, ne tributis ſanciendis conſentirent. A.C. 1615.

Vnde ſolutis hoc modo Comitiis, recuperatio quoque Sueciæ & Moldaviæ ac proviſio contra incurſiones Tartarorum, aliaque plura quæ Rempublicam premebant, tunc fuerunt neglecta. Nec aliud utilius in eis ſtetit, præter quod ſeceſſionis militaris Moſchicæ authores, nempe Chriſtopherus Iaykowski, Valerianus Slawski, ac 30 alii ejuſdem ſeceſſionis anteſignani criminis perduellionis & infamiæ pœna fuerunt damnati & proſcripti. Ac paulò poſt Ioannes Białoskurski præcipuus illius ſeceſſionis (licet tunc non militarit) impulſor ac machinator, eandem pœnam infamiæ tulit. Ejuſdem autem generis ſive nominis alter Białoskurski puer à Tartaris captus, ibique educatus ſub hoc tempus acerbiora odia contra Patriam exercuit incurſionibus & populationibus crudelioribus cum Deuletgerii Galga, apud quem domi & militiæ præcipuus rerum gerendarum partes habebat, in Podoliam & Volyniam fræquentatis; præſertim initio A. C. 1617. (hyems tunc ſolito rigidior flumina & paludes fecerat pervias) poſitis Caſtris apud Sulzincze, longe lateque circa Miedzibosz, Zinkowo, Satanowo, flammis plurimas villas devaſtavit, & captivos ejus regionis colonos magno numero abduxit, ex quibus multi in illa captivitate præſertim parvuli & imbelles frigore interierunt.

Milites fœderis Moſchici proſcripti.

Białoskurski Tartaris militat.

Tartari in Podoliam excurrunt 1617. in Februario.

Sed ut ad Legatum Imperatoris pro pace cum Moſchis tractanda deſtinatum redeamus, proceſſerat ille Viaſmam uſque una cum Delegatis Polonicis, ubi colloquio cum moſchis inchoato, cum iſti Smolenſcum & Provincias ſibi ablatas ante omnia reſtitui, & titulum Ducis Moſchoviæ (quod præcipuè in conditionibus pacis diſputari debuerat) non Vladiſlao Principi, ſed Michaëli Fedorowicz dominanti jam in Moſchovia Duci tribui vellent, hocque pertinacius urgerent, eos magis bellum quam pacem cogitare apparebat, præſertim quod Polonos imparatos viderent: unde re infecta Legatus ille Imperatoris redierat. Nec aliud memorabile in Germania vel Polonia hoc anno geſtum occurrit; præter quod annus idem Sigiſmundo Myſzkowski Marchioni de Mirow Regni Poloniæ Supremo Mariſchallo fatalis fuit, viro magnanimitate, prudentia, & cum primis Civilioris vitæ ſtudiis nulli ſecundo, non in Sarmatia tantum, ſed & apud exteros, præſertim Italos Principes, quorum plurimos ſtrictiori familiaritate ſibi devinxerat, à Vincentio Gonzaga Mantuæ Duce etiam in familiam Gonzagorum receptus, & à Clemente Papa VIII titulo Marchionis inſignitus: Iverat ille Patavium, ut valerudinem curaret, ſed cum Medici illi contra vim morbi occultiorem nil profeciſſent, Bacchani in reditu obiit, & Cracoviam delatus, ibidem in Capella Templi Religioſorum S. Dominici quam ipſe Patruo ſuo Epiſcopo olim Cracovienſi, & familiæ ſuæ ſumptu magnifico conſtruxerat, honorem ſepulturæ accepit, ſummo ſui deſiderio relicto, præſertim apud Regem, cujus gratiam ſingularius demeruerat. In Magiſtratu autem Mariſchallatus ſucceſſerat illi Nicolaus Wolski, qui viciſſim in Mariſchallatu minori Andream Przyemski ſucceſſorem habuit.

Moſchi Legatum Imperatoris re pacis infecta dimittunt.

Myſkovius Mariſchallus moritur Bacchani.

In Gallia turbæ anno antecedenti ob affinitates matrimoniales à Rege Ludovico cum Hiſpanis initas, & propter impotentem Ancrei Marchionis dominatum exortæ, quæ ut diximus, aliquantum conquieverant, hoc anno gravius invaluerunt. Non ſolum enim Principes & Nobiles perſiſtebant in improbando & impediendo illo matrimonio, verum & Parlamenti Aſſeſſores, palam profeſſi quod in illud conſenſuri non eſſent, niſi omnium Conſiliariorum Regni votis concordibus probaretur. Simulque repræſentabantur illapſi errores in regimine, quod potiſſimum ab arbitrio Ancrei pendebat, & Parlamentum publicato decreto congregari voluerat ſub finem menſis Martii, omnium Procerum conſilium, in quo de eis abrogandis vel corrigendis ageretur. Cumq; Concilium illud convocari non permitte-

Parlamentum Pariſienſe improbat matrimonium Regis ſui cum Hiſpana.

A.C.1615. ret Ancreus, immo Aſſeſſores Parlamenti in ſuſpicionem conſpirationis contra Regem propterea vocaret, iſti oblato libello Regi expoſuerunt longo ordine ſingula, in quibus præſens adminiſtratio Regni à præſcripto legum & conſuetudinum antiquarum diſcrepabat, ac proximum interitum portenderet Regno, niſi tempeſtivè ad rectiorem tramitem revocaretur. Præcipua autem erant, quod Rex ipſemet non imperaret, nec ad regimen adhiberet Principes ſanguinis & Conſiliarios veteres, qui natura & commodo ſuo ad ſalutem Patriæ conſervandam moverentur, ſed permitteret poteſtatem Regiam alienigenis, iiſq; genere vilioribus, qui muneribus corrupti, externorum Principum rem magis, quam ſalutem publicam curarent; fœdera & amicitias ab iſto Regno cum diverſis Dinaſtiis antiquitus initas in eorum gratiam convellerent, Magiſtratus, dignitates, ac officia venalia exponerent: Iudiciorum Ordinariorum & juſtitiæ curſum variis artibus impedirent; ærarium publicum expilarent in tantum, quod cum ex cenſu annuo, fiſci Regii ultra quotidianos Aulæ Regiæ ſumptus, duo milliones (vicies centena millia) nummorum auri in Gallia communium in annos ſingulos aſſervari, jamq; inde ab initiis Regni iſtius Regis viginti milliones in depoſito inveniri potuiſſent, nihil tamen ſupereſſet: immo ex repertis poſt mortem Regis Henrici in Regio ærario quatuordecim millionibus nummorum aureorum, undecim milliones profuſi deeſſent.

Parlamentum Pariſienſe exponit Regi querelas publicas.

Atque alia plura his ſimilia nomine quidem Ancri preſſo, ſed non obſcurè digito in eum intento, Regi tunc fuerunt inſinuata, quo ille excitus deliberaret maturius, priuſquam conſilia à privatis fide dubia ſuggeſta & à fidelioribus ſuis non explorata probaret. Sed nihil hoc terruit educatores illos juvenilis ætatis Regiæ, qui præveniendum rati priuſquam partes contradicentium majores vires ſumerent, procurarunt, ut tanto majori celeritate perficeretur contractus illius matrimonii. Ac Rex cum Regina matre, collecto ſplendido tam Aulico quam militari Comitatu, medio menſe Auguſto Lutetia Pyrenæum verſus ſunt progreſſi, & Regina mater Rege ſubſiſtente in illa vicinia, ſola cum aliquibus Principibus Baionam uſque ivit, indeque Sponſam Annam Mariam nomine ſuſceptam, Burdegalam conduxit, ac die 18 menſis Octobris nuptiis ibidem celebratis, Rex matrimonium cum ea confirmavit, & poſt paucos dies Elizabetham ſororem ſuam deſponſatam filio Regis Hiſpaniæ Philippo, Baionā Guiſio Duci deducendam commiſit.

Galliæ Rex Burdegalis nuptias cum Hiſpana celebrat.

Hiſpaniæ Regi deducitur ſponſa ex Gallia.

Interim Condæus cum ſuis collegatis exercitum conſcripſerat, quem ad obſidenda revertentis regis itinera diſponebat, & publicato ſcripto in quo omnem Ordinem tractatuum ſuorum cum Rege pro tollendis publicis querelis expreſſit, reliquos Principes & Parlamenta Galliæ, ut cauſæ ſuæ faverent invitabat. Vgonotos quoque ſeu nominari malebant Reformatos in Gallia, ſolicitavit, nec difficile ad ſuas partes traxit, cum iſti jam perſuaſum haberent ſuo maxime periculo illam amicitiam cum Hiſpanis coire. Imo quaſi Gallia cum Hiſpania in omnium hæreticorū interitum conſpiraret, ille metus etiam finitimos invaſerat, magiſq; ſocios fœderatoſque Galliæ, eoſq; pleroſq; Catholicos Hiſpanam potentiam ſuſpectam habentes, qui unicum obicem Galliam Hiſpanis redigendæ in Monarchiam totius Europæ, tali connubio removeri arbitrati, illud impugnantibus conſentiebant; ut jam inde appareret amicitiæ cum Hiſpanis vinculum illud infirmū futurum, quod judicio tot populorum damnaretur. Sed tamen poſtquam Rex prævenerat, & conſilia impedientium interverterat, iſti aliis remediis cauſæ ſuæ proſpicere ſunt coacti. Maximè autem verebantur arcanas illius connubii conditiones, & uti eouſque regnante Regina Itala, penes Italos ejus miniſtros rerum ſumma erat, ne Hiſpana quoque regnante, Hiſpani clavum regiminis tenerent. Vnde volebant ut pacta dotalia illius matrimonii in publico Parlamenti libro conſignarentur: Rex caveret quod nemini Hiſpano vel extero cuiquam dignitates aut officia

Condæus Dux concitat Ordines Galliæ contra Regem.

Galliæ Regis cum Hiſpano affinitas vicinis ſuſpecta.

Regni

Regni publica, vel etiam ipſius Reginæ privata adminiſtranda committeret, & legem de hoc circa matrimonium Philippi II, Hiſpaniæ Regis cum Maria Valeſia latam innovaret, ac ſtabiliret. Item ut Rex fœdera cum finitimis & remotioribus quibuſque tam Regnis quam communitatibus & Civitatibus à defuncto Rege inita confirmaret, & inviolata ſervaret: Parlamento Pariſienſi ſuper quærelis ab eo propoſitis ſatisfaceret, ejuſque authoritatem imminui ne permitteret: In authores cædis Henrici IV, Regis Patris ſui inquiri diligentius faceret, eam enim quorundam ſtudio procuratam fuiſſe, multus de hoc populi ſermo ſuſpicionem faciebat, licet ſicarius in tormentis neminem alium, præter ſeipſum ejus conſcium vel ſocium nominarit: Concilium Tridentinum ne Rex in Regnum introduci permitteret. (quod tamen paulo ante plurimi Epiſcopi Pariſiis congregati in omnibus Regni partibus recipiendum decreverant) Promiſſas in Nannetenſi Conventu diſſidentibus in Religione immunitates, ut Rex manuteneret. Hiſque plura ſimilia attexebant, confiſi Regem in eis concedendis pro conſequenda Regni pacificatione æquiorem futurum, poſtquam voti compos in conſummando matrimonio factus eſſet. Sed dum illi ita Gratianopoli ac Nimeti deliberant, copias Condæi in aliquibus locis milites Regii redeunti Regi viam aperiendo diſſiparant, ac menſe Decembre poſtquam ad S. Maxentium utrique cruento admodum prælio conflixiſſent, inducias pro tractanda concordia ad Calendas menſis Martii proximi fecerunt.

A.C. 1615. Galli quibus conditionibus caveri ſecuritati ſuæ volunt ab affinitate Hiſpana.

Condæi copiæ profligantur à Regiis.

Annus Chriſti, 1616.

ATque ita inchoarunt Annum Milleſimum, Sexcenteſimum, Decimum ſextum, tractatibus Lugduni ad hoc inſtitutis menſe Februario. Vbi plurimis hinc inde difficultatibus longiori diſceptatione ſubmotis, ad quædam poſtulata Condæi & ejus Colligatorum Rex deſcendit; & nonnulla difficiliora per conſilium ſuum Aulicum intra trimeſtre reſolvi juſſit, initioq; Maji fecit publicari pacis formulam, qua præteritorum omnium injuriarum ac damnorum, præſertim Fiſco Regio illatorum memoria oblivione deleta, omnes Principes illos eiſque conjunctos in gratiam recepit: Serione an Ancreo ita ſimulante, ex ſubſequentibus conjicere licebit. Vt enim Rex medio menſe Majo nuptam ſuam Pariſios iutroduxerat, eamque celebritatem in ſummo Principum & Nobilium concurſu peregerat, novas ſuſpiciones Ancreo ſuggerente contra eoſdem Principes concepit, & Condæum, cum fide Lugduni data ſecurus ad Aulam veniſſet, initio Septembris in cuſtodiam ad Arcem Luparam abduci fecit. Quo territi alii Principes Soiſſonium profugerunt, eòque omnibus aliis ſuis ſociis convocatis, propoſita facti ac violatæ publicę fidei atrocitate perſuaſerunt, ut innovato fœdere ad defenſionem mutuam arma iterum ſumerent. Ac longe majori animorum contentione militem conſcribere, auxilia conquirere, præſidiiſque munitiora Regni loca in ſuas partes firmare cœperunt, ut illa commotio omnibus præteritis periculoſior Regi futura videretur. Nec juvit quod Rex promulgato edicto cauſas comprehenſi Condæi declaverat; viciſſim enim colligati ſcripto expreſſas ſeceſſionis ſuæ rationes divulgarunt, & fractæ fidei ac contumeliæ Condæo illatæ acerbitatem exaggerantes, ad indignationem populos excitabant. Magis autem ſimultates & odia illa exarſerant, cum Rex ſuaſu Ancrei ad ſeveriora remedia converſus, contra Nivernenſem Principem, niſi ad officium rediret criminis læſæ Majeſtatis & proſcriptionis pœnam proclamari juſſit, & non multo poſt Ducem quoq; Bellioneum, Mænium, Vendomium, eorumque ſocios ejuſdem criminis reos denun-

Lugduni tractatur pax inter Regem & Fæderatos Galliæ.

Condæus Dux traditur cuſtodiæ Pariſiis.

Galliæ Principes Soiſſonium confugiunt.

Nivernenſis Dux proſcribitur à Rege Galliæ.

A.C. 1616. denuntiari fecit: inde enim vix aliqua amplius reconciliationis media requiri potuiſſent, præter unicum quod in nece Ancrei anno proximo apparebit.

Hiſpani in Iuliacenſi ditione occupant multa.

In Germania ſub hoc tempus quieta erant omnia, præter Hiſpanorum pro Neoburgico, Hollandorum vero pro Brandeburgico in Iuliacenſi hæreditate diſtrahenda certamen. Cum enim Hollandi nuper Comitatum Ravensburgenſem obtinuiſſent, Hiſpani hoc anno Suſatum & Lippiam in Veſtphalia, & Schernbocum Ciuiliæ oppida, euſque neutri parti addicta. Henrico Comite à Berchen Duce occuparunt.

Matthia Imp. uxor coronatur Regina Boëmia.

Vſchoci Croatici pyrata.

Veneti inferunt bellum Archiduci Gracienſi.

Cæſar Matthias initio anni hujus uxorem ſuam Reginam Boëmiæ renuntiari & coronari fecit. Ferdinandus autem Archidux in ſuo Græcienſi tractu novi belli initia ſenſit hoc anno: cum enim lentius ageret in coercendis Vſchocis ex Croatici ſinus anfractu excurrentibus, & continua pyratica mare Adriaticum infeſtum tenentibus, Veneti quod prece per multos annos repetita obtinere non potuerant, armis vindicandum decreverunt; vel quod eam cauſam belli palam præferrent, aliam autem agitarent arcano conſilio, uti belli illius ductus ſuſpicari permittit. Collectum enim exercitum, non quà Vſchoci in Croatiæ parte Auſtriacis ſubjecta oppugnandi erant, ſed contra Comitatum Goricienſem duxerunt, ubi de terminis ditionis Foro Iulienſis cũ Goricienſi Auſtriaca utrinq; non ſatis conveniebant, præſertim circa Gradiſcam, qua ipſi potiri maxime cupierunt, eo tota

Veneti Gradiſcam obſident.

bellimole cõverſa. Sed majoribus animis, quam viribus arteq; militari obſidionem ibi inſtituerant ineunte Martio anni iſtius. Nam ut ad Medeam caſtra poſuerant, ab illa parte progreſſi, vineas & aggeres ad oppugnandum illud oppidum excitarunt, cum ab altera parte fluvius Natiſon ſive Liſoncius omnem commoditatem, commeatum, & militem recipiendi oppidanis præberet. Militem quoque cum inexercitatum haberent, nempe ex plebe propie tantum ditionis promiſcua collectum, in promovenda illa oppugnatione & excipiendis obſeſſorum eruptionibus fere ſemper ſuccumbebant. Vnde prope bis mille ex ſuis amiſſis priuſquam finiret Martius, inde retrodecere debuerunt: firmatis tamen præſidio caſtellis vicinis, & propugnaculis excitatis, quibus commeatum Gradiſcenſibus adferri prohiberent.

Iuſtinianus militiæ Venetæ Præfectus caſus.

Veneti in Iſtria eruptiones faciunt.

Ad Trieſtam quoque claſſe advecti, portum illum irrito conatu oppugnarunt: ſimiliter & Goriciam, ubi Pompejus Iuſtinianus eorum pręcipuus militię Pręfectus, dum adverſum Civitati montem incaute ſpeculatur, jaculo bombardæ percuſſus occubuit. Lucinium tamen vicinum Goriciæ deditione occuparant, & Iſtriæ eorum Prætor Lindera intercepta, vicina loca Croatiæ excurſione facta diripuerat, totoque tempore ad finem anni hujus in diverſis hoſtici locis diverſi militares ipſorum Præfecti nunc victi, nunc victores, prædis terra marique agendis vacarunt, bello hoc in annum ſubſequentem continuato: A quo avocari non potuerunt exhortatione Summi Pont. Rom. nec minis Hiſpaniæ Regis, qui ad diſtrahendas ipſorum vires Mediolani validum exercitum conſcriptum, contra Sabaudum novum bellum, pro non impletis conditionibus concordiæ Aſtenſis molientem, convertere tunc fuit coactus.

M. Antonius de Dominis in Apoſtaſiam prolabitur.

Verum omni bello horribilius monſtrum protulit Illiricum hoc anno Marcum Antonium de Dominis Archiepiſcopum Spalatinum ſive Salonitanum, qui Societ: Ieſu Religionem, & in ea profanarum ac ſacrarum literarum magiſterium Veronę, Brixiæ, Patavii multis annis profeſſus, eoque modo fama eruditionis ſibi comparata, Archiepiſcopatum illum Spalatinum, nempe ſummum in Dalmatia & Croatia dignitatis Eccleſiaſticæ gradum aſſequutus, & ejus munere diutius perfunctus, turpi apoſtaſia totam Eccleſiam Catholicam contriſtavit. Nullo amico vel familiari conſcio, abierat ille ſub finem anni hujus Spalato, ſimulans quod iret Viennam ſuos amicos viſitatum, ſed relicta Vienna, recta perrexit in Hollandiam, ibique

Digitized by Google

que Principi Mauritio rationibus itineris ſui expoſitis, ac literis ſecuritatis ab eo acceptis, tranſivit navi in Angliam. Ac primo divulgatat ſcripto diſceſſus ſui cauſas, præcipue quod à Curia Romana (ut ajebat) iniquius tractaretur: revera autem fuit, quod ipſe ſub tempus lati à Summo Pont. Paulo V. in Venetos anathematis, Schiſmati illi Veneto ſavit: & licet Summus Pont. cum illo diſſimularet, ſibimet tamen ille male conſcius, ſemper quid adverſi à Romana Curia propterea timuit, averſumque animum exinde ab ea gerens, tandem in apertum conviriorum hujuſmodi campum prorupit. Sed in Angliam delatus, quaſi freno omnis timoris pudoriſque laxato alium libellum de diſceſſu ſuo ſparſit, manifeſtioribus hæreſiis plenum. Atque ibi pluribus annis degens, diverſa volumina edidit, in quibus Anglicanos & Calviniſticos errores aſſeruit, ſive quod ita ſenſerit, ſive quod vero magis ſimile, hæretici tantum hæreſiarcham nacti, hæreſes ſuas nomini ejus ſuppoſuerint. Reſipuerat tamen poſtea & impunitate ſibi pacta, Romam veniens, eidem Summo Pontifici Palinodiam ſuorum errorum typis impreſſam præſentaverat, ut ſuo loco attingemus. A. C. 1616.

In Polonia cum anno præterito irritis factis Comitiis Ordines Regni nulla ſubſidia contra ingruentia Reipub. pericula providiſſent, hoc anno iſta cumulata majores vires ſumpſerunt. Nam injuriam in Moldavia pulſo à Tomſza Conſtantino legitimo ejus Principe, Turciſque ea Provincia uſurpata acceptam, cum privati tantum nempe Samuël Korecki & Michael Wiſniowiecki, affines Ducis Mohilii nuper cæſi, idque propriis duntaxat, ac propterea debilioribus viribus perſequuntur, (victores quidem prope quindecim præliis Turcas cum Tomſza tota Moldavia ejecerant) ſed tandem ab hoſtium (novas identidem majoreſq; ſemper copias in locum profligatarum ad prælia conducentium) multitudine ſuperati defecerunt. Et Wiſniowiecius quidem morbo ibidem deceſſerat, Korecki autem deſertus à militibus ob non numerata ſtipendia, (vel ſatius quod Staniſlai Zolkiewski minis ac mandatis fuerint revocati) cum nihilominus loco cedere turpe duceret, & à quingentis tantummodo Equitibus aſſociatus pugnam cum Skinder Baſſa commiſiſſet, victus venit in poteſtatem hoſtis, Conſtantinopolimq; fuit abductus. Qua victoria Turcæ elati, miſerant Czauſium ad Regem Varſaviam, renuntiando fœderi pacis mutuo, niſi Polonica arma Moldavicis rebus ſeſe immiſcere deſiſterent. Et magis quod recens Coſaci ſuperato iterum mari Euxino ſive nigro, Trapeſuntum diripuerant, & Cicalam Baſſa, Cicalæ Genuenſis genere quondam celebris Architalaſſi Turcici filium, cum ſex triremibus & pluribus navigiis minoribus claſſis Turcicæ, demerſis tribus ipſius triremibus profligarant. Mercatorum quoque naves plurimas diripuerant, & totum illud mare infeſtum tenebant. Cumque anno proxime præterlapſo Skinder Baſſa, tranſitum ipſis ad mare illud præcluſurus apud fauces Boriſthenis ab adverſa Oczakoviæ, paulo ſuperiore ripa bina propugnacula, Aſlan Horodek dicta excitaſſet, ipſi cæſis præſidiariis ea diruerant, paulo poſt cum in Tauricam irent conducti à Tartaro San Gerejo, ut ejus fratrem Mechmet-Gerei à Turcis exautoratum ad illum Principatum reſtituerent. Nec aliud Turcis remedium ſupereſſe videbatur, niſi ut eos in propriis ſedibus immiſſo exercitu perquirerent, ac eradicarent, quo omnes Provinciæ Ruſſiæ (nempe promiſcua Coſacorum ubique domicilia) periclitari debuiſſent. Ab altera quoque parte Moſchi cum illa cônfinia ex præteritis Comitiis nullo præſidio militati firmata viderent, ſpreto pacis tractatu, quem Cæſaris Legatus introduxerat, Smolenſcum obſederant, & finitima Lithuaniæ excurſionibus vaſtabant. Difficilioris quoque belli cum Suecis omne Sigiſmundi jus in illo Regno Guſtavo Adolpho Caroli Regis filio deferentibus, jam inde initia apparebant; portentoſumque inde brevi exiturum belli ducem prænuntiabit monſtrum marinum ad finem

Korecki Samuël in Moldaviam tranſit.

VViſniowiecki Dux in bello Moldavico moritur.

Korecki Samuël deſeritur à militibus & captus à Turcis.

Coſaci Trapeſuntum diripiunt.

Coſaci propugnacula Turcarum apud Oczakoviam diruunt.

Moſchi Smolenſcum obſident.

Monſtrum in Suecia repertum.

A.C. 1616. finem anni præteriti Calmariæ captum ſeſqui ulnas longum, in cujus capite gladio pinna ſimilis, in tergo autem tres haſtarum cuſpides, & ab ore bini dentes elephantini, ab umbilico pes humanus prominebat, cum expreſſis in latere verbis: Væ, væ, væ homo.

Comitia Poloniæ Varſaviæ 1616.

Tanta itaque cum Regno imminerent pericula, Rex Sigiſmundus non expectato ut ex lege debuit biennio, Comitia Generalia Ordinibus Regni indixerat Varſaviæ, ad finem menſis Aprilis, eaque ex voto abſolvit, cum nulla tunc beneficia vel officia vacarint, quibus ut ſolet, ſtudia partium diſtracta turbarent negotia publica. Decretum autem fuerat in illis Comitiis,ut præſidia Ruſſiæ augerentur, & ingruente à Turcis majore vi, Rex omnes Nobiles ſumere arma juberet; prius tamen pax æqua cum ipſis tractaretur, dato negotio Staniaſlo Zolkiewski Præfecto Generali militiæ Regni, ut Coſacos ad officium revocaret, & à Pyratica contineret: ne Turcæ ad eos coercendos confinia Regni ingrediendi neceſſitatem haberent.

Kochánski Legatus ad Turcam mittitur pro amovendo ex Moldavia Tomſza.

Legatus quoque ad Turcam Georgius Kochánski fuit deſtinatus pro inſtauranda pace, & excuſanda inditiones Turcicas excurſione Coſacorum, uti facta ex occaſione data à Tartaris irruptione in illorum domicilia; & magis pro reſtituenda in ſtatum priſtrinum Moldavia, ſeu removendo ad minus inde Tomſza, quem poſtquam victus captuſque fuerat à Skinder Baſſa dux Korecki, reſtituerat Turca ad adminiſtrationem Provinciæ illius: Et contra Moſchos bellum apparari placuit, quod ut Princeps Vladiſlaus (indole excelſa, *curaſque animoſque vires, Ætatem ante gerens*) ipſemet adminiſtraret, & jus in illo Principatu ſibi quæſitum perſequeretur, fuit conceſſum. Subſidia quoque Sigiſmundo Regi pro recuperando Regno Sueciæ fuerunt promiſſa. Ad hoc enim ille animum tunc magis quam unquam alias applicaverat, perſuaſus quod dum Guſtavus Rex adhuc eſſet ætate immaturus, facile ab ejus obſequio Sueci poſſent avocari. In quo negotio miſerat quoque ad Regem Daniæ ſuum Legatum Ioannem Veiher Præfectum Puſenſem, poſtmodum promotum ad Palatinatum Culmenſem,ut illius animum tempeſtive ad juvandas partes ſuas flecteret.

Sigiſmundus Rex Poloniæ recuperare Sueciam decernit.

Veiher Legatus in Daniam.

Nec vana erat talis conjectura, cum iſte ſtudia popularia nec dum ſibi devinxiſſet, & plures ibi adeſſent, qui illatas ſibi à Carolo ejus Patre injurias aliqua occaſione vindicare cuperent: ſi modo Sigiſmundus Rex tali opportunitati rei bene gerendæ conſilia cautiora conjunxiſſet. Verum omnia intempeſtive, præpoſtere: ac magis ad præmonendum hoſtem fiebant. Nihilque de iſtis cum Conſiliariis Polonis conferebat Rex, ſed cum Suecis ac Germanis tantum, qui pauci, illique rerum & præſertim belli ducendi expertes in ejus Aula aderant. Michael Adolphus Comes ab Althein (qui etiam ſub hoc tempus inſtituendo novo ad debellandos Turcas ordine militum ſpecioſius quam utilius laborarat) præcipuus belli illius arbiter in ſe receperat, quod 20 millia militum Germanorum conſcriberet, & claſſe in Sueciam tranſportaret, qui tamen nullum experimentum comparandi exercitus, vel conquirendæ claſſis habebat. Et nihilominus expeditionis iſtius moderatores præſertim Franciſcus Tenagel, (carcerem & tormenta à Matthia Imperatore propter arcana Rudolphi Imper. perpeſſus) quem Rex Sigiſmundus Cancellarium Sueciæ renuntiarat, ac Gabriel Poze Suecus illo bellico apparatu ab Altheinio promiſſo freti, (quaſi exercitus in procinctu haberetur) bellum in Suecia divulgarunt, typo impreſſis Regiis edictis per Provincias ibi ſparſis, quibus populi illi contra Guſtavum, uti illegitimum Regem concitarentur. Ac commoverat hoc non leviter eam gentem, rationeſque Guſtavi turbaſſet gravius, ſi ibi adfuiſſet præſto robur aliquod militare, cujus præſidio partes Sigiſmundianæ fultæ ſuccreſcere potuiſſent.

Sigiſmundi Poloniæ Regis præparationes inordinatæ ad recuperandam Sueciam.

Sed

Sed cum illæ copiæ & claſſes Altheinii nuſquam apparerent, omnes earum partium veriti exemplum, quod ibi tempore Caroli Regis multos ſimilibus Regis Sigiſmundi conſiliis confiſos, fruſtratoſque perdiderat, ſeſe à novandis rebus continuerunt. Guſtavus quoque tali prænuntio admonitus, tempus longum habuit, ut in ſingulis Provinciis fideliores ſibi Rectores inſtituerit, qui diligentius omnes hoſtiles conatus obſervarent, & Patrem imitatus, prævenire periculum maluit, bellumque induxit in Livoniam anno ſubſequente. A.C. 1616.

Guſtavus Rex Sueciæ præmonitus de Sigiſmundi Regis conſiliis ſuas res ſtabilit.

Præfectus autem exercitus Regni Staniſlaus Zolkiewski, collectis præſidiariis copiis Ruſſiæ, adulta jam æſtate caſtra poſuerat ad Vſiczam fluvium, ubi cum Præfectis Turcicis ſtabilito, quod contra Poloniæ ditiones hoſtile nil tentarent, dummodo Coſaci ab excurſionibus in mare Euxinum prohiberentur, Pauloczam verſus movit ad conveniendum Coſacos, qui ibi magno numero conſtiterant. Ac introducto tractatu per Delegatos à Rege ad hoc deſtinatos, certæ leges præſcriptæ fuerunt, quibus illa militia regeretur, ac diſciplina ſervata, à damnis tam in Regno quam in mari Turcico inferendis abſtineret. Atque iſtis expeditionibus impeditus hoc anno Sigiſmundus Rex, Moſchoviticam quæ pro Principis Vladiſlai præſentia majorem apparatum deſiderabat, in annum ſubſequentem diſtulit. Deſtinarat tamen Chriſtopherum Korycinski virum genere & animi dotibus conſpicuum, cum Legatione ad Regem Hiſpaniæ Philippum III, ut gratularetur ejus filio Philippo IV. de nuptiis recens cum Eliſabetha Reginula Galliæ celebratis, & obtineret aliqua ſubſidia pro iſtis bellis: ac magis ut certiorem faceret ſolutionem cenſuum in Regno Neapolis ſuper vectigali Doganæ Fogiæ menæ pecudum Apuliæ & Safarani Abruzii domui iſti Regiæ ex hæreditate Bonæ Sfortiæ Reginæ Poloniæ aviæ Sigiſmundi Regis obligatorum, quam Viceregеs illius Regni nimium retardabant. Ipſe autem menſe Septembre Czæſtochoviæ unà cum Regina Carolum Archiducem Epiſcopum Vratiſlavienſem Niſſa eò delatum convenit, Crepiciamque deductum poſt quinque dierum colloquium dimiſit. Et in reditu nuntium triſtem accepit ex Podolia, ubi interim Cham Tartarorum Dziambegerei apud Felſtinum caſtris poſitis, indeque dimiſſis numeroſis (adduxerat octuaginta millia Tartarorum) turmis ſuis, omnem illam regionem ac Volhiniam vicinam longe lateque ferro, igni, prædiſque agendis crudelius vaſtavit, ac ingentem gregum, armentorum, hominumque, præſertim agricolarum multitudinem captivam in Moldaviam abduxit, nemine perſequente, cum ex Comitiis anteactis nulla præſidia adverſus tales hoſtis illius excurſiones fuerint proviſa.

Zolkievius contra Koſacos proficiſcitur.

Koryzinski Legatus in Hiſpaniam.

Sigiſmundi Poloniæ Regis cum Carolo Archiduce Czeſtochoviæ congreſſus.

Tartari vaſtant Podoliam & Voliniam.

Menſe Octobre ejuſdem anni obierat Albertus Báránowski ſeptuagenarius Archiepiſcopus Gneſnenſis, poſtquam Regem Czæſtochovia redeuntem Łovicii hoſpitio exceperat, ac liberalius tractarat: eiq; ſucceſſit Laurentius Gembicki, dato loco in Vladiſlavienſi Epiſcopatu Paulo Wolucki, Vicecancellarius vero Henricus Firley repulſam paſſus in iſtis majoribus, etiam Luceorienſem à Volucio relictum ut obtineret, dimittere debuit pinguiora ſeu prope æqualia cenſu Luceoriæ, quæ habuerat ſacerdotia, ſola Præpoſitura Plocenſi Cum Luceorienſi Epiſcopatu retenta.

Gembicki in Archiepiſcopatu Gneſnenſi ſuccedit Baranovio.

Sub finem autem ejuſdem anni deceſſerat quoque Cubiculi Regii Præfectus Andreas Bobola octuagenarius, homo rudis, moroſus, promotus ad illud officium patrocinio Sacerdotum Societatis IESV, quod illis in omnibus conſentiret. Vnde utrique conjuncta opera in privatis colloquiis, quæ ipſis ſemper patebant, ſolicitantes Regem adeo conſtrinxerant, ut omnia ipſorum conſiliis ageret, & Aulicorum ſpes & curæ non niſi ab eorum favore penderent: quin & in publicis negotiis iſti ſuggerebant quid Rex decerneret,

Bobola moritur.

A.C. 1616.

Aulæ Regiæ facies.

ret, tanto majori Reipublicæ periculo, quod ad hujuſmodi familiaritatem Regis aſſumebantur perſonæ (præſertim Confeſſor & Concionator) à ſcholis vel à Magiſterio Novitiorum Religioſorum, rerum & ſtatus Politiæ prorſus expertes: hæcque cauſa unica fuit errorum, non in domeſtiis ſolum, ſed & in publicis, ut Moſchicis, Sueticis, Livonicíſque Regis rationibus, & tamen pene ſacrilegii crimen reputabatur, ſi quis eorum dicta factave reprehendiſſet, & nemini qui non ipſis applauderet facilius ad dignitates aditus patebat. Sed remiſerant aliquantum illud ſupercilium amiſſo iſto Bobola, tanti artificii aptiori inſtrumento: nec alium Rex in illo officio (præſtat hoc cæteris majoribus Magiſtratibus familiaritate Regis) ſurrogare voluit: & demum lege arctatus publica, quæ ejuſmodi officia ſupprimi vetat, talem ſuffecit, qui ſenio & morbis confectus minus habilis illi muneri exercendo ad Aulam Regiam nunquam veniret.

Tamen iſtis ambiendis petendiſque reliquum anni hujus ceſſit: & mox vacarunt aliæ inſuper dignitates, quæ omnes gravius diſtinuerunt ſtudia candidatorum ęque militarium atque Eccleſiaſticorum.

Annus Chriſti, 1617.

Kryſcius Poloniæ Cancellarius obiit.

INitio enim Anni Milleſimi, Sexcenteſimi, Decimi ſeptimi, menſe Februario poſt longos languores deceſſerat Felix Kryski Archicancellarius Regni, vir liberaliori ingenio & eloquentia ornatiori, quodque rarius in tanto faſtigio nemini injurius. Et hic quidem Magiſtratus cum ex lege conferri non poſſit, niſi in Comitiis Generalibus Regni, idque de conſilio Senatus, reſervatus fuit Comitiis proximis: verum Epiſcopatus Cracovienſis poſt Petrum Tylicki menſe Iulio defunctum, fuit delatus Martino Szyskowski, quem ſequutus in Plocenſi Henricus Fierley Vicecancellarius Regni, Luccorienſem reliquit Andreæ Lipski: quæ breviter perſtringimus, ne ambitu privatorum chartas impleamus.

Szyſkovius Epiſcopus Cracovienſis renuntiatur.

Vladiſlai Principis expeditio in Moſchoviam.

Publica autem quod attinet, toto illo tempore apparatus militaris pro conducendo in Moſchoviam Vladiſlao Principe conquirebatur. De Ducibus illius belli magis diſſidebant ſententiæ Conſiliariorum; plures enim volebant, ut Staniſlaus Zolkiewski Præfectus militaris Regni, qui ad recipiendum Principem eundem in Ducem Moſchoviæ devictos Moſchos adegerat, ille idem ab eis datam ad hoc fidem repeteret. Sed iſte magis veritus, ne jusjurandum à ſe tunc præſtitum, poſteaque violatum, Moſchi ſibi exprobrarent, vel etiam iniquum ratus, quod conſilium ſuum de dando Moſchis iſto Principe dum valere poterat abjectum, & demum poſt tantam viciſſitudinem rerum, in incertum adductum probare deberet, eam Provinciam conſtanter recuſavit. Acciderat etiam interim, quod cum Koſaci ſprete ſuo anno ſuperiori cum Delegatis Regiis inito pacto, mare Euxinum infeſtum haberent; Turca miſſo Skinder Baſſa cum exercitu valido, caſtella in confiniis illis ſita, quæ eſſe domicilia Koſacorum reputabat (*Palanki* Turcis dicuntur) expugnari, ac devaſtari juſſerat. Ea itaque inſuper ſpecioſiori propria confinia Turcis defendendi cauſa oblata Zolkievio, ejus loco Carolus Chodkiewicz Præfectus militiæ Lithuaniæ munus illud deducendi in Moſchoviam Vladiſlaum Principem ſuſcepit, cum adjunctis Delegatis Andreæ Lipski Epiſcopo Luccorienſi tunc renuntiato, ac Leone Sapiha Cancellario Lithuaniæ, & ex Ordine Equeſtri Iacobo Sobieski, Domino in Zloczow, ac quibuſdam aliis, quorum conſiliis ille Princeps ſive de pace cum hoſte tractandum, ſive armis decernendum eſſet uteretur,

Skinder Baſſa cum exercitu venit ad confinia Podoliæ.

Chodkievicio demandatur munus ducendi in Moſchoviam Principis Vladiſlai.

uteretur. Ac ſub finem Aprilis ipſemet Rex cum Regina & Aulico ſuo Comitatu frequenti uſque ad villam *Wilczyská* duodecim leucis Varſavia diſtantem, proceſſerat cum eodem Principe, ibique cum multis lachrymis (quaſi certo regnaturo in Moſchovia, nec in Poloniam vivente ſe reverſuro ultimum valediceret) dimiſerat abeuntem. Verùm iſtis votis fortuna non reſpondit, ut ſuo loco dicetur. Immo ſtatim increbreſcente de adventu Skinder Baſſa rumore, pars copiarum in Moſchoviam deſtinatarum eò divertere debuit, ut Principe propterea in Volhinia ſubſiſtere coacto, tempus opportunum ipſius expeditionis Moſchicæ effluxerit. Demum enim re tranſacta cum Skinder Baſſa exercitus ille cum ſuo Tribuno veterano Martino Kázánowski converſus, verſus Moſchoviam proceſſit, & retardatus in itinere expugnatione Starodubi quod & cepit, tardius ad Principem advenit. Princeps tamen ad famam ejus adventus celerius in interiora Moſchoviæ penetrarat, & quantumvis conſternatos & imparatos Moſchos invenerit, ut omni illa regione pervia ubique patente, ipſam Vrbem Moſchuam rectà petere potuiſſet, ingruentis tamen hyemis incommoda veritus, circa Viazmam triginta ſex leucis Moſchicis ab Vrbe Moſchua diſtantem hiberna ſumpſit, vernum tempus bello ducendo commodius ibi præſtolaturus. Moſchi verò animos & vires interim aſſumpſerunt, ac paratiores toto anno inſequenti impetum Polonorum ſuſtinuerunt, ut ſuo loco dicetur.

A.C. 1617.

Sigiſmundus Rex Vladislaum Principem dimittit in Moſchoviam.

Vladislaus Princeps Viaſma hiberna ſumit.

Quod autem attigimus de adventu cum Turcicis copiis Skinder Baſſa, ad confinia Poloniæ, Staniſlaus Zolkiewski Præfectus militiæ Regni, collectis ſtipendiariis copiis, & magno numero diverſorum Procerum Ruſſiæ auxiliis, prope confluentem Tyram Morachuamque apud Oppidum Buſſa caſtra poſuerat, quò Skinder Baſſa quoque ad diverſam ripam Tyræ conduxerat Turcicum exercitum, Tartaricis, Tranſilvanicis à Bethlem Gaborio adductis, tum & Moldavicis, & Valachicis ſubſidiis auctum in immenſum.

Per aliquot itaq; dies cum Turcæ & Tartari vado ad ripam Polonicam transeuntes pugnam oſtentarent, Zolkievius præter paucas præ caſtris excurſiones, in quibus æquali Marte certabatur, aleam prælii univerſalis experiri noluit, licet non parva victoriæ indicia haberet, offerentibus Tranſilvanis ac Moldavis defectionem à Turcis: vel ſaltem vinci non potuiſſet in caſtris vallo, foſſa, ac loci natura, apparatuque bellico copioſo munitiſſimis ſeſe continens: tamen inſtituto colloquio, nullo ad hoc munitus Regis Reipublicæque mandato ſeu conſenſu, conſcripſit conditiones pacis, quibus (ſeu interpretatione earum ſubdola) freti Turcæ, omnimodum Dominatum in Moldavia uſurparunt, & ejecta inde ſtirpe Ducali vetuſta ex eo tempore primum hominibus externis, iiſque aliqua inſigni Chriſtianis illata clade ſibi commendatis, Principatum illum deferunt: immo venalem jam exponunt plus auri offerentibus; & qui non ut olim, moderatum tributum, ſed univerſos illius Provinciæ cenſus ad ærarium Ottomanicum ſolvere, contra Chriſtianos Turcis militare, Tartaroſque eam Provinciam liberè pervagantes, occupanteſve tolerare coguntur. Pepigerat autem tunc (ab hoc pendet ratio tantæ jacturæ) Zolkievius inter alia quod ex Polonia (Duces genuini Moldaviæ jus hæreditariæ ſucceſſionionis ſuæ in illo Principatu tueri ſolebant, ſociis Polonorum auxiliis cujus rei extabat verus exemplum, expeditio Ioannis Tarnovei contra Petrum Palatinum, & alia Nicolai Sienavii pro Alexandro conſtituendo Palatino Moldaviæ, & Nicolai Mielecki pro reſtituendo Bogdano, tum recentior Zamoyſcii Cicoriana, & contra Tranſilvanum Rozwan, ac Michaëlem Valachum, ac Ioannis Potocii, aliorumq; diverſæ, tunc verò hæredes Hieronymi Mohilii Ducis, ac Conſtantini ejus filii cæſi nuper, iis deſtituti per hanc pactionem Zolkievii, quaſi cuſtode remoto, prorſus exciderunt ex illo Principatu non minori Polonorum damno quam

Zolkievii cum Skinder Baſſa tractatus ad Buſſam.

A.C.1617. ſuo) nulli exercitus ac turmæ militares in Moldaviam conducendæ eſſent, quæ illam Provinciam, aut Palatinum à Turca in ea inſtitutum turbarent. Arcem Chocim quæ pro eiſdem hæredibus Mohilianis adhuc ibi ſervabatur, dimitti fecerat, & Nicolaum Ivonium Præfectum illius præſidii ab ipſis conſtitutum, capitis ſupplicio punierat innoxium, eò quod ad ejus juſſum ſtatim inde decedere recuſârat. Berſabeam quoque & Raſcoviam Colonias Polonorum Procerum circa Tyram fluvium unius diei itinere à Tehinia finitimo Turcico præſidio ſitas, quas receptacula Coſacorum fuiſſe, & fundum Turcicæ ditionis occupaſſe Skinder Baſſa arguebat, vaſtari permiſit, ratus (hoc excuſabat) quod tali modo Turcæ devincti, pacem firmiorem cum Regno Poloniæ ſervaturi, & Tartaros in officio ac intra fines Tauricæ contenturi eſſent. Sed vix ſolutis utrinque caſtris inde receſſerat, Tartari Skinder Baſſa connivente, excurrentes viciniores Podoliæ terras ſpoliarant, magna multitudine plebis ruſticanæ in ſervitutem abducta, cum omnes confiſi excubiis tam numeroſi exercitus, relictis munitioribus ſuis refugiis ſecuriores in Campeſtribus degerent, & multo crudelius, idque impunè idem Tartari, anno inſequenti Volhiniam vaſtarunt, ut tunc attingemus.

In Livonia quoque hoc anno Polonis parum proſperè ſucceſſit; Sueci enim exciti claſſico, quod Conſiliarii Suetici Regis Sigiſmundi, ut ſupra adnotavimus, verbis tantum non armis inſtructi canebant, maluerunt prævenire, bellumque in Livonia potius quam domi expectare. Et quidem tempus induciarum ab ipſis cum Republica Polona, præcipuè pro Livonia ſtabilitum, nec dum prætereerat. Sed quod eis durantibus palam aggredi jura gentium vetabant, dolo licere judicarunt. Itaque nacti Georgium Farensbach Livonem hominem manu & ingenio ad omne facinus promptum, eum induxerunt, ut præſidia Polonorum ex propugnaculis ac Civitatibus Livoniæ ejiceret, eiſque Gudavo Regi Sueciæ traditis, ab eo ſummam adminiſtrationem illius Provinciæ obtineret.

Farensbach prodit Sueco Livoniam.

Quod ille ſive arte, (ut poſtea Poloniæ Regi reconciliatus aſſerebat) quo Guſtavum in Livoniam evocaret & deciperet, ſive quod ſeriò à Polonis defeciſſet, acceptis à Guſtavo pro colligendo milite ſtipendiis, & aſſumptis auxiliaribus copiis ex Suecia commiſſis, ſumma audacia perfecit: Tanto facilius quod Provincia illa freta induciis, nihil à Suecis, multominus à concive ſuo expectaret. Vnde pleræque Civitates eum venientem, ut amicum receperunt, & demum cum præſidia Suetica apud ſe relinqui viderent, ut Parnavia, Dinamuntum hoſtem agnoverunt. Riga Civitas cognita proditione celerius ad reſiſtendum neceſſaria comparaverat, ac oppugnantem Farensbachum propugnacula extra Civitatem ad tuendum illum portum extructa, fortiter rejecerat, & graviora licet damna præſertim in ſuis prædiis ſuburbanis direptis ab ipſo perpeſſa, ad finem hujus anni, & hyeme proximam imminentem aſſiduè mœnibus Civitatis ſola ſuſtinuit: Cum Chodkievicius Gubernator Livoniæ, qui ſubvenire ibi laborantibus debuerat abiiſſet in Moſchoviam cum Principe Vladiſlao, & nonniſi ſubſequente Vere alia ſubſidia Dux Chriſtopherus Radziwil eò conduxiſſet.

Heilbrunæ Germaniæ diſſidentes fœdus ineunt.

Sed externa videamus, in Germania hoc anno diſſidentes in Religione Heilbrunæ congregati fœdus mutuæ defenſionis, quod à multis annis agitarant, arctioribus vinculis firmarunt. Nempe veriti Ligam Catholicam paulò ante ſtabilitam, & cujus opera arma Hiſpanica in Iuliacenſes Terras in Veſtphaliam introducta, toti Germaniæ imminere credebantur. Nec acquieſcere volebant, licet Imperator Matthias promitteret, quod Catholici eſſent receſſuri à ſua Liga, dummodo ipſi quoque à tali fœdere abſtinerent. Cæterum, Imperator Pragæ tunc commorans, cum nullam ſpem ſuſcipiendæ prolis haberet de

Liga Catholica in Germania facta.

Matthias Imperator ſucceſſorem ſibi in Regno deſignat.

A.C. 1617.

de ſucceſſore ſibi deſignando conſilium ſuſcepit. Ac jure Auſtriacæ familiæ ſuccedere ipſi debuerant Albertus & Maximilianus Archiduces ejus germani, ſed cum iſti quoque ſteriles ſenuiſſent, alium in linea ejuſdem proſapiæ ſuæ proximum ad illam ſucceſſionem vocari permiſerunt, Hiſpano Rege quoque tali compoſitioni ſubſcribente. A Boëmia itaque auſpicaturus Cæſar, Comitia Ordinibus illius Regni ad menſem Iunium iſtius anni Pragæ indixerat, in quibus de eligendo in Regem Boëmiæ Ferdinando Archiduce Græcienſi deliberatione inſtituta, Boëmi murmurabant quidem taciti, quod tali arte jus liberæ Electionis Regis ipſis præriperetur, ſed palam contradicere non auſi, ſeu in aliud tempus conſilio aſſerendæ libertatis ſuæ dilato, permiſerunt ut Ferdinandus renunciaretur ac coronaretur Rex Boemiæ, interpoſita cautione, ne hoc præjudicare deberet ipſorum juri liberæ Electionis, quod ad petitionem Cæſaris ſponte ſua tunc feciſſent. Cautum quoque fuit, quod ita demum in Regno ſuccederet Ferdinandus, ſi Matthias ſine prole maſcula decederet, quodque vivente Matthia præter titulum coronati Regis, nihil juris ſibi in adminiſtratione illius Regni Ferdinandus uſurparet, alioquin Boemi abſolverentur à jurejurando fidelitatis ei præſtito, & nullam ipſi obedientiam exhibere tenerentur: quodque circa inaugurationem ſuam Boemiæ Ordinibus de eorum immunitatibus ſervandis conſueta forma juraret, & Matthia Cæſare defuncto non prius adminiſtrationem Regni adiret, quam diploma confirmationis eorum privilegiorum ad Archivum Regni Boemiæ traderet. Coronatus autem Ferdinandus ſub initium Iulii, menſe Auguſto Dreſdam ad Electorem Saxoniæ cum Cæſare & Maximiliano Archiduce conceſſerat, jam inde ſibi ſuffragium ipſius pro ſucceſſione in Imperio aucupaturus. Venientibus, ad quatuor leucas Germanicas obviam proceſſerat ille Elector cum ſplendido Equitatus comitatu, & tantis majeſtatibus magnificentia digna hoſpites illos octo diebus tractavit.

Ferdinandus renunciatur Rex Boemiæ.

Matthias Imperator Dreſdam ad Electorem Saxoniæ venit.

Interim Præfecti militares Ferdinandi in ditione Græcienſi varia ſorte cum Venetis certarunt: iſti enim ex occaſione pyraticæ Vſchocorum vindicandæ anno præcedenti ſumpta arma, hoc anno majori fervore inſtruxerant, & continuatis tota hyeme in Carinthiam & Iſtriam excurſionibus, menſe Martio iterata obſidione propius excitatis novis munitionibus circumſederant Gradiſcam, quæ maxime eorum confiniis Foro julienſibus officere videbatur. Quo ex Hollandia quoque conduxerant ſtipendiariam quatuor millium peditum legionem cum Comite Ioanne Erneſto Naſſovio, claſſe per tot marium diſcrimina circumductam; neceſſitate adacti inde petere militem, quem ex vicinis circumquaque Auſtriacorum ditionibus colligere non permittebantur, & ex propriis nonniſi exercitatam bello turbam habebant. Iſta autem æſtate laborarunt maximè in intercludendo flumine Liſoncio ab obſeſſis firmioribus cuſtodiis munito, circa quas rejiciendas non parum præſtiterunt cæſo Trautmanſdorfio præcipuo militiæ Ferdinandi ductore, & Hermenſtenio Gradiſcæ Præfecto. Nunquam tamen interclúſerunt omnes ad eam Civitatem aditus, magis inertia rei militaris, cum etiam inter eorum propugnacula late paterēt intervalla, qua irrumpens Comes Dampier paucis illorum excubiis facilè pulſis, non ſemel obſeſſos annona ſublevavit: & ad finem menſis Auguſti, cum frequentiores excubiæ Venetæ tranſitus illos inſediſſent, Dampierici cæſis ferè trecentis ex eis, ac Horatio Puglione eorum Tribuno, viam ferro ſibi apparuerunt, commeatumque copioſum in Civitatem introduxerunt: Hollandici quoque milites, præſertim Duce eorum Naſſovio Vdenæ febri interim maligna extincto, conqueſti de tenuiori ratione victus, & non ſolutis ſibi ea liberalitate quam ſperarant ſtipendiis, caſtra eorum deſerebant plurimi, pacto cum Auſtriacis libero ſibi per Germaniam in Patriam reditu. Sicque illa obſidio parvo profectu, trahebatur. In mari vero majora damna res Veneta tunc ſenſit, cum præter Vſchocos,

Veneti iterum Gradiſcam obſident.

Naſſovius Comes Venetis conducit auxilia.

Dampier Comes fert auxilium Gradiſcæ obſeſſæ.

Naſſovius Comes Vdenæ moritur.

Hollandiæ milites auxiliares à Venetis diffugiunt.

Vſchoci naves Venetas diripiunt.

cos,

A.C. 1617.

Oſſuna Prorex Neapolis Venetas naves diripit.

cos, qui viginti mercatorum Venetorum naves ex Oriente commeantes ſpoliatant: etiam Dux Oſſuna Prorex Neapolis claſſem Neapolitanam (cum vexillis & inſigniis Ferdinandi) in mare Adriaticum expediviſſet, à qua duas eorundem naves cum mercibus pretioſioribus captas, Neapolimque conductas, prædæ militari addixit. Atque tali rerum viciſſitudine bellum illud ad menſem Novembrem protractum, primo induciis brevibus diremptum, deinde perpetua pace ineunte anno proximo ſopitum conquievit.

Veneti inducias faciunt cum Ferdinando.

Cæterum Sabaudus Hiſpanorum arma, quæ avertere à Venetis voluerat, in ſe converſa hoc anno ſenſit. Poſtquam enim acceptis auxiliaribus copiis à Ladigera Delphinatus Gubernatore, qui ex pactis Aſtenſibus ipſi non expectato alio Regis Galliæ mandato, ſubvenire tenebatur, Hiſpanos priuſquam juſtum exercitum compaſſent, apud Crevecoram profligaſſet, & ex locis in Pedemonte occupatis exturbaſſet, Montilianumque expugnaſſet. Gubernator Mediolani Petrus de Toleto, irritatus tali ipſius progreſſu, validiorem conſcripſit exercitum, quem ipſemet ducens, cum Sabaudos nuſquam evocare poſſet ad pugnam, Vercellas ſub finem menſis Maii obſedit. Ac exceptus quidem fuit ab excurrentibus Vercellanis cruento prælio, in quo plus mille ab ejus parte ceciderant: ſed cum à foris nemo impediret, nec Sabaudus cum exercitu uri expectabatur adeſſet, facilè aggeres & operas promovit proximè mœnia civitatis, eáque vibratis triginta ſex machinis majoribus quaſſavit. Et licet invadentes vallum Civitatis Hiſpanos obſeſſi, ſæpius fortiter rejeciſſent, in quibus conflictibus etiam Ioannes Sultzenſis Comes ex parte Hiſpanorum occubuerat; tamen reficiente pulvere nitrato, ac iterum repulſis, qui à Duce Sabaudiæ ſummiſſi cum illo pulvere nocte obſcura fluminis alveo in Civitatem penetrare tentarant, deſperato ſubſidio deditionem tractarunt.

Sabaudiæ Dux in Ducatum Mediolanenſem excurrit.

Vercellas obſidet Mediolani gubernator.

Vercellæ deditionem faciunt Hiſpanis.

Poſt duorum menſium obſidionem, ipſo die S. Iacobi Apoſtoli Hiſpanis fauſto, cum armis ac vexillis explicatis, duobuſque tormentis prodierant illi ex Civitate, ad quatuor milliaria ab Hiſpanis deducti incolumes, ab incolis autem Vercellenſibus extorto grandi lytro Toletanus illam Civitatem præſidio Hiſpanico munivit, nec ultra contra Sabaudum proceſſit. Verum iſte paulo poſt receptis ex Helvetia & Gallia novis auxiliis, in Mediolanenſem ditionem excurrens, multa damna Hiſpanis dedit: Felicianum oppidum vi cepit, & diripiendum militi ſuo conceſſit. Inde progreſſus Annonem civitatem munitam ad deditionem coëgit, & præſidio proprio firmavit, agendiſq; prædis in illis confiniis ſævijt, donee opera Pontificii Legati Ludoviſii induciæ breves fuerunt ſtabilitæ, & eis durantibus, tractatu pacis continuato in annum ſubſequentem, dum inter Venetos quoque & Regem Ferdinandum aliquid conveniſſet, pax coáluit conditionibus compoſitionis Aſtenſis, & reſtitutionis occupatorum utrinque locorum, quod in anno proximo ſucceſſit.

Sabaudiæ Dux in Mediolanenſi ditione Felicianum & alia oppida capit.

Ludoviſius Legatus Pontif. Rom. inducias facit inter Sabaudum & Hiſpanos.

In Gallia anni iſtius principia nimium turbulenta fuerunt, poſtquam publicati juſſerat Rex contra Principem Nivernenſem decretum proſcriptionis: & paulo poſt Principem Bullioneum, Mænium, alioſque Principes ſanguinis, & Pares Franciæ ad eandem pœnam edicto publico vocatat. Omnes enim illi reconciliatione deſperata, quam toties quæſitam novæ ſubinde machinationes An-Ancrei diſſolverant, ad defenſionem ſeſe comparabant, & præcipui quique ad eorum partes tranſibant, communem cauſam reputantes, cum leges ac libertates Patriæ labefactatæ eſſent vindicandæ. Rex quoque magno numeto militem conſcribi, & alium ab Helvetiis & Hollandis conduci juſſerat, magnamque partem copiarum ſtatim deſtinarat ad obſidendum Soiſſonii Principes congregatos, & ad expugnandas Nivernenſis aliorumque Principum ditiones, ut propediem totæ

Galli Principes contra Regem arma comparant.

Galliæ Rex militem conſcribit contra ſeceſſionem Principum.

A.C.1617.

tota Gallia acerbo belli Civilis incendio flagratura videretur. Nec ſuppetebat modus inſinuandi Regi artes, quibus Ancreus maturiorum de componendo illo motu meliora conſilia alia occultabat, alia inviſa apud Regem Reginamque matrem reddebat, quaſi ab odioſis, & Regiam ſtirpem extingui cupientibus profecta, dummodo potentiam ſuam ſtabiliret. Omnes enim aditus ad aures Regis & Reginæ matris (magicis ajunt præſtigiis) ita occuparat, quod criminis eſſet loco, ſi quis remotis arbitris Regem alloqueretur, & negotia quævis ardua nonniſi ipſo ejuſque uxore conſcia à Rege Reginaque cognoſcebantur; relegarat ab Aula Silleroium Cancellarium, & Villeroium, Gianninum; ſigillorumque Regiorum Magiſtrum Vairium ſpectaræ probitatis & integritatis virum loco moverat, ſigillaque in ſuam poteſtatem receperat, eo quod ipſum ſuſpectum haberet. Sed tamen benignior Gallorum ſors tanto malo remedium invenit. Iverat Ancreus in Normandiam, ubi tutiora pro neceſſitate refugia ſibi perabat. Ea itaque opportunitate quidam maturiores Regem adeuntes, ipſi per Dominum de Luines repræſentarunt cauſas præſentis in Regno diſſidii, quibus ſublatis facilè ad tranquillitatem & dignitatem priſtinam reduceretur. Nimirum quod Ancreus homo externus contra leges publicas primas in Regno dignitates ac Præfecturas obtineret, & majores ambiret: ſummam adminiſtrationis Regni ipſe haberet, & omnia prout libuerit ageret, titulo ſolo & nomine Regi relicto: ad dignitates & Magiſtratus perſonas viliores, & nonniſi aſſectatores ſuos promoveret, & dignioribus a Rege Henrico collatas non raro abrogaret, abrogandaſque plurimas deſignaret: Principibus viris inſidias ſtrueret: Beneficia æquè profana ſeu militaria, atque Eccleſiaſtica Rege inconſulto diſtribueret, quò omnes felicitatem ſuam ab ipſo pendere intelligant, illique adhæreant: ærarium Regium, ex quo ad uſus proprios quindecim milliones nummorum aureorum, ſeu prope viginti quinque millena millia nummorum aureorum levaſſet, & diverſis aſſeclis ſuis diverſas ſummas pecuniæ publicæ aſſignaſſet, ab ipſo planè exhauriri, & tributa diverſarum Provinciarum integra, in illius ejuſque clientum ac miniſtrorum uſum derivari. Quod autem magis premebat Gallos, evidentioribus argumentis probabatur, omnes regiminis publici rationes ex voto & conſilio Hiſpanorum ab ipſo dirigi, eoque Hollandis auxilia ex veteri conventione dari ſolita, ejus aſtutia, ærarii Regii inopiæ excuſatione prætenſa denegari, & præſidia in eorum gratiam ſuſtentata abduci, vel hoſtium poteſtati permitti: externum militem magnis catervis ab eo in Regnum conduci, eique ſubditos & beneficiarios Hiſpani Regis præfici, & ad præſens ejus juſſu in Belgio novas copias Comitis Belgiojoſæ Regis Hiſpaniæ ſtipendiarii opera conſcribi, & in præſidiis Hiſpano confinibus ab eo occupatis, externos milites collocari, quo ipſe à Gallis deficiens confugere, & Hiſpanorum ope ſecurus vivere cogitaret. Clarius quoque apparebat ab eo & ejus uxore, Divinos & Hariolos de vita Regis ejuſque fratris conſultos fuiſſe, & ne ſterilitatis venena procurarent, vel alia veneficia Regiæ domui ſuppoſuerint, vel ſuppoſituri ſint verendum eſſe. Et demum illi iidem relatores confirmabant, tantis malis nulla ratione alia obviari poſſe, niſi ut Rex ipſmet gubernationem Regni aſſumeret, quo matre Regina privatam vitam agente, Ancreus qui ipſius poteſtate niteretur, publica munia tractare deſineret, & Principes timore tantorum periculorum levati, ſeceſſione relicta ad obſequium Regis redirent. Forte autem Rex ipſe omnia iſta jam ante præſenſerat, & pertæſus cuſtodiæ maternæ, ſub qua eouſque vixit, ad libertatem aſpirabat: unde facile talia ſuadentibus acquievit. Sed veritus ne ſi Regina mater ab Aula prius amovenda eſſet, Ancreus talia conſilia interverteret, eum prius coërcendum decrevit, ac Vitrio ſummo ſtipatorum ſuorum Præfecto mandavit, ut eum comprehenderet, & ſub cuſtodiis retineret. Quod iſte exequi volens, vigeſima

Ancrei Marchionis apud Regem Galliæ potentia.

Vairium ſigillorum Regiorum Præfectum exauthorat Ancreus.

Ancreo abſente Galli Regem de ſtatu Regni inſtruunt.

Galliæ Rex acquieſcit conſiliis contra Ancreum ſibi datis.

A.C. 1617.

Ancreus Marchio juſſu Regis Galliæ occiditur.

ſima quarta menſis Aprilis die, illum ex Normandia revertentem, ac palatium Regis ingreſſum arma deponere jubet, & reluctantem Regii ſatellites uno & altero bonbardæ jaculo proſternunt, ut ſtatim animam exhalarit. Aliquantum tumultuari cœperant Reginæ matris Aulici ac ſatellites, ſed cum Rex è feneſtra proſpectans ſcitu ſuo illud factum fuiſſe annuntiaſſet, & quieſcere omnes juſſiſſet, magis in lætitiam per totam Vrbem populus effuſus acclamationibus, Vivat Rex, gratam omnibus obveniſſe cædem illam probavit:

Ancrei cadaver ignominiis affectum.

Quin etiam in cadaver occiſi ſæviit, quod poſtridie è ſepulchro erutum per Civitatem raptavit, & ad furcam à pedibus ſuſpendit, præciſiſque naribus, auribus, manibus, atque pudendis deformatum, rogo impoſitum combuſſit:

Ancrei uxor capta.

Vxor quoque ipſius unà cum Secretario Barbino in carcerem fuit abducta, bonis omnibus utriuſque conjugum in tabulas fiſci Regii relatis. Atque talem finem habuit homo ille ad ſummum honorum & divitiarum faſtigium evectus, dum alienigena inter nativos nobiliores immoderatius effertur, & malis artibus petit altiora. Ac putaret aliquis eum invidia potius fuiſſe oppreſſum; nempe non

Ancrei uxor fatetur præſtigiis magicis ſe & ſuum maritum fuiſſe uſam.

dicta cauſa damnatum, niſi ſubſequens diſquiſitio in perſona uxoris facta, hujuſmodi dubia ſolviſſet: data enim iſta ad quæſtiones, & acerbioribus tormentis dicere veritatem coacta, (& quidem coram legitimis ac fidei incorruptæ judicibus) agnovit illa omnia quæ marito objiciebantur, ac una cum Magicis characteribus libriſque apud ipſam & maritum deprehenſis, die octava Iulii publice capite truncata, ac igne cremata fuit. Regina autem mater glorioſè alioquin officio ſuo in adminiſtrando illo Regno tot annis perfuncta, ſe-

Regina Galliæ offendit Gallos Hiſpanis ſociare volens.

xus imbecillitate in eo offendit, quod ipſa peregrina homini peregrino tam ampli Regni difficile regimen permiſerat, & errori errorem majorem cumulando, genti gentem moribus prorſus diſſimilem, & odio natura inſito adverſam Hiſpanis Gallos (quaſi aqua igni poſſet commiſceri) ſociare voluit. Et quidem Reginæ iſtius commiſſa in Ancreo Galli diutius toleraverant, ſed ut primum illa amicitias & fœdera inire cœpit cum Hiſpanis, ipſi quoque ſimul & illis primis, & his noviſſimis offenſis ſuis coacervatis, in odia aperta erumpentes, totidem querelis implacabilibus eam onerarunt, ut excidere ab adminiſtratione Regni debuerit. Statim enim poſt cædem Ancrei Rex annuntiati ipſi fecit, quod ita requirentibus Ordinibus Regni ipſemet munia Regia obire vellet: & poſt paucos dies convocatis primariis nobilitatis & Magiſtratibus Vrbis, illud propoſitum ſuum publicè declaravit, ejus ſermonem excipiente Verduno Parlamenti, & Cevaliro Senatus præſide oratione diſerta, qua prudentiam

Galliæ Regina relinquit Aulam Regiam.

ipſius in avertendo tunc bello Civili celebravit. Bloeſam tali facta rerum converſione receſſerat Regina mater, cui valedicens Rex ſciſcitanti cauſas talium conſiliorum, oſculo dato ſermonem abrupit, & plura dicere parantem reliquit, abeuntemque finito ocyus prandio, è feneſtra cum Regina conjuge præter ſolitum hilarior ſpectavit. Inde autem manifeſtius apparuit illam fuiſſe cauſam præteritarum

Galliæ Principes redeunt ſponte ad obſequium Regis.

in illo Regno diſſenſionum, quod poſt divulgatam Ancrei mortem, & Reginæ ab Aula diſceſſum, ſtatim nullo tractatu reconciliationis præmiſſo, magno numero Principes & Nobiles ad obſequium Regis redierunt, & Mænius Dux claves Soiſſonii ad Regem cum ſubjectionis teſtificatione miſit, quas Rex laudata ipſius fidelitate eidem remiſit, & obſidionem illius Civitatis ſolvi, militemque ab offendendis Nivernenſis & Bullionei, aliorumq; Principum poſſeſſionibus revocari juſ-

Galliæ Rex condonat offenſam omnibus ſuis ſubditis.

ſit. Literis quoque ad Civitates & Provincias miſſis publicari fecit, quod omni præteritorum memoria abolita, Principes adverſus quos edicta proſcriptionis nuper promulgata fuerunt, eorumque partium aſſeclas in gratiam reciperet, & in gradum dignitatum & officiorum priſtinorum reſtitueret. Condæus ſolus ſub

cuſtodia

cuſtodia Boiſæ manſit. Atque ita unius Ancrei mors ſalvavit innumeros homines, qui bello illo Civili periiſſent, & toti Regno Galliæ pacem comparavit. A.C. 1617.

Condæus Dux retinetur ſub cuſtodiis.

Eodem anno in Provinciis Hollandiæ ab Arminianis Schiſma excitatum in ſeditionem prorupit, quæ maxima confuſione illam Rempub. involvere cœperat, eamque ad interitum prope conductura fuerat, niſi tempeſtive in ipſis initiis oppreſſa fuiſſet, ut in anno ſubſequenti attingemus.

In Germania autem Lutherani anni ſæcularis, ſeu decurſi ſæculi à die ultima Octobris Anni 1517, quo Lutherus inſtituta diſputatione publica Vittembergæ fundamenta ſuæ hæreſis jecerat, celebrarunt feſtivitatem indictam ab Electore Saxoniæ Ioanne Georgio, qui etiam monetam auream tunc cudi fecit cum tali gnome: *Sæculum Lutheranum.*

Lutherani ſæculi decurſus celebratur.

Annus Chriſti, 1618.

ANni Milleſimi, Sexcenteſimi, Decimi Octavi initio, in Polonia Rex Sigiſmundus Comitia Generalia Ordinibus Regni Varſaviam ad menſem Februariam indixerat, in quibus filio Vladiſlao Principi ad bellum Moſchium & Livoniæ contra proditionem Georgii Farensbach, Ruthenisque contra Tartaros ſubſidia provideret. Sero enim in Moſchoviam, ut attigimus in anno præcedenti, Princeps ille veniens, nulla re memorabili geſta, Viaſmæ hibernans hærebat, & omnem pecuniam illi bello à Repub. deſtinatam, interſtipendia militaria parvo operæ pretio abſumpſerat, ut nulla ratione cœptum ſuum proſequi potuerit, niſi dunuo ære Caſtrenſi ſublevaretur. In Livonia quoque Sueci proditione Farensbachii Dinamuntum & Parnavam introducti, continuo Rigam excurſionibus laceſſebant, & quaſi obſeſſam tenebant. Ac magis affligebant Rempublicam Staniſlai Zolkievii Præfecti exercitus cum Skinder Baſſa ad Baſſam conventa, quibus primævum morem (cujus plurima & antiqua & recentia habebantur exempla) de tuenda conſervandaque armis Polonicis ſucceſſione nativorum Ducum Moldaviæ, gravi jactura Regni, Ordinibus inſciis, nulla neceſſitate adactus convulſit, & tamen certitudinem nullam ſecuritatis ab incurſionibus Tartaricis obtinuit, ſiquidem Tartari poſt illam tractationem, in Moldavia, quaſi Turcæ propria, ſede ſibi in campis Budziaki dictis, perpetua fixa aſſidue in proxima Poloniæ confinia excurrentes, prædas agere non ceſſabant. Hæc itaque introducta agitabantur, in Comitialibus deliberationibus ſed lentis nimis, potiorem curam re privata ſibi vendicante. Vacabat autem tunc à morte Felicis Kryski officium Archicancellarii, & poſt defunctum nuper Andream Bobola, Præfectura Cubiculi Regii; ac Henricus Firley ad Epiſcopatum Plocenſem promotus, ex lege tenebatur dimittere officium Vicecancellarii. In quibus dignitatibus aucupandis diſtracta partium ſtudia, ſuſpenſum Comitiorum exitum ad finem uſque tenuerunt, ne quidem contentione abſtinendo, privatæ rei ut ſolet lege publica obtenta, quæ Regem obligat, ut in ipſo initio Comitiorum diſtribuat officia omnia, & beneficia tunc vacantia. Ea enim lex ut ſervaretur, Nuntii Terrarum tanta obſtinatione urgebant, quod ne ſententias quidem Senatores dicere permiſerunt, donec Comitiis jam mediis Rex veritus ne eorum tempus reliquum inaniter efflueret, legi, non pertinaciæ ipſorum ſatisfecit. Georgius & Chriſtopherus Duces Zbáraſcii tunc Tribunitia inter Nuntios Terrarum poteſtate prævalentes, illos præcipue motus ciebant, quo repulſam in petitione iſtarum dignitatum acceptam vindicarent, vel Regem ſtringerent, ut eorum opera ad cohibendam hujuſmodi Nuntiorum

Comitia Poloniæ Varſaviæ 1618.

A C. 1618.

Zolkievio defertur officium Cancellarii.

duritatem uteretur. At Rex magis inde offenſus, talem contumaciam ut retunderet, Staniſlao Zolkiewski Præfecto militiæ, à quo illi inveterato odio diſſidebant, Archicancellariatum contulit, prœter ſpem omnium & ipſiuſmet Zolkievii votum, nihil minus quam illum Magiſtratum in ætatæ ſeptuagenaria, & profeſſione militari ambientis. Hoc autem expedito, auditis Senatum ſententiis, Nuntii Firlejum Vicecancellarium contendentem retinere officium ſuum ad alia Comitia, eo quod nondum plene adiiſſet poſſeſſionem Epiſcopatus Plocenſis aſperioribus quam ſperarat acclamationibus ut dimitteret exagitarunt. Sed hoc quoque Rex dimiſſum, contra opinionem & expectationem omnium contulit Andreæ Lipski, homini duro, impotentia animi, importunitate & audacia incredibili, & nemini cum quo aliquid negotii haberet non moleſto, ſed eo præcipue commendato, quod eſſet verſatior in legibus Magdeburgicis ac Polonicis, quibus conſtant Aulæ Regiæ judicia, & quod calleret linguam Germanicam, qua via aditu ad colloquium Reginæ quæſito, Regi reconciliatus, ad Aulam longo poſtliminio redierat, & mox ope Vicecancellarii Firley per talem æmulum vexare volentis Hieronymum Cielecki Referendarium Regni, Cancellarium Reginæ virum integerrimum, ab illo Cancellariatu prope extruſerat; demum vero in petendo iſto Vicecancellariatu, ab ejus modeſtia (ſe non ambire dicentis) criminatione ducta quod contemneret, vere ſupplantavit, miniſterio Germanarum

Lipſcius obtinet officium Vicecancellarii.

fœminarum Reginæ familiarium; Ipſemet vero tunc cum Vladiſlao Principe in Moſchovia morabatur, & demum accepto nuncio de collato ſibi Vicecancellariatu, advolarat Varſaviam ad finem Comitiorum. Atque tali ſortitione unius & alterius officii territi Nuntii, tertium nempe Præfecturam Cameræ Regiæ, ad quam Chriſtopherus Zbáráwski maxime aſpirabat, dari non urgebant: forte quod præſenſerant non ita ut optarent fore conferendam, uti poſtea Rex præcavens ſimiles moleſtias in alia Comitia, eam dederat Staniſlao Wołucki Caſtell. Ravenſi, nec Aulæ, nec alicui actioni humanæ ob paralyſis morbum idoneo: Palatinatus Kijou. dimiſſus à Zolkievio, ceſſerat Thomæ Zamoyski juveni annorum 23. Cæterum, publica negotia in tanto ſtrepitu privatorum certaminum vix audiebantur: Taciti fremebant plerique contra pacta ad Buſſam cum Turcis concluſa, ſed palam nemo audebat conqueri, vel errorem accuſare, cum nonniſi malevolentiæ Zbaraſciorum tribueretur, & offenſam conciliaret apud Regem, ſi quiſpiam argueret geſta Zolkievii. Ipſe quoque Zolkievius magnificis aſſidue potentiam Turcarum extollebat elogiis, multiſque rationibus ſuadebat, declinandum eſſe omnimode bellum Turcicum, ac optime collocari omnem impenſam qua illud redimeretur, vel ſaltem differretur, donec moles tanti Imperii, cui evertendæ multorum ſimul Regnorum vires non ſufficerent, pondere proprio, vel fatali caſu aliquo corrueret. Hocque conſilio evitandi belli cum illo hoſte ſe circa res Moldavicas tranſegiſſe, nempe latrantis canis (tali adagio utebatur) porrecta offa, os ſe obſtruxiſſe excuſabat. Eventus tamen ipſiuſmet Zolkievii malo non multo poſt probavit, ex tali metu Polonorum, Turcas majorem audaciam ſumpſiſſe, offaque illa ineſcatos, & commoditate tanta promovendi belli adjutos, totam Poloniam ſubjugare voluiſſe, ut ſuo loco conſtabit. Sed in illis Comitiis opinio Zolkievii oraculi inſtar habita prævaluit, & ſub ſeverioribus, nempe proſcriptionis & publicationis bonorum pœnis Comitiali decreto prohibitum fuit, ne quiſpiam Regnicolarum pacta inita cum Turcis violare, & arma ſignaque infeſta Moldaviæ inferre, vel eam invadere auderet. Vladiſlao Principi pro bello Moſcovitico continuando unam collectam agrariam Ordines conceſſerant, & alteram pro neceſſitatibus Regni, ſi quæ evenirent; præſertim pro defendendis confiniis contra Tartaros, vel in Livonia.

A.C. 1618.

nia. Atque ita fuerunt ſoluta illa Comitia querelis Nunciarum Terrarum de malis quibus publicus ſtatus gravari videbatur ſepoſitis ad alia proxima Comitia.

Vladiſlaus Princeps Moſchuam verſus progreditur.

Interim Princeps Vladislaus in Moſchovia ex hybernis collegerat ſuum exercitum, & adulto vere movens Moſcuam Vrbem verſus, obvia quæque oppida intercepit Moſayſcum Urbi Moſchuæ vicinum, & bello continuando maxime opportunum cum Moſchi diligentius cuſtodirent, nonniſi diuturniori oppugnatione obtineri poterat: unde Princeps ne ibi tempus utilius ad obſidendam ipſammet Urbem Moſchuam impendendum tereret, poſtquam Bartholomæus Nowodworski Eques Militenſis ducens cohortem prætoriam contra Moſchos inde excurrentes in eo conflictu bombardæ jaculo in brachio ſiniſtro percuſſus, rerrocedere fuerat coactus, rectà ad Vrbem proceſſit, & uno ab ea milliari in Tuſſino ubi Demetriani quoque ſtationem habuerint olim, poſitis caſtris, ad Moſchos miſit caduceatorem adventum ſuum annuncians, ſubjectionemque quam ſibi jurejurando ſolenni devoverant, requirens.

Moſchuam Vrbem obſidet Vladiſlaus Princeps.

Verum cum ſurdis auribus Legatio illa excepta fuiſſet, diſpoſito ad omnes in Vrbem tranſitus equitatu, eam tota æſtate obſidione preſſit & oppugnavit.

Coſaci Putiwlum expugnant.

Coſaci quoque 20 mille Moſchoviam ingreſſi; per campeſtria qua Tartari eo irruptiones facere ſolent, Saczko & Ielsko inſignia oppida expugnarant, ac cædibus incendiiſque vaſtatis illis opimis Moſcoviæ regionibus ad caſtra Principis delati, inde paulo poſt verſus fluvium Occa converſi, longe lateque illas regiones populabantur, & oppidum ejus caput Kaluba dictum ſolo æquarunt, trucidatis ejus habitatoribus omnibus.

Moſchorum reſponſum Principi Vladiſlao.

Nil tamen his permoti Moſchi in pertinacia ſua perſiſtebant, aſſerentes ſe non obligari amplius jurejurando Vladislao Principi præſtito, quod ille ipſemet irritum fecerat, cum præſtituto tempore Principatus iſtius poſſeſſionem adire, ac Electionis ſuæ conditiones adimplere neglexerit. Nec aliud conſilium ſupererat, niſi ut armis bello longiori edomarentur, ad quod continuandum ſubſidia pecuniaria à Repub. Polona conceſſa non ſuppetebant, ac nulla alia ſperari inde poterant, perturbato adhuc rerum ſtatu in Moldavia, ubi à Tartaris incurſionem in Ruſſiam apparari conſtabat, atque ad eam reprimendam omnes vires Regni converti oportebat.

Vladiſlaus Princeps tractat pacem cum Moſchis.

Tractatu itaque cum Moſchis tranſigendum placuit, & ſi quidem illi nullum colloquium de recipiendo in Ducem ſuum Vladislao Principe habere volebant, de induciis tantum ad aliquot tempus ut tractarent perſuaderi ſibi permiſerunt.

Moſchi literas ex Polonia ad Principem Vladiſlaum venientes intercipiunt.

Acciderat autem nimis intempeſtive, quod inter tractandum, præſidiarii Moſchici erumpentes à Moſayſco, interceperant venientem ex Polonia tabellarium cum literis, in quibus Andreas Lipski Vicecancell. ab Aula Regia ſcribens, delegatos ad illius belli conſilia à Republ. deſignatos monebat, ut (imminente à Tartaris periculo Reipubl.) quamvis iniquioribus conditionibus pacem ibi componerent. Iſtis vero Moſchi perlectis, inſolentiores facti, difficiliores pacis conditiones requirebant.

Moſchis conceduntur induciæ ad annos 14.

Sed tandem induciæ ad annos 14 & 6 menſis fuerunt ſtabilitæ, ſub finem menſis Decembris circa pagum Divulino tali pacto: quod captivi utrinque commutarentur, & Poloni omnia loca occupata in Moſchovia; nempe Ducatum Severienſem Czernieiovenſem & Nowogrodienſem retinerent: Viaſmam ſolam cum ſuo territorio Moſchis reſtituerent.

Vladislaus Princeps ex Moſchovia redit.

Hiſque peractis Vladislaus Princeps in Poloniam redierat menſe Martio A.C. 1619 ſubſequentis ſub tempus Comitiorum, in quibus æquæ Rex Sigiſmundus atque Ordines Regni illam pacem ingratam habuerunt, & Vicecancellarius Andreas Lipski (licet ejus literarum ut diximus impulſu factum fuerit) Leonem Sapiha Cancellarius Lituaniæ, dum illorum tractatuum & Conſilii in Senatu coram omnibus Ordinibus Regni rationes

red-

A.C. 1618. redderet, aſperiori reprehenſione & reſponſo Regis nomine exceperit. Zolkievius autem præfectus exercitus Regni, accepto nuncio de adventu Tartarorum, in confinio Moldaviæ Cameneciam prope in campis Orinienſibus conſtiterat; quo etiam inſigniores quique Regni Proceres cum magnis militaribus catervis confluxerant, ut omnes illæ copiæ 5, millium haſtatorum, 12 levioris armaturæ æquitum, & 6 millium peditum numerum complerent. Apparatus quoque inſtrumenti bellici copioſiſſimus aderat, & promptiſſimum omnibus ſtudium ad pugnandum cum hoſte. Sed deerant potiora fatali quadam ſorte, vel propter laſſam inclinatamque annoſi Ducis fortunam: late per ſtationes diſperſi manipuli in formam Caſtrorum munitorum colligi non poterant, ne forte detrectatent imperium, præſertim Zbaraſciani, Sieniviani, Kalinovii, eorumque aſſeclæ animis à Zolkievio diſſociari. Conſilia bellica non convocabantur, notitia de hoſte nulla habebatur, & ſi quid exploratores ſingularium Ducum adferebant, in dubio manebat, donec confirmaretur à Zolkievii exploratore, qui tunc demum annuntiavit adventum hoſtis, cum jam ab omnibus conſpiceretur. Dauletgerei Galga Principis Tartarici frater, & ex recepto apud Tartaros more ipſius Vicarius, copiarumque ſummus Præfectus, triginta millia ſelectiorum Tartarorum adduxerat, cum quibus ex adverſo aciei Polonicæ, quam tunc primum Zolkievius tumultuarie inſtruxerat tranſiens, poſtquam Zolkievium pugnam (præceperat iſte ſub pœna capitis, ne ullus ex ſuis ad confligendum prodiret) detrectare advertit, in extremum exercitus illius agmen, ubi Thomas Zamoyski Palatinus Kijoviæ cum proprio trium millium comitatu ſeparatam ſtationem tenebat, impetum fecit immoto ſtante Zolkievio: præter quod exoratus ad ultimum gravius in pugnando laborantibus Zamoyſcianis, ne à multitudine hoſtium opprimerentur ſummiſerat quadringentos pedites ſclopetarios. Nec abeuntem hoſtem inſequi voluit, licet plerique ſuaderent mittendum expeditiorem relictis impedimentis equitatum, qui ejus terga carperet, vel onuſtum ingenti præda pecudum, ac prope triginta millium hominum captivorum, ex Volhinia (quo ſecurus penetraverat) revertentem, in tranſitu fluminum excuteret. Atque ita ſine exemplo ſpectante florentiſſimo, equis, armiſque probe inſtructo, & ad pugnandum alacri exercitu, incendiis, rapiniſque Provincias Regni, hoſtis ille crudeliter divexavit, ac exinde maxime arma Polonica contemnere didicerat, ut infra ipſiuſmet Zolkievii caſus docebit.

Solkievius in campo Orinin. Tartaros expectat.

Zamoyſcii ſtationem oppugnant Tartari.

Tartari in Volhiniam excurrunt.

In Moldavia tamen Tomſam incurſionem hujuſmodi authorem Turca ad poſtulationem Nuncii Regii Gregorii Kochanski, ab adminiſtratione illius Provinciæ removerat, eique ſuffecerat Gaſparum Gratiani, multis Legationibus pro illo Monarcha apud Romanorum Imperatorem feliciter expeditis celebrem, externum quidem nec ex genere Ducum Moldaviæ, ſed tamen æquiorem Chriſtianis, cujus opera Tartari à divexandis Poloniæ confiniis aliquantum conquieverant.

Tomſam removent Turca ex Moldavia.

Gratianus novus Moldaviæ Palatinus renunciatur.

Cæterum Livonia perduellione Georgii Farensbachii perturbata, hoc anno metum illum depoſuit. Farensbachius enim pacta impunitate commiſſorum, ſententiam mutavit, & Suecis deſertis, arces quas ipſis prodiderat in poteſtatem Regni Poloniæ reſtituit, præter Parnaviam, ubi Præfectus ab ipſo inſtitutus Suecis addictior cognito tali conſilio, eum venientem noe admiſit, ac in fide Suecorum Civitatem illam retinuit. Nec caruit veri ſpecie ſparſus rumor de illa proditione, quaſi fuerit arte ad decipiendum Suecum Guſtavum conficta; (licet ſtaus redundarit Parnavia amiſſa in authorem) nam Farensbachius poſtea reverſus ad Aulam Regiam Varſaviam, ſatis benevolum Regem habuit, ſolo Michaële Bechano

Livonia liberatur à proditione Farensbachii.

Parnaviam proditam à Farensbachio retinent Sueci.

Farensbachius reconcilatur Regi.

Sacer-

Sacerdote Societatis Ieſu Regio Confeſſore reconciliationis ipſius arbitro, immo & toties illius ſcenæ conſcio. A.C. 1618.

Elbinga Templum primarium pro uſu Catholico deſtinatur.

Hoc quoque anno Elbinga Civitas proſcriptione Regia adacta Eccleſiam Parochialem ritui Catholico in manus Parochi Sigiſmundi Steiſon reſtituit. Sed alta mente repoſta illa offenſa, exinde à Rege & Regno Poloniæ alienatiori animo, & ad defectionem pronior eſſe cæpit. Et hæc ſtrictim de noſtris, externa ſtrictius expediemus.

Matthias Imperat. ſucceſſorem ſibi in Regno Vngaria accipit.

Imperator Matthias poſtquam anno præterito fecerat eligi & coronari Regem Boemiæ Ferdinandum Archiducem Auſtriæ patruelem ſuum, hoc anno ſucceſſorem quoque ſibi in Regno Vngariæ eundem deſignari voluit. Ad quod indictis Poſonii Comitiis ad diem decimum nonum Maji, Vngariæ Ordines conditiones Regii eligendo propoſuerunt, ut privilegia eorum juxta formulam in anno Milleſimo, ſexcenteſimo octavo, & Milleſimo, ſexcenteſimo nono, ab ipſo Matthia tunc Rege electo jurata, juraret & confirmaret: præjudica quæ interim irrepſerant intra triennium tolleret, vivente Matthia Imperatore, ſolo titulo Regis coronati contentus, in adminiſtrationem Regni ne ſe ingereret, alioquin Ordines à jurejurando & fide ipſi præſtita, eo ipſo liberarentur. Talibus itaque conditionibus Ferdinandus acceptis & confirmatis, Rex Vngariæ renunciatus, ac die prima Iulii ritu ſolenni fuit coronatus. Poſtquam autem Auſtriaci titulos Vngariæ & Boemiæ in perſonam Ferdinandi à Matthia Imperatore obtinuerant, etiam plenam illorum Regnorum adminiſtrationem ipſo invito uſurparunt, nec injuriis exercendis (oderant illum à tempore quo Hollandis militavit, & propterea etiam à ſucceſſione in iſtis Regnis poſt Rudolphum eum excludere voluerant) abſtinuerunt: præſertim in ejus miniſtros, quibus præſentibus in illa Aula rerum potiri non potuiſſent, ut erat Melchior Cleſelius Epiſcopus Viennenſis, Rom. Eccl. Cardinalis, vir ingenio promptus & ſagax, omniumque Imperatoris æque publicarum atque privatarum rationum ſolertiſſimus moderator. Huncque conatuum ſuorum præcipuum obicem ut ab Aula relegarent, Archidux Maximilianus, (iſtius juſſu res fuit inſtructa) Rex Ferdinandus Carolus Archidux, & Legatus Hiſpanus in Palatio Imperiali Viennæ 20 Iulii congregati, eum ad conſilium mutuo habendum invitarant, & cum veniſſet, ad interius cubiculum, quaſi colloquii ſemotis arbitris cauſa evocato, Sigiſmundus Bremer nunciavit, ut rubeum Cardinalitium veſtitum, ita jubente Domo Auſtriaca, deponeret, & nigro aſſumpto (qui in promptu aderat) captivum ſe dederet; adfuit & Comes Dampier ac Colaltus, qui eum eductum ignominioſe per ſecretam palatii januam, carruca ad hoc præparata incluſerunt, & equis ex induſtria in itinere diſpoſitis, celeri curſu Tyrolum conduxerunt ad Archiducem Leopoldum, quem ille maxime offenderat in aſſerenda Matthiæ Imperatori poſt Imperatorem Rudolphum ſucceſſione. Et quomodo inde ope Summi Pontificis Romani poſt triennalem detentionem fuerit liberatus, ſuo loco dicetur. Aulici autem Imperatoris tunc omnes conſternari tanto caſu, ne mutire quidem vel Imperatori quæ geſta fuiſſent narrare audebant, ſinguli veriti ne eandem cum Cleſelio fortunam ſubire cogerentur. Imo Imperator ipſe cum hoc demum ab ipſiſmet Archiducibus intellexiſſet, ſuſpicatus ne ſibi quoque in cuſtodiam eſſet concedendum, ſimulavit dolorem: ſed exinde ex melancholia invaleſcente quo laborabat morbo, aſſidue decumbebat in lecto, & identidem inter gemitus proclamabat, *reddite mihi Cleſelium.* Imperatrix vero quæ iſtum patris habuerat loco, tanta afflictione mariti, & inſperata rerum viciſſitudine perculſa, ex animi anxietate infirmitatem concepit, ex eaque ſub finem anni iſtius obiit.

Ferdinandus coronatur Rex Vngariæ.

Cleſelium Cardin. Archiduces in cuſtodias tradunt.

Matthias Imperator & ejus uxor caſu Cleſelii conſternati.

Atque hoc modo Archiduces Imperatore pene in ordinem redacto, ſum-

mam

A.C. 1618. mam rerum ad ſe traxerunt, ut miniſtri Cæſareæ Aulæ omnia nonniſi ex ipſorum arbitrio agerent, nomine ſolo Imperatoris ad edicta, decretaque & mandata quæ publicabant prætenſo.

Maximil. Archidux moritur.

Non diu tamen Archidux Maximilianus ex tali victoria exultavit: nam menſe proximo Novembre, febri maligna correptus (probabili argumento ultionis Divinæ) intra paucos dies deceſſit anno ætatis ſexageſimo. Nec Ferdinando ſatis proſpere nova illa publici regiminis ratio ſucceſſit: Hæretici enim à tempore quo eos ex Styria ejecerat ipſi infenſiores, ut primum ab ejus voluntate in Aula Imperatoris omnia pendere advertebant,

Ferdinandus incurrit odia diſſidentium & Boëmorum.

ubique turbari & novandarum rerum conſilia inire cœperunt. Præſertim in Boëmia tunc maxime invaluerunt ſuſpiciones ab ejus inauguratione exortæ, quaſi abrogare vellet *Literas majeſtatis*, illi Regno à Rudolpho Imperatore pro libero Religionis diſſidentium uſu conceſſas. Et quoniam inde bellum non Boëmiæ ſolum, ſed toti Germaniæ tam funeſtum & diuturnum initia ſumpſit, paulo altius, ſed tamen breviter more noſtro originem turbarum hujuſmodi memorabimus.

Anno 1609. Imperator Rudolphus cum jam à Matthia fratre ſuo diſſentiret, & ne ad eum Boëmi deficerent timeret, quo eos nutantes & tumultuantes, præſertim *Diſſidentes* de Religione in obſequio ſuo contineret, libertatem exercitii publici hæreſeon, nempe Boemicæ confeſſionis, ſeu utraque ſpecie & Euangelicorum ipſis firmavit,

Rudolph. Imp. Majeſtatis literas dat Boemis.

dato diplomate (*Literas majeſtatis* vocant) in quo expreſſe in omnibus Regni illius locis liberum exercitium talis confeſſionis, & facultatem templa ritus illius ædificandi conceſſit: Conſiſtorium inferius, & Academiam Pragæ eidem confeſſioni addixit:

Majeſtatis literarum vis.

Deſenſores ad quos injurias ſuas judicandas & vindicandas deferret, ut ſibi eligat, conceſſit: Literas quaſvis in contrarium eouſque editas abrogavit, ac in futurum contrarias iſti Privilegio non dandas, & ſi quæ à ſe vel ſuis ſucceſſoribus darentur, caſſas, nullaſque, nec recipiendas fore decrevit: nulliuſque ſive Eccleſiaſtici ſive Politici ſtatus perſonæ contradictionem præmiſſis obeſſe poſſe voluit: Ac ſimiles literas majeſtatis, Auguſtanæ confeſſioni in Sileſia eodem Anno conceſſit.

Matthias Imperator confirmat Boemis Majeſtatis literas.

Matthias quoque Regnum illud Boëmiæ Anno 1611 adeptus, eaſdem *Literas majeſtatis* & concordiam partium ſub una & ſub utraque ſpecie (ut vocantur) ac decreta Comitiorum ſuper eodem Religionis uſu, jure patronatus, fructibus cujuſque Eccleſiæ, ſepulturis morientium, ac modo decidendi controverſias, ſi quæ propterea aliquando exorirentur initam, decretiſque Comitiorum iſtius gentis generalium roboratam confirmavit.

Boëmicorum motuum initia.

Atque eo freti Diſſidentis de Religione in ditionis Eccleſiaſticorum degentes, præſertim Clauſtrograbii oppido Archiepiſcopi Pragenſis, & Brunaviæ oppido Abbatis ejus loci, templa confeſſionis ſuæ Boëmicæ, ſeu ſub utraque ſpecie ædificarunt, Archiepiſcopo Pragenſe & Abbate Brunavienſe illam ædificationem impugnantibus, & interpoſitis mandatis Regiis impedientibus, ex eo quod tenor illarum *Literarum majeſtatis* nil diſponeret de libertate Religionum adverſarum, & præſertim de templis ædificandis in poſſeſſionibus Romano Catholicorum Eccleſiaſticorum ſpeciatim. Vnde multæ difficultates graves circa interpretationem earundem *Literarum majeſtatis* & concordiarum inter illas partes initarum fuerunt excitatæ: nempe an illæ deberent extendi ad poſſeſſiones & ſubditos Eccleſiaſticorum, & an illarum executionem remorari poſſent mandata Regia, ac quiſnam controverſias ſimiles judicare poſſit. Ac tunc quidem valuit arbitrium *Deſenſorum* (ut vocabantur) qui convocatis primariis ordinum, cum litigatores juxta præſcriptum Comitiorum judices pari numero ab utrinque ad controverſiam illam decidendam eligere negligerent, ipſimet decreverunt

runt *Literas majeſtatis* ad ſubditos quoque & poſſeſſiones Eccleſiaſticas extendi, ſumpto argumento ex verbis illarummet literarum, ubi dicitur generaliter; *Omnibus ſub ſpecie utraque licere ubique & in omnibus Regni locis* (non expreſſo Eccleſiaſticis) *libere ſuam confeſſionem exercere, & ſi quis Eccleſiaſticorum aut Politicorum hanc legem violaret, tanquam turbatorem pacis publicæ puniendum fore.* & ex alia earundem literarum clauſula tali: *quod nulla contraria Regis ſeu Cæſaris mandata promulgari, recipi, vel rata haberi deberent,* derivata probatione, reſponderunt licere Clauſtrograbienſibus & Brunavienſibus non obſtantibus mandatis Cæſaris, ſtructuras templorum ſuorum inchoatas continuare ac perficere. Quod reſponſum in Comitiis quoque generalibus Pragæ in Anno 1615 celebratis, fuit approbatum. Sed paulo poſt miniſtri Aulæ Cæſareæ rejecta tali *Defenſorum* declaratione, *Literas* illas *majeſtatis* hæreticis ſubditis Eccleſiaſticorum minimè ſuffragari cenſuerunt, & Archiepiſcopo Pragenſi permiſerunt, ut templum Clauſtrograbii ab Huſſitis ſeu utramque ſpeciem profitentibus extructum dirui, ſoloque æquari curaverit: Abbas etiam Brunavienſes ſuos, ut claves Templi noviſſimè fabricati apud Cancellariam Boëmicam deponerent, mandatis Cæſaris conſtrinxit; & cum renuerent, eorum præcipuos in carcerem Arcis Pragenſis detrudi fecit. Non minus etiam commoverat *Diſſidentes* in Religione, quod eis ad dignitates & Magiſtratus nullus aditus patebat, & eorum multi ab officiis quæ ante obtinuerant, amovebantur: Henrico Matthæo Comiti Turrenſi Burgrabiatus Carolſteinenſis fuit abrogatus: in nonnullis parochiis Paſtoribus ſub utraque ut vocantur ablegatis, alii ſub una, ſeu Catholici ſubſtituebantur. Hiſque & ſimilium metu incitati illi *Diſſidentes*, magno numero Pragæ in Collegio Carolino convenerant, libellumque ſupplicem inde ad Imperatorem expedierant, quo deprecabantur, ne adverſa interpretatione, & Decretis Aulæ Cæſareæ ipſorum privilegiis & *Literis majeſtatis* vim inferri permitteret, utque Brunavienſes eouſque in carcere detentos libertati reſtitui juberet. Alium autem Conventum ad 21 Maii indixerant, in quo ſponſum Imperatoris expectantes, cum præter ſpem ſeverius accepiſſent (nempe quo arguebantur quod injuſta peterent, & quod Conventus privata authoritate agentes, præſertim eorum authores pœnas criminis læſæ majeſtatis incurriſſent, eaſque eſſent recepturi) ad tumultum ſunt converſi. Ac die Mercurii 23. menſis Maii, cum conſediſſent in Curia Arcis Pragenſis Conſiliarii & Miniſtri Cæſaris, ad eos illi armis & bombardis inſtructi, turmatim ingreſſi, audito ſuper quærelis ſuis reſponſo minus grato, in ipſoſmet Conſiliarios verbis injurioſis invehi cœperunt, quaſi eorum interpretatione ſubdola non Cæſaris voluntate *Literarum majeſtatis* genuinus ſenſus inverteretur, & creſcente ex ſermonibus ultro citroque habitis jurgio, Vilhelmum Slavata, & Iaroſlaum Smiezáwski, ac Philippum Secretarium quos maximè ſuſpectos habebant, & qui audacius eorum rationes impugnabant (præſtabat cedere furori, ut fecit Burgrabius ſupremus ac Popelius & evaſit ſalvus) correptos, è feneſtra in hortum Arci contiguum præcipitarunt, more gentis in puniendis proditoribus libertatum patriarum recepto. Et quidem præter colliſa aliquantum brachia & crura, delapſi iſti incolumes manſerunt, ſed autores illius tumultus commiſſo tam inexpiabili in Cæſarem delicto, omni cauſæ ſuæ defenſione in ſeditione repoſita, eam majori conatu promovebant, & laxatis omnis obſequii habenis, Cæſareos Præfectos Arcis & Magiſtratus Civitatis Pragenſis, alios loco moverunt, alios in ſuum nomen jurare fecerunt, *Ordinum titulo* ſeceſſioni ſuæ aſſumpto. Mox etiam fœdus mutuo inierunt, quod pro defenſione *Literarum majeſtatis*, & libertatis Patriæ concordibus ſtudiis eſſent certaturi, & vitam facultateſque ſuas profuſuri: ad quod fœdus omnes quoque Civitates & Populos Regni illius traxerunt, & qui renuerent, aperta vi adegerunt. Pilſna

A.C. 1618.

Majeſtatis literarum interpretatio Boëmis adverſa.

Boëmi ſupplicant Imperatori pro non convellendis literis majeſtatis interpretatione.

Boëmi incipiunt tumultuari.

Boëmi è feneſtra dejiciunt Miniſtros Imperatoris.

Boëmi Imperi Præfectos ab officiis removent.

A.C. 1618. Civitas Catholicæ Religionis obſervantior, eorum conjurationi ſubſcribere noluerat, ſed illi collecto exercitu Erneſto Comite Mansfeldio Duce, eam obſidione & oppugnatione acriori ad deditionem & ſocietatem ſuam coëgerunt. Publicarant quoque Apologiam illius facti ſui, in qua conteſtati, quod in fide & ſubjectione Regis ſui perſiſterent, violari ſibi *Literas majeſtatis*, adverſariorum ſuorum interpretatione prava quærebantur. Ac paulo poſt Religioſos Societatis Ieſu è toto Regno excedere juſſerunt, quaſi illorum opera concordia inter Catholicos, & diverſas Religiones Boëmiæ *Literis majeſtatis* ſtabilita rumperetur, vel magis quod crederent Ferdinandum ſeu Miniſtros Aulæ Imperatoris eorum ſuaſione militem externum cum Dampiero & Buquoio Comite in Boëmiam expediiſſe, & nihil remiſiſſe ex propoſito atrocioribus pœnis turbas illas vindicandi, penituſque abrogandi (ut ajebant) Boëmorum libertates. Omnia enim edicta minis plena Imperatoris nomine contra ipſos publicabantur, & reſponſa ad eorum libellos ſupplices quibus bellum deprecabantur, duriores ſemper conditiones reconciliationis continebant. Nempe ut ante omnia arma deponerent, miles Cæſareus diſpoſitus in Provinciis illis ſub ſignis maneret, & ſtipendia cum annona ab ipſis haberet, ac tum demum cognitio fieret de delictis privilegiiſque ipſorum. Simile reſponſum interceſſori quoque cauſæ iſtius Electori Saxoniæ fuit datum: nec lenius impetrare potuerunt Ordines Germaniæ fœderati, qui Rotenburgi ad Tobaram congregati pacem Religionis, ſi apud Boëmos rumperetur, in Germania quoque periclitaturam ſuſpicantes, Imperatorem miſſis literis exorabant, ut ſeveritati clementiam anteponeret, & remitteret, iſtam conditionem formidoloſam Boemis, qua jubebantur deponere arma ab armatis exercitibus Cæſareis obſeſſi, priuſquam de ſalute ſua, & de conſervatione *Literarum majeſtatis* eſſent certi. Cumque ab aliis quoque diverſis magni nominis deprecatoribus (præſertim pro Auſtriæ populis, qui idem malum in ſuas cervices redundaturum videbant) replicata eadem interceſſione, in Aula Cæſarea obtineri nil poſſet, Boëmi re deſperata bellum appararunt. Triginta viros elegerant, denominatos *Directores*, qui plenum regiminis publici, & armorum tractandorum arbitrium obtinentes, in brevi triginta millia armatorum collegerunt, moxque ad ſocietatem belli Moravos quoque & Sileſios, tanquam ad communem cauſam defenſionis libertatis Religionis traxerunt, ac ex tam exigua ſcintilla ingens incendium erumpens, totam Germaniam in multos annos pervaſit, ut conſequentia docebunt.

Boëmi conſpirationem ineunt pro defenſione mutua.

Pilſnam capiunt Fœderati Boëmi.

Religioſi Soc. Ieſu pelluntur ex Boëmia.

Germaniæ diſſidentes in Religione pro Boëmis intercedunt apud Imperatorem.

Boëmi deſperata reconciliatione Imp. arma ſumunt.

Nec caruit præſagio bellum tam funeſtum: nam ſub ejus initium Cometes inſolitæ magnitudinis apparuit, à die 9 Novemb. iſtius Anni 1618. in ſigno Scorpionis cauda porrecta verſus Orientem, inter ſpicam Virgineam & Arcturum, poſtea ad ſignum Libræ pergens, ab Eclyptica ad Tropicum Cancri pervenit, ab Oriente verſus Septemtrionem cauda diſtenta juxta inferiorem Vrſæ majoris pedem.

Cometes à 9 Novemb. 1618. viſus.

Et quod Italiam quoque præſertim Tranſpadanam in tantis malis non fore periculo vacuam prænunciaret, in ejus veſtibulo Rhetia, imminens Pioure vico mons, 25 Auguſti inopinato motu convulſus ſub veſperam, totum illum vicum repentè obruit, ut ne faſtigium ullum ædificiorum appareret, & omnes ejus habitatores circiter mille quingenti tanta ruina operti interierint, præter Franciſcum quendam, qui extra Oppidum allatum pro cœna vinum ad cellam vinariam iverat, & alium puerum in horto, itidem extra Oppidum colligendis pomis intentum, ac fratrem Præfecti qui peregrè abierat. Pridie illius diei cum inſolitus fætor vicum eundem pervaſiſſet, aliquis vilior ex plebe præcipuos ex Magiſtratu monuerat, quod exitium illis immineret, niſi mox inde exirent,

Pioure vicus in Rhetia monte collabente obruitur.

A.C. 1618.

rent, ſed ludibrio habitus, ipſe ſolus ſeceſſit, & periculum effugit. Convocati autem poſtea magno numero foſſores, ut locum repurgarent, vel ſaltim cadavera, ſeu opes obrutorum eruerent, fætore tetro alii infecti, alii etiam extincti, & reliqui territi ſpectro, quod locum nunquam inſtaurandum fore monebat, deſiſtere debuerunt. Atque hoc eodem anno inchoatæ fuerunt diſſenſiones inter iſtos Rhetos, conſurgente populo contra quoſdam, qui authoritate apud eos præſtantes, corrupti muneribus diverſorum Principum, plus iſtorum commodis, quam bono illarum communitatum conſulere videbantur; præſertim Zerſetenſes, & Veſpranenſes aliqui propterea inſimulati, pœnam capitis luerunt: mitigatuſque tunc iſtorum ſupplicio ille populorum furor, nihilominus non multo poſt vires reſumpſit, ac totam illam gentem, vicinioreſque populos cum Mediolanenſibus difficiliori bello implicuit, ut ſuo loco attingemus.

Plouro vicus monte obrutus repurgari non poteſt.

Rheti tumultuari invicem incipiunt.

Cæterum bellum quod ibi prope Sabaudus euſque ducebat cum Hiſpanis, hoc anno conquievit, & poſtquam ille ex formula pacificationis reſtituerat occupata à ſe loca ditionis Mediolanenſis, ei quoque reſtitutæ fuerunt Vercellæ 15 menſis Iunii ab Hiſpanis.

Sabaudiæ Duci Vercellæ reſtituuntur.

In Hollandia, ut ſupra attigimus, Arminianæ ſectæ occaſione à multis inita conſilia de immutando ſtatu illius Reipub. hoc anno in apertum prodierunt: nempe quod nonnulli pertæſi Dominatus Generalium ordinum, & Mauritii Auraniæ Principis, aliquas Provincias quibus ipſimet ſingulares locorum ordines præeſſent, ab eorum obſequio avellere, & Mauritium tollere decreverant. Ad hoc perficiendum præſertim Vltrajectum, & Lugdunum Batavorum ſpecie coërcendi populi pro Arminiana ſecta tumultuantis, militem collegerant *Expectantem* denominatum, quem in proprium nomen, nempe ſingularium ſuarum Civitatum Ordinum, jurare fecerant. Sed ut primum Princeps Mauritius perſenſit illorum conſiliorum ſcopum, eo tantiſper ſimulato, expeditionem ſuſcepit, ut luſtraret Civitates, & motus Arminianos componeret: Et poſtquam Neomagum primò, ac Campidunum inviſit, Amſterodamo Arnhemium inſtituto itinere ex improviſo Vltrajectum, quaſi ibi pernoctaturus (quantumuis diſſuadente illius Civitatis Senatu, tumultumque populi comminante) intravit, ac nocte ſummo ſilentio locis ac portis Civitatis præcipuis occupatis, primoque mane Equitum quoque turmis aliquot (ſclopeti exploſi ſigno dato) intro accitis, Artfeldio militum Civitatis Tribuno imperavit, ut arma deponeret, niſi pugnare ſecum mallet. Nec cunctatus iſte licet à Senatu mandatum habuerit ut reſiſteret, juſſo paruit, & Princeps hoc modo Civitate in ſuam poteſtatem redacta, ſtatim Senatores recenſuit, & quoſdam loco movit, alios ſubſtituit, omneſque admonuit ut quieſcerent, ac Ordinibus Generalibus obſequerentur. Hocque audito Lugdunum quoque militem dimiſit, & aliæ omnes Civitates ad officium redierunt. Excuſſis autem tali arte armis conſpirationi illi novæ, inſtituta fuit inquiſitio in ejus autores, & capti præcipui Ioannes Olde Barneveltius Advocatus Hollandiæ, Hugo Grotius, Romboldus, Hegenbertius, ac Ledenbergius Secretarius Vltrajecti. Et quo tolleretur univerſa conſpiratio quæ ſub nomine Arminiani dogmatis latebat, nationis Synodum Dordraci Ordines Generales indixerunt, & celebrarunt: cui finem & conjuratis illis captivis ſupplicia dedit.

Arminiani in Hollandia res novare volunt.

Vltrajectum in Hollandia & Lugdunum ad ſeceſſionem militem conſcribunt.

Mauritius Princeps Vltrajecti & in aliis civitatibus Arminianos motus componit.

Barneveltius & alii conſpirationis Arminianæ autores in Hollandia capti.

Synodum Dordraci inſtituunt Hollandi.

Annus Chriſti, 1619.

Synodi Dordracenſis frequentia.

SVbſequens Annus Milleſimus, Sexcenteſimus, Decimus Nonus, tali ordine. Convenerant ad eam Synodum ex Fœderatis Belgii Provinciis Calviniani ſeu Reformati, vel Contraremonſtrantes Dogmatiſtæ propè ſeptuaginta, & ex Civitatibus Germaniæ & Helvetiæ ejuſdem ſectæ Legati, inter quos adfuit quoque à Rege Angliæ miſſus Archiepiſcopus Laudanenſis, profeſſionis ejuſdem Calvinianæ; Galliæ Rex exoratus ab Ordinibus Hollandiæ, ut mitteret, permitteretve venire volentes ſubditos ſuos; neminem miſit, imo ſub pœna capitis interdixit, ne quis è ſuis eò ire auderet. Ex altera autem parte nempe Arminianorum ſeu Remonſtrantium, nonniſi quatuordecim perſonæ ex omnibus

Arminiani Synodum Dordracen. pro legitima non agnoſcunt.

Belgii locis advenerant. Inchoata itaque Synodo, præſidente in ea Ioanne Bogermano Paſtore Leovardienſi, Arminiani primum oppoſuerant, quod ſe ſubjicere non tenerentur tali Synodo, quæ libera cenſeri non poſſet, cum in ea ſui adverſarii præſiderent, ac ſimul Iudicis & Actoris partes agerent, nec impugnari ſinerent rationes Calviniſmo contrarias, ſed pro arbitrio, poteſtate abſoluta opinionem propriam aſſererent, eamque credendam docendamque juberent. In quo

Synodus Dordracenſis Arminianos damnat.

non auditi, cum interpellatione oppoſita diſceſſum pararent, interdicto detenti, ſubſiſtere debuerunt. Et continuatis ad initium menſis Maii ſeſſionibus, illa Synodus plures concluſiones contra Arminiana dogmata ſancivit, eaque omnia damnavit, una cum quinque de prædeſtinatione articulis, (licet iſti non multo ante

Calviniſtarum rationes in Synodo Dordracenſi prævalent.

judicio Ordinum Generalium fuerint approbati) qui Calvinianæ doctrinæ repugnabant. Nec aliud fortius argumentum Reformatis contra Arminianos ſuffragabatur, niſi quod Reformatæ Religionis vinculo ab initio fœderis ſui Provinciæ illæ Belgii fuerunt colligatæ, & verendum eſſet ne eo diſrupto, tota quoque compages Reipub. illius diſſolvi & corruere deberet. Libertatem quoque conſcientiæ, defenſores iſti Calviniſmi, præſertim Orator Angliæ Regis, in illis initiis câutam fuiſſe omnibus ajebant, non ad novam Religionem introducendam, ſed

Arminiani concionatores ejiciuntur ex Hollandia.

ad Reformatam tunc receptam aſſerendam & propugnandam, ſanè dignæ rationes propter quas retinenda fuiſſet illis populis Religio Catholica Romana, in cujus cultu concordes plus mille annis floruerunt) durante adhuc Synodo Concionatores Arminiani omnes è ſuis Cathedris fuerunt ejecti, & eorum loco Re-

Hollandiæ civitates tumultuantur propter ejectos Arminianos.

formati ſubſtituti, non ſine labore armatorum in compeſcenda plebe, præſertim Alemariæ, Hornæ, Roterodami propterea tumultuante.

Ea vero finita, & in templo Cathedrali Dordraci ejus decretis Latino idiomate in frequenti populi concurſu publicatis, Ordines iidem Hagæ Comitis con-

Barneveltius in judicio cauſam dicere cogitur.

gregati de Barneveltio ejuſque ſociis captivis judicium habuerunt, dici poteſt omnium quæ ibi præceſſerant difficillimo, in quo ſuccumbendum fuit, uni ex duobus, vel Maurit io Principi inſimulato quod regnum affectaret, & libertatem conſcientiæ reſtringeret, vel Barneveltio ad res novandas Civitates incitanti, quorum uter vinceret (ferè exemplo Cæſaris cum Pompejo) ſumma rerum gerendarum authoritate in illa Republica potiretur, victus autem periret. Et ut ſi-

Mauritius Princeps periclitatur de ſuo ſtatu in Hollandia.

mul adnotemus inſtabilis auræ popularis exemplum, apud illos populos Maurir→Maurit io Principe ob paterna præclara merita nullus fuit gratioſior; propter difficiliora bella feliciſſimè geſta, nullus glorioſior; erga neminem Civium propenſio effuſior, cum triumphanti etiam nudas virgines publicitus aliquando obtulerint; tunc tamen repentè converſo ad commenta Barneveltii populi favore, pænè loco exciderat, niſi pro eo ſervando gravius deſudaſſet Rex Angliæ,

& ipſemet Mauritius propria induſtria in herba (ut ajunt) oppreſſiſſet periculum, armis adverſæ parti celerius ademptis, ac Synodo nationis pro ſuo voto inſtructa, ut attigimus.

A.C. 1619.

Ita enim demum prævaluit, & Barneveltius diſcuſſis omnibus quæ illi objiciebantur de initis conſiliis pro mutando illius Reipub. ſtatu, capitis ſupplicium ſubiit tredecima menſis Maii in area Arcis Hagenſis ſpectante populo, cum annum jam ſeptuageſimum tertium attigiſſet, ſummis Magiſtratibus in illa Republica perfunctus. Ledembergius in carcere mortem ſibi conſciverat, & cadaver ipſius in paribulo fuit ſuſpenſum. Hogerbetius verò & Grotius propinquorum interceſſione vitam impetrarunt, boniſque tantum eorum fiſco addictis, ad carcerem diuturnum fuerunt damnati. Non multo poſt omnia publica officia in ſingulis Civitatibus illius Reipublicæ fuerunt mutata, & Arminianis ubique amotis, Reformati ſucceſſerunt. Formulam etiam jurisjurandi Magiſtratibus à Barneveltio præſcriptam abrogarunt Ordines, & novam propoſuerunt. Ac Hollandia quidem diſſidia ſua tam brevi compendio ſopivit: ſed Boëmorum motus cum conquieturi ſperarentur in proximo Conventu Egeræ, ad eos componendos ab Electore Saxoniæ Duce Bavariæ & aliis interceſſoribus inſtituto, mortuo interim Matthia Cæſare 20 menſis Martii, ætatis ſuæ anno ſexageſimo tertio, majora incrementa cæperunt. Illo enim Conventu Egerenſi, & ceſſatione armorum quam jam Dux Saxoniæ promittebat intermiſſa, Imperiales Duces direptionibus Boëmiam vexabant, & quod magis offendit, Ferdinandus ſtatim à morte Matthiæ Cæſaris, poſtquam (Archidux Albertus jus ſuum ſucceſſionis in hæreditate Matthiæ Cæſaris, cum jam iſtæ morti proximus eſſet, ceſſerat Ferdinando) Auſtriam in nomen ſuum receperat, ad Vicarios & Conſiliarios in Boëmia à defuncto Cæſare inſtitutos literas miſit, in quibus poteſtatem adminiſtrandi Regni, quam à defuncto Cæſare obtinuerant, ipſis prorogabat, donec aliud quid decreverit. Hoc enim occaſionem quæritandi Boëmis dedit, quod non præſtitis conditionibus circa ſuam inaugurationem promiſſis, adminiſtrare vellet Regnum, & vehementius auxit opinionem apud illam gentem de ſe conceptam, quaſi vivente adhuc Cæſare ſummam regiminis in illo Regno uſurparit, ab ejuſque arbitrio omnia anteacta promanarint, cum illiſmet veſtigiis inſiſtendo, rejectos ab Ordinibus Boëmiæ Præfectos, & Conſiliarios defuncti Cæſaris in inregrum, & ad priſtinas dignitates, nulla præmiſſa cognitione cauſæ reſtitueret, eoque ipſo Ordinum Boemiæ communem cauſam damnaret. Nec profuit, quod ille poſtea publicarat Diploma, quo Privilegia omnia illi Regno à ſuis anteceſſoribus data, ac Decreta Comitiorum conſuetudineſque ibidem uſu receptas confirmabat, nam non ſolum Boemi, ſed & adjunctæ Provinciæ, ut Sileſia, ac Luſatia, ad quas ipſe Ferdinandus Ottonem Melandrum cum ſimilibus confirmationis literis miſerat, eas repudiarunt, reſponderantque quod in tam turbulento rerum ſtatu cum Privilegia eorum variis interpretationibus convellerentur, & excitato belli incendio, non verbis ſed armis de illorum firmitudine diſceptaretur, verba & promiſſa, ac nuda confirmationis Privilegiorum ſcripta, ſibi non ſufficerent, ſed eorum re ipſa redintegrationem, & ſecuritatis evidentius remedium requiri. Cumque nihilominus Ferdinandus literis tantum imperioſis ad obſequium ſuum Boemos vocaret, nec ullam, niſi arma prius deponerent, pacificationem cum ipſis tractare vellet, ac variæ exprobrationes violatæ fidei, & amiſſorum ſeu abrogandorum privilegiorum, hoſtiliſque perſecutionis comminationes eis denunciarentur, implacabilem eum ſibi fore ſuſpicati, omnem curam ad apparandam defenſionem, & conquirenda ſibi vicinorum auxilia converterunt. Ablegarant ſtatim Comitem Turrenſem in Moraviam, qui illam gentem ad fœdus iſtud Boemicum propendentem, ſed ab Imperialibus eouſq;

Barneveltius condemnatur ad pœnam capitis.

Hollandi omnibus magiſtratibus civitatum novam formulam jurisjurandi dant.

Matthias Imperator moritur 20 Martii 1619.

Albertus Archid. jus ſucceſſionis ſua cedit Ferdinando.

Boëmicorum motuum invaleſcentium cauſa.

Ferdinandus promittit quod confirmaturus eſſet privilegia Boemorum.

Sileſii repudiant literas confirmationis ſuorum privilegiorum.

Turrenſis Comes Moravos ad fœdus Boemicum reducit.

 occu-

A.C. 1619. occupatam induxit inopinato ſuo adventu, Olomucenſibus, & Brunæ in Conventu Generali Ordinibus ejus Provinciæ armis circumdatis, ex quibus Cardinalem Dieterſteinium, & Carolum à Zerotin partium Ferdinandi anteſignanos ſub cuſtodiam accepit.

Dieterſtein Cardin. captiuus à Turrenſi Comite.

Inde progreſſus, Auſtriam quoque ſuperiorem ad idem fœdus pertraxit: & ſpe concepta quod Viennæ non deeſſent, qui ſibi advenienti portas aperirent, eo contendit cum exercitu, ſuburbiumque Lincienſe occupavit. Sed ut advertit, quod *Diſſidentes* in Religione uri condixerant, tumultum ibi excitare non poſſent, quo aliquam Portam ad ſe intromittendum interciperent, Frequentibus Ferdinandi excubiis ad omnem eorum motum invigilantibus, exploſis aliquoties contra Arcem tormentis, ad fines Boemiæ nemine inſequente receſſit,

Turrenſis Comes Viennam cum exercitu venit.

Viennæ Cives heretici ægrè continentur à tumultu.

Ad Gaborium Bethlenium in Tranſilvaniam expediti etiam à *Directoribus* Boemiæ Legati, ab illo Principe ſpe acquirendi tali occaſione Vngariæ Regni ad novandas res erecto, eoque ad ſocietatem belli illius propenſo, promptа ſubſidia obtinerunt, & ipſemet Bethlemus accitis copiis Turcicis, cum quadraginta millibus armatorum contra Ferdinandum movens, primo Caſſoviam cepit, & mox omnes montanas Vngariæ Civitates in ſuam poteſtatem redegit.

Bethlem Tranſil. Princeps promittit Boemis auxilia.

Sic autem inſtructis ad defenſionem Boemis, ultimum & unicum medium cum ſupereſſet, quo Ferdinandus ad tractandam concordiam induceretur, ſi nimirum arceretur ab Electione novi Imperatoris, donec Ordinibus illius Regni reconciliaretur, illud quoque non omittendum voluerunt.

Bethlem Caſſoviam cœpit.

Itaque poſtquam Elector Palatinus Rheni, & Saxoniæ Dux Vicariam Imperialem poteſtatem poſt defunctum Imperatorem Matthiam ſuſceperant, & Archiepiſcopus Moguntinenſis Cancellarius Imperii in Germania ac Elector ad Electionem novi Imperatoris pro die 20 menſis Iulii (nempe tribus menſibus à die denunciationis exactis, juxta præſcriptum Bullæ aureæ Caroli IV) omnes alios Electores vocarat, addita comminatione, quod ſi quis per ſe vel per Nuncium ſuum ad illum diem præſtitutum non adveniret, nihilominus alii Electores præſentes ad Electionem proceſſuri eſſent.

Boemi Ferdinand. non admitti ad Electionem Imp. procurant.

Francofurti indicitur Electio Imperatoris.

Directores Boemiæ apud Electores, præſertim Moguntinum & Saxonicum miſſis literis oppoſuerunt, quod Ferdinandus uti Rex & Elector Boemiæ ad Electionem Imperatoris vocandus non eſſet, cum necdum poſſeſſionem re ipſa iſtius Regni obtinuerit, & ejus receptio ac inauguratio conditionibus circumſcripta, aliis necdum adimpletis pro rara & firma haberi non poſſit. Cumque nihil profeciſſent, favore Electorum, præſertim Eccleſiaſticorum pro cauſa Ferdinandi pugnante, Francofurtum ad Electionem tempore præſtituto inchoatam Legatos miſerant, qui loco ſibi in Civitate denegato, Hanoviæ ſubſiſtentes, per libellum longa ſerie cauſas primum Moguntino, & poſtea toto Electorali Collegio repræſentarunt, propter quas non Ferdinandus, ſed Legatus Ordinum Boemiæ locum Electoris Boemiæ in illo conſeſſu Electorali habere debuerit: vel ſaltim Electio Imperatoris tantiſper differenda eſſet, donec controverſiæ inter ipſum & Ordines Boemiæ exortæ deciderentur.

Electorum favor inclinat ad Ferdinandum contra Boemos.

Præcipuam autem cauſam ad hoc dabant, quod dignitas Electoralis non perſonæ: ſed rei ſive ditioni Electorali inhæreret, neminique competat, niſi illi qui re ipſa ditionem illam electoralem poſſideret. Quod comprobabant Bullæ aureæ *cap.* 20. iſtis verbis expreſſis: *Quod jus, vox, dignitas, & officium, aliaque jura ad quemlibet eorundem Principatuum ſpectantia, non poſſint in alium cadere, præter illum qui Electoratum ipſum cum Terra, Vaſſalagiis, & juribus univerſis ad eam pertinentibus, poſſidere dignoſcitur.* Et iterum paulo inferius: *Quod præter Principes Electorales nemo alius ad electionem, alioſve omnes actus pro Sacri Imperii honore vel opportunitate gerendos aſſumi vel admitti, vel etiam pro Principe Electore reputari debeat, quam poſſeſſor cujuſlibet Principatus, nec unum*

Electorale jus non perſonæ ſed conditioni inhæret.

A C. 1619.

unum ſine alio obtinens audiendus vel admittendus ſit. Hocque idem confirmabant Decretis Imperialib. compluribus, in quibus omiſſo eo qui jus potius ad Electoratum habebat, poſſidenti Electoratus ditionem jura Electoralia deferebantur. Et adducebant in medium exempla, ex quibus proprietatem Electoralis dignitatis Ordinibus Boemiæ ſervire apparet: ut quod Rege Boemiæ à Regno abſente, nonniſi Pragæ reſidentibus ejus vicariis denuntiationes Electionis Imperialis inſinuabantur; quodque Rege eodem ætate immaturo, uſus & poſſeſſio dignitatis iſtius non ad agnatos proximiores juxta morem aliorum Electoratuum, ſed ad Ordines Boemiæ devoluta cenſeatur: quemadmodum uſu venit in Ludovici Regis pueritia, cujus tutoris naturalis Sigiſmundi Regis Poloniæ Legatis in Electione Caroli V rejectis, Vladiſlaus à Sternberg Legatus Procerum Boemiæ ad conſeſſum illum Electoralem fuerat admiſſus.

Sigiſm. I. Regis Pol. tutoris Ludovici Regis Boemiæ Legati ad Electionem Imp. non admiſſi.

Ac diſtinuit aliquantum talis concertatio Electionem illam, dubioſque tenuit Electores ſeculares, an illam differrent, donec negotium hujuſmodi Boemicum tranſactum fuiſſet. Sed poſtea Saxone ad partes Ferdinandi tranſeunte, cæteri majori parti ſuffragiorum ceſſerunt, ac die 18 menſis Auguſti renunciarunt Ferdinandum Regem Romanorum, qui præſtito jurejurando conſueto, & allatis Aquiſgrano & Norimberga Imperii inſigniis, die 9 Septembris ſolenni ritu ad tantam dignitatem fuit coronatus.

Ferdinandus eligitur Imp. 18 Auguſti 1619.

Vnde Boemi ſpe reconciliationis illa via conſequendæ fruſtrati, & inſuper aucti timore, ne Ferdinandum propter ipſius Electionem Imperialem impeditam infenſiorem haberent, explicuerunt conſilia ſua in talem caſum præmeditata, de alio ſibi Rege deligendo, cujus opera & opibus in tam periculoſa ſtatus ſui converſione ſervarentur. Ex induſtria illi ſub hoc tempus collecti ad Comitia ſua generalia Pragæ, una cum Moraviæ, Sileſiæ, & Luſitaniæ Legatis, præſtolabantur exitum Electionis Francofurtenſis, & ut primum intellexerunt, electum fuiſſe Imperatorem Romanorum Ferdinandum, ſub finem Auguſti facta deliberatione, eum Regno Boemiæ abdicarunt, & alium Regem eligendum decreverunt.

Boemi Ferdinandum Regno Boemiæ abdicant.

Cujus facti rationes longa Apologia edita tales dederunt; quod nimirum non fuerit legitimè electus, cum non eligi ſed recipi voluerit: idque non vocaris Proceribus omnibus, ſed invitatis tantum paucis, qui in Aula Cæſarea tunc fortuito aderant, iiſque minis ad conſentiendum ut coronaretur adactis. Quod Conditiones in ſua inauguratione interpoſitas, nempe adminiſtratione Regni vivente Cæſare uſurpata per omnia violarit, & eis violatis Boemos à jurejurando ſibi præſtito, appoſita in eo tali clauſula, hoc ipſo ſolvi voluerit. Quod cum Rege Hiſpano ſanguinem Annæ Ludovici Regis ſororis, ex qua Auſtriaci hæreditatem in iſto Regno ſibi derivant, nulla ratione (niſi quod omnis Auſtriacorum ſanguis mutuis connubiis ſit jam commiſtus) attingente, tranſegerit de ſucceſſione in iſto Regno, ſi deficeret ſua proles maſcula, quo jus liberæ Electionis Ordinibus ejuſdem Regni auferret, & jugo Hiſpanico gentem invitam ſubjiceret.

Boemorum Apologia.

Boemi habent jus firmum liberæ Electionis Regis ſui.

Et quoniam Apologiæ utrinque ſuper iſtis extant typis divulgatæ, ad eas lectorem remittimus. Vnicum tamen admonemus, quod omnis controverſiæ hujuſmodi æquitas à jure Boemorum liberæ Electionis Regis ſui pendet, & in iſto evertendo defenſores Auſtriacorum fatigantur. Sed evidentiora in monumentis Boemorum extant iſtius liberæ Electionis documenta, quam ut ſine temeritatis nota inficiati poſſint. ***Ioannes Dubravius libro 9. Boemicæ Hiſtoriæ***, recenſet plurimas de Regno illo lites inter filios & nepotes Vratiſlai exortas, favore Procerum Boemiæ terminatas, & reſponſum Borivoii ad querelam fratris Vladiſlai tale, ***quod non à Fratre precibus, ſed à Proceribus, Regnum impetrandum, Ordinumque decreto opus eſſe, ſi Regno potiri velit, & lib. 13. narrat.*** quod cum Vladiſlaus Rex Boemiæ filio ſuo Vdalrico Regnum

cedere

A.C. 1619. cedere vellet, Fridericus I, Imperator Barbaroſſa dictus reſpondit: *ut Rex Vladiſlaus vel ipſe regnaret, vel permitteret ut Boëmi aligerent ipſi ſucceſſorem. Coſmas item Pragenſis hiſtoriæ Boëmicæ lib.* 3. hæc dicit: *Vdarlicus* (fuit filius Conradi & iſte Vratiſlai) *in Comitiis Ratisbonæ petiit à Cæſare ut ſibi ablatum*, (*nempe à Borivojo fratre juniore*) *Boemiæ Principatum reſtitueret, Cæſar accepta pecunia, Vdalrico inſignia Ducatus cum vexillo confert, Boemis tamen jus eligendi Ducis non adimit.* Et longa ſeculorum ſerie, tam iſte quam ille Hiſtoricus enumerat Reges Boemiæ, illorum Procerum arbitrio nunc viventibus Regibus, nunc defunctis ſuffectos. Servato quidem digno Regii ſanguinis & paternorum meritorum reſpectu, ſed ita ut nihil derogaret Electionis libertati, imo gentis erga Reges ſuos propenſiora ſtudia commendaret. Quemadmodum & Poloni gens Boemis cognata, licet habeant perfectam plenamque eligendi ſibi Regis libertatem, nunquam tamen ſuperſtitem Regii ſanguinis ſtirpem, ne quidem fæmineam à ſucceſſione Regni excluſerunt; jus liberæ Electionis ſuum in liberis ſuffragiis reponentes: in quibus tamen nonnunquam primigeniis, ſeu proximioribus minus idoneis poſtpoſitis, remotiores ætate, vel ſanguinis gradu, ſed habiliores Regno perſonas ſtirpis Regiæ prætulerunt. Quod ad Boemis uſu venit, præcipue vero in filiabus Venceſlai Præmiſlai filii, ultimi antiquorum Boemiæ Regum ſtirpis maſculæ. Henrico enim Carinthiæ Duce, cui major natu filia Venceſlai nupſerat, quod minus placeret excluſo, detulerunt Regnum Ioanni Lucemburgico, Henrici VII Imperatoris filio, collocata ipſi in matrimonium Elizabetha ſecundo genita filia Venceslai. Nec deſunt Boëmis diverſis extra ordinem delati Regni exempla, ſanguinis Regii ſtirpe neglecta: præſertim cum Anno Chriſti 1420, poſt defunctum alterum Venceslaum Henrici Imperatoris filium omiſſo Siſmundo ejus fratre germano (iſte Sigiſmundus paulo poſt factus fuerat Imperator) detulerant Regnum Vladislao Iagello, licet iſte repudiata illorum Legatione, maluerit favere illi eidem Sigiſmundo, ut meminit *Cromerus ſuæ Hiſtoriæ lib.* 18, *prope finem*, & extant in Archivo Regio Poloniæ exemplaria talis Lgationis. Et iterum poſt Ladiſlaum Alberti II Imperatoris poſthumum, quando poſtpoſito Familiæ Auſtriacæ pacto de ſucceſſione proximioris ex illa familia, in locum ſine prole maſcula decedentis Regis vel Ducis, (nempe Boemis non conſentientibus initio) elegerant ſibi Regem Georgium Podiebravium Boemum, & poſt eum detulerant Regnum Vladiſlao Caſimiri Regis Poloniæ filio, ſobrino quidem Ladiſlai, nempe nato ex Elizabetha Alberti filia Ladiſlai ſorore, ſed ſi ſpectanda erat ſanguinis ratio, potiori jure ceſſiſſet Regnum Vilhelmo Saxoniæ Duci, qui majorem natu Ladiſlai ſororem Annam uxorem duxerat. Ludovico demum filio Vladiſlai, apud Muchatium in prælio à Turcis ſublato anno 1526. Boëmi ſpreta concordia ejuſdem Vladislai cum Maximiliano I Imperatore Viennæ ſuper ſucceſſione in eodem Regno ad caſum mortis Ludovici pro Ferdinando ſtabilita, quæ ipſis non conſentientibus facta præjudicare non poterat, Regem Poloniæ Sigiſmundum Boëmiæ Regem ſibi deſignarant, ut extant deſignationis hujuſmodi & Legationis ipſorum ad illum Regem in tali cauſa authographa in Archivo Regni Poloniæ monumenta: Sed Sigiſmundus ætate gravatus, plus de Sigiſmundo Auguſto unico filio ſuo vix tunc quinquenni educando, quam de quærendis novis Regnis ſolicitus, dum nimium cunctatur, Ferdinandus I adjutus viribus fratris Caroli V tunc Imperatoris, Regnum illud armis occupavit. Hic autem cautius preſſiſſet tantam turpitudinem defenſor Laurearus, (ſuaderet iſte Auſtriacis ut tollerent in Polonia quoque liberam Regum Electionem, ſi quando ibi ab incautis Polonis regnare permitterentur) quod refert Ferdinandum primo

in

in ſua inauguratione dediſſe diploma Boëmis, quo cavit libera eorum Electione ſe obtinuiſſe Regnum. Poſtea autem cum jam ſecurus regnaret, eum diploma illud (quaſi à ſe ignorante tunc jus ſuæ uxoris conceſſum) à Boëmis repetiiſſe, & aliud reſtituiſſe, in quo dixit, Regnum hæreditate Annæ ſuæ uxoris ſororis Ludovici ſe accepiſſe; cumque illi deinde tali colluſione oſtenſi, lata lege ne hæreditarium jus in eo Regno cuiquam tribueretur præcaviſſent, Ferdinandum eos quaſi tumultuantes, occaſione belli Caroli V, contra Saxoniæ Electorem 1547, (nimium ignominioſis & juſto atrocioribus pœnis) compeſcuiſſe, & jus ſucceſſionis familiæ ſuæ firmaſſe. Tacuiſſet (inquam) ad minus ſcriptor tam formidoloſum violatæ fidei & ereptæ manifeſta vi liberæ Electionis (dum quæritur & accipitur Regnum probatæ, poſtquam autem eſt quæſitum pueriliprætenſæ ignorantiæ argumento impugnatæ, ac expugnatæ) monumentum. Et tamen idem Ferdinandus, cum poſtea vellet ſuccedere in eodem Regno filium ſuum Maximilianum, petiit à Boëmis, ut eum eligerent Regem, omiſſa mentione hæreditariæ ſucceſſionis: idemque fecit maximilianus pro filio ſuo Rudolpho II, ac plurima habentur apud Boëmos munimenta literarum, quibus non ſolum alii externi Principes, ſed etiam Auſtriaci, idque poſt Auſtriacos vacante illo Regno, ut poſt Albertum Imperatorem, petebant ſe eligi Reges, ac repulſam ſunt paſſi, nec ullam quærelam de violato ſibi hæreditariæ ſucceſſionis jure fecerunt. Opponunt alii Boëmorum rationibus in hac materia diverſa decreta Imperatorum, & Bullæ aureæ Caroli IV, Anno Chriſti 1356, publicatæ ſuper ſucceſſione Electoratuum diſpoſitionem, ac multa addunt de qualitatibus fiduciæ ſeu feudi Imperialis. Sed in Bulla illa aurea, poſtquam Imperator firmaverat hæreditariam ſucceſſionem aliorum Electoratuum, de Boëmiæ Regno addidit: *Salus Privilegiis, Iuribus, & conſuetudinibus Regni noſtri Boemiæ ſuper Electione Regis in caſu vacationis per Regnicolas, qui jus habent eligendi Regem Boemiæ facienda, juxta continentiam eorundem Privilegiorum, & obſervatam conſuetudinem diuturnam, quæ decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus, in omni ſuo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem.* Et Fridericus II, Imperator, literis ſuis publicis de anno 1212, 1216, 1231, jus hujuſmodi Electionis Regis liberæ Boëmis confirmavit, additis in eis his verbis: *Volentes, ut quicunque à Boëmis in Regem electus fuerit, ad nos & ſucceſſores noſtros accedat Regalia debito modo accepturus.* Et ſi quæ in contrarium forte promanarint Imperatoriæ ſanctiones, non vocatis nec auditis Boëmis, jus primævum ipſorum tollere non poſſunt, nec aliquando eorum diſpoſitionem Boëmi admiſerunt. Boemia quoque (ut Sileſiam taceamus quæ longe poſt avulſa à Polonia, & ſponte ſua conjuncta Boëmiæ majores retinet libertates) non poteſt dici vere feudum Imperiale ut alia feuda, cum non ſit ab Imperio profecta, nec unquam fuit vectigalis Imperii, ſed libera volens acceſſit ad ſocietatem Imperii, allecta conſortio dignitatis Electoralis. Unde ad indictiones & collectas Imperii nil confert: ad gratuita onera, vel defenſionem publicam Imperii non obligatur: in ſerie circulorum ſeu Tribuum, in quas Imperium eſt partitum, non numeratur, nec comprehenditur; nullumque fœdus unquam inivit cum Ordinibus Germaniæ pro defenſione mutua, ſeu manu tenendo communi ſtatu. Ac potiſſimum Germaniæ Principes in Boëmiam variis occaſionibus adſciti, illud Regnum, nonniſi ut ejus ſucceſſionem pro ſuis proſapiis ſtabilirent, ſeu ambitioſi in Ordinum Boëmiæ ſuffragiis legitimis juſtam repulſam paſſi, per vim auxiliorum externorum ibi regnare volentes, ipſorummet Boëmorum incuria ſeu imprudentia in clientelam Imperatorum & Imperii aſſeruerunt. Quæ paucis delibaſſe ſuffecerit, cum longior diſputatio Boëmis jam ſubju-

A.C. 1619.

Bulla Aurea cavet Boëmis liberam Electionem Regis.

Boëmia non obligatur ad collectas Imperii.

A.C. 1619. ſubjugatis ac pene extirpatis prodeſſe non poſſit, & hoc tempore jus Regnorum in armis conſiſtat. Injuſta tamen arma non raro in authores recidunt, & horrendo quodam judicio Dei, qui aliena evertunt jura, ſero forte, ſed aliquando tandem propria quoque perdunt: ut manifeſtius apparebit ad finem in hoc caſu violatarum Boëmiæ libertatum, à cujus incendio erumpens flamma belli, totam Germaniam injuriæ hujuſmodi conſciam, ac omnes Auſtriacas ditiones, uſque & Indianas corripuit, implevitque triſtioribus ærumnis, & qui jure belli (uti gloriantur) oppreſſam tenent Boëmiam, eodem jure belli propria amittunt.

Fridericus Elector Palatinus Rex Boemiæ renunciatur.

Ad propoſitum ut redeamus repudiato Ferdinando Boëmi, paucis diebus elapſis, deliberationem de eligendo alio ſibi Rege inſtituerunt, collatiſque calculis, Fridericum Electorem Palatinum Regem Boëmiæ rennunciarunt, confidentes quod ejus potentia Angli ſoceri opibus, & conſanguinitatibus tot Principum, maximeque fœdere diſſidentium Religionum Germaniæ fulta, ab Auſtriacorum videfendi poſſent. Propendebant illi primum ad Saxoniæ Electorem, ſed metuebant, ne iſte æque ac Auſtriaci hæreditarium jus in hoc Regno, vel aliquibus ei adjunctis provinciis uſurparet. Daniæ Regem reſervabant ultimæ neceſſitati, magis inclinati ad Ducem Sabaudiæ, cui etiam Fridericus Palat. (ut compertum

Sabaudiæ Dux aſpirat ad Regnum Boemiæ.

fuit ex Cancellaria Anhaltina) adhuc ante obitum Matthiæ Cæſaris, ad hoc & ad conſequendum Regnum Romanorum operam ſuam offerebat, dummodo viciſſim ab ipſo in occupanda Alſatia & Regno Vngariæ conſequendo adjuvaretur. Sed cum ille parum virium tanto negotio conferre poſſet, Fridericus propriis impenſis ſibi ipſi potius quam alteri quærere Regnum maluit. Nec à propoſito abduci potuit ſuaſionibus Maximiliani Bavariæ ducis agnati ſui: & initio Octobris Valdſachſii Legatione Boemorum audita, privilegiiſque eorum & decretis uti petebant approbatis, ultima Octobris cum uxore & filiis Pragam intra-

Fridericus Elector Palat. coronatur Rex Boemiæ.

vit: quartoque poſt die Corona Regia ſolenni ritu in ſummo Arcis Templo, præſtito jurejurando ſuper legibus Regni ſervandis inſignitus fuit, & deinde ſeptima Novembris Elizabetha uxor ipſius Diadema Regium accepit ritu perſimili, quem exequebantur Miniſtri ſectæ Euangelicæ, templi illius Cathedralis Catholicis Sacerdotibus ad aliud templum migrare coactis; imo Rex iſte novus ejecerant

Fridericus factus Rex Boemiæ ejicit è templo Pragenſi clerum & imagines ſacras.

paulò poſt ex illo templo imagines ſacras, & omnes cultum Catholicum. Statim autem autem poſt peractam illam ſolennitatem, *Directores* Boemici officiis ſuis renuntiarunt, & plenum jus regiminis tam togati quam militaris permiſerunt Regi novo: Qui Præfectura generali exercitus Boemici Chriſtiano Anhaltino Principi commiſſa, ipſemet non multo poſt ivit Norimbergam ad Conventum Fœderatorum diſſidentium in Religione, uti ſupremus fœderis illius præſes.

Anhaltinus Princeps præficitur militiis Friderici.

Ac facile traxit in ſocietatem belli Boemici fœderatos illos, perſuaſos quod ageretur cauſa libertatis Religionis, literis pro pace Religionis toti Imperio à Rudolpho Imperatore datis comprehenſa, quæ ſi in Boemia Imperii membro violaretur, in omnibus Imperii partibus periclitatura videbatur: Quem metum augebant delectus militares in diverſis locis tunc à Liga Catholica inſtituti, &

Betlem Vngariam occupat.

Conventus ejuſdem Ligæ Herbipoli eodem menſe Novembre celebratus. Majori autem auſo urgebat nutantes res Ferdinandi Gabor Bethlem Tranſilvaniæ Princeps: iſte enim uti condixerat Boemis cum triginta millibus armatorum in Vngariam ingreſſus, omnia pene ibi munitiora præter Comorram & Iaurinum occupavit, & Poſonii præſidio firmo relicto, Viennam circum exercitus ſuos

Betlem Comitia Vngarorum celebrat Poſonii.

Duce Budiano diſpoſuit, cæſo Buquojo, & à cuſtodia Pontis Danubii, ac ſuburbii Neoſtadienſis intro Civitatem compulſo. Iamque convocarat Comitia Procerum Vngariæ Poſonium, in quibus finiente menſe Septembre coronaretur

Rex

A.C. 1619.

Rex Vngariæ, niſi vis fortunæ Ferdinando propitioris conſilia ipſius præter omnem ſpem turbaſſet. Sigiſmundus Rex Poloniæ, qui impenſius partibus Ferdinandi favebat, eouſque diſtinebatur contradictionibus Polonorum, ne arma pro eo juvando ſumeret, & non niſi Legationibus ad Boëmos, Sileſios, Vngaroſque miſſis, eos ad pacatiora conſilia hortabatur nullo fructu.

Sigiſmun. III Rex Pol. Ferdinand. auxilia mittit.

Sed ſub hoc tempus cum jam magis Ferdinandi ſtatus periclitari videretur, non amplius differenda ipſi auxilia ratus, octo millia equitum levioris armaturæ expeditiſſimorum (denominabantur *Liſſowczycy*, eo quod cum Liſovio celeritate pugnandi claro in Moſchovia militarunt) quaſi ab Humanajo Procere primario in Vngaria Ferdinando fideliori conducerentur, ad confinia Vngariæ congregari juſſit.

Poloni Ragozium profligant.

Iſti itaque duce Ioanne Rogawski: cum Adamo Lipski Delegato Regio menſe Septembre Carpato monte ſuperato, Caſſoviam prope progreſſi, apud Caſtrum Humeniam Stephanum Ragożium cum exercitu Gaborii ibi excubantem prælio commiſſo profligarunt, omnemque circum vicinam Regionem illam cædibus complerunt.

Vngarorum Comitia Poſonii diſſipantur poſt cladem Rakoczi.

Ac magis auxit cladem illam fama velocius Poſonium perlata, unde plerique Proceres Vngari conſternati, relictis Comitiis, & Electione novi Regis intermiſſa, ſinguli ad defendenda propria ſe ſubduxerunt, & Gabor Bethlem veritus ne exercitus ille Polonicus victoriam proſequens (ut rumor erat) recta Poſonium peteret, omnes copias ad ſe revocavit à Vienna, quæ obſidionem illam ſuam ultra ſex hebdomadas ob penuriam commeatus tolerare non potuiſſet.

Vienna obſidione Bethlemi liberatur poſt cladem Ragocii.

Atque tali ope Regis Poloniæ Vienna tunc liberata, & Corona Vngariæ Ferdinando ſervata fuit: nec aliam opportunitatem eam ſumendi Gaborius deinceps habere potuit; quinimo exinde metuens hujuſmodi irruptiones Polonorum in Vngariam, inducias cum Ferdinando tractavit, ac concluſit à fine anni hujus ad menſem Octobris anni proximi duraturas: pacto præcipue quod poſſideret interim omnia quæ in Vngaria occuparat, quodque querelæ Ordinum Vngariæ in Comitiis Neoſſelii proxime celebrandis componerentur: & Poloni incurſionibus Vngariam ne vexarent.

Bethlem facit inducias cum Ferdinando.

Quibus induciis durantibus Ferdinandus ſecurus ab ea parte, tempus habuit colligendi à Summo Pontifice & Hiſpano Rege auxilia, comparandi vires, eaſque totas non diſtractas convertendi contra Boëmos cum evidenti commodo ſuo, & maximo momento ad ſubſequentes victorias.

Ferdin. Imp. vires auxit antes inventis inducia cum Bethlemo facta.

Poloni autem licet ſtatim ab illo conflictu ex Vngaria in Poloniam fuerint (Proceribus Poloniæ illam irruptionem in Vngariam damnantibus) revocati, tamen non multo poſt alio itinere per fines Sileſiæ in Moraviam, indeque Viennam tranſierant, optimamque operam toto illo bello navarant Ferdinando, ut eventus docebunt.

Poloni ex Vngaria per Sileſiam redeunt in auxilium Ferdinando.

Nec aliud ſingulare hoc anno geſtum fuit in Polonia, præter quod miſſus fuerat Legatus Petrus Ozgá Præfectus Treboulæ Conſtantinopolim ad Imperatorem Turcarum Oſmanum Achmeti filium interim in locum Muſtaphæ exautorati patrui ſui ſuffectum, pro confirmandis pactis mutuæ pacis, præſertim recentioribus à Zolkievio ad Baſſam cum Skinder Baſſa ſtabilitis: & initio Septembris deceſſerat Ianuſſius Dux Oſtrogiæ, Caſtellanus Cracovienſis vir longe præſtans cæteris Proceribus dignitate Senatoria, ac magis magnificentia opum, quibus etiam Craſſum Romanum æquaret, cum potuerit legiones alere, alueritque propriis ſtipendiis in omnibus expeditionibus Regni hujus bellicis. Immo & hæreditatem ſuam (caruit liberis virilis ſexus, & cum unica filia ſuſcepta ex Hungara Comitatus Macoviciæ Domina ad Duces Zaſlaviæ ab eadem ſtirpe profectos, & iſtis deficientibus ordine præſcripto ad alios ſuos cognatos ampliſſimas poſſeſſiones tranſmiſit per Fiduciam ſeu Fidei-

Oſtrogia Dux obiit.

A.C. 1619. Fideicommiſſum, ut nunc dicitur, decreto Comitiorum Generalium publico ſtabilitum, cum alioquin irritum haberetur, uti legibus gentis iſtius veterum) obligavit, ut ejus ſtipendiis ſexcenti equites armati perpetuo in Caſtris iſtius Reipubl. contra hoſtes finitimos Ruſſiæ militarent ac militant. In peculio autem ſuo numerato, reliquerat trecenta millia nummorum ſeu Ducatorum aureorum Hungaricorum, ac communioris pecuniæ, tam & gemmarum, aureæ, argenteæque ſuppellectilis vim ingentem, maximeque copiam omnis generis apparatuum.

Oſtrogia Ducis divitia.

In Gallia hujus anni medio menſe Februarii Regina mater, quæ Bleſæ domicilium à nece Marchionis Anctei habebat, clam inde Lochetum, & deinde Bruagium oppidum maritimum ſatis munitum conceſſit, miniſterio Ducis Eſpernonii; cujus filius Archiepiſcopus Toloſſanus, cum ex condicto nocte intempeſta cum aliquot turmis equitum prope illam Arcem Bleſæ acceſſiſſet. Reginam comitatam à duabus pediſſequis ſuis Italis, & Comite Bremoſio, ex Gynæceo per ſecretum oſtium in hortum Arcis deductam, & inde per ſcalas ex funibus contextas in foſſam ambientem Arcem demiſſam excepit, & quo propoſuerat conduxit. Commoverat ea res gravius Regem, qui ſtatim conſcribi juſſerat validum exercitum, ut Eſpernonium alioſque facti illius conſcios bello perſequeretur, ſed in brevi reconciliationem cum Regina matre fecit, data venia Eſpernonio & ejus ſociis, ac permiſſo quod Regina in Aula ipſius, ſeu ubicunque in Regno vellet, degere poſſet. Hoc etiam anno idem Rex Galliæ ſororem ſuam ſecundo genitam Victorio Principi Sabaudiæ Ducis primogenito Lugduni deſponſavit. Menſe autem Octobris Principem Condæum ex cuſtodia tam diuturna liberavit, conductoque ad Aulam, per Burranum cauſas detentionis expoſuit, & in poſterum uti cognatum in honore eum habendum fore promiſit.

Gallia Regina evadit Bleſis Bruagium.

Gallia Rex reconciliatur Regina matri.

Sabaudia Duci Victoria deſponſatur ſoror Regis Gallia.

Condæus Dux è cuſtodia liber dimittitur.

Annus Chriſti, 1620.

ANnus Chriſti 1620, majores bellorum turbas ſenſit, & inprimis Boëmici, pro quo tota Europa Chriſtiana concitata, pars Imperatori Ferdinando, pars Friderico Palatino Electori militavit. Et neque Religio tam cruenta certamina vacua ſpectare potuit: ſed ille Catholicam Romanam, iſte Hæreticam in ſuum ſubſidium armavit, perſuaſam quod ejus cauſam ageret, cum tamen nonniſi (ut Imperator in ſuis edictis firmiter aſſeverebat) de Regno Boëmiæ ageretur, ac demum de continenda potentia Auſtriaca, ne armis Hiſpanicis in Germania collocatis, abſolutoque Dominatu uſurpato, hęreditariam ſucceſſionem in Imperio ſibi ſtabiliret, totamque Europam Chriſtianam in Monarchiam redigeret. Vt autem ſingularius iſta attingamus, Ferdinandus potiori cura, nempe in conſequendo Imperio perfunctus, & etiam Vngaricis motibus per inducias cum Gaborio ut diximus, ad tempus compoſitis, omnem ſuam ſolicitudinem ad coërcendos Boëmos convertit. Accerſivit ſtatim majora auxilia à Rege Hiſpano, qui ad initium anni hujus ſummiſſis tribus millibus Hiſpanorum peditum Præfecto ſuo in Auſtria militari Balthaſaro Maradas, aliarum copiarum delectus Neapoli, Mediolani, & in Flandria pro iſto bello indixit. Summus etiam Pont. Rom. Paulus V, in tota Hiſpania, Italia, Sicilia, Flandria, fructuum ex bonis Eccleſiaſticis in annos ſingulos provenientium decimam partem ſeponi, ac ingentem pecuniæ vim inde collectam, ad impenſas ejuſdem belli applicari fecit. Immo ex proprio quoque Pontificio ærario 20 millia

Ferdin. Imp. praparationes ad bellum Boëmicum.

Hiſpanus Rex mittit auxilia Ferdinando.

Paulus V. PP. decimas indicit in auxilium Imperatori.

A.C. 1620.

lia nummorum aureorum in menſes ſingulos contribuit pro Liga Catholica, quæ validum exercitum ſibi comparaverat, eumque in auxilium Imperatori miſerat. Ac primum quidem cum iſte exercitus per Alſatiam à Fœderatis diſſidentibus tranſitu prohiberetur, Liga nonniſi pro ſecuritate propria, & non ad laceſſendum aut lædendum quenquam eum collectum fuiſſe aſſeverabat, ſed poſtquam tranſitum illum impetraverat, eum palam ad partes Imperatoris deſtinavit ſub regimine Ducis Bavariæ Maximiliani, qui tria millia Equitum, & quindecim millia peditum conſcripſerat quoque in ſuis ditionibus pro juvando Imperatore. Ex Hæreticis autem Principibus Germaniæ ſolus Elector Saxoniæ, ne Palatinum auctum Boëmiæ Regno potentiorem videret, cum quo euſque æquali parique jure vixerat, ſeu quod vereretur ne Duces Vinmarienſes quandoque ope ipſius avitum Electoratum Saxoniæ repeterent, Mulhuſii Electoribus Eccleſiaſticis congregatis ſe conjunxit, eorumque Decretis cauſam Boëmorum (nec dictam nec auditam) damnantibus ſubſcripſit. At Palatini res ſtatim ab initio langueſcebant: nam licet Rex Angliæ & Daniæ, ac omnes fere diſſidentes in Religione & Auſtriacorum æmuli ipſi faverent; tamen dum in illis principiis oſcitanter agunt, nullam utilem operam ejus rationibus præſtiterunt hoc anno ut ſolus cum Boëmis totam belli molem ſuſtinere debuerit.

Liga Catholica in Germania exercitum conſcribit.

Liga Catholica exercitus Bavariæ Duci committitur.

Saxoniæ Dux conjungitur partibus Imp.

Mulhuſii Electores congregati damnant cauſam Boëmorum.

Friderici Electoris Palat. initia rerum languent.

Fœderati enim Vlmæ congregati ſatis habuerunt tunc in eo conſenſiſſe cum Liga Catholica, quod (excluſis ab illa concordia Boëmis) in Imperio alter alterum non læderet. Ac caverant quidem, quod comprehenderetur uterque Palatinatus in illa concordia, ſed Spinola hoc neglecto (feſtive Moguntinus Elector eum excuſavit, quod Auſtriaca Domus in Liga Catholica non eſſet, nec obligaretur ipſius pactione) ab Archiduce Alberto miſſus ex Belgio cum exercitu valido in Palatinatum, primo illius Oppidum inſigne Crucenacum, ad tam inſperatam vim minus proviſum poſt brevem oppugnationem ad deditionem coëgit, ibique ſede belli ſibi fixa, ultra progrediens, Altzenam ac Oppenhemium, & demum alia plura ejus regionis loca vi cepit, eamque partem Rheni cum utraque ripa in ſuam poteſtatem redegit, præſidiiſque munivit: Fœderatorum copiis cum Duce Georgio Federico Marchione Badenſi in proximo deſidentibus, nec ejus conatus impedientibus. Angliæ quoque Rex nimium cunctando, tum demum decrevit mittere ad talem neceſſitatem ſubſidia, cum audiſſet de iſta expeditione Spinolæ: Vnde illa conducta ab Henrico Naſſovio intempeſtive, Palatinatum nil juverunt. Et Hollandorum Dux Mauritius Naſſovius cum exercitu in Iuliacenſi ditione degens, à longe Spinolæ progreſſus obſervabat, propriiſque magis periculis ſeu commodis proſpiciens, in Inſula Rheni Komperuerth dicta inter Bonnam & Coloniam propugnaculum excitavit, ad ludibrium Eccleſiaſticorum mitram Sacerdotalem denominatum. Similiter & alii earum partium colligati otioſi hærebant, forte quod Palatini fortunæ non adeo faverent, ſeu quod majori ejus neceſſitati auxilia ſua reſervarent, ſperatenteque adhuc negotium tractatione amica componi potuiſſe, cum id Legatus Regis Galliæ, Angliæ, & Daniæ apud Imperatorem diligentius urgeret. Palatinatus itaque pene indefenſus tunc manibat, & in Boëmiæ Regno Palatinus ſolis Boëmicis viribus rem gerebat, eiſque nimium diſtractis, cum Sileſii potiſſimum illius Regni robur in prohibendo Polonis ad Imperatorem tranſitu apud Viadrum ſeu Oderam fluvium continuo excubarent omnes: ſed tamen non infelices tota æſtate ſucceſſus habuit. Principio anni tranſierat in Moraviam & Olomucium magnifice ingreſſus, jusjurandum fidelitatis ab Ordinibus Provinciæ illius accepit, viciſſimque eorum Privilegia confirmavit. Inde in Sileſiam progreſſus, Vratiſlaviam tanto cum majori ſplendore intravit, Ioanne Chriſtiano

Fœderati Germaniæ cum Liga Cathol. conventionem faciunt.

Spinola in Palatinatum cum exercitu Hiſpanico venit.

Crucenacum capit Spinola.

Fœderati otioſi ſpectant in Palat. progreſſus Spinolæ.

Angliæ Rex tarde auxilia mittit in Palatinatum.

Hollandi muniunt Inſulam Rheni Komperuerth.

Friderici Palat. in Boëmia vires diſtractæ.

Fridericus Palat. Olomucii recipit à Moravis jusjurandum.

E e

A.C. 1620.

Vratiſlavia Frid. Palatin. Sileſii fidelitatem jurant.

ſtiano Duce Legnicenſe nomine omnium Ordinum Sileſiæ eum ſalutante. Vbi poſtero die in Templo S. Eliſabethæ Luterano omnes Principes & Nobiles Provinciarum Sileſiæ, inſequenti vero die Troilus Decanus Eccleſiæ Cathedralis Vratiſlavienſis cum duobus Canonicis nomine Collegii ſui, & deinde Cives Vratiſlavienſes ei jurarunt ſubjectionem.

Frid. Palat. cum Bethlemo fœdus confirmat.

Reverſus autem Pragam filium recens ſibi natum è fonte Baptiſmi levari, Rupertumque nominari fecit, & Comitia celebravit, in quibus fœdus cum Gaborio Bethlemo ac cum Ordinibus Vngariæ, præſente Emerico Turſo Comite Falbano Legato Bethlemi, additis ei firmioribus ſecuritatis conditionibus, & interpoſito jurejurando ratum fecit.

Frid. Palat. filius renunciatur Rex Boëmiæ.

Quo autem jus illius Regni in ſucceſſione familiæ ſuæ retineret, in eiſdem Comitiis filium ſuum primogenitum Fredericum Henricum ſexennem, Regem Boëmiæ ſolenni ritu renunciari, coronatique curavit. Arma quoque non iniqua ſorte ſub illud tempus tractavit; nam apud Gretſeiſteinum menſe Februario Dux Cæſareus Bucquoius, commiſſo cum Boëmis prælio non paucos ex ſuis amiſit, &

Anhaltinus profligat Cæſareos.

prope Egenburgum ac Veiſſam menſe Martio Princeps Anhaltinus Dux copiarum Palatini, cum Cæſarianos Duces Bucquoium & Dampirum ſimul congregatos inveniſſet, levioribus præliis uno & altero die remoratos, tandem in inſidias conduxit, ac inita pugna tormentis ab uno monte diſploſis, ordines eorum turbavit, emiſſoque equitatu cæſis plurimis, reliquos in fugam convertit. Major autem jaculorum vis ibi incubuerat in Polonos Coſacos, qui in omni conflictu, licet leviorem armaturam gererent, ſed quod eo expeditiores & audaciores

Kleczkowski Polonorum ductor caſus.

eſſent, ad omne periculum ineundum, in prima acie collocabantur. Vnde Dux eorum Albertus Kleczkowski in fronte aciei tunc ſtans, pila tormenti percuſſus cum paucis ex ſuis occubuerat: reliqui tamen ejus ſocii Ordines retinuerunt, & hoſtem in Cæſarianos diſperſos ſævientem repreſſerunt, Dampirumque cum equo collapſum à nece ſervarunt.

In Moravia quoque Tiſenbachius Dampiticos ſexcentos Nikelsburgo ejecit; alibi Razium oppidum prope Cremſam à Boëmis fuit interceptum, Bucquoio, ac Maradaſio diverſa oppida viciſſim in Boëmia occupantibus, ut

Polonorum excurſiones, damna dant inimicis Imp.

collato calculo, Mars utrinque eſſet communis: præter excurſiones Coſacorum Polonorum, qui frequentibus turmis per medias Sileſiorum excubitorum ſtationes (non raro ut belli fert alea cum aliqua jactura) ad Imperatorem aſſidue perrumpebant, & incredibili celeritate famam adventus ſui prævenientes, hoſtem incautum ad talem pugnandi modum ſæpe oppreſſerunt; hocque ſuperiores tunc fuiſſe, ac hoſti formidoloſiores Imperatori videbantur.

Galliæ Rex legatum mittit ad tractandam pacem inter Imp. & Frideric. Palat.

Quod autem attigimus de pacis tractatu, Rex Galliæ requiſitus à Legato Imperatoris Furnſtenbergio Comite pro auxiliis contra Boëmos, Boëmorum Legatis eadem implorantibus, cum neutri deeſſe mallet, expedierat Ducem Angoliſmenſem, qui non ſolum in Germania, ſed & apud Gaborium de mediis pacis ageret.

Daniæ Rex inducias petit ab Imp. pro Frideric. Palatino.

Rex quoque Daniæ intercedebat pro tractanda ceſſatione armorum, & magis Rex Angliæ, cujus Legatus in Aula Imperatoris continue degens, hoc idem ſolicite procurabat.

Ferdinandus Imp. negat inducias Palatino, niſi prius renunciet Regno Boëmiæ.

Sed Imperatorii nullum tractatum pacis admittendum judicarunt, niſi prius Palatinus Boëmiæ Regno ſe abdicaret, quantumvis iſte & in reſponſo ad literas Mulhuſienſis Conventus Electoralis, & ad Electorem Saxoniæ, ac ad Ducem Bavariæ datis obteſtaretur, ſe ſubire velle omne judicium, dummodo non à damnatione inciperet, & in eo Imperatorii non actoris ſimul & Iudicis officio fungerentur. Tanto minus obtineri potuit ullus tractatus, cum initio æſtatis Imperator viribus augeretur, & ejus voluntatem de proſcribendo Palatino, & Boëmis, Mulhuſii congregati Electores approbaſſent. Elector Saxoniæ aliquantum iſti proſcrip-

ſcriptioni reſtitit, ſed & iſte amplioribus promiſſis per Carolum à Dona Imperatoris Legatum expugnatus, ſententiam mutavit, & pacto quod Luſatiam in prœmium laboris, ſuarumque impenſarum compenſationem haberet, etiam executionem mandatorum ac proſcriptionis hujuſmodi in ſe ſuſcepit. Hiſpanos quoque cum Archiduce Alberto, & Ducem Bavariæ proſcriptio illa Palatini ad juvandum Imperatorem erexit, cum illis inferiorem Palatinatum, iſti interim in pignus ſuperiorem Auſtriam, & bello finito ſuperiorem Palatinatum addixiſſet, ac inſuper eidem Bavaro dignitatis Electoralis conſequendæ ſpes injecta fuiſſet.

A.C. 1620.

Electores Germaniæ Mulhuſii conſentiunt, ut proſcriberetur Palatinus.

Saxoniæ Electori committitur executio contra Boëmos.

Et is itaque una cum Alberto Archiduce arripuit lubens decreti Imperialis exequendi munus, ſeu honeſtiorem expeditionis bellicæ, ac hæreditarias Palatini ditiones occupandi cauſam, omnique tractatuum mentione rejecta, Duces iſti partium Imperialium ad oppugnandum à pluribus locis ſimul Palatinum expeditionem inſtituerunt. Menſe Auguſto Ambroſio Spinola, ut ſupra attigimus, ex Belgio in Palatinatum arma infeſta conduxit; & eodem Menſe Elector Saxoniæ, datis literis ad Boëmos & Luſatos quod Decretum Imperatoris exequi vellet, niſi ſponte ad ejus obſequium redirent; cum illi monitionem hanc negligerent, in Luſatiam ſuperiorem quindecim millia armatorum cum magno apparatu bellico præmiſit, & ipſemet ſubſequens, Budiſſinum illius Provinciæ caput obſedit, magnaque vi ad deditionem coëgit. Nec multo poſt pene totam Luſatiam inferiorem obtinuit, Sileſiis qui cum Marchione Iagerndorfio ad eas partes defendendas fuerant deſtinati, in avertendis Polonorum incurſionibus occupatis. Duci Bavariæ ſumma rei obtigerat, ut nimirum fontem controverſiæ Boëmiam ipſam una cum Bucquoio & Maradas Cæſariarum copiarum Præfectis peteret. Sed priuſquam cum iſtis conjungi poſſet, ne tempus perderet, in Auſtriam ſuperiorem initio ejuſdem menſis Auguſti, una cum Leopoldianis copiis movit. Et primo Arcem Sternbergenſem poſt levem præſidiariorum propugnationem cæpit, deinde Freidſtadio, Hageno, Eliſtemio præſidia à Boëmis impoſita facile ejecit, & Lincium à Provincialibus derelictum intravit, præſidioque proprio munivit, ac ad præſtandum ſibi fidelitatis jusjurandum ejus Magiſtratum coëgit. Atque hæc ad ſecuritatem illius Provinciæ tunc ſufficere reputans, contempto Comite Turrenſi ibi prope Neuhuſium caſtra habente, ad Moraviæ & Boëmiæ confinia properavit.

Bavariæ Dux ſuſcipit onus executionis Imp. contra Boëmos.

Saxoniæ Elector Budiſſinum cæpit.

Bavariæ Dux in Auſtriam ducit exercitum.

Lincium occupat Bavariæ Dux.

Interim Imperator non minori ſtudio laborabat, quomodo turbas Vngaricas ſedaret, inſtitutis ad eum finem Comitiis Neoſolii Ordinibus Vngariæ, in quibus ipſe quoque Gabor Bethlem comparuit. Aderat & Legatus Gallicus, ac Regis Poloniæ Nicolaus Firley Caſtellanus Woynicenſis, tum & Turcicus, Boëmicus, ac magna frequentia Procerum Vngarorum. Inter quos cum præcipuum rerum arbitrium obtinerent Georgius Ragozi, ac Emericus Turſo Gaborio addictiores, ac Religione hæretica conjuncti, ejus partes fortiſſime tuebantur. Vnde pro commodo Imperatoris nihil ibi potuit æquum obtineri, ne induciæ quidem longiores, præter quod induſtria Legati Poloni Electio novi Regis Vngariæ, quam Legatus Turcicus vehementer urgebat, & Vngari deſiderabant, ad proxima Comitia Poſonii celebranda fuerat rejecta.

Vngari Neoſolii Comitia celebrant.

Bethlem vult eligi Rex Vngariæ.

Firlejus Legatus Regis Pol. in Comitiis Vng. bonam operam navat Imp.

Sicque tunc eluſa Electio illa Regis Vngariæ, nunquam amplius perfici potuit ob ſupervenientes belli invaleſcentis viciſſitudines, quæ Comitia illa Poſonii celebrari non permiſerunt. Statim vero Gabor Bethlem expedierat octo millia Equitum in Boëmiam, & ipſe Neoſelio à Comitiis recta Endeburgum tranſivit,

 ut

A.C. 1620. ut finitis induciis ad finem proximi Septembris inde Auſtriacas Provincias invaderet. Quibus conatibus Imperator quoque obviandum ratus, Viennam muniri juſſit, & Dampirum Ducem belli pro Auſtria & Vngaria deſignavit, eventum ipſi Dampiro infelici: poſtquam enim apud Hundeshenium & Teccamburgum hoſtiles incurſiones aliquantum, præſertim ope Polonorum Coſacorum repreſſerat, elatus tali ſucceſſu, Poſonium cum Corona Regali Vngariæ ibi aſſervata, quod minus ſufficienti præſidio munitum fuiſſe Vngari quidam retulerant, intercipiendum decrevit, & ſecundo Danubio quadraginta navibus demiſſo peditatu cum apparatu bellico, nona Octobris eo adveniens, pontem navalem disjecit, ſuburbiumque Danubio ibi proximum cæpit. Sed dum ipſemet ſpeculatur, qua ad Arcem oppugnandam tormenta applicaret, jaculo bombardæ à præſidiariis percuſſus interiit. Ejus cadaver ad Arcem raptum, & abſciſſo capite ludibrio habitum, demum gravi lytro redemptum, Viennæ in Monaſterio Franciſcanorum honorem militarem ſepulturæ obtinuit. Præſidiarii autem Poſonienſes eruptione facta, etiam copias ejus profligarant, inſiſtenteſque fugientibus, Viennam prope alias turmas equitum & peditum Cæſarianorum ex inopinato in eo itinere deprehenſas fuderunt, interfectis Præfectis eorum nominis non poſtremi.

Dampir Dux Cæſareus apud Poſonium occiditur.

Vngari Poſonio excurrentes Cæſarianos profligant.

Bavariæ Dux in Boëmiam exercitum ducit.

Sed ut ad Ducem Bavariæ redeamus, is rebus in ſuperiori Auſtria ex voto compoſitis, omnes copias Imperiales ad finem Boëmiæ contraxit: cum quibus Pragam Regni & negotii tanti caput peteret. Et cum ſimul incedere non poſſent propter itinerum anguſtias, eaſque à Boëmis in ſylvis præſertim Hirciniis obſeſſas, & magis propter pabulum equorum, quod nonniſi ex longinquo provideri debuit, per diverſa incedentes demum prope Pilſnam omnes convenerunt, poſtquam unuſquiſque Ducum illorum in ſuo tranſitu plura Oppida partim vi, partim deditione occupaſſet. Nec dubiam victoriam promittebat tam validus exercitus, in quo aderant Duces experti, milites ſtipendiarii omnes veterani, majori parte pedites Hiſpani ſelectiores, univerſe quinquaginta millia numero pedites & equites computati; cum in Palatini exercitu nonniſi ſex millia ſtipendiariorum exercitatiorum, quos Dux Vinmarienſis ex Hollandia nuper conduxerat haberentur, & paucæ cohortes à Boëmis ab initio tumultuum illorum collectæ (Erneſtus Mansfeldius Comes ultra Pilſnam, ut in Bavariam irrumperet, cum ſuis turmis ſubſtiterat) ac Vngarorum octo millia levioris armaturæ. Cætera autem agmina Palatini ex delectu Boëmorum ac Moravorum Provincialium conſtabant, univerſis copiis triginta millia hominum non excedentibus. Et hi egeſtate rerum omnium preſſi, cum decemocto menſibus ſtipendia nulla recepetint. Vnde etiam non adeo bene affecti Palatino, præſertim Centuriones ac Ordinum Magiſtri majori parte Pragæ morabantur, officiis ſuis neglectis. A principio tamen venientes Cæſarianos non ſegniter exceperunt, carpentes extrema caſtrorum, & interceptis plurimis, præſertim fœminis & ægrotis, qui in Bavariam remittebantur, inter quos etiam fuit Aſlangius ipſiuſmet Ducis Bavariæ Conſiliarius. Ac cum Pilſnam primum oppugnandum fore putaſſent, Rokiſanum & inde Rákonicium caſtra ſua promoverant, tam prope Cæſarea caſtra, ut contineri utrinque non poſſent à conflictu, qui deinde in juſtum prælium proceſſit, Marte utrinque æquali, cæſiſque in eo inſignioribus è Cæſarianis Marco Philippo Fuggero, Aquaviva Neapolitano, ac Comite Bucquoio ictu ſclopeti levitur vulnerato, & ex Boëmis Theodoro à Dona & Cratzio deſiderato. Sed cum intellexiſſent Boëmi Ducem Bavariæ, nec de Pilſna oppugnanda cogitare, nec prælio generali ibi decertare velle, ſed

Friderici Palatini vires infirmæ.

Cæſariani cum Palatinis in Boemia congrediuntur æquali Marte à principio.

Fuggerus & Aquaviva ex Cæſarianis cæſi.

A.C. 1620.

ſed rectà Pragam iter dirigere, ipſi ut prævenirent ejus conatus, primi ſua caſtra Pragam verſus moverunt, ſcienter ſatis & commode, nempe ut præ mœnibus arcis, & parvæ partis Pragæ hoſtem exciperent, & ſi fortunam invenirent adverſam, receptis intra muniriones ſuis copiis, vallo & propugnaculis ante ad talem caſum tempeſtive excitatis defenderentur. Quid autem interverterit illud tam ſalubre conſilium, explicari non poteſt, niſi referatur ad Deum unicum victoriarum auctorem, qui confundit ſapientes, quos vincendos decrevit, ut manifeſtius pugna iſta edocuit. Quæ priuſquam ſucceſſiſſet, miſerat Palatinus ad Ducem Bavariæ, colloquium cum ipſo & tractatum pacis aliquem requirens, & explicationem verborum, quæ ipſe Bavarus in ultimis ſuis mandatis ad Boëmos datis appoſuerat, (*ea de ipſo Palatino neque dici, neque accipi debere.*) Verum Bavariæ Dux reſpondit, ſero nimis colloquium peti, nec concedi poſſe, niſi prius Palatinus Regno Boëmiæ ceſſurum ſe promitteret: verborum autem illorum ſignificationem talem eſſe dixit, quod cum in diplomate executionis à Cæſare ſibi commiſſæ nulla mentio Palatini facta ſit, ſe quoque nolle hanc executionem ultra extendere. Deſperato itaque omni tractatu die ſeptima Novembris, primi Boëmi pervenerunt ad campum Albo monti, Arcis Pragenſis itinere dimidiæ horæ vicino, & ſatis opportuno loco inſtruendæ aciei conſtiterunt. Nec multas poſt horas Bavarici quoque (in tranſitu proximi fluenti limoſi eos Boëmi remorari potuiſſent) ſupervenerunt. Et quidem Bucquoio, qui æger ex vulnere nuper accepto lectica vehebatur, tardius cum extremo agmine ſuccedente, ea die nihil fuit tentatum, verum inſequens octava Novembris (Dominica fuit) litem illam diremit. A parte Cæſarianorum ſummus rerum moderator Bavariæ Dux, ejuſque Vicarius Comes Tillius, Bucquojus, Maradas Hiſpanorum Ductor, à parte autem Boëmorum Princeps ſenior Anhaltinus (Palatinus qui toto tempore eouſque in caſtris fuerat, receſſerat ad Pragenſem Arcem) Comes Hohenlojus, & Marrhæus Turrenſis acies inſtruxerunt, peritia ſumma quæ in ea arte deſiderari poteſt, ac pari utrinque animorum alacritate, ab hora meridiana inierunt prælium, in quo junior Anhaltinus cum juniore Turrenſi invecti in Bucquojanos, illud latus pene diſſiparant, cæſo præcipuo ejus Ductore Megavio, Rompheo, Præſingeo, & quatuor Vallonicis centurionibus, ac capto Breinero, cujus Legio pedeſtris cum Tiphenbachica jam deſerere ſigna ceperat, cum Poloni Coſaci à Maximiliano Litchtenſteinio illius alæ Præfecto confligere juſſi, Vngarorum turmas invaſerunt, & à primo congreſſu ſtatim in fugam effuſis inſiſtentes, Ordines Boëmorum ab illis fugientibus turbatos penitus diſtraxerunt. Bucquojanis quoque laborantibus interim Tillius ſubvenerat, & inſtaurato prælio Anhaltinus aliique capti, pene omnes ſuos amiſerunt: tota deinde acies Imperialis in cædes fluctuantium Boëmorum converſa, multo plures in fuga quam in pugna conficiebat, ut numerus ex eis occiſorum ad duo millia aſcenderit, cum ex Imperialibus non plures trecentis ceciderint.

Frid. Palat. colloquium cum Bavariæ Duce fruſtra petit.

Prælium Pragenſe Cæſarianorum cum Boëmis.

Poloni Vngaros perſequentes aciem Boëmorum turbant.

Boëmi vincuntur à Cæſarianis.

Atque tunc primum apparuit error neglecti primi conſilii Boëmorum de non committenda ſumma rei univerſali prælio, ſed cuſtodiendo vallo Civitatis, vel ad minus firmandis (uti poterant) caſtris, & parando periclitantibus in pugna recurſu circa mœnia urbana, ubi cum nulla præſidia conſtituta fuerint, uſque & ſub ipſis muris hortorum Arcis in tuto ſe jam eſſe putantes è pugna elapſi cædebantur, & plurimi in fluvium Moldawa, præſertim Vngari qui ea parte, cum alium receptum non invenirent, in fugam eruperant impulſi, ibidem ſubmerſi perierunt. Immo & à pugna munitiones Civitatis parvæ (alioquin non

Boëmorum error circa prælium Pragenſe.

 adeo

A.C. 1620. adeo viles quin ad ſuſtinendum primum impetum hoſtis ſufficerent) occupaſſe, vireſque ex diſperſis recollectis, & ex Civitate tam ampla aliis militibus adſcitis, inſtauraſſe non difficile fuiſſet. Sed út ab inito prælio præcipui Ductores ſenior Anhaltinus & Turreus ſenior ac Hohenlojus ad Arcem conceſſerant, nullus adfuit, qui inclinatam aciem reſtitueret, ita & de avertenda poſt cladem illam majori rerum jactura, curam nemo gerebat, omnibus non tam metu periculi, quam horrore quodam Panico, ſeu è cœlo immiſſo perculſis. Quod in ipſis Boëmorum caſtris qui adfuerunt magis ſunt experti; referebant enim in illis duabus horis ante pugnam quaſi terra tremeret omnes trepidaſſe, & in fervore pugnæ poſtquam aliquandiu feliciter pugnaſſent Boëmi, non viros tantum, ſed & equos horrore quodam correptos tremuiſſe, fugamque inde arripuiſſe. Teſſeram militarem eo die Dux Bavariæ dederat *Sancta Maria*, cujus Virginis Beatæ effigiem ſignum ipſius Prætorium præferebat, ac prædixerat illi *Sacerdos Dominicus Religionis Carmelitarum Diſcalceatorum*, eam victoriam divinitùs ſibi (ut ajebat) revelatam. Statim autem poſt pugnam, miſerat Palatinus ad Ducem Bavariæ petens viginti quatuor horas induciarum. Sed cum non impetraſſet niſi octo horas, idque tali conditione, ut abdicaret ſe titulo Regio, eodem veſpere convaſatis quæ raptim de gaza ſua auferri poterant, ex Arce tranſiit ad Vrbem veterem, ibique pernoctavit. Et proximo mane cum uxore & filio recens nato, ac Gynæceo, comitatus à Principe Anhaltino ſeniore & Comite Turrenſi nemine inſequente abiit Vratiſlaviam. Nec plus quam uno die ibi moratus, dimiſſis literis ad fœderatos Germaniæ Principes, ad Ordines Moraviæ, ac ad Gaborium Tranſilvanum, in quibus rationes illius conflictus cum Cæſarianis, & diſceſſus ſui expoſuit, Berlinum, quo ante duos menſes præmiſerat filium ſuum Coronatum Regem Boëmiæ, ad affinem ſuum Electorem Brandeburgicum conceſſit. Ac Dux Bavariæ poſtridie mane Civitatem minorem & Arcem Pragenſem nemine reſiſtente intravit, & jusjurandum fidelitatis in nomen Imperatoris ab illo Magiſtratu recepit. Ex veteri Civitate ponte à minori Civitate intercluſa, miſerant Boëmi petentes tres dies ad deliberandum ſuper deditione: ſed cum Dux Bavariæ reſpondiſſet, neque tres horas ſe conceſſurum, deditionem fecerunt, accepta promiſſione quod Privilegia eorum conſervarentur, libertas Religionis ipſis permitteretur, & condonarentur commiſſa præterita: quæ an condonata fuerint annus proximus docebit. Certe à militum rapinis ut erat promiſſum, non fuerunt liberati; iſti enim nulla ſeveritate Ducis Bavariæ cohiberi potuerunt à diripiendis & expilandis domibus opulentiorum, poſtquam noluerant ſatiari ingenti præda in Arce & in caſtris Boëmorum reperta. Militaria ſigna centum, & tormenta bellica permulta ceſſerant Duci Bavariæ: Qui recepto à Boëmis jurejurando fidelitatis; redierat Monachium, & captæ Vrbis Pragæ curam commiſerat Maximiliano Lichtenſteino, ac Comiti Tillio, præceperatque, ut omnibus trium oppidorum Pragenſium Civibus arma adimerentur, & munitiora quæque Boëmiæ loca ſtatim pro Imperatore recipiebantur, præter quod Pilſna & Taborum, manſerunt in fide Palatini cura Mansfeldii, qui abſens ab illo prælio Pragenſi integras vires ſuas ſervaverat, easque ex diſperſis Palatinalibus mox auxerat.

Oſtenta obſervata in caſtris Boëmicis ante pugnam.

Fridericus Pallat. fugit Praga.

Bavariæ Dux Pragam occupat.

Pragam expilat totam miles Cæſarianus.

Bavariæ Dux Monachium revertitur.

Mansfeldius Pilſnam & Taborum in Boëmia pro Palatino retinet.

Quid porro ſucceſſerit, in anno proximo attingemus, expeditis quæ alibi quoque occurrerent.

Ac in Gallia quidem nil adeo memorabile accidit, dubia enim quæ circa concordiam Angoleſnenſem Reginæ matris cum Rege movere cœperant, & ad novos tumultus multos excitarant, mox fuerunt ſublata, additis illi concordiæ firmioribus cautionibus. Similiter & offenſa quam Rex contra Vgonotos conceperat,

Galliæ Rex concordiam cum Regina matre firmat.

A.C. 1620.

perat, & vindicare decreverat intercedentibus Angliæ & Hollandiæ Legatis, placide tunc conquievit.

Rhæti Catholici Hiſpanos ſibi in auxilium advocant.

Sed in Rhetia bellum,cujus præſagia in ſuperioribus annis gravia præceſſerunt, in apertum hoc anno protupit. Catholici enim à Reformatis variis injuriis irritati, cum eis potentioribus reſiſtere non valuerent, Hiſpanos Mediolano in auxilium ſuum advocarant, qui poſt diverſos ad Vurmiam & Tiranium cum Bernatibus & Tigurienſibus conflictus, Vallem Tilinam diſpoſitis in ea ptopriis præſidiis ſuæ poteſtatis fecerunt. Communitates itaque illarum Alpium, veritæ ne ſi ibi Hiſpani pedem figerent,omni illi viciniæ ſub jugum ipſorum concedendum eſſet, Lucernæ convenientes, de eis inde exigendis variè conſultarunt. Nec minus Gallos & Venetos ſolicitos tenebat, quod tranſitu illo ab Hiſpanis impedito, in Italiam, & ex Italia in Galliam Germaniamque commeare non poſſent. Vnde æque iſti, ut illa Vallis Tilina in priſtinam libertatem teſtitueretur, magna ſtudiorum contentione procurabant, ut paulo inferius apparebit.

Vallem Tilinam Hiſpani præſidiis ſuis muniunt.

Galli & Veneti volunt reſtitui Vallem Tilinam in priſtinum ſtatum.

Sub iiſdem turbis Veneti arcana ſua conſilia Hiſpanis prodi advertentes, ſolertiori cura literis interceptis, Baptiſtam Pregati Senatorem authorem talis ſceleris invenerunt: & nec quicquam deprecantibus ejus cognatis convictum criminis, ſtrangulari, ac à pedibus in loco ſuppliciorum publico ſuſpendi fecerunt. Neapoli autem Hiſpani æmulationibus mutuis prope ad ſeditionem populum concitarant hoc anno. Cum enim Rex Hiſpaniæ Duci Oſſunæ Gyronio Viceregi(quinque annis geſſit illud munus) Neapolitano, Magiſtratum illum abrogaſſet,iſte petiit tantiſper differri adventum ſucceſſoris ſui,donec perficeret ſtratagemata quædam contra Turcas inſtructa; (ut erat vir ingenio acri, & totus ad audaciora facinora quibus inclareſceret intentus, ac ille ante biennium ſubornaverat proditionem Venetiis, quæ niſi fuiſſet ab uno è conjuratis detecta, exitiali periculo Civitatem illam involviſſet) ſed dum expectat ex Hiſpania ſuper petitione ſua reſponſum,Cardinalis Borgia deſignatus ejus ſucceſſor, metuens ne à tanto honore longiori mora excluderetur, Capua, ubi interim ſubſiſtebat, clam nocte intempeſta cum tribus vel quatuor miniſtris Neapolim venit,& receptus ad Arcem S.Elmi, ab ejus Præfecto ſibi addictiori, ſummo mane exploſis tormentis,ſignum dedit adveniſſe novum Viceregem. Novitate itaque rei commotus populus,parum abſuit quin arma corripuerit, aliis Oſſunam, aliis Borgiam Viceregem acclamantibus. Tandemvero Oſſuna derelictum ſe videns ab Hiſpanorum Prætoria cohorte, quæ ſtatim Borgiæ adhæſerat, in Hiſpaniam abiit, ac ibi oneratus variis ſuſpicionibus, quaſi Regnum affectaverit, ſub cuſtodiis mœrore conſumptus vitam finivit.

Baptiſta Pregati Venetiis damnatur.

Oſſuna Dux Vicerex Neapolis dimittere non vult officium.

Borgia Card. clam intrat Neapolim contra Oſſunam.

Neapoli populus ad tumultum commovetur.

Triſtiora prout evenerunt Polonis ad finem anni hujus reſervavimus, eo acerbiora quod inexpectata: nihil enim tam adverſi ſperari in Polonia tunc poterat, cum initio anni proximi Comitiis Varſaviæ celebratis, pax cum Moſchis ſtabilita fuerit, & Turca poſt compoſitionem Skindet Baſſæ cum Zolkievio ad Buſſam, nullam cauſam habuit violandi fœdera ad longum tempus cum iſto Regno inita. Sed qui bello Auſtriaco implicuerant Regem in ſummittendis Imperatori auxiliis Coſacorum, iidem tempeſtatem tantam Regno iſti acciverunt.

Oſſuna Dux Neapoli excluſus in Hiſpaniam abiit.

Poloni dando auxilia Imperatori Turcam in ſe concitarunt.

Quæ tamen aliorum cenſuræ relinquimus,& periculo ducendæ conjecturæ audacioribus permiſſo,ſimplicem rei geſtæ narrationem more noſtro proſequemut. Angebat nimium Gaborium Bethlemum Tranſilvaniæ Principem, quod propter irruptiones Polonorum in Vngariam, Moraviam, ac Boëmiam, ſuſcepta ſua contra Auſtriacos conſilia tuto expedire non poſſet: & cum nulla alia ſuppeteret ratio eos à tali inſtituto cohibendi, Turcam aſſidue ſollicitabat, ut Poloni Regis vires diſtraheret, eumque ad defendenda propria Coſacos revocare cogeret. Miſerat & ad Chamum Tartaricum magni pretii munera, ut eum ad invadenda & va-

Bethlem concitat Turcam contra Polonos.

A.C.1620. ſtanda confinia Poloniæ commoveret, quorum omnium luculentiora documenta à Porta Ottomanica, & ex Taurica Chami Tartarici ſede per Legatos & exploratores Regis deprehenſa fuerunt. Et magis exacerbaverat eundem Gabor Bethlem, quod Gaſper Gratianus Palatinus Moldaviæ ejus literas ad Turcam interceperat, & ad Regem Poloniæ tranſmiſerat, in quibus ille pollicebatur Turcæ in brevi expugnaturum ſe, & in ejus poteſtatem traditurum Viennam Auſtriæ.

Gratianus Palat. Moldaviæ intercipit literas Bethlemi.

Literas iſtas Andreas Lipski Vicecancellarius Regni (propter Reginam cujus favore ſuccreverat in Auſtriacos propenſior) per Nuntium Regium Staniſlaum Zadorski Bethlemo (ut exprobraret ipſi tales Chriſtiano homine indignas actiones) nuntiaverat veniſſe in manus Regis, etiam earum (nimium inconſulte) interceptionis authore divulgato. Ille itaque iratus propterea Gratiano (dixerat Nuntio, certe iſte morietur propter has literas) & ſpecioſam cauſam nactus, qua Turcis perſuaderet, ut ad finitima Poloniæ mitterent exercitum, gravioribus querelis apud Portam illam excitatis, de proditis illis ſuis literis, tantum egit & effecit, quod fuit commiſſum Skinder Baſſæ, ut tranſiret in Moldaviam, & comprehenſo ſeu pulſo Gratiano, in ejus locum Moldaviæ Palatinum Radulium conſtitueret; & hæc quidem fama expeditionis illius publice ſparſa fuerat: ſed ex apparatu Skinder Baſſæ majora agitari apparuit.

Gratianum ob interceptas Bethlemi Turca pelli jubet ex Moldavia.

Skinder Baſſæ expeditio in Moldaviam.

Convocaverat enim ille omne robur Tartarorum, una cum ipſorum Chamo & Cantimiro Murſa bellatore famoſo; collegerat veteranos Turcas Danubium accolentes, (Rumelienſes vocantur) præter magnum numerum Valachorum & Tranſilvanorum, quos miſerat Gabor, ut ille exercitus ſexaginta millibus equitum, & mille Ianizeris peditibus conſtaret, nec ſolum Gratiano opprimendo, ſed & vicinis divexandis ſuffeciſſet. Nuncium quoque Regis Sigiſmundi Samuëlem Otrinowski interim pro quibuſdam Buſſenſium pactorum dubiis declarandis miſſum, Turca contumelioſius haberi, nec admiſſum ad ſuam audientiam abire juſſit. Vnde Poloni præſertim Staniſlaus Zolkiewski Præfectus copiarum Regni, cui præcipua illatum Regionum cura incumbebat, nil niſi hoſtile ab illa parte expectandum eſſe ratus, nec permittendum putans, ut Gratianus pro navata fideliori Polonæ Reipub. opera pœnas daret, Moldaviæque Principatu propterea excideret; collegit quoque præſidiarias legiones, (Quartianæ denominantur) & invitavit inſigniores Ruſſiæ Satrapas, qui mox cum magno armatorum numero ad eum confluxerant: non plures tamen erant omnes, niſi mille ſexingenti haſtati, ducenti Raitari quater mille levioris armaturæ Equites, & bis mille pedites, præter multitudinem promiſcuam, qua ſemper gravantur nimium Caſtra Polonorum.

Zolkievius comparat exercitum in auxilium Gratiano.

Difficilior autem inciderat deliberatio ſuadentibus aliis, ut ipſe Zolkievius poſitis munitiſque Caſtris, ſubſiſteret in limite Poloniæ & Moldaviæ ad fluvium Tyram circa Arcem Chocimum, & non objiceret ita potenti hoſti manum tam exiguam, ſed Campi præfecto militari Staniſlao Koniecpolski, qui promptam ſuam operam ad hoc offerrebat, dimiſſo cum parte exercitus expeditiore verſus Teinam, ibi Skinder Baſſam à propoſito diſtineri curaret. Sed vicit eorum ſententia, qui cenſuerunt (Zolkievius dicebat, quod mallet præſens ſpectare, quam in longinquo audire rumores) eundum in Moldaviam, & maturius ſubveniendum Gratiano Polonis adeo fideli, præveniendumque hoſtem priuſquam diſſiparet Moldavos illi militantes, quorum congreſſu (ferebantur fuiſſe quindecies mille equites ſed falſo) exercitus Polonicus augeretur. Hærebat etiam Zolkievio in memoria exprobrata expeditio Orinienſis, tum & jactura in tractatu ad Buſſam facta, quæ cumulate reſarcienda videbatur, ſi Polonorum auxiliis Gratianus Moldaviam retinuiſſet. Sed maxime urgebant profectionem Conſiliarii Regii Aulici, quibus perſuaſum erat, quod Skinder Baſſa ſublato Gratiano (præſertim ſi adverteret fines Poloniæ

contra

A.C. 1620.

Zolkievius juſſu Regis in Moldaviam tranſit.

contra ſuos conatus bene cuſtodiri) Tartaros illos in Vngariam contra Imperatorem deſtinaturus eſſet:ſtatimq; acceptis literis Zolkievius ab Aula à Vicecancellario, ut iter maturaret, apud Sledziowká tranſmiſſo Tyra fluvio in Moldaviam Caſtra movit ſecunda die Septembris,dubiuſq; primum in quo loco hoſtem quæreret,demum ab adveniente altero die Gratiano)cum ſexcentis tantum Equitibus venerat Moldavis) perſuaſus ut apud Cicoram noritiam de eo expectaret,ibi duodecima Septemb. caſtra poſuit. Et neque ibi ullum indicium per aliquot dies haberi potuit de hoſte, negligentius agenre Gratiano, qui eam curam in ſe ſuſceperar,donec decima ſeptima die Septembr. trecentos circiter Tartaros advenientes conſpicari excubias Caſtrorum tenentes Coſaci Liſſoviani,eos aggreſſi aliquorum capita abſciſſa inCaſtra attulerunt,nullum autem vivum ceperunt. Verum Tartari non paucos pabulatores Polonicos oberrantes procul à ſuis Caſtris interceperant, & ex iis didicerant de paucitate Polonorum.

Gratianus venit ad caſtra Zolkievii.

Zolkievius apud Cicoram Caſtrametat.

Tartari prius conſpiciuntur ab excubiis Polonicis.

Vnde inſequenti mane Cantimir Murſa cum viginti millibus Tartarorum in conſpectum Zolkievii Caſtrorum appropinquavit,quem Skinder Baſſa poſt paucas horas ſubſequutus, ibidem prope rentoria ſua fixit:Polonis intra vallū ſeſe continentibus, præter quod Coſacis Liſſovianis ad excurſiones diſpoſitis(cum iſti Tartaros loco moviſſent, & à ſupervenienre majore eorum numero,iterum repulſi adCaſtra retrocederent)in ſubſidium aliquæ cohortes emiſſæ,& una ipſimet Liſſoviani ad pugnam iterum converſi ſtrenue conflixerunt cum hoſte,ad veſperā uſq; inſiſtentes cedenti. Neq; tunc tamen ex hoſtibus vivum ullum ceperunt,præter unum Turcā Sedziacum Tchinenſem, qui ex vulneribus in illo conflictu acceptis mox obiit. Nec aliunde quicquam certi de viribus hoſtis euſq; conſtitit. Sed Zolkievius eas non majores fore reputabat, quam quæ conſpiciebantur,ſeu prælio melius explorandas decrevit.

Skinder Baſſa venit prope Caſtra Zolkievii.

Zolkievius ignorat vires hoſtis.

Ac die proxima decima nona Septemb.illuceſcente(ignarus quod ea nocte Sultan Galga Chami Tartarici frater cum triginta millibus Tartarorum ſelectiorum ad Caſtra Skinder Baſſæ venerat)præ Caſtris aciem inſtruxit,munivitq; dextrum & ſiniſtrum cornu,conſtituto utrobiq; Caſtello (*Tabor* noſtri dicunt) ex curribus junctis arte militati conſtructo, unde pedites tormentorum & bombardarum jaculis hoſtem propulſantes latera equitum pugnantium tuta ſervarent. Skinder Baſſa quoque ex adverſo aciem ſuam diſpoſuerat,collocatis in ea Turcis ſolis & Tranſilvanis à Gabor Bethlem miſſis,ac Valachis, qui eſſe Tartari pridie viſi putabantur. Verum iſti ac alii recentius conducti non prodierant in apertum,donec Poloni nullis alis & præſidiis contra vim inſperatam conſtitutis,tota ſua acie verſus aciem illam inimicam converſi,longius(neglecto Zolkievii Imperio)Caſtella promoverant,& ipſimet cum ſignis nimium procul proceſſerant à vallo Caſtrorum, ex quo à tergo defendi debuiſſent.

Zolkievii prælium apud Cicoram cum Skinder Baſſa 19 Septembr. 1620.

Demum itaq; prælio inchoato apparuerunt immenſa Tartarorum agmina à latere dextro,quæ undiq; ſumma celeritate diffuſa,etiam à tergo copias Polonicas circumplecti nitebantur,& Poloni ad eam partem defendendam omnes turmas in præſidium aciei primæ collocatas (cum aliæ non adeſſent) obvertere ſunt coacti. Pugnatum tamen fuit æquo Marte duabus horis, ſed cum prima illa acies ſubſidia nulla reciperet,& in ultima pugnantes(licet adjuti aliquantum à vallo remotiori Caſtrorum) vim multitudinis hoſtium ſuſtinere non valerent, ad Caſtra ſervatis Ordinibus per hoſtes medios perrumpentes receſſerunt:. Turcis inſequi non auſis propter Caſtella recedentes Polonos propugnantia, quorum tamen unum dexteræ partis adorti prope expugnarunt, cæſis ejus præſidiariis peditibus pluſquam trecentis, & ablatis inde tormentis minoribus quatuor. Poloni verò à porta Caſtrorum converſis ſignis,iterum in eos excurrerunt, & reliquias defenſorum illius Caſtelli ab hoſte euſque oppugnati fere quinquaginta pedites ſalvarunt. Caſtellum autem ſiniſtri lateris, in quo erant pedites quadringenti, manſit inte-

Zolkievii prælia cum Skinder Baſſa duobus eventus.

A C. 1620. integrum. Sicque ambigua fuit ſors illius prælii, in quo mille ex hoſtibus ceciderunt, ex Polonis ſexingenti, ſaucii plures: & evaſiſſent iſti victores, ni ignorantes hoſtis vires aciem propius vallum Caſtrorum ſuorum continere, opportunioribuſque auxiliis munere neglexiſſent. Nocte vero & die ſubſequente quieverunt Turcæ ac Tartari. Sed Poloni inſtituto inter ſe conſilio quid agerent, diſſidere ſententiis, & vigeſima Septembris, quæ fuit Dominica, ſparſo rumore, quod Duces præcipui Caſtra eſſent deſerturi, totis Caſtris turbari cœperunt. Sub veſperam enim ejus diei cum convocaſſet Zolkievius inſigniores Præfectos militares, ac propoſuiſſet, ut poſtridie prælium inſtauraretur, & errores illius primi corrigerentur; quod ſi non ſuccederet, Caſtris (alias *Taborem*) ut de Caſtellis diximus inſtructis, redirent ad confinia Poloniæ, ubi refectis viribus, contra hoſtem ſalubriora remedia invenirent: ad eam mentionem novi prælii infremuerunt plerique, præſertim Alexander Kalinowski Præfectus Camenecenſis Samuël Dux Korecki, Nicolaus Strus, qui propter veteres ſimultates Zolkievio infenſi, omnia conſilia ipſius ſugillantes, magis ad fugam, quam ipſimet jam meditabantur, militias concitarunt: Ac ante primam vigiliam noctis, poſtquam Zolkievius teſſeram militarem dederat, & excubias diſpoſuerat ad vallum nocturnas, cum Præfectus Camenecenſis Kalinovius & Dux Korecius, Struſſius, eorumque comitatus, ac etiam Gratianus è Caſtris exceſſiſſent, univerſi credentes, quod Zolkievius quoque abiret, magno tumultu ad fugam componebantur. Quin & excubitores Caſtrorum ſtationes ſuas reliquiſſent, niſi Zolkievius (faces accenſas præferri ſibi juſſerat, ut inter tenebras videretur & agnoſceretur) ipſemet accurrens, adeſſe ſe, & ſaluti omnium conſulere, non diſceſſum cogitare affirmaſſet; & inde obequitans Caſtra, ægre tumultum ſedavit, deterritis maxime plurimis à fuga; poſtquam viderant fugientium primos viam ingreſſos præveniſſe periculum non evitaſſe. Cum enim ſuperandus illis eſſet ſtatim relictis Caſtris fluvius Prut (ſeu Hieraſſus non adeo profundus, ſed rapidos nimium fluctus volvens, fundo alvei petroſi tam lubrico ut veſtigium figere non permittat) plurimi in eo cum Kalinovio Præfecto Camenecenſi demerſi perierunt, alii qui natando emerſerant, à Tartaris adverſam ripam obſervantibus necabantur; Gratianus evaſerat quidem cum ſuis Moldavis tranſituum gnaris ſed ab iiſmet fuit occiſus: reliqui metu perculſi è mediis undis madentes ad Caſtra redierant. Tumque demum conquievit illa commotio, & pacatioribus animis conſultarunt Duces per aliquot dies, quomodo ſalvi inde exirent. Prælium tentari jam non poterat propter diminutum exercitum cæde & fuga plurimorum, (abierat enim in illo tumultu & Stephanus Chmielecki, cum quadringentis, & Ioannes Odrzywolski cum quingentis Coſacis per campeſtria invento feliciori tranſitu) ac vulneratorum in illo conflictu debilitatem, inter quos & Ioannes Zolkiewski filius Ducis exercitus, ac Lucas Zolkiewski ejuſdem agnatus, & præter gregarios milites, non pauci ex inſignioribus Ordinum Ductoribus ſaucii decumbebant. Nec minor ſtrages apparebat in equis, cum & illi qui ſupererant ex defectu pabuli conciderent. Vnde & hærere diutius ibi difficile erat, cum & pro equis, & pro militibus commeatus deeſſet, & in tam arcta obſidione, Tartarica colluvie circumquaque late excubante, à foris conquiri, vel auxilia ex Polonia in tam longinquo advocari non poſſent. Neque enim modus tranſmittendi eo literas ſuppetebat: Vnde nec certi quidquam conſtabat in Polonia de tota illa expeditione, præter quod unica tantum ac ſero nimis pervenerat epiſtola ad Regem, in qua Zolkievius illius rationes & temeritatem fugientium perſcripſerat. Hoſtis quoque nullam æquam tractationem admiſſurus videbatur, præſertim poſt tumultum illum fugientium è Caſtris nocturnum, ex quo judicabat res manentium ibi fuiſſe deſperatas: ac ſtatim

Poloni in castris ſuis tumultuari incipiunt.

Seceſſio in caſtris Zolkievii.

Kalinovius in fluvio Prut demergitur.

Poloni qui caſtra deſeruerant à Tartaris caſi.

Gratianus à Moldavis occiſus.

Chmielecius cum ſuo Equitatu caſtra deſervit.

Polonorum anguſtia apud Cicoram.

A.C.1621.

Skinder Baſſa oſtentat oppugnationem caſtri Polonorum apud Ciceram.

ſtatim vigeſima ſecunda Septembris, adduxerat omnes ſuas phalanges in conſpectum Caſtrorum, oſtentando oppugnationem ni ſe dederent; idemque fecit vigeſima tertia Septembris: & vigeſima ſexta ſeptembris Galga ſeu Dux Tartaricus cum Vielis Murſa veniens propius caſtra Duci Korecki ad colloquium evocato, propoſuit ingens lytrum quo ſe redimerent; cumque iſte faciliores conditiones offerret, ille proripiens ſe dixit ne alios tractatus, ſed vim frameæ ſuæ expectarent. Diſceſſum itaque Zolkievius apparari juſſit, in quo unica ſpes ſalutis ſupererat: nempe ut armata manu, & Caſtris munitis (Tabor Polonis dicitur) per medios hoſtes tranſirent. Inſtruendis iſtis caſtris (opera præcipue Martini Kazanowski Tribuni militum veterani) totum triduum fuit datum, & die vigeſima nona Septembris ſub veſperam vallo qua educerentur disjecto, tali ordine prodierunt. Ab utroque latere currus in longum ad ſexingentos paſſus)ita caſtra extendebantur) diſpoſiti, & alter ad alterum quaſi concatenati, equis ſuum quemque currum trahentibus incedebant; Frons etiam lata paſſus trecentos ex curribus junctis tota conſtabat, ac extrema quoque Caſtrorum claudebant currus, una cum tormentorum bellicorum apparatu, quæ impetus hoſtiles à tergo arcerent. In medio Caſtrorum conſiſtebant debiliores, ægroti, ac meliores equi cum impedimentis omnibus, & pone latera curruum ab extra pedes ibant milites omnes; quiſque ſub ſuo ſigno, diſtributi per Legiones, ſemper ad confligendum parati. Quod Tartari videntes, ad prælium inſtrui aciem putabant: Sed cum integra Caſtra progredi, nec excurrere quenquam ad velitandum, ſed tantum Caſtra ipſa propugnari vident, ignari quid agerent, præſertim nocte jam imminente, nonniſi ſpeculatores, qui illud Caſtrorum iter obſervarent, emiſerant: Ac ita nocte illa Caſtra Polonica ad ſecundum milliare Moldavicum pervenerunt, nonnihil diſtracto curruum ordine in tranſitu cujuſdam paludis, qui tamen Tartaris tum reverſis ad ſuam ſtationem & quietem, facile fuit reſtitutus.

Zolkievii caſtrorum ordo.

Zolkievii caſtrorum iter.

30 Septembris. Skinder Baſſa cum omnibus copiis ſuis ac Tartaricis conſequuti Caſtra, ea impetu facto ab utroque latere ſunt adorti, ſed repulſi fortiter à Polonis, amiſſis ſuis non paucis receſſerunt; & Caſtra ſub veſperam mota trium milliarium Moldavicorum (ſunt longiora Germanicis) iter tota nocte confecerunt, à ſolis excubitoribus Tartaris laceſſita.

1 Octobris. Caſtra illa poſita circa quoddam ſtagnum, tota ea die & nocte proxima ſubſtiterant, eaque tunc hoſtis ab adverſa ripa ſtagni illius tormentorum jaculis, & ab altera parte incurſionibus graviter oppugnavit, ſed rejectus cæſis multis ex ſuis cum à meridie iterum aciem inſtruxiſſet ad oppugnationem, miſſo caduceatore à Zolkievio poſtulavit, ut mitteret ad ſe interpretem Linguæ Turcicæ Drusbicium, quem miſſum detinuit.

2 Octobr. majori impetu quam unquam quindecies iterato, oppugnarunt Turcæ eadem Caſtra, ſed tunc quoque Poloni eos ferocientes repreſſerunt, ademptis ipſis duobus ſignis militaribus, & uno tormento; in tantum aucti animo, ut etiam longe à Caſtris Tartaros fugientes inſequerentur. Et eodem die à ſolis occaſu iter continuarunt tota nocte ad alia tria milliaria.

Turcæ oppugnant caſtra Zolkievii fruſtra.

3 Octobris cedentes Poloni, circa quendam rivulum montoſis locis ab utraque parte muniti, furorem hoſtium à ſummis montium jacula mittentium facile ſuperarunt, & effuſi curſu ad montes, ſignum unum militare Tartaricum rapuerunt. Imminente nocte qua ituri erant, inſtruxerat hoſtis inſidias, ſed iis quoque eluſis, nocte tota iverunt.

4 Octobr. circa fluvium quendam caſtra firmarunt. Vbi iterum oppugnatione à Skinder Baſſa imperata, cum Tartari periculum refugerent, Turcæ ut viderentur alacriores ad pugnam, ipſimet in latera Caſtrorum irruerant, & ea in uno loco diſtu-

A.C. 1620. diſruperant, à defenſoribus tamen cæſo ex eis audaciori quoque, cum multo ejulatu fugam arripuerunt. Ac eodem veſpere moventes Poloni, proceſſerunt ad tria milliaria ripam ejuſdem fluvii tenentes, cum alteram Turci tenerent, & aquationem illis prohiberent.

5. Octob. cum vias, qua pergendum fuit Tartari inſediſſent, tranſierunt tamen intermedias eorum ſtationes & ignes, Tartaris cedere coactis, & ad carpenda Caſtrorum extrema converſis, quæ aliquantum diſtrahi cœperant pavore aurigarum, niſi Theophilus Szembeꝛg in illa parte excubans obviaſſet. Duobus milliaribus tunc ſuperatis, poſtquam paucas horas reficiendis equis conceſſerant.

6 Octobr. pergebant ultra, inter denſas Tartarorum catervas, & Turcas circumcirca infeſtos, pilaſque tormentorum, bombardarum, ac imbrem ſagittarum contra illum Caſtrenſem Comitatum jacientes; quin & herbas camporum, ac fœnum, ſtramina obvia quæque exurebant illi, ut pabulum ſubtraherent equis euntium, qui tali defectu maxime laborabant, eoque die propter crebros cum hoſte conflictus nonniſi unius milliaris iter fecerant. Dirigebant autem curſum ad ripam Tyræ fluvii limitem Poloniæ contra Mohilow, quo delati omne periculum evaſiſſent, & perveniſſent eo pauciorum dierum itinere, ſi rectum tenuiſſent; ſed uliginoſa, montoſa, ac ſilveſtria, per obliqua & longiora cum tanta caſtrorum mole declinare fuit neceſſe. Nihilominus jam appropinquarant Mohilowo, ab eoque tantum uno milliari aberant, illo veſpere æternæ rerum cauſæ neceſſitate ad locum funeſti caſus ſui compulſi. Nec ſuppetit alia tanti mali ratio, Caſtra enim eorum conſtabant eodem ordine, quo illam vim hoſtilem tanto tempore ſuſtinuerunt, ac perpeſſi tot rerum diſcrimina, portum ſecurum pene oculis ſuis jam ſpectantes, magis lætitiæ quam formidinis occaſionem habuerant, hoſtiſque feſſus paucis ſpeculatoribus in proximo relictis, à labore ad quietem conceſſerat. Narranda vero eſt omnis eventus illius ſeries, qua & vulgi opinio informabitur.

Zolkievii caſtrorum inceſſum fortuitus tumultus turbat.

Cum defatigi ſub veſperam illius diei parumper circa aquationem ſubſtitiſſent, nocte ingruente iter continuantes, offenderunt aream vicinam cum multis cumulis fœni ac ſegetum congeſtarum, quo plurimis converſis ad tollendum pro equis pabulum, principia caſtrorum progrediebantur, non expectato donec ab illa pabulatione recolligerentur diſperſi, nec dato ſigno (ut oportebat) extremo agmini, ut illud quoque abſque mora incederet, prout adſueverat ire conjunctim. Vnde hæſit ibi extremum agmen avulſum, & confuſio cum trepidatione magna ac fragore horribili, quaſi Tartari adeſſent, & ultimum illud agmen invaſiſſent, exorta in lateribus, ad principia pervaſit, ſtatimque calones à curribus ſolverunt equos ad fugam, ut compages illa caſtrorum duci non poſſet. Alia origo fuit iſtius perturbationis, quod colluvies illa Caſtrenſis lixarum adhuc apud Cicoram ſpoliando Gratiani aliorumque fugitivorum tabernacula, ſimul non paucorum militum, qui tunc erat in excubiis ſupellectili manus injecerat, in quod cum ibi propter periculum majoris diſſenſionis inquiri non poſſet, Duces belli cum ventum fuiſſet ad Tyram fluvium advertere, direptoreſque illos excutere propoſuerant, hocque palam (nimium improvide) etiam illomet veſpere minabatur Dux minor. Illatum ergo tapinarum conſcii comminatum judicium expectare nolentes, Tyram jam propinquum primi tranſire arrepta fuga properarunt. Nec dubium, quod

Zolkievii caſtra diſſipantur.

iſta & ſimilis fæx apud illam aream primum tumultuari incæpit, ſive inſolentia, ſive horrore aliquo, non ab hoſte qui tunc aberat, ſed fortuito commota, & inter tenebras obſcurioris (ut tunc erat) noctis, ac in tanto fremitu, exaudiri non poterant Imperia Ducum, nec valuit ullum conſilium. Tartari etiam moniti de illa confuſione ab excubitoribus ſuis, mox accurrentes, tanto majori terrore omnia permiſcuerunt. Quod autem plures perdiderat, ab initio Duces belli ſtatuerant, ut

Digitized by Google

A.C. 1620.

ut omnes ſtipendiarii quantumvis equites, pedes incederent (Canenſis pugnæ fato, in qua Conſul Romanus deſcendere ſuos ex equis juſſit, & Annibal dixit, quam vellem vinctos mihi traderet) eo quidem fine, ne præſidium fugæ habentes Caſtra defererent; ſed cum jam fugam neceſſitas ſuadebat, agazones & ſervuli equis illati effugerunt, heri vero iſtis deſtituti, cum celeritatem Tartaricam curſu pedeſtri ſuperare non valerent, alii ibidem cæſi perierunt, plures conceſſerunt in captivitatem Tartaricam & Turcæ, paucisque contigit per devia ad Tyram conductis, natando evaſiſſe.

Tartari majorem partem Polonorum ex caſtris Zolkievii in captivitatem abducunt.

Samuel Korecki in ipſo fugæ initio à Tartaris fuit comprehenſus:

Korecki Samuel captus.

Zolkievii juvenes duo debiles ex vulneribus, ac Struſſius, Balaban, cum uno pilento veherentur, ab aurigis una cum equis quibus inſidebant in fugam converſis derelicti, cum illomet pilento ad Tartarorum Galgam fuerunt abducti.

Zolkievii juvenes capti.

Hermanus Dinoff diutius fortiſſime pugnando ne caperetur, acceptis multis vulneribus, ex eis obiit in loco pugnæ. Zolkievius ſenex belli Dux poſtquam valedixerat filio, expiatus ſacra Confeſſione à Sacerdote Simone Carmelita multa nocte obertravit, & die luceſcente unius peditis captivi, forte ſui ad ultimum comitis, indicio fuit inventus medio milliari Moldavico à littore Tyræ, & truncatus capite, quod Skinder Baſſa haſtæ infixum ante ſuum tentorium toto illo die oſtentavit, & poſtea Conſtantinopolim miſit, ubi etiam in loco publico ſuſpenſum multis diebus pependit.

Zolkievius invenitur occiſus in littore Tyra fluvii.

Alii retulerunt ipſum volentem, ne vivus in manus hoſtis veniret, vel ne ſibi ſuperſtiti ab æmulis illa clades exprobraretur, ab uno ex ejuſmet Coſacis Barenſibus fuiſſe occiſum, ſed adverſa vulnera quæ apparebant in manu qua frameam tenuit, ac in capite & pectore, teſtabantur eum occubuiſſe pugnantem, ætatis ſuæ anno 73.

Zolkievii caput defertur Conſtantinopolim.

Minor Præfectus militaris Staniſlaus Koniecpolski, poſt multos conflictus inciderat in manus Moldavorum, à quibus proditus Skinder Baſſæ, Bialogrodumque (ibidem Skinder Baſſa veneno ajunt à Turcis ipſiſmet tantam victoriam ei invidentibus propinato infectus paulo poſt deceſſit) ac inde Conſtantinopolim fuit conductus, ac una cum Samuële Korecki, Luca Zolkiewski, ac Georgio Farensbach, ibi vinctus triennio manſit in Turri nigra.

Koniecpolſcius Dux militea captus Moldavis.

Tartari vero ab illo loco in Provincias Poloniæ, præcipue in Podoliam & Ruſſiam irruptione facta, longe lateque ferro & igne (nemine reſiſtente cum nullæ militares copiæ collectæ haberentur) obvia quæque vaſtarunt, innumera plebe in captivitatem abducta.

Tartari excurrunt in Poloniam.

Et neque hic quievit furor Barbaricus, ſed Turca elatus illa victoria, totius Poloniæ ſubjugandæ ſpe concepta, bellum Polonis in annum proximum denuntiavit.

Turca bellum denunciat Polonis.

Pro quo Rex Sigiſmundus ut tempeſtive vires compararet, Comitia Generalia Verſaviæ Ordinibus Regni ad initium Novembr. indixerat, in eiſque extraordinaria tributa in ſumptus tanti belli fuerunt decreta, & apparatus ingens conquiri juſſus, omnium ſtudiis concordibuſque votis ad avertendum tam præſens excidium Patriæ converſis: licet non defuerint, qui Turcam annuo tributo placandum cenſebant, exemplo Imperatoris Ferdinandi, Maximiliani, Rudolphi, ſummamque tei aliæ belli non eſſe committendam ſuadebant.

Comitia Pol. Varſav. 1620.

Horret autem mens & trepidat manus ad annotandum deteſtabilem audaciam, quæ ſub his Comitiis, pluſquam clades illa Moldavica gentem Polonam afflixit. Hæc enim cum ab initiis ſuis nulla magis virtute floruerit, nullaque laude magis gloriari ſoleret, quam fide erga ſuos Principes incorrupta, tunc inventus eſt unus ſceleratus, qui primus fidem illam gentis violavit, ſi tamen genti imputari poſſit facinus expertis rationis, qui potius inter feras belluas eſſet cenſendus. Michaël Piekárski fuit genere nobilis, ſed à nativitate mente motus ac furioſus: unde Rex, cui hoc incumbit, dederat ipſi curatores ejuſmet cognatos, qui patrimonium ipſius (non vile) gubernarent, ipſumque alerent; & demum ſeria cognitione ſuper

Ff ipſius

A.C. 1620. ipſius amentia inſtituta, judicii publici ſententia fuit declaratum, quod eſſet expers rationis. Hoc igitur veſanus ille injuriam reputans, ſeu quod audiſſet fremitus populi (ut audiebantur paſſim) propter auxilia Auſtriacis miſſa, ac Turcam inde incitatum, in Regis perſona ulciſci propoſuerat à multo tempore, opportunitate rei gerendæ quæſita, & die 15 Novembr. Dominica à poſte templi, quem retro ad hoc latuerat, exiliens in caput ingredientis Templum Regis, clavam mucrone eminente munitam (genus teli uſitatum eſt Polonis *Czekan* vulgariter dictum) ſemel & iterum impegit; unus ictus à capite fefellit, & inter ſcapulas deflectens, leve inflixit vulnus; alter vero maxillæ ſiniſtræ ſupremam cutim abraſit, dicto citius, ut nullus expedientem manus adverterit, illis qui præibant greſſui continuando intentis, & Principe Vladiſlao qui ſubſequebatur, ad colloquentes converſo. Conciderat autem Rex percuſſus in terram, & ſtatim ſublevatus ab Adamo Kalinski, receſſit ad proximum Sacellum, ibique obligata plaga, rediit ad Palatium. Princeps Vladiſlaus ad illum fragorem demum converſus, frameam in ſicarium vibraverat, & prohibito, ne à quoquam (ut multi parabant) feriretur, captum ad quæſtiones reſervari juſſit. Sed neminem nefarius ille ſocium vel conſcium tanti criminis inter acerbiora tormenta nominavit, & nonniſi manias narrabat, magis dolens manus ſuæ errorem. Ac ſub finem Novembr. ſententia Comitiorum damnatus, ſupplicium ſubiit tale. Curru ab Arce ad forum novæ Civitatis vehebatur, & in eundo ignitis forficibus laniatum, deinde manu dextra & digitis articularim præciſis, equis in diverſum incitatis, à pedibus diſtractum carnifex flammis conſumpſit, ejuſque cineres in profluentem Viſtulam abjecit. Bona quoque ipſius fiſco fuerunt applicata, ex quibus Kalinski qui Regem cadentem ſublevarat, unam Villam obtinuit.

Sigiſm. III Rex Pol. à ſicario vulneratur.

Piekarski ſicarius comprehenditur.

Piekarski ſicarius ſupplicio afficitur.

Piekarſcii ſicarii bona fiſco applicantur.

Sub finem Comitiorum officium Cancellarii vacans à morte Zolkievii, delatum fuit Andreæ Lipski Minori Cancellario, in iſtius vero locum Venceſlaus Leſzczynski ſucceſſit. De officio Præfecti armorum generalis quod etiam vacabat, Rex ambiguus exquiſierat ſententiam præcipuorum Senatorum, cuinam ex tribus, nempe num Chriſtophero Zbáráwski, vel Thomæ Zamoyski, ſeu Staniſlao Lubomirski deferendum cenſerent. Sed judicium illud Paridis omnes recuſarunt, nempe ne quem in tam periculoſo Regni ſtatu offenderent, vel magis irritarent, præſertim Zbaraſcium, qui recens in officii Vicecancellarii, & ante in aliorum Magiſtratuum petitione repulſam paſſus, una cum fratre ſuo Georgio Zbárawski, Caſtellano Cracovienſi tunc renunciato, contra regem ex occaſione ſummiſſorum Imperatori auxiliorum, ac exinde Turcici belli exorti, apud Equeſtrem Ordinem concionibus populariter incitatis, graviorem indignationem commovebat. Vnde Rex quoque ne odea ſibi ipſi accerſeret, quæ alii ſubterfugiebant, longiori deliberatione competitorum illorum vota ſuſpenſa retinere maluit. Et non minus remorabatur in tali deliberatione Regem, quod bellum ita difficile Turcicum, Ducem veteranum & expertum requireret: nec alium quam Carolum Chodkiewicz, Palatinum Vilnenſem, Lituaniæ militarem Præfectum, longo armorum uſu & multis præclare partis victoriis probatum, cui Præfectus militiæ Polonicæ, ſi fuiſſet renunciatus, uti gradu major, adminiſtrationem belli illius non permiſiſſet. Affines quoque Staniſlai Coniecpolski minoris Præfecti militaris invigilabant, ut iſti dum ex captivitate Turcica rediret, Magiſtratus ille ſervaretur. Atque ita accumulatis ſuffragiis Chodkievicio ſummum illius belli arbitrium fuit commiſſum.

Leſzcynski renunciatur Vicecancell. Poloniæ.

Chodkievicio Præfectura belli Turcici committitur.

Annus

Annus Chriſti, 1621.

INeunte autem A. C. 1621, tanto majori cura Sigiſmundus Rex illam expeditionem apparari fecit, cum clare appareret nonniſi hoſtilia meditari Turcam, qui nuper Nuncium ſuum Samuëlem Otwinowski pro quibuſdam pactorum Buſſenſium dubiis declarandis miſſum ad eam Vrbem contumelioſius haberi, nec admiſſum ad audientiam vacuum abire juſſerat, & quod intellexerat Turcam intermiſſa jactura Babiloniæ, quam ipſi Perſarum Rex anno proxime elapſo ademerat, pacem cum illo hoſte iniiſſe, & omnes Arabicas, Aſiaticas, ac Europæas militias pœnis ſeverioribus interpoſitis, ut primo Vere ad fines Poloniæ convenirent monuiſſe, ingentemque bellicum apparatum adverſo Danubio ad ripas Moldaviæ comportandum curare. Perſuaſum enim iſte habebat, quod Polonorum viribus (nempe utroque belli Duce cum flore militiæ à Skinder Baſſa deleto) nimium attritis, omnes eas Provincias obtinere poſſet, uſque ad mare Balticum, unde circumiret totam Europam claſſe, Fœderatiſque Germaniæ contra Auſtriacos, uti aſſidue petebant, conjunctus, ab illis partibus longe patenti lateri Germaniæ immineret. Neque latebant illa Chriſtiani nominis hoſtis conſilia, Principes, & populos Chriſtianos, qui propterea Polonorum res perditas eſſe palam conclamabant: ſed forte ut Medici deſperatis morbis nullam medicinam adhibendam cenſent: ſic illi quamvis æque de ipſorum cujuſque ſalute ageretur, nihil prorſus operæ vel auxilii in tam gravi periculo laborantibus Polonis conferre voluerunt. Nec quicquam obtinuerunt Legati ex Polonia tunc miſſi ad omnes Principes Chriſtianos implorando ſubſidia, ne quidem ab Auſtriacis à quibus certiora ſperabantur; ut quorum cauſa præcipue bellum illud conflatum fuiſſet, & quorum commodo gereretur. Angliæ Rex Iacobus VI ſolus Legatum Regium Georgium Oſſolinski cum aliqua ſpe auxiliorum, ſi bellum duraſſet, dimiſerat. Et alter Legatus Petrus Zeronski ab Archiduce Alberto Adminiſtratore Belgii aliquantum apparatum armorum obtinuerat, ab Hollandis nil prorſus.

A.C. 1621. Babiloniam Perſia Rex Turcis accipit.

Turca apparatus bellicus contra Polonos.

Chriſtiani Principes nullum auxilium dant Polonis contra Turcas.

Georgius Oſſolinski in Angliam Legatus mittitur.

Præceſſerat autem hanc expeditionem Ecclipſis Solis ſolito major in eodem A. 1621, 21 Maii hora 1. pomeridiana in ipſo ingreſſu Solis in Geminos, in quo ſigno etiam ♃ gradum primum tenebat, ♄ vero conſiſtebat in 4 gr. Cancri ♀ in 10 gr. Scorpionis.

Et ſub idem tempus terræ motu tremuit Moldavia ac ei contermina Podolia alioquin in iſtis partibus Septemtrionalibus vix aliquando ſentiuntur motus tales.

Et interim Rex Sigiſmundus vana illa de externis auxiliis fiducia ſepoſita, propriis Regni ſui facultatibus, omne inſtrumentum bellicum magna copia conquiri, & validum exercitum conſcribi juſſerat. Sexaginta millia armatorum congregari debebant, in quibus 14. haſtatorum ſeu Vſſatorum equitum millia eſſent, Catafractorum Germanicorum 4 millia, Coſacorum ſtipendiariorum 15 millia, & reliquum agmen conſtaret ex peditatu partim Polonico ac Vngarico, partim Germanico, ſub Ducibus Ioanne Weier Culmenſis Konarſcio Malborienſibus Palatinis; Erneſto Dinoff, Gerardo Dinoff. Verum in tam arcto tempore, tot haſtati colligi non poterant, eo quod Nobiles plurimi mereri non poſſent, publica illorum Comitiorum lege impenſis propriis viritim ſinguli Patresfamilias unà cum Rege, ſi major vis hoſtis ingrueret, ad idem bellum venire obligati. Multi tamen Proceres tam ex Polonia quam ex Lituania numeroſas militum turmas propriis ſtipendiis conductas miſerant, alii adduxerant ipſimet ad Caſtra præſertim Duces de Oſtrog, Wiśniowiecz, Czartoriæ, Radziwil, Sapieha Mariſal. Lituaniæ,

Sigiſm. III Regis Pol. apparatus ad bellum Turcicum.

A.C. 1621. Petrus Opalinski Poſnanienſis, Raphael Leſzczynski Belzenſis Palatini, Volucius Epiſcopi Vladiſlavienſis frater.

Peditatum Germanicum non permiſit Imperator collegi in ſuis ditionibus ob tumultus Boëmicos, nec dum bene tunc ſopitos, unde nonniſi decem circiter millia peditum ex Poloniæ Provinciis Germanici idiomatis,ut ex Pruſſia, Pomerania, Livonia habebantur conſcripta. Et in univerſum copiarum illarum numerus, ad 35 millia armatorum fuit reductus, Coſacis Zaporovianis prope 30 mille exceptis. Iſtum itaque exercitum Carolus Chodkiewicz militaris Præfectus Lithuaniæ, & illius belli Dux Supremus, ſub initium menſis Auguſti congregavit, & occupata Tyræ fluvii ripa ditionis Moldavicæ, apud Arcem Chocim (quo jam Staniſlaus Lubomirski Pincerna Regni, cum ſuis Legionibus maturius præceſſerat, & commeatum præpararat ſibi copioſum, qui poſtea univerſis profuit) caſtra poſuit, ipſa quoque Arce in poteſtatem ſuam accepta, tali conſilio, ut intra vallum & foſſam ſecurus conſiſtens, nonniſi nacta commoditate certus de victoria confligeret, vel hoſtem longiori munitorum caſtrorum oppugnatione debilitatum cogeret ad æquiores pacis tractatus. Quod non infeliciter ſucceſſiſſe monſtrabit ſubſequens rei geſtæ ſeries talis: A die 15 Auguſti ſtationibus ſumendis diſponendiſque exercitus vacavit, 26 Auguſti Delegati à Repub. ad conſilia iſtius belli Staniſlaus Zorawinski Caſtellanus Belzenſis & Iacobus Sobieski iverunt obviam Principi Vladiſlao, ut iter acceleraret, & venerat iſte paulo poſt ad caſtra cum 16 millibus armatorum ſelectiorum, 30 Auguſti Præcurſores Tartarorum congreſſi cum cohorte levioris armaturæ Piotrovii excubias ab ea parte tunc tenentis, eam in fugam compulerunt, & eodem impetu cœlo nimium nebuloſo delati ad ſtationem Coſacorum Liſſovianorum, poſt levem conflictum cum altera turma Coſacorum, qui turbatis inopinato caſu Liſſovianis auxiliaturi ex Caſtris accurrerant, tribus vivis ex iſtis interceptis, & aliquot ex ſuis amiſſis receſſerunt. Primumque illud indicium fuit adventantis hoſtis, quem Dux Chodkievicius eo die ſua Caſtra prope acceſſurum arbitratus, exercitum totum in campo proximo inſtruxerat, locaque inſidiis opportuna munierat.

Chodkievicius ducit exercitum in Moldaviam contra Turcas.

Lubomirski prait in Moldaviam.

Vladiſlaus Princeps venit ad Caſtra ſub Chocimum.

Vltima Auguſti Legio una Coſacorum Zaporovianorum veniens, totum reliquum eorundem Coſacorum exercitum inter crebros cum hoſte conflictus ſubſequi nunciavit. Apud Soroka enim tranſmiſſo Tyra per ditiones Moldavicas iter inſtituerant,& in medio ſuo curſu incidentes in Turcas, per media eorum agmina ægre evaſerunt ad Caſtra Polonica 1 Septembris. Inſequenti die dum ipſemet Chodkievicius Coſacos illos Zaporovios luſtrat, ac in ſtationibus diſponit, nuntium accepit ab excubitoribus ſuis, Turcicas excubias jam apparere, & Turcicum robur in proximo adeſſe: ſtatimque copiis omnibus ex Caſtris prodire juſſis, aciem inſtruxit, & à lateribus campi prælio committendo idonei inter virgulta præſidiis diſpoſitis, ipſe cum Legione ſua Prætoria frontem aciei tenens, hoſtem expectavit, quem non multo poſt ſub horam meridianam advenientem excurſionibus Coſacorum ad pugnam elicere, & in inſidias inter virgulta collocatas trahere dum conatur, ille conſpicato artificio prælium detrectavit, ſed producta ſua tormenta contra inſidiarum propugnacula direxit, aliiſque contra Prætoriam Chodkievicii phalangem explodendis vacavit, ac levioribus dimicationibus cum excurrentibus Coſacis aliquot horis certavit.

Coſaci veniunt ad caſtra Chocimum.

Turca veniunt in conſpectum Polonorum.

Tartari cum Cantimir Murſa dextrum aciei Polonicæ cornu invadere voluerant, ſed & iſti ab illis præſidiis inter virgulta latentibus intercluſi, nil præſtiterunt præter levia certamina cum procurrentibus manipulis Coſacorum ad veſperam æquali Marte continuata. Duos Turcas tunc Chodkievicius ceperat, ex quibus primum reſcivit ipſummet Oſmanum Turcarum Imperatorem adveniſſe, & in

Oſman Turcarum Imperator ipſemet venit ad bellum contra Polonos.

A.C. 1621.

Turcici exercitus numerus.

& in exercitu ſuo 300 millia equitum & duodecim millia Ianizerorum habere, præter Tartaros 80 mille cum Zaimbegerei Chamo, ſeu Regulo ipſorum.

Turca caſtra ſua locant prope ſtationem Polonorum.

3 Septembr. primo diluculo Turcæ illum montem in quo pridie cum Coſacis velitabantur occuparunt, ibidemque diſpoſito ingenti apparatu Caſtrenſi, & fixis tentoriis (ſuperbo opere ac auratis pleraque faſtigiis fulgentia, præferebant proſpectui ſpeciem tot Palatiorum Regalium, luxuſque Aſiatici) per immenſa camporum adiacentium ſpatia ſua ſtativa dilatarunt. Nec multum morati, cum Chodkievicius eo die explorando ipſorum conſilia, aciem ſuam inſtructam contineret, remotiora ab ejus ſtatione Caſtra Coſacorum Zaporenſium tunc necdum bene munita adductis tormentis, & Ianicerorum robore, ſumma vi oppugnarunt; fortius tamen rem gerente Petro Saidacino Duce eorum experto primus ille ferocior impetus ſuſtinebatur, donec accurrentes in auxilium laborantibus pedites Germani & Vngari, cum magna ſtrage oppugnatores inde repulerunt, demumque emiſſus à Chodkievicio levioris armaturæ equitatus, illis longius propulſis inſiſtens, acerrima excitata pugna ad occaſum ſolis protracta, agmina illa barbarorum in fugam vertit, cæſis plurimis, inter quos occubuit & Baſſa Siliſtriæ bellator veteranus, ex Polonis Nobiles ſoli Zaviſſa & Iedreowski perierunt, ac Tartarorum Lithuanicorum (iſti quoque licet Machometani contra Machometanos ſtrenue pugnarunt) ductores Bohodan, & Czárowic, gregarii aliquot, vulnerati plures, & equi jaculis bombardarum non pauci læſi. Captivi referebant Turcarum Imperatorem eo die cibum ſumere noluiſſe, niſi prius illa Coſacorum Caſtra cepiſſet.

Turca caſtra Coſacorum oppugnantes rejiciuntur.

Turca caſtra Polonica oppugnantes rejiciuntur.

4 Septembr. Turcæ majori vi Caſtra Polona, quæ tum primum partim vineis, partim currubus junctis tumultuaria opera muniebantur, oppugnarunt, & ab excubante legione Petri Opalinski Caſtellani Poſnaniæ (uno ex cohorte Grimultovii equite cæſo) compulſi verſus portam Lubomirſcii, denſis tormentorum jaculis inde rejecti, ad aliam Caſtrorum partem debiliorem impetu facto, inde quoque ab erumpentibus pedes equitibus & ab accurrente Nicolai Kochanovii, ac Ioannis Veiher peditatu multis ex ſuis deſideratis receſſerunt. Ac à meridie cum convertiſſent omnes ſuas vires contra ſtationem Zaporoviorum melius præcedente nocte munitam, defenſores ſumptis animis & pugnandi modo ex pridiana pugna, permiſſoque ut proprius vallum accederent, maximam ſtragem in eis irruentibus ediderunt, & etiam eruptione facta cædibus permiſcuerunt fugientes. Iſtis nil territi Turcæ, altero die conductis 13 grandioribus tormentis, eandem ſtationem iterata irruptione vehementius oppugnarunt, ſed poſtquam illa tormenta horrendum (ſolus Vaſil nomine, centurio fuit occiſus, equi plurimi) per duas horas detonarunt, excurrentes Coſaci una cum ſummiſſo equitatu Ruſinovii & aliquot Cathaphractis cohortibus, prælio acri inito, eos profligarunt, occuparunt tormenta (ſubduci non poterant tam cito) fugienteſque inſequuti, invaſerunt eorum Caſtra tota tunc trepidantia, niſi turbis peditum & calonum ad prædas abducendas converſis, ſpatium recolligendi ſpiritus habuiſſent.

Chodkievicius ad prælium Turcas elicere non potuit.

Turca invadunt ſtationem peditum.

Poſtridie vero Turcæ crebrò excurrentes proxime Caſtra Polonica ſpeculabantur, qua ea facilius poſſent invadere, & à transfugis Vngaris edocti, quod ſtationes peditatus præ Caſtris illis prope portam Lubomirſcii tum campi Ducis necdum eſſent perfecte munitæ, & aggeres haberent humiliores, ut parvo negotio ſuperari poſſent, primo mane 7 Septembr. tentata oppugnatione ſtationis Coſacorum, Lermani, ac Dinofii, inde rejecti, conductis ſub meridiem tormentis contra illas ſtationes denſa jacula emittebant, eorumque vi turbatis excubiis equitum Sieniavii & Gliniecii, & uſque ad vallum Caſtrorum per frutetum proximum recedere inde coactis, toto impetu irruerunt in ſtationem peditum Zydczovii

 & Slad-

A.C.1621.

Vaiher dadem dat Turcis.

Chodkievicius committit prælium cum Turcis.

Turci victi.

& Sladkovii, cæſiſque prope centum ex eis, & uno vexillo ablato, (cæſorum capita abſciſſa deferebant ad ſuum Imperatorem, acſi inſigniorum Polonorum eſſent) procurrebant ad vallum caſtrorum, donec ab excurrentibus Vſſaris fuerunt repreſſi, & non pauci deprehenſi in fuga inter fruticeta cæſi. Elati tamen tali ſucceſſu, à meridie iterum prodierant ad aliam partem caſtrorum verſus Fanum Græcorum muro extructum, ut eo cuſtodias equitum ſtationes peditatus obſervantium averterent, & rejecti ibi cum clade à ſtatione Veiheti Palatini Culmenſis repente contra illas ſtationes peditatus infirmiores converſi, plures numeroſioreſque quam unquam (erant ad minus 40 millia) equitum peditumque phalanges admoverunt; cumque jam ſtrictis enſibus ſublato magno clamore ad aſſiliendum procurrerent, Chodkievicius Dux periculum conſpicatus, per portam Lithuanicam ſigna haſtatorum (proprium unum, alterum Boguſlai Zieniewicx Caſtellani Polocenſis Rudominii tertium, & quartum Nicolai Sieniáwski Inciſoris Regni excubias tunc agens) quæ erant in promptu, aliis interim colligi juſſis, celerius eduxit, ac ipſemet præcurrens in latus hoſtile dextrum, ubi potiſſimum erat robur, irrumpere fecit: quibus poſtquam haſtis in ſternendis ſtrenue obviis quibuſque contriverant, manu conſerta fortiter inter ingentes fremitus fragoreſque armorum dimicantibus, dum monitus à Chodkievicio, Lubomirſcius Campi Dux ſummittendam in auxilium ſuam equitum alam inſtrueret tardius, ipſi hoſte jam ad remotiora confuſis manipulis dilabente, revertebantur ex acie Ordinibus ſervatis, ſatis præſtitiſſe viſi, quod tam parva manu impetum illum ſelectioris roboris hoſtilis rejecerunt. Ceciderunt ex Turcis in illius diei conflictibus ultro 5 millia, & inter eos Vſaim Baſſa ſeu alius eorum Dux primarius cum plurimis inſignioribus, ut quorum cadavera inſequenti nocte diligentius cum facibus accenſis viſebantur Turcæ requirere in loco prælii & inter proxima fruteta oppleta cæſorum acervis. Ex Polonis nonniſi 20 ſunt deſiderati, ſaucii plures, & Caſtellanus Polocenſis ex vulneribus tunc acceptis poſt triduum obierat. Signifer Chodkievicii Iankowski, cum effrenatum equum in receptu flectere non valeret, inter turmas hoſtium delatus, cæſuſne fuerit an vivus captus, ſciri non potuit, ſed ſignum quod ferebat interceptum Turcæ in ſubſequentibus congreſſibus oſtentarunt; hocque maxime afflixit Chodkievicium, quaſi fatalem victoriarum & fortitudinis ipſius terminum mox adſuturum fuiſſe præſignificaſſet.

Numerus cæſorum.

Zieniewicx ex vulneribus moritur.

Chodkievicii ſignum perditum.

Polonorum irruptionem in caſtra Turcica pluvia impedit.

Turca admonentur de conſiliis Pol. per Vngaros transfugas.

8. Septemb. quieti utrinque data, 9 ejuſdem & 10 Chodkievicius cum inſtructa acie in loco prælii antecedentis expectavit, & cum præter pauca ſingularium hinc inde excurrentium certamina, Turcæ in campum apertum prodire detrectarent, ille conſilio militari facto, eorum Caſtra 11 Septemb. adoriri decrevit. Ad quod poſt ſecundam vigiliam noctis inſequentis, totus exercitus ordinatus ex ſuis ſtationibus longe proceſſerat, & jam præmiſſæ Coſacorum Zaporoviorum ac peditatus Polonici & Germanici turmæ, Caſtra illa hoſtilia attigerant ſecura nimium ſine ullis munitionibus vel excubiis, & plane tali dolo opportuna, ſed repente pluvia tempeſtate exorta, qua uſus bombardarum adimeretur, Coſaci illius operis anteſignani ſiniſtre inde ominantes (gens ſuperſtitioſa in captandis auſpiciis) receptum ſuaſerunt rebus infectis. Turcæ vero à transfugis duobus Vngaris ex cohorte Mosćinski de illo periculo poſtridie primum admoniti, poſt hæc cautiores, excubias diligentiores habebant.

Baptiſta Vevelli à Turca invitat ad tractatum pacis Polonos.

13 & 14 Septemb. Baptiſta Vevelli (Cretenſis fuit, & jam ante venerat ad Caſtra cum Theophilo Szemberg, reverſo à Veſiro ad quem fuerat miſſus, ut exploraret hoſtis conſilia) nomine Palatini Moldaviæ Raduſii, ſeu potius à Veſiro ſubordinatus veniens ad Caſtra ſolicitavit, ut mitteretur aliquis ad Caſtra Turcica

pro

A.C. 1621.

pro tractanda pace, ac deſtinatus eo fuit Iacobus Zelenski vir uſu rerum præſtans, & tanto par oneri: nihil tamen temiſerunt interim Turcæ de ſtudio promovendi & belli, & juncto ponte Tyta fluvio, ad adverſam ripam ditionis Polonæ partem exercitus trajecerunt, ut inde quoque Polonica Caſtra oppugnarent, pabulationeque prohiberent.

Zelenski mittitur ad caſtra Turcica pro tractanda pace.

15 vero Septembris cum recentes copias Kárákás Baſſa Budenſis ad Turcica caſtra adduxiſſet, & ipſe in re militari probatus non ita difficilem expugnationem caſtrorum Polonicorum aſſeveraret, eam commiſerat ipſi Turca. Ab hora itaque pomeridiana deſcenderat acies Turcica in campum intermedium, & Kárákás Baſſa per ſaltus virgultis conſitos à transfugis Vngaris conductus, qua minime ſperabatur, prætervectus ſtationem Ioannis Veiheri Palatini Culmenſis ad latus Caſtrorum à porta Polonica protenſum aggere exili cinctum cum Ianizeris peditibus & equitatu expeditiore pervenit, indeque magna vi tejicere defenſores contendebat: & cum iſti in ſuſtinenda tanta hoſtium multitudine laborarent, nec jam jaciendis telis jaculiſque ſufficerent, per illam eandem portam equitatus relictis equis pedes excurrens, & alii ab aggere ſaltu delapſi, oppugnatores invaſerunt: peditatus quoque Veiheri Germanicus ab incauto hoſte tranſeunte ad manum dextram neglectus, in ejus latus bombardarum pilas direxit, & Coſaci qui ibi prope in paſcuis equorum excubabant, accurrerunt ad tergum ipſius. Atque ita concitato à pluribus partibus acerrimo prælio, Turcæ cum multa ſua ſtrage fuerunt rejecti, & accepto cadavere Kárákás Baſſæ in eodem conflictu cum fortioribus quibuſque cæſi, fuga evaſerunt ad aciem ſuam, quæ immota in ſuo ab initio tunc capto loco ſteterat, nec aliud ſubſidium dederat ſuis pugnantibus, præter quod eos fugientes recepit.

Turcæ oppugnantes caſtra Polonica accipiunt cladem.

Karakas Baſſa caſus.

Poloni quoque ne cum illa acie viribus integra fatigati congrederentur, ab inſequendo abſtinuerunt: inde per aliquot ſubſequentes dies, hoſtis nil tentavit. Sed Polonos magis affligebat quod nullum commeatum à foris recipiebant, cum Tartari longe lateque vicinas Regiones Poloniæ excurſionibus infeſtas, & Camenecium, vicinaque oppida, ex quibus neceſſaria ad caſtra ſuppeditari debuerant, quaſi obſeſſa tenerent. Vnde nonniſi à peditibus per ſylveſtria & montana devia à Camenecio & Oppido Czarnokozienice panes ac eſculenta pauca ad caſtra adferebantur: & nonnunquam Coſaci Zaporoviani excurrebant pabulatum. Potus vero cum nullus adduci poſſet, milites adſueti cereviſiæ, vel vino, cum aquam ſolam bibere cogerentur, diſſenteriæ morbo inde concepto multi, præſertim Germani interibant. Immò alii quoque commodiores, forte ex intemperie aëris inſoliti (ut eſt ille Moldavicus longe diverſus à Polonico) varios morbos plurimi contrahebant, & Princeps Vladiſlaus ſtatim à ſuo in Caſtra adventu valetudinem amiſit, totoque eo tempore decubuit, nec aciem Turcæ vidit, ac ex ejus Comitatu per vices continuo multi ægrotarunt. Et demum etiam Chodkiewicz Dux belli illius, ſive mœrore animi quod tyrones veteranus monitores haberet, ſive labore fractus (erat ſexagenarius) graviorem infirmitatem contraxit, cum qua deductus ad Arcem Chocim, ibidem 24 Septembris deceſſit, vir magnanimus, & vera Martis ſoboles, quo nullus Imperator militaris fortius unquam pugnavit, nullus auſterius ſervavit diſciplinam militarem. Eo defuncto munus Præfecti militaris ſubivit Staniſlaus Lubomirski Pincerna Regni, qui etiam illo vivente in parte exercitus Polonica denominata, fungebatur munere Ducis Campi: ſed multi milites adſeceſſionem nimium propendebant mortuo Chodkievicio, præſertim Lithuanicæ cohortes, ac Coſaci Zaporoviani, niſi eos retinuiſſet liberalitas ſolertiaque Lubomirſcii, & Principis Vladiſlai authoritas, permiſſa cura turmarum Lithuanicarum Alexandro Sapiha Præfecto Orſenſi. Et ut reliquas Caſtrorum

Polonica caſtra commeatu deſtituuntur.

Polonicis in caſtris morbi exoriuntur.

Vladiſlaus Princeps in caſtris morbo decumbit.

Chodkievicius Dux belli Chocimi moritur.

A.C.1621. illorum ærumnas recenſeamus, præter annonæ defectum, ad ſummam penuriam inſtrumenti bellici fuerant reducta: plumbum pro formandis pilis ac glandibus bombardarum deerat, & pulvis nitratus defecerat, magis miniſtrorum publici ærarii incuria, qui ut lucra inde quærerent, pulveres illos corruptos humiditate, nulliuſque uſui magno pretio coëmerant (Nicolaus Daniclowicz officium Præfecti ærarii tunc gerebat, vir magnus & providi conſilii, ſed indulgentior in miniſtros ſuos.) Quod autem maxime ſucciderat nervum roboris Caſtrenſis, deventum ibi fuerat ad extremam inopiam pabuli equorum, qui propterea innumeri quotidie interibant, eorumque cadavera totis caſtris jacentia, (poterant facile omnes ſordes in Tyram præterlabentem dejici, & caſtra munda ſervari) horribili fœtore omnia replebant, & pene aërem infecerant, ex quo contagioſus equis morbus exortus, per totam tunc ſerpſit Poloniam. Deliberatione itaque inſtituta, varia remedia proponebantur; ac non pauci ſuadebant diſceſſum, relictis Coſacis & peditibus ad cuſtodiam caſtrorum; alii volebant, ut ſaltem Princeps Vladiſlaus cum primariis viris abiret, priuſquam majore neceſſitate concluderetur. Sed utraque iſta ſententia exploſa, poſt tot partas de hoſte victorias, eadem fortitudine perſeverandum in Caſtris ex ſententia Lubomirſcii Princeps Vladiſlaus decrevit. Interim etiam redierat Iacobus Zelenski ex Caſtis Turcarum, qui mitti quidem ad ſe Legatos cum plena ad tractandam pacem poteſtate volebant, omnem tamen curam eo converterant, ut armis decernerent, vel priuſquam pax concluderetur ignominiam in præteritis conflictibus acceptam, glorioſo aliquo ſucceſſu delerent. Vnde 25 Septembris inſtructis ſuis turmis oppugnationem iterum inſtituerunt ad latus Caſtrorum inter portam Lithuanicam & Polonicam medium: ubi ab excurrentibus Coſacis Zaporovianis impulſi in propugnaculum Szembergi quod ignorabant recens ibi ex ceſpitibus fuiſſe congeſtum, denſis ex tormentorum bombardarumque emiſſis jaculis percuſſi plurimi perierunt, & reliqui retrocedere ſunt coacti. Et inſequenti die tormentis grandioribus binis ad ripam Tyræ Polonicis Caſtris oppoſitam traductis, contra tabernacula Principis Vladiſlai fulminarunt: ubi nonniſi unus ex Germanis excubitoribus fuit occiſus. Inde etiam exploſis tormentis aliis minoribus ſtationem Coſacorum Liſſovianorum uſque ad veſperam oppugnarunt, nullo iſtorum damno. Ipſe vero Oſman Imperator Turcarum tranſierat Tyram cum potiori equitatus ſui parte & Ianizeris, ut aliquam Arcem vicinam interciperet, & vel ita expeditioni illi ſuæ nomen aliquod compararet. Et pervenerat Cameneciam uſque, eamque à monte vicino proſpectans, cum munitiorem quam ſperarat videret, & unus ex adſtantibus interroganti à quo fuiſſet munita; à Deo munitam (loci natura mirabili) dixiſſet, reſpondiſſe fertur: itaque Deus eam ipſe expugnet, exuſtoque in eo monte Fano Armenorum ligneo, inde converſus, Caſtrum Paniowce tormentis quati & oppugnati juſſit: ſed ibi quoque uno & altero Magiſtro tormentorum ab illa arce pila bombardæ percuſſo, cum alii præſto non adeſſent, qui ſcirent illam artem, re infecta receſſit. Nec aliud experimentum fortunæ ſuæ (ne quidem contra arcem Zwánec in adverſa Chocimi arci ripa ſitam, qua capta arctius Caſtra Polonica concluſiſſet) ſumere voluit, veritus (ut ajebat) ſuorum militum ignaviam, quam ipſis aſſidue exprobrabat, & exinde odia ſibi apud Ianizeros conciliarat. Tartaris autem propoſuerat 50 aureos nummos in ſingula capita Coſacorum quos adducerent; & pene quotidie in reſecandis magno numero agricolarum, ſub nomine Coſacorum interceptorum cervicibus ſpectaculum capiebat. (bis mille fuiſſe dicuntur illi miſeri in ipſius conſpectu jugulati) Interim nil remittebatur utrinque ex fervore bellico, ſed Turcæ ut illam Coſacorum Liſſoviorum ſtationem expugnarent, iterum ad omnes Polonicorum Caſtrorum

Equorum peſtis à caſtris Chocimenſibus profecta.

Turcæ iterum oppugnant caſtra Polon. & cæduntur.

Turcæ ab adverſa ripa Tyræ caſtra Polon. oppugnant.

Oſman Turcarum Imper. Cameneciam à Deo fuiſſe munitam audiens, dicit à Deo eſſe expugnandam.

Oſman Turcarum Imper. oppugnat Paniowce & rejicitur.

Oſmani Imp. Turcarum ſævitia in occidendis aggreſſibus.

ſtrorum partes, diſtributus ſuis Equitum, Ianicerorum, Tartarorumque turmis, ad adverſam Tyræ fluvii ripam conductis majori numero grandioribus tormentis, contra latus fluvio illi proximum, & in illam ſtationem Coſacorum Liſſoviorum, ingentem vim jaculorum ultra duas horas continuato impetu explodebant: ac à continenti Ianiceri ſelectioreſque Equites, deſcendentes ex equis, in eandem ſtationem, adjuti foſſis à Zaporoviis relictis (nuper à ripa fluvii receſſerant propius Caſtra majora) nec bene demolitis, irruptionem fecerunt, magnaque pertinacia eam oppugnarunt, ex oppoſita ripa tormentis tonantibus, ac Tartaris quaſi tranaturi ſimulque irrupturi eſſent, cum horribili clamore ei loco imminentibus. Iamque illi inter cruentam cum tanta multitudine oppugnatorum luctam periclitari cœperant, cum accurrentes pedites Bobovii, Almadii, Kochanovii, & cuſtodiæ Vladiſlai Principis pugnam inſtaurarunt, & deinde excurrentes tam ipſi Liſovii, quam Zaporovii & alii plurimi ex Caſtris majoribus Equites, non ſolum ſtipendiarii, ſed & voluntarii Nobiles, quibus præibat Georgius Rzecicki Præfectus Vredoviæ, poſt diuturnum difficileque certamen, adjuti maxime è propugnaculo à Szembergo in vertice vicinioris collis opportune erecto, bombardiſque majoribus, & præſidio fortiorum militum munito, unde in hoſtes jacula denſiora emittebantur, cuneos illos Turcicos plurimis cæſis in fugam coëgerunt. Partem quoque Caſtrorum eorundem verſus oppidum Chocim protenſam, aliæ phalanges Turcicæ ſimul oppugnarunt, ſed & iſtæ fortius à defenſoribus ibi diſpoſitis exceptæ, ad extremum fuga ad rubeta proxima, amiſſis non paucis ex ſuis evaſerunt: Et ex equitatu hoſtili undique tunc in auxilium ſuis excurrente, (cum collatis ſignis certare detrectaret) in velitationibus ad veſperum protractis plurimi ſunt cæſi, ex Polonis paucis deſideratis, pluribus ſauciis, inter quos Copazovius & Lermont præcipui. Et apud Chocimum quidem hæc agebantur: In Polonia autem Rex Sigiſmundus anxius de Filio Vladiſlao Principe, & de toto illo exercitu, ne longiori obſidione fractus tandem ſuccumberet, expeditionem Nobilium Regni publicam maturari juſſit, cum qua ipſemet quoque contra hoſtem illum iret. Ad menſem Iulium decreto Comitiorum anteactorum expeditio illa indicta fuerat: ſed cum alia Comitia breviora præcedere debuerint, in quibus ordo & modus illam expeditionem exequendi præſcriberetur; iſta tardius, nempe cum jam de adventu ipſiuſmet Turcæ, de quo plurimi eouſque addubitarant, conſtaret, menſe Auguſto Varſaviæ ſunt habita. Non intempeſtive tamen illis ſtatim finitis Rex moviſſet: ſed perſuaſus à primariis Senatoribus, ut priuſquam abiret, inauguraret novum Ducem Pruſſiæ Georgium Guilhelmum Electorem Brandeburgenſem, poſt ejus Patrem Ioannem Sigiſmundum paulo ante defunctum, (ſperaverat Rex ab Electore magna pro illo bello ſubſidia, ſed exigua obtinuit) aliam motam fecit, & demum 18 Septembris peracto ritu illo, receptoque ab Electore ſolenni fidelitatis jurejurando 24 Septembris Varſavia diſceſſit. Lente etiam propter tarda venientium ex Palat. ſuis nobilium molimina progrediebatur, & medio demum menſe Octobris Leopolim appropinquantem, nova conſilia exceperunt allato Nuncio de rerum ad Chocimum in Caſtris ſtatu. Ibi enim cum in dies attenuarentur vires exercitus, cibariorum (ſemel paucaque advexerat Nicolaus Kozakowski Præfectus Viſnæ Camenecia inter ſævos cum Tartaris inſidentibus illud inter conflictus) & apparatus bellici, maximeque pulveris nitrati, & equorum defectu, Conſiliarii ex Comitiis Regni ad illud bellum deſtinati, tractatum pacis quem Turcæ remiſſo cum tali reſponſo Iacobo Zelenski ſummopere deſiderabant, non intermittendum cenſuerunt. Redierat etiam interim Vevellius cum literis (obſides dari indignum ducebant Turcæ majeſtate Oſmani præſentis, ac ſi dubia haberetur ejus fides) à Dilaver

Veſiro

A.C. 1621.

Sigiſm. III Rex Pol. expeditionem facit contra Turcam.

Comitia Pol. Varſaviæ 1621.

Elector Brandeburgicus inauguratur Dux Pruſſiæ.

A.C. 1621. Veſiro recens in locum Vſaimi ob rem eouſque infeliciter in illo bello geſtam amoti ſuffecto datis, pro ſecuro tranſitu Legatorum ad peragendos tractatus. Ac in fine Septembris expediti Staniſlaus Zorawinski Caſtellanus Belzenſis & Iacobus Sobieski ad caſtra Turcica (expedierat tractaſſe in loco liberiori) tranſierunt. Nec tamen faciles pacis conditiones proponebant; immo audacius ſpernebant minas, ac rejecerunt contemptim mentionem Dilaverii Veſiri de tributo annuo Conſtantinopolim mittendo, & de tradendis ad pœnas anteſignanis Coſacis, pro damno illato ditionibus Ottomanicis: magiſque trahebant tempus, donec ex Polonia aliquo commeatu, & novis copiis ſublevarentur. Vnde Turcæ ad vim converſi, tanto vehementius oppugnationi Caſtrorum Polonicorum inſtabant, & die 4 Octobris aucto numero tormentorum (erant ſexaginta grandiora) ab adverſa Tyræ ripa, iterum contra ſtationem Liſoviorum fulminarunt. 6. vero Octobris & à flumine & à continenti, majori quam unquam contentione eam aggreſſi, non paucos ceciderunt pilis maxime bombardarum Ianiceratum, præſertim ex iis qui in auxilium, per declive ex Caſtris majoribus, (in editiore paulo ſtabant iſta loco) & à Zapotovianis eo deſcendebant: verum poſt longum conflictum graviori accepta jactura, in fugam conceſſerunt, & etiam nocte ſubſequenti Zaporoviani in eorum ſtationem circa Tyram poſitam excurrentes plurimos ex illis necarunt, tentoria eorum diripuerunt, ſpoliis opimis inde ablatis, & Vſaim exautorato Veſiro, qui illi tunc exercitus parti præerat ſpoliato, fugaque cum non agnoſceretur elapſo. 7 Octobris tormentis tantum illis ſuis contra Caſtra Polonica explodendis vacarunt, citra ullum eorum damnum, nec prodierunt in aciem ut cominus pugnarunt. 8 vero Octobris Præfectus exercitus Staniſlaus Lubomirski eduxerat ſigna aliquot equitum per portam Lithuanicam, ut tormenta majora 7. quæ Turcæ contra ſtationem Germanorum & Coſacorum Zaporovianorum direxerant interciperet: & cum illi maturius ſeſe inde una cum tormentis ſubduxiſſent, ad portam Polonicam contra quam illi acie inſtructa ſtantes, ad velitationes manipulatim excurrebant, tranſivit; eos tamen ad pugnam elicere non potuit: in illis velitationibus excelluit fortitudo Simonis Kopyćinski, & Vicarius cohortis Pruſinovii Kriniecki perierat pilo Arabico trajectus. Hæcque fiebant inter tractatus, in quibus Delegati illi in caſtris Turcicis commorantes, cum neque de Rege adveniente quicquam audirent, nec auxilia ulla ſperarent, & magis quod vererentur ne bellum tam ſumptuoſum in plures annos duraret cum evidenti exitio Reipub. vix inchoato bello fatigatæ. 9 Octobris. (eouſque illi hæſerunt in caſtris Turcicis, nec redire permittebantur ad propria, niſi finito tractatu) concluſerunt pacem conditionibus pactorum antiquorum, præſertim (nunquam potuit corrigi error pactionis Zolkievii ad Buſſam cum Skinder Baſſa de labefactato Polonorum jure dominatus in Moldaviam) Buſſenſium: præter quod additæ fuerant nunnullæ cautiones de finibus limitibuſque utrinque non extendendis, ac contra pyratas Coſacos, & excurſiones Tartarorum, utque Legatus Polonus Conſtantinopolim mitteretur, & poſtea Nuncius ibi reſideret, ac ejus loco interim Staniſlaus Suleſevius ibat. Paulo ante autem Iacobus Sobieski, relicto apud Turcas Caſtello Belzenſi, venerat ad ſua caſtra, ut illa tranſacta conferret cum aliis Conſiliariis: & ipſo iterum ad Turcas proximo mane reverſo, tandem 9 Octobris pax coaluit, & mox in utriſque Caſtris fuit publicata, dieque altero Turcæ relicto Polonis integro ponte in fluvio Tyra conſtructo, primi (Lubomirſcius fortius reſtitit ne Poloni moverent Caſtra niſi Turcæ abiiſſent) abierunt. Compertum autem fuit à tempore congreſſus cum Polonis ex eis & ferro & morbis 60 millia periiſſe, & in reditu multo plures, cum mox ſolutis caſtris, imbribus & nivibus ſæviente Autumno, plurimi

Iacobus Sobieski cum Zorawinski eunt ad caſtra Turcica pro tractanda pace.

Turcæ caſtra Polonorum denuò oppugnant & cum ſua clade rejiciuntur.

Coſaci in caſtra Turcica noctu irruunt.

Pax cum Turcis concluditur apud Chocimum.

Turcæ primi ſolutis caſtris abierunt à Chocimo.

A.C. 1621.

Turcarum cæſorum apud Chocimum numerus.

plurimi in itinere afflicti, & amiſſis equis, pedibus per limoſa longo intervallo loca incedentes ad ſummam miſeriam reducti interierint, nec plures quam tertia pars Conſtantinopolim ſunt reverſi. Poloni 4 demum die poſt diſceſſum Turcarum, litori Moldavico reddita arce Chocim Palatino Moldaviæ valedixerunt, & ipſi numero nimium diminuti, adverſa valetudine plurimis, ferro vix 400 extinctis, aliis variè dilapſis, equorum innumera multitudo corruerat. Atque tali belli illius exitu per Andream Szołdrski Præpoſitum Gneſnenſem tunc Procancellarium Principis Vladiſlai, cum hoc ex caſtris miſſum, intellecto Rex Sigiſmundus, licet offenſorium animum præferret, quod ſe non expectato nec conſulto cum hoſte tranſactum fuiſſet, corrigi tamen cum amplius non poſſet, habito Leopoli Senatu qui aderat frequens, reditum Equeſtri Ordini denunciari fecit. Conveniret autem adnotare hic rationes iſtius expeditionis Nobilium cum Rege, ſed conſtare non poterant, cum nonniſi Cracovienſis, Sendomirienſis, Siradiæ, Maſoviæ, Lublinenſis, ac Ruſſici Palatinus, iique confuſis tunc adhuc ordinibus comparuiſſent. Palatinatus majoris Poloniæ adhuc circa Viſtulam hærebant: Pruſſici non venerant, Lithuanici vero manſerant domi ad defenſionem Livoniæ, ſed male defenderunt.

Sigiſmund. III Rex Pol. ægre fert pacem inſcio ſe facta cum Turca.

Expeditionis nobilium Poloniæ publicæ ratio.

Rigam obſidet Rex Suecus.

Vt enim ad Livoncia tranſeamus, Guſtavus Rex Suecus ea opportunitate (nempe gravi bello Turcico Polonis implicitis) utendum ratus, cum 24 millium exercitu in Livoniam veniens, initio menſis Septembris Rigam obſedit, & oppugnavit, ſumma celeritate prope ejus vallum productis operis cuniculiſque actis.

Ac principio ſtrenue reſiſtebant Rigenſes, ſed ſtipendiarios militiæ gnaros nonniſi trecentos habebant, confiſi quod Rex uti petierant, præſidium ſuum eo eſſet miſſurus; iſtud vero cum diutius fruſtra expectaſſent (quidam Livones & etiam Religioſi quorum honori parco, Riga ad Aulam Regiam ſcripſerant, ea æſtate ab hoſte nihil ibi fuiſſe metuendum) aliunde conquirendi militem tempus amiſerunt. Cives etiam ipſimet cito vigiliarum & laboris militaris pertæſi fuerunt, ac aliquo eorum circa mœnium propugnationem læſo vel cæſo, miſerabiles tota Civitate mulierum ejulatus audiebantur, & lamentationes lugubres contra Magiſtratum, quod cives ſuos ferro perire ſineret. Nec deerant qui occulte Sueco favebant, & operam ipſi ſuam ad tradendam Civitatem promiſerant; præſertim Rhamius, qui pro ſeditione in ea Civitate ſæpius excitata decretis Regiis fuerat perſtrictus: ac non pauci ibi alii, tam ex Senatoriis, quam ex plebejis ad novandas res jam dudum propendebant, exacerbati moleſtiis perpeſſis, in jurgiis & controverſiis forenſibus continuo apud Regium judicium cum Religioſis Societatis Ieſu Collegii Rigenſis agitandis, ex quibus eouſque impatientiæ proceſſerant, ut Vlricus Syndicus illius Civitatis aliquando perorans coram Rege & frequenti Senatu, in quibuſdam litibus contra illos Religioſos (prope ducentas tunc habebant, & pene totidem aliæ ſub hoc belli tempus ab iiſdem Religioſis illatæ ipſis fuerant) prorumpere in iſta verba auſus fuerit: *Verendum eſſe, ne ad deſperationem talibus controverſiis Civitas adducatur.* Iſti itaque & eorum ſimiles, cum eouſque odia illa concepta preſſerint, veriti fideliorem Regi Poloniæ populum, & Conſulem (Ioannem Ecchium tunc) qui ibi eſt perpetuus ſeu ad vitam cum poteſtate ſumma, ſub illa demum obſidione Civitatis Suetica, populum indignantem ab obſequio Magiſtratus, & à fide Regis facile averterunt. Adminus enim ſuſtinere potuiſſet obſidionem ad tertium vel quartum menſem Civitas tam operoſo ductu foſſarum, & propugnaculorum artificioſa ſtructura munita, ac inſtructa omni inſtrumento bellico, copioſoque commeatu. Tanto magis quod obſeſſi ſcirent comparari, & mox adfutura fuiſſe auxilia: nam Dux Chriſtopherus Radziwil, cui tunc illa cura incumbebat, collegerat ſtatim aliquantam manum, & in proſpectu

Riga proditionem condixerat Rhamius Suecis.

Rigenſium defectionis cauſa.

Radziwil Rigenſibus venit in auxilium.

Civitatis

A.C. 1621.

Riga deditionem facit Suecis.

Civitatis in adverſo Dunæ littore excubabat, expectans quidem ex Provinciis Lithuaniæ (tardigradas) majores copias, ſed paratus etiam cum illis paucis quas ducebat ſubvenire in tali obſidione laborantibus, (præſertim non tam arcte ab hoſte cinctis, quin pateret inferendis ſubſidiis aditus) ſi vel commeatu vel milite indigere ſe ſignificaſſent. Verum illi nullo dato ad eum ſigno, quod diutius reſiſtere non poſſent, poſt iteratum cum hoſte colloquium medio menſe Octobris Rhamio procurante deditionem fecerunt. Aderat in Civitate Theodorus Dinoff Palatinus Vendenſis ac Ioannes Gottardus Tiſſenhaus Caſtell. Vendenſis quibus libera migrandi quo vellent facultas fuit permiſſa. Arx aliquantum reſtitit, ſed nullo vallo munita è mœnibus Civitatis facile peti, concutique ac dirui potuiſſet. Vnde ejus Vicepræfectus obtenta ſecuritate abeundi cum armis, & omnibus quæ ferre poſſet, in Lithuaniam conceſſit. Nec multos poſt dies Arcem Dynamuntum præſidio pene vacuam, omniaque propugnacula portus illius Rigenſis tam celebris Suecus obtinuit. Atque ita hoc anno Poloni dum contra Chriſtiani nominis hoſtem cum ſummo ſuo diſcrimine decertabant, à Chriſtianiſmet majora detrimenta acceperunt, ſine ulla denunciatione belli, quam hoſtis ex formula induciarum præmittere tenebatur.

Rigenſis Arx deditur Suecis.

Dynamuntum vacuum præſidio occupat Suecus.

Suecus ſine denunciatione bellum inſulit Polonis contra pacta.

Paulus V. PP. obiit.

Gregorius XV PP. creatur.

Sed externa videamus. Annus iſte multis Principibus fatalis fuit, primum Paulo V Pontifici Romano, qui die Beatæ Agneti ſacro, cum ex more ſuo ædem ejus Sanctæ viſitaſſet, paralyſis morbo (forte quod aër ſolito frigidior detectum ejus caput penetrarat) correptus, intra triduum, nempe 24 Ianuarii deceſſit, anno ætatis 69, cum ſediſſet in Pontificatu annos 15 menſes 8 & dies 3, cui concordi Cardinalium calculo ſuffectus fuit Cardinalis Ludoviſius denominatus Gregorius XV Bononienſis, ſeptuagenarius. Nec multo poſt, nempe ultima menſis Martii, Rex quoque Hiſpaniæ Philippus III febre interiit, relicto in ſucceſſionem ſuorum Regnorum Filio primogenito annorum 16 Philippo IV, cui præ cæteris Germanicarum rerum curam ſumme commendavit. Menſe autem Iulio Albertus Archidux Adminiſtrator Belgii, idem naturæ debitum perſolvit, & cum eo defecit ſtirps maſcula Maximiliani II Imperatoris, omni hæreditate ad ipſius Patruëlem Archiducis Caroli Grecienſis Filium Ferdinandum II Imperatorem tranſlata. Et demum medio menſe Septembre, obiit Romæ Robertus Cardinalis Bellarminus, eruditorum Theologorum hujus ſæculi facile Princeps.

Philippus III Hiſpan. Rex moritur.

Philippus IV. in Regis Hiſpan. ſuccedit Patri.

Albertus Archidux in Belgio moritur.

Bellarminus Cardin. moritur.

Fridericus Elector Palat. proſcriptus ab Imper. cum aſſeclis.

Cæterum res Germanicæ initio hujus anni poſt publicatam proſcriptionem contra Fridericum Electorem Palatinum, ac contra Chriſtianum ſeniorem Anhaltinum, Ioannem Georgium Iagendorfenſem Marchionem Brandeburgicum, Georgium Fridericum Hohenloium Comitem, nimium exulceratæ, nonnihil ad tranquillitatem inclinare cœperant. Territi enim omnes fulminibus illis poteſtatis Imperialis, ac felicioribus progreſſibus Spinolæ, qui totam jam Veteraviam in ſuam poteſtatem redegerat, Haſſiæque imminebat, nec ſolum Palatini Electoris proſcripti, ſed etiam aliorum Principum nullius culpæ in Cæſarem multoque minus belli illius conſciorum arces expugnabat, quantumvis injuſtam vim deprecari maluerunt. Et primis Haſſiæ Landgravius Mauritius cum Spinola tranſegit, quod neque Palatini, neque Diſſidentium fœderatorum partes ſequi vellet, ſed quietus in ſuis ditionibus fidem Imperatori ſervaret. Eumque Civitates Imperiales ſequutæ, fœderatorum ſocietati renunciarunt, & non multo poſt omnes quoque fœderis illius aſſeclæ per Legatos ſuos Fridericum Comitem Solmenſem, Benjamin Bunighauſen, Georgium Zobelium, ac Doctorem Ioachimum Faber Imperatori ſe ſubmiſerunt; ac interceſſore Electore Moguntinenſi, Darmſtadino Landgravio, cum Spinola Moguntiæ initio Aprilis Conventu facto, cui Fridericus Dux Vittenbergicus, & Ioachim Erneſtus Marchio Onoltzbacenſis pro Fœderatis

Haſſiæ Landgravius cum Spinola facit pacem.

Fœderati Germania deſerto Palatino Cæſari reconciliantur.

ratis

A.C. 1621.

interfuit, compoſuerunt, quod fœdus ſuum ſolverent, novumque in favorem Electoris Palarini, vel contra Imperatorem non inirent, & copias ſuas à quarta Maii dimitterenr; è converſo Spinola in terris illorum aliorumque Principum, Nobilium, Ordinum ſive Catholici ſive Euangelici ſinr, rractatu illo comprehenſi, à quavis actione hoſtili abſtineret, ac execurionem ſibi commiſſam contra Electorem Palatinum ad Majum proximum prorogaret: quæ prorogatio iterum ad menſem Iulium fuit dilata.

Friderico Palat. inducias breves concedit Spinola.

Interim etiam Orator Regis Angliæ Digbius Viennæ degens urgebat, ut Elector Palatinus in gratiam Imperatoris, & in gradum ſuum priſtinum reſtitueretur, vel ſaltem induciæ longiores ſtatuerentur, ſub quibus rractaretur pax generalis. Cui petitioni annuere tunc quidem videbatur Imperator: nam licet reſtitutionem Palatini rejiceret ad Comitia proxima Ratisbonenſia, accepta tamen cautione à Digbio, quod loca adhuc in nomen Palatini in Boëmia retenta reſtituerentur, ac Iagendorfius & Mansfeldius cum ſuis militiis exauthorarentur, aliique Palatini Duces arma deponerent, conſenſerat ut Dux Bavariæ & Belgii Gubernatrix defuncti Alberti Archiducis conjunx inducias faceret, eo inſuper adjecto, quod ſi eis durantibus pacificatio plena non ſequeretur, tribus menſibus ante præmoneri deberet Rex Angliæ, priuſquam ulteriorem executionem contra Palatinum Cæſariani continuarenr. Sed majora jam animis Conſiliarii Auſtriaci conceperant, non magis Germaniæ rranquillitatem, quam ſecuritatem retinendi in illa proſapia Imperii armis victoriam proſequendo comparandam eſſe judicantes, nempe ut ſublato Friderico Palat. cui & Religione alieno, & tam graviter læſo, quantumvis poſtea reconciliato, nunquam tuto confidendum eſſet, in ejus Electoratum ſubrogaretur Dux Bavariæ, quem & ſanguinis & Religionis Catholicæ neceſſitudine, ac tanto beneficio devinctum obligatumque Auſtriaci habituri eſſent; ſeu quod & Hiſpani & Bavariæ Dux tali pacto & mercede partiendi inter ſe Palatinatum Imperatori militarent, inducias illas promiſſas, quibus ſpes hujuſmodi everterentur, & illi & iſte variis ambagibus (cauſam præcipuam dabant quod exercitum magnis impenſis collegiſſent, victoriamque in manibus haberent, & rejiciebant culpam in Mansfeldium arma non deponentem, qui tamen tanti non erat ut adeo timeri deberet) oppoſitis impedierunt; nullaque facta mora, Dux Bavariæ movens, ſuperiorem Palatinatum majori parte occupavit: Ambergæ ac aliis inſignioribus locis, propria præſidia impoſuit. Conſalvus Cordubenſis quoque cui Spinola Bruxellas profectus curam exercitus Hiſpanici in Palatinatu commiſerat, inferiorem Palatinatum infeſtum habuit, ac montana omnia & Lytram cum pluribus vicinioribus locis, in ſuam poteſtatem redegit, demumque Franchentalium primarium illius Regionis propugnaculum obſedit: Ac paulo poſt Tillius à Bavariæ Duce in auxilium Eccleſiaſticis tractus Rhenani miſſus, Heildelbergam petiit. Atque ita omnis illa ſpes tractandæ pacis evanuit, & ſero nimis Angliæ ac Daniæ Rex (qui exercitum jam conſcriptum pro Palatino ſpe illorum tractatuum dimiſerant) edocti, prece & lachrymis nihil ab Auſtriacis victoribus impetrari poſſe, demum poſtquam hoſtis ſæpius injecta ſpe pacificationis indefenſum Palatinatum totum intercepetat, arma ad eum vindicandum ſumpſerunt, eo inutilius quod tardius, ut infra patebit.

Angliæ Regis Legatus procurat reconciliationem Palatino Viennæ.

Friderico Palat. induciarum ſpes ab Imp. data evaneſcit.

Bavariæ Dux Palatinatum ſuperiorem occupat.

Hiſpani inferiorem Palatinatum invadunt.

Angliæ & Daniæ Rex ſpe induciarum dimiſſum exercitum ſero recolligunt.

Hoc anno adhuc Mansfeldius (qui eouſque monitus à Digbio, ne procurationem induciarum turbaret, de loco ad locum commeans tempus trahebat, & Duci Bavariæ ex Palatinatu ſuperiori ſponte ceſſerat: immo & felices circa Boëmiam ſucceſſus Bavaricis ibi cum Iacobo Baurio Tribuno militum celebri fuſis, intermiſerat; amiſſa etiam Pilſna per proditionem militum, dum Heilbronam ad Conventum fœderatorum abiiſſet) ubi de induciis actum fuiſſe adver-

Mansfeldius ſpe induciarum rei bene gerendæ commoditates intermittit.

A.C.1621.

Manſfeldius Spirenſem Epiſcopatum invadit.

tit, reſumpto fervore Spirenſem Epiſcopatum ac aliorum viciniorum Eccleſiaſticorum poſſeſſiones ſævis direptionibus vaſtavit, & nonnulla loca capta, præſidiis ſuis munivit. Reſponſo dato Eccleſiaſticis vim deprecantibus, ut ſi pacem vellent, eam aliis darent, exercitum quem Fœderati diſſidentes dimiſerant, ipſi quo-

Iagendorfius pro Palat. in Seleſia multa occupat.

que cum Liga Catholica à Terris Palatini avocarent, & Eccleſiaſticarum rerum ſuarum curam gererent, non alienarum Politicarum, quæ ad ipſos nil pertinent. Iagendorfenſis vero accepta ab Electore Palatino (qui tunc Agam Comitis conceſſerat auctus Cuſtrini in itinere filio Mauritio denominato) commiſſione, ad arma denuo aſſumenda, coactis copiis Neutra & Glatſio Cæſarea præſidia ejece-

Niſſam ſpoliat Iagendorfius.

rat. Niſſam & alia oppida Vratislavienſis Epiſcopi Caroli Archiducis tunc ſpoliavir, ejus vicarios vinctos abduxit, & plura loca Sileſiæ & Moraviæ non invita

Pragenſes horrenda ſupplicia luunt.

deditione occupavit. Pene enim omnes illarum Provinciarum populi ad partes Palatini iterum propendebant, territi maximi ſumptis menſe Iunio hujus anni de Pragenſibus ſuppliciis, non Chriſtiano ſolum homini, ſed quantumvis barbaro

Moravis & Seleſiis promittit impunitatem Imp.

(nolumus fœdare chartas innocuas deſcriptione tam feralis carnificinæ) ob immanem crudelitatem execrandis, ni mature Imperator annunciaſſet omnibus deinceps condonationem commiſſorum, edicto tali publicato Olomuncii,ac Vratislaviæ, & inſuper Elector Saxoniæ fidem ſuam pro ſecuritate impunitatis & im-

Alberſtatenſis Dux pro Palat. exercitum colligit, & Amanoburg. capit.

munitatis hujuſmodi Sileſiæ toti interpoſuiſſet. Ab altera parte circa Veſtphaliam Chriſtianus Dux Brunſvicenſis Alberſtatenſis Epiſcopus menſe Octobre collecta tumultuaria militum manu pro defenſione Palatinatus in Moguntinenſi tractu Amænoburgum, cum Arce ſitu editioris rupis munita, cepit. Inde Neoſtadium & circumvicina loca occupavit, & plura in direptionem militi ſuo con-

Franchentalium ab obſidione Hiſpanorum liberatur.

ceſſit. Sicque ad finem anni hujus Duces militares Palatini, incurſionibus variis progreſſus majores Cæſarianorum utcunque diſtinuerunt, Cordubenſe quoque ab obſidione Franchentalii recedere coacto, ſed damna inter ſpem induciarum accepta, nunquam repararunt.

Vngaros ſpe pacis fruſtraſſe Cæſarianis male ceſſit.

Secùs autem evenit Cæſarianis in Vngaria, ubi æque ac in Palatinatu tractatum pacis promiſſum rejecerant, ut armis potius Vngaros edomarent. Ac principio ſatis proſperam fortunam ſunt experti: Statim enim Georgius Setſchius, Palfius, Thomas Boſniacus impetrata præteritorum venia, ad Imperatorem tranſierant cum plurimis nobilioribus Vngaris ſuis ſociis. Et Comes Bucquoius Cæſarianorum Dux præcipuus, cum viginti quatuor millibus armatorum mo-

Bucquoius occupat Poſonium.

vens, priuſquam Gabor Bethlem vires aliquas (dimiſerat enim exercitum ſpe tractatus pacis) recolligere potuiſſet, initio menſis Maii Poſonium nemine reſiſtente occupavit, arcemque ejus poſt paucorum dierum oppugnationem, cum præſidiarii auxilia nulla ſperarent, & Germani ab Vngaris periculum defenſionis ſubire detrectantibus diſſentirent, data utriſque ſecuritate cum ſuis impedi-

Bucquoius Comes circa Neoſelium cæſus.

mentis abeundi, deditione obtinuit. Indeque progrediens Sangeorgium, Moderam, & complura ejus tractus loca vi cepit: Tirnaviam, Nitriam, ac Schitnaviam ad deditionem coëgit. Sed mox ſorte converſa, circa Neoſelii oppugna-

Cæſariani caſtris relictis à Neoſelii obſidione abeunt.

tionem, cum ſpeculantem cum paucis ſuis locum pro collocandis ad quatiendam Arcem tormentis, præſidiarii excurrentes trucidarunt, & exercitus ille Cæ-

Betlem Gabor Cæſarianos proſequitur.

ſareus, cum Ducem æque peritum alium non haberet, ſubſidia vero Neoſelienſibus à Bethlemo cum Comite Turrenſi in proximo adventarent, caſtris ac im-

Betlem Gabor recipit loca à Cæſarianis intercepta.

pedimentis majoribus, unà cum quindecim tormentis æneis relictis, beneficio noctis fugienti ſimilis, & dimidio pene tam cædibus quam morbis ac fuga plurimorum diminutus, Huttam verſus tranſiit. Bethlemus vero interim apud Eperiam collectis copiis, ſumma celeritate Tirnaviam petiit, & oppugnatione decem dierum magna parte ejus loricarum dejecta, præſidiarios prope mille

à Buc-

A.C. 1621.

Iagendorſius cum Betlemi copiis in Moravia graſſatur.

Budeanus pro Betlemo circa Viennam multa loca incendio vaſtat.

Cæſariani reaſſumptum tractatum pacis cum Betlemo fideliter exequuntur.

Emericus Turſo non ſine ſuſpicione veneni moritur.

Maradas Taborum longa obſidione ad deditionem coëgit.

à Bucquoio relictos inde excedere coëgit, omniaque alia oppida intercepta, intra paucos dies recuperavit: præter Poſonium, quod recenti & numeroſo præſidio firmatum diuturnioris obſidionis laborem requirebat. Parte autem equitum levioris armaturæ cum Iagendorfio in Moraviam dimiſſa, ejus opera oppidum Leipnicium & Helſenſtenium cæpit, & innumeros pagos in proſpectu Viennæ ferro & igni vaſtari fecit. Et ab altera parte Budianus, qui tota æſtate variante Marte cum Colalto Cæſariano Duce conflictatus, ejuſdem abeuntis in auxilium Poſonienſibus extrema agmina diſſipatat, curruſque pluſquam centum ipſius diripuerat, in Auſtriam excurrens, in obvia quæque cædibus, rapinis, ac incendiis ſæviit, etiam prope Viennam uno milliari, ut una nocte pluſquam viginti incendia villarum ab ipſo excitata ex Arce Viennenſi conſpicerentur. Quo permoti Cæſariani reſumptum poſtea Nikelsburgi tractatum pacis non amplius comperendinarunt. Et licet mors Emerici Turſo, non ſine ſuſpicione propinati veneni extincti eum iterum interruperat, tamen Staniſlai Turſo opera anni inſequentis initio coaluit. Interim Maradas amiſſis plurimis fortioribus viris in obſidione Taboræ in Boëmia integro anno continuatæ, eam tandem ad deditionem coëgit, cum obſeſſi nullum ſubſidium à Palatino expectare poſſent.

Hollandorum cum Hiſpanis induciæ finiunt.

Hollandi prorogationem induciarum cum Hiſpanis renuunt.

In Belgio hoc Anno tempus duodecim annorum induciarum cum Hiſpanis 9 Aprilis finiit, nec potuit prorogari quamvis Archidux Albertus priuſquam obiiſſet menſe Martio, miſſo Petro Beccio Cancellario ſuo, ad Ordines fœderatos Hollandiæ id expetierit, quin immo ille Legatus pene contumeliis à plebe in aliquibus qua tranſibat Civitatibus fuit exceptus. Hagam vero Comitis à Mauritio Ruſuicum uſque obviam prodeunte honorifici deductus, reſponſum accepit, priores inducias fidelius ſervandas fuiſſe, & propoſitionem, qua inſinuarat præcipuum illarum Provinciarum commodum in eo conſiſtere, ſi ad ſtatum priſtinum, unumque corpus ac unum caput reducerentur, libertatem & conſtitutionem illius Reipublicæ evertere,& propterea in deliberationem Ordinum admitti non poſſe. Nil tamen hoſtile elapſis illis induciis per aliquot menſes fuit utrinque tentatum, ſed æquè iſti ac illi muniendis confinium ſuorum propugnaculis, & comparando omni inſtrumento bellico vacarunt.

Iuliacum obſidens Hiſpani.

Mauritio venienti in ſubſidium Iuliaco iter intercludit Spinola.

Sluſam obſidens Hiſpani irrito eventu.

Menſe demum Septembre Hiſpani, quos ad Palatinatum intentos hoc anno ad aliam impreſſionem graviorem ſuas vires non diſtracturos Hollandi putarant, Iuliacum obſederunt; & demum Mauritius Comes Hollandorum quoque copias congregari fecit, quibus apud Emericum luſtratis,cum Iuliaci obſeſſis in auxilium iret, à Spinola, qui relicto Comite Henrico Bergenſi ad continuandam illam obſidionem, Veſſaliam uſque cum exercitu proceſſerat, tranſitum ſibi interclusum ſenſit. Atque ita hærere coactus, initio menſis Decembris exercitum in hyberna dimiſit, & obſeſſi Iuliacenſes ad extremam rerum neceſſitatem reducti, deſperatis ſubſidiis, deditionem paulo poſt tractarunt. Antverpienſis autem Gubernator Inicus Borgia, ſuppeditantibus ad eam expeditionem Ordinibus Flandriæ omnem apparatum bellicum, Sluſam exercitum duxerat, diverſaſque operas ad oppugnandum illum portum, & prohibendum eo ex Selandia tranſitum excitarat, intercepto uno propugnaculo à parte Occidentali Sluſenſibus, labore ad ultimum inutili.

Vgonoti in Gallia novos motus excitant.

In Gallia motus concitati ob inſtauratam Religionem Catholicam in Bearnenſi Provincia anno prærerito, qui conquieviſſe videbantur, hoc anno recruduerunt. Vgonotos enim illam mutationem ægre ferentes, eandemque aliis ſuis locis metuentes (cum propterea Conventus diverſis locis agerent, mandata Regia nil curantes) Rex armis compeſcendos decrevit. Ac collecta viginti mil-

 lium

A.C. 1621. lium peditum, & Equitum ſex millium manu, in Bearnia primum reliqua loca quæ nec dum tumultuari cœperant, propriis præſidiis munivit. Inde tranſiens Fanum Angeriaci, quæ Civitas inſolentius obſequium ipſi denegabat, à Duce de Subiſſe uno ex Vgonotis cuſtodita, corona cinxit, & excitatis operis oppugnari juſſit. Nec ita tamen ad officium redire voluerunt obſeſſi, immo eruptione facta, tertiumque repetita fortiter Regios rejecerant, in quibus conflictibus ex Regiis Comes Maurevortanus occubuerat, & ſauciati fuerunt ex præcipuis plurimi, nempe Crequius caſtrorum, Montignius cohortis Regiæ Prætoriæ Præfectus. Sed tandem viribus ſuis diffiſi deditionem fecerunt, impetrata venia commiſſorum & libertate Religionis: De cætero Regi plena in omnibus poteſtate ſalva. Plura deinde oppida, ut Pontacum, Begeratum, Fanum Fidei ſponte Regi ſe ſubmiſerunt. Cleracum aliquantum reſtitit, ex Regiis prope quadringentis cæſis, & totidem ex ſuis deſideratis, poſtea tamen iis conditionibus quibus Angeriacum in poteſtatem Regis conceſſit. Montalbanum, cum pertinacius reſiſteret, cæſis ex Regiis Gubernatore Carnutenſi & Comite Suſano, pluribuſque aliis inſignioribus, ac nonniſi diuturna oppugnatione edomari poſſet, peſtis etiam in Caſtris Regiis vigeret, Legato Anglico deprecante, Rex obſidione tunc ſolvit.

Fanum Angeriaci Rex Gall. ad deditionem cogit.

Regii inſignes caſi apud Angeriacum.

Cleracum deditur Regi.

Montalbanum pertinacius reſiſtit Regi.

In Rhetia poſtquam ut ſupra attigimus Vallem Tellinam Hiſpani occuparant, populi inferioris, & ex parte ſuperioris Rhetiæ præſertim Engaddini partim Euangelici, partim Catholici ad vindicandam illam vallem, conſpirarunt, & non minus ad puniendos ſocietatis initæ cum Hiſpanis authores, quorum antesignanum Pompejum Planta in ipſius arce Riedberga invaſerunt, ſub finem Februarii, ac obtruncarunt: ac poſtea Fortunatum Planta, Dominicum Ruderum, & plurimos illius fœdetis cum Hiſpanis conſcios trucidarunt. Collecti autem majori numero, oppida & pagos Catholicorum invadebant, cædibuſque & direptionibus ſævientes, cogebant eorum incolas, ut fœderi illi Hiſpanico renunciarent, ac mutuam operam ad defenſionem communem jurejurando interpoſito obligarent. Nec paucos hoc modo ad partes ſuas revocarunt: Cum reliquis vero qui armis à Mediolanenſi Gubernatore ſubminiſtratis adjuti, in ſua ſententia perſiſtebant, tota æſtate cruentis admodum dimicationibus certarunt, tanta odiorum obſtinatione, ut in tractatibus multoties, opera Montholonii Regis Galliæ Legati repetitis, nullas rationes reconciliationis admitterent, niſi Vallis Tellina ab Hiſpanis in ſtatum priſtinum reſtitueretur.

Rheti vindicare volunt Vallem de manu Hiſpanorum.

Pompejum Planta occidunt Rheti.

Rheti concives ſuos Hiſpanis Fœderatos proſequuntur.

Annus Chriſti, 1622.

ATque tales concertationes continuabantur in Annum Chriſti, Milleſimum, Sexcenteſimum, vigeſimum ſecundum. Quo etiam magis magiſque invaleruntt: non ſolum enim militares ſed inermis quoque plebs fuſtibus, teliſque à furore ſubminiſtratis inſtructa, Gruſckii, & Seviſii, Schirſæ ex Hiſpanis eorumque fœderatis pluſquam quingentos interemit, & advenientes Prætigavienſes ac Tigurini, Meifeldiam, Præfectum ejus loci Ritnaverum, qui eos prælio jam accinctos Vaccinungos per ludibrium denominabat, cæſis & in aquas præcipitatis pene ſexcentis ex ejus parte, profligarunt, ipſamque Meilfediam, ac paulo poſt menſe Iunio Curiam, vi ad deditionem compulerunt. Tiſcaſtam à ſexcentis Hiſpanis cuſtoditam pulſo præſidio, ac alios tranſitus commodiores, præſertim Rithenaviam, Haldenſteinium, & Furnſtenaviam cum ſuis vectigalibus occuparunt; & in ſuperiorem Rhetiam armis illatis,

Rheti Hiſpanica præſidia trucidant.

Meilfediam & Curiam Rheti ad deditionem cogunt.

Rheti in Fœderatos Hiſpanis crudeliter ſæviunt.

A.C.1622.

Abbatem Diſſentinum Rheti magna pecunia mulctant.

Italia ſtrangulari videtur dum Hiſpani occupant Vallem Tellinam.

Tractatus pro pacificanda Rhetia inſtituti.

Vallem Tellinam Hiſpani in depoſitum tradunt Gregorio XV. PP.

Gregorius XV PP. accipit in ſuum depoſitum Vallem Tellinam.

Gregorius XV PP. Sanctorum numerum auget.

S. Ioachim memoriam celebrari juſſit Greg. XV Papa.

Conceptionis B.M.V. quæſtiones definivit Gregorius XV. PP.

Greg. XV. PP. Religioſorum licentiam coercet.

tis, interceptos multos qui fœderi Hiſpanico ſubſcripſerant, nulla excuſatione admiſſa crudeliter occiderunt: Abbatem Diſſentinum magna pecunia mulctarunt. Cum autem Fœderati contra vim tantam à Gubernatore Mediolanenſi majora auxilia conquirerent, Rhetos quoque Rex Galliæ armis ſuis defendere conſtituit, unaque Veneti, cum pleriſque Principibus Italiæ, qui illa Valle Tellina ab Hiſpanis intercluſa, ſtrangulari Italiam (eo quod nullum pro auxiliis conquirendis in caſu neceſſitatis tranſitum in Galliam & Germaniam liberum eſſet habitura) actumque eſſe de communi ejus libertate conclamabant: ac nonniſi difficile bellum, quod totam Hiſpaniam, Italiam, & Galliam pervaderet, inde expectabatur. Ad quod avertendum varii tractatus Lindaviæ, & in diverſis Rhetiæ, Helvetiæque locis, ac Madriti in Hiſpania ſunt habiti, Summi Pontificis, Galliæ Regis, Venetorumque Legatis negotium pacis promoventibus. Quod donec perficeretur, interim Rex Hiſpaniæ illam Vallem Tillinam tradidit in depoſitum Summo Pontifici, ratus quod hac ratione ſuſpicionem affectati in ea Dominatus à ſe averteret, & Pontifici pro officio ſuo Catholicæ Religionis libertatem, pro qua violata tales tumultus proveniſſe videbantur, depoſito durante ibi inſtauranti, Galliæ Rex jure obſiſtere non poſſet. Atque ita Summus Pontifex Gregorius decimus quintus, miſſo Horatio Ludoviſio Duce Fiani fratre ſuo germano, cum quatuor millibus armatorum, depoſitum hujuſmodi ſuſceperat, dimiſſiſque præſidus Hiſpanicis, propria eo introduxerat, cautione data, quod illud in priſtinum ſtatum ad condictum tempus reſtitueret. Vnde motus illi bellici aliquantum tunc conquieverant, licet paulo poſt recruduerint, ut ſuo loco attingemus. Cæterum Summus Pontifex hoc anno menſe Maio in Sanctorum numerum retulit BB. Philippum Nerium, Congregationis Clericorum, in qua & Baronius celebris noſtri temporis Hiſtoriographus vixit, Ignatium Loyola Societatis I E S U Fundatorem, Franciſcum Xaverium ejuſdem Societatis I E S V, Iſidorum Madrienſem, & Tereſiam Hiſpanam Ordinis Carmelitanorum Diſcalceatorum Matrem. Nec multo poſt creavit Cardinales octo, pleroſque Auditores Rotæ, & omnes emeritos, inter quos fuit Coſmus de Torres Nuntius Apoſtolicus tunc in Polonia, vir ingenio & magnarum rerum uſu præcipueque ſuavitate morum excellens. Idem Pontifex memoriam Beati Ioachim Patris Deiparæ Virginis Mariæ vigeſima Martii celebrari juſſit: Quæſtionem diu agitatam, quod eadem Beata Virgo Maria fuerit concepta abſque peccato Originali definivit, ac licentiam exemptorum Regularium, qua gravari nimium poteſtatem Epiſcoporum, Archiepiſcopatum Bononienſem regendo compererat, in multis reſtrinxit.

Philibertus Sabaudiæ Princeps peſte extinctus in Sicilia.

In Sicilia vero hoc Anno peſtis gravius ſæviit, eaque Philibertus Princeps Caroli Emmanuëlis Ducis Sabaudiæ filius ibi tunc Prorex interiit.

Philip. IV Rex Hiſp. accipit Omagium ab Imperatore pro Mediolano & Siena.

Philip. IV Rex Hiſp. ſeverius advertit in miniſtros ſui patris.

Quod autem adnotavimus ſupra in anno præterito Regem Hiſpaniæ Philippum III deceſſiſſe, ei ſucceſſerat filius ipſius primogenitus Philippus IV dictus, nimium quidem juvenis, nempe annorum ſedecim, ſed pene ſupra ætatem ad ſubeundas curas publicas Patre promptior. Statim poſt adeptum Regnum jura quoque Principatus Mediolanenſis, Finalis, & Senenſis, confirmari ſibi ab Imperatore fecerat: & ad corrigendos Aulæ ſuæ Regiæ errores converſus, ſeverius in præcipuos Patris ſui miniſtros advertit; præſertim in Ducem de Lerma (ultimis diebus Philippi III factum Cardinalem, quaſi mala iſta ſua præſagierit, & & contra ea tali clypeo præmuniri voluerit) & ejus filios, quibus cenſus ampliores à Rege Patre ſuo aſſignatos, & Magiſtratus abrogavit: Calderonem Secretarium ejuſdem Ducis Lermenſis, inſimulatum de veneno Reginæ matri ſuæ propinato, (prunis in authepſa ardentibus aliquis thura venenata injecerit, ex quo-

rum

A.C. 1622.

Calderonius datur ad quæſtiones ob datum venenum matris Regis Philippi.

Calderonius ſupplicio capitis publice afficitur.

Oſſuna Dux ob non dimiſſum Neapol. officium cuſtodia traditur ad mortem.

Comes Olivares rerum potitur apud Philip. IV.

Spinola obſidet Bergam Soma irrito eventu.

Hiſpani ab obſidione Sluſæ rejecti.

rum odore interiit tunc illa Regina, moris Germanici tenacior, eoque Hiſpanis inviſa) licet vivente Patre Rege fuerat abſolutus ad quæſtiones reduci, & damnatum, in foro publico capitis ſupplicio affici mandavit. Ducem quoque de Oſſuna nuper Viceregem Neapolis, eo quod Cardinali Borgiæ in illud munus ſuccedenti, locum cedere noluerat, comprehenſum ab Auguſtino Mexia in Caſtro Sancti Orcadis ad mortem uſque ſub cuſtodiis detinuit. Familiares vero ſuos evexit ad ſummas dignitates, præſertim Comitem de Olivares, pueritiæ ſuæ non moroſum cuſtodem, inter Magnates (dicunt Grandes) Hiſpaniæ cooptavit, eique ſummum rerum arbitrium una cum ſuprema Præfectura Cubiculi ſui permiſit: Immo iſtius conſilio omnis illa mutatio ſteterat. Aliud ſingulare in Hiſpanicis geſtis hoc anno nil occurrit, præter memorata cum Rhetis litigia, & irritam obſidionem Bergæ ad Somam, quam Marchio Spinola à menſe Iulio ad initium Octobris ingenti opera & impenſa continuatam, amiſſis prope tribus millibus ex ſuis deſerere fuit coactus. Sluſam etiam cum Inicus Borgia variis ejus munimentis interceptis, & pluribus circum excitatis conſtrinxiſſet, Hollandici ruptis aggeribus caſtra ipſius inundarunt, ac inde excluſerunt.

Ludov. XIII Galliæ Rex contra Vgonotos expeditionem facit.

Cleracum obmutatum fidem incendio deletur.

Rupellam obſidione cingi fecit Rex Galliæ.

Rupellæ claſſem Regii profligant.

Rupellæ ſitus.

Vgonotis pax conceditur à Rege.

In Gallia, poſtquam Vgonoti Civitates, quas ab aliis Galliæ Regibus vadimonii & ſecuritatis ſuæ cauſa obtinuerant, poteſtati Regis uti Legatus Anglicus promiſerat, ſponte permittere nollent, quin immo Angeriacum à Rege anno præterito captum reſtitui ſibi peterent, Rex contra ipſos arma iterum ſumpſit. Ac promittebat illis Rex omnem Religionis ſuæ libertatem, dummodo diplomatis & verbi ſui Regii ſecuritate, qua & Catholicorum libertas ſubſiſtit, contenti eſſent, & in Civitatibus Regiis dominatum ſibi, aut armorum congregandorum licentiam non uſurparent, ſed cum illi (ut ajebant non quod Regi ſubjici nollent, verum ut ab hoſtibus ſuis tutiores eſſent) in propoſitio retinendi illas Civitates perſeverarent, vi inde ejiciendos decrevit, & intra paucos Menſes plurimas eorum Civitates & Arces, partim vi, partim deditione cæpit. Cleracum quod deditione facta tertium deſciverat, permiſſis habitatoribus exire quo vellent, incendio delevit. Soubiſſii copias pro Vgonotis collectas profligavit: Vendomio ut Montalbanum oppugnaret commiſit, & ad obſidendam Rupellam terra Soiſonium & Vitrium, mari vero Nivernenſem Ducem deſtinavit, ubi Rupellenſes cum ſeptuaginta navibus egreſſi, poſt dubium aliquot horis continuatum conflictum victi, totam illam pene ſuam claſſem, parte demerſam, parte à Regiis captam amiſerunt. Portus eſt celebris Rupella ad Oceanum Gallicum, occaſum verſus in Santonibus ſita, quam etiam Henricus Andegavenſis Galliæ Regis tunc Caroli IX frater, A.C. 1572, novem Menſibus obſedit ac oppugnavit, & amiſſis pluribus ex ſuis capere non potuit. Atque hac vice quoque Rex Ludovicus parta illa victoria navali, & vindicatis ibi pleriſque munitioribus locis, pacem Vgonotis annuntiari fecit, perſuaſus iterum, quod armis depoſitis ad officium redirent: ſed paucos poſt annos, eandem obſidionem iterare coactus, felicius expedivit, ut tunc dicemus.

Polonia milites Chocimenſes ſeceſſionem faciunt.

In Polonia hoc anno nihil accidit memorabile: ſeceſſionem fecerant milites ob non ſoluta ſtipendia ab expeditione contra Turcam Chocimenſi, ſed paulo hoſthac celebratis Rex Comitiis, contribui fecit ab Ordinibus pecuniam, & illa ſtipendia exſolvi.

Lithuani prorogandis cum Sueco induciis tempus trahunt.

In Livonia quoque Proceres Lituaniæ, qui illius Provinciæ curam in ſe aſſumpſerant, nonniſi prorogandis cum Guſtavo Sueco tractatibus & induciis toto hoc anno vacarunt. Ad Turcam vero ex pactis Chocimenſibus, pro confirmando fœdere ibi ſancito, Legatus fuit deſtinatus Chriſtopherus Dux de Zbaraz ſtabuli Regii Præfectus (ſeu Equitum Magiſter, Hypparchus, Marchion) vir

acris

acris ingenii, & quod illa legatio maxime requirebat, magnanimitate, opumque affluentia ad ſplendorem probe inſtructus. Verum interim dum ad illud iter ſe componit, caſus ſucceſſit Conſtantinopoli mœſtus Turcis, at Chriſtianis non inutilis; nempe indicium haud dubium inclinantis illius Imperii, poſtquam ſummum ejus firmitatis arcanum cultus majeſtatis Principis Divinitatis inſtar, illibatus euſque, cæpit violari, tali ſerie. Ab expeditione contra Polonos Chocimenſi, ut alio loco adnotavimus, Oſmanus Imperator Turcicus inglorius, exercitu majori parte amiſſo, reverti coactus, omnem culpam in ignaviam militum ſuorum, præſertim Ianizerorum referebat; exindeque eis infenſus, plurimos circa vini potum (nempe legibus Mahometicis vetitum) deprehenſos, uti militiæ inutiles in dies ſtrangulari curabat, & omnes tollendos, novamque militiam ex Arabibus, quorum in illo bello fortitudinem (agilitate & pilis vulgo *Dzidâ* jaciendis præſtant) magis probavit, conſcribendam decreverat. In Syriam itaque ubi tale propoſitum perficeret, ſimulata Religione viſitandi ſepulchrum Machometi pſeudoprophetæ, quod Mechæ in Arabia ad mare rubrum magna veneratione ab illa ſecta frequentatur, iter inſtituit, illudque medio menſe Maio Ianizeris, aliiſque militaribus denuntiari fecit. Vnde conturbati omnes, & veriti moleſtias difficilioris peregrinationis, quæ per loca invia, arida, ac ſæpe longis intervallis aqua & jumentorum pabulis carentia, nonniſi cum graviſſimo labore (præſertim in tam numeroſo Comitatu) nec breviori quam quindecim menſium ſpatio, uxoribus, domibus, liberis, in incerto Conſtantinopoli relictis ſuſtinendæ eſſent, eam deprecari nitebantur, & per aliquot dies in Divano (locus eſt in Palatio Imperatorio publici ad ſolemniores actus faciendos concurſus) convenientes, Baſſas & Magiſtratus præcipuos ſolicitarunt, ut Imperatorem à tali conſilio averterent. Cumque nihil proficerent, immò ille obſirmato animo pretioſiora quæque aſportanda ad littus Aſiaticum, quà proficiſcendum fuit, efferri curaret, decima octava Maii tumultuoſius Palatio circumfuſi, flagitarunt illam profectionem abrogari, & ejus authores (quatuor Baſſas nominabant primarios) ad puniendum ſibi tradi. Et quidem eo die cum inermes veniſſent, nil aliud tentarunt, præter quod per plateas & fora denſis catervis diſcurrentes, ad avertendum interitum ſibi & toti Imperio Turcico ab Oſmano (ut ajebant) paratum, ſeſe mutuo exhortabantur. Sed poſtridie cum armis convenientes, Palatium obſederunt, & expectato dum Muphti Sacrorum Machometicorum Summus Antiſtes, ac Vezir Dilaver Baſſa ſuper eorum petitione pridie expoſita, reſponſum ab Imperatore peterent, ut primum iſti ab ipſius colloquio prodeuntes, eum (diſſuadentibus iter reſponderat indignatus, ſic volo) in ſententia perſiſtere retulerant, cum magno furore in Palatium irruerunt: Eunuchos & familiariores Imperatorios plurimos necarunt, obvia quæque diripuerunt, ac ipſo Oſmano ad latibulum quoddam elapſo, Muſtafam ejus patruum, qui poſt Achmetem aliquanto tempore regnaverat, è carcere in quo à principio iſtius tumultus ab Oſmano incluſus detinebatur, extraxerunt, eumque trementem Imperatorem ſalutarunt. Hic Muſtapha Achmetis Imperatoris Oſmani Patris frater, ex more Domus Othomanicæ in unico univerſorum hærede ſtirpem ſuam & Imperium integrum conſervare volentis, & propter ſtoliditatem ſuam omnino inhabilis Imperio ad mortem ſæpius deſtinatus, ſive præſtigiis à matre ſua (ut ferebatur) ſubminiſtratis, ſive alia aliqua ope illæſus ſemper evaſit; quod Turcis in Religionem venit, ut eum fato ad Imperii firmamentum ſervari crederent, & vita privari piaculum reputarent. Vnde licet propter nimiam ſtupiditatem eum rejecerint à ſucceſſione Imperii poſt mortem Achmetis, & Oſmanum impuberem, Regnoque immaturum ei prætulerint, ac deinde Oſmano ſurrogatum, iterum ex eadem cauſa repudiarint, vivum

A.C. 1622.

Zbarawski Dux Legatus mittitur ad Turcam.

Turcicarum rerum converſio.

Oſman Imperator Turcicus odia incurrit apud Ianizaros.

Oſman Imperator Turcicus Ianizeris ſublatis novam militiam inſtituere vult.

Oſmano Imp. Turca diſſuadere non poſſunt iter in Syriam.

Conſtantinopoli tumultus contra Oſman. Imperatorem.

Muſtafa Imp. Turcarum tumultuarie eligitur.

A.C.1622. tamen ſemper ſervarunt, ut infra liquebit. Tunc autem die proxima vigeſima Maii tumultuantes militares illi Oſmanum comprehenſum juſſu Muſtafæ novi Imperatoris ad carcerem Ediculæ (eſt carcer vetuſtus prope portam Andrinopolitanam) equo vili impoſitum, per Civitatem duxerunt, & metuentes ne ſervatus vivus, uti Muſtafa præceperat, recuperarat Imperium, eamque injuriam vindicaret, fruſtra culpam in Conſiliarios rejicientem, & dona ampla offerentem interemetunt. Cadaver ejus ſine ullo honore delatum ad templum novum Divano vicinum, ibidem in Imperatorio buſto fuit reconditum. Neque hic tamen illa ſeditio conquievit: nam Ianizeri magnis agminibus (ad minus viginti quatuor millia Ianizeri, & ſex millia Spachii, ſeu equites in illa Civitate Conſtantinopoli, penes ſuum Imperatorem continue morantur) per totam Civitatem diffuſi, Baſſas Oſmani conſiliorum authores inquirebant, ac alios trucidarunt, plurium fuga elapſorum ædes ac ſupellectilem omnem diripuerunt. Præfectum ſuum (Ianzar Aga vocatur) qui de Oſmano reſtituendo (priuſquam occubuiſſet) & honorariis ab eo recipiendis in medium aliquid injecerat, ſuſpectum exinde habentes occiderunt, multaſque inſolentias & mutuas cædes ad vigeſimam quartam Maii continuarunt, donec Imperator novus duorum menſium ſtipendium ipſis donavit, & ejus mater congiarium amplum inter ipſos diſtribui fecit. Quater mille homines diverſi ſtatus in illa turba perierunt: Chriſtiani, etiam Legati Principum Chriſtianorum, ac Iudæi mercatoreſque omnes, præmoniti à Præfecto Prætorii (Caimachan vocatur) interim clauſis ædibus ſeſe continentes evaſerunt periculum: ſed tanto terrore perculſi, quod ad vigeſimam ſeptimam Maii nullus ex eis in publicum prodierit, niſi plene motu illo ſedato.

Oſman. Imp. Turca trucidant.

Ianizeri ſæviunt in conſiliarios Oſmani.

Ianizerorum Aga occiditur in tumultu Conſtantinopolitano.

Conſtantinopoli tumultus octavo die ſedatur.

Chriſtopherus vero Zbaráwski, à quo digreſſi ſumus, tali mutatione rerum Turcicarum intellecta, nihilominus cum ſua Legatione Conſtanrinopolim perrexit, eamque coram novo Imperatore Muſtafa expedivit in anno ſubſequenti.

Zbarawski Dux Legatus Conſtantinopolim venit.

Hoc anno narrandæ adhuc reſtant tricæ inextricabiles belli Germanici Civilis, in quali ſemper inſolentem eſſe victoriam, & non alium finem habere, niſi extremum malorum, victoriſque dominatum, vel hoc unicum exemplum abunde confirmabit. Poſtquam enim Boëmiæ Regnum cum ſuis Provinciis ad obſequium Ferdinandi Cæſaris redierat, & Boëmi acerbiores erroris ſui pœnas luerant, eaſque nec Moravi (licet iſtis venia commiſſorum fuerit promiſſa) effugere poterant, Fridericus Palatinus quoque, qui cauſam perduellioni naſcenti Boëmicæ nullam dedit, ſed vocatus & rogatus ne membrum illud Imperii ad Gaborium Bethlemum, & ad Vngaros aut Turcas avelleretur, ſuam operam interpoſuit, inſuper omnem ſubmiſſionem & ſatisfactionem offerret, Cæſarem iras depoſiturum, pacemque & tranquillitatem Germaniæ daturum æquitatis ſtudioſiores omnes ſperabant. Tanto magis quod Rex Angliæ pro genero, Daniæ Rex pro ſobrino, & Saxoniæ Elector pro tollendis diuturnioris belli occaſionibus intercederet, pluri mique in Palatinatu & circa Rhenum Principes, Viduæ Electorales, Pupilli conſiliorum Friderici Palatini prorſus ignari, bonis tamen ſuis ab exercitu Cæſareo & Hiſpanico ſpoliati, & ad turpem egeſtatem reducti, pro innocentia ſua ſupplices deprecarentur. Verum jacta jam tanti diſcriminis alea, Cæſariani propriæ pacis compendia quærebant, tutioremque fore Familiæ Auſtriacæ perpetuo retinendi imperii viam judicabant, ſi ejus in Germania æmuli ita edomarentur, ut quamvis vellent nocere non poſſent. Ac ſtatim à Pragenſi victoria tatum firmumque ſtatuerant illi, Palatinum ne amplius timeri deberet, ejuſque exemplum cæteros terreret, dejiciendum eſſe omni gradu, hocque arcanum diligentius occultum, (ex literis Imperatoris interceptis, illud mature deprehenderat Palatinus, & de eo Rex Angliæ initio hujus anni apud Regem Hiſpaniæ quaſi illo ſolo contradi-

Victoria in bello civili Victoris dominatus.

Germania ſperata Pax Boëmia recuperata evaneſcit.

Frid. Palat. intercoſſiones Regum non juvant.

Auſtriaci à Pragenſi præſtio exauterandum Palat. ſtatuerunt.

A.C. 1622.

tradicente eouſque ſuſpenſum teneretur querelam interpoſuerat) demum ad finem hujus anni palam factum, docuit clam ordiri victores, ſive Regni in Germania perpetui, ſive belli immortalis, ut tunc conſtabit. Prius autem removendæ erant difficultates quibus impediretur tale conſilium, præſertim motus Vngarici, ad quos componendos totis viribus converſis, Imperator initio hujus anni pacem cum Bethlemo Nikelſpurgi opera Staniſlai Turſo tractatam ſtabilivit, conditionibus ipſi Bethlemo quaſcunque petere præſumpſit conceſſis, nempe ut ſeptem Præfecturas opulentiores cum ſuis Arcibus & emolumentis, & Caſſoviam in Vngaria; in Sileſia vero Principatum Opolienſem & Ratiborienſem cum titulo Principis Imperii dum viveret retineret: Quinquaginta millia nummorum Vngaricorum aureorum in annos ſingulos ab Imperatore pro ſtipendiariis præſidiorum illarum arcium acciperet. Titulo vero Regis Vngariæ abſtineret,& redderet Coronam Regiam Vngariæ (quam aſportaverat Poſonio, & apud ſe detinebat) pro Comitiis proximis Vngariæ, in quibus etiam querelas ſtatuum Vngariæ componere Imperator teneretur.

Ferdinandus Imperator pacem facit cum Bethlemo.

Bethlemo Ducatus Opolia Ratiboria in Sileſia datur.

Indicta itaque fuerunt ad eum finem Comitia Ordinibus Vngariæ Endeburgi ad menſem Maium, quæ priuſquam adveniſſent, Imperator tranſierat Gretzium Styriæ,ubi deſponſavit ſibi Leonoram Gonzageam Mantuæ Ducis ſororem,quam mox in illis Comitiis Vngaticis Reginam Vngariæ coronari fecit, ipſaque Comitia ex voto abſolvit. Interim etiam ut partes Friderici Palatini ſpe reconciliationis diſtineret, miſerat Comitem Szwartzemburgicum ad Angliæ Regem cum Legatione ſpecioſa, à quo Rex ille perſuaderi ſibi permiſit, negotium Palatini arbitra Gubernatrice Belgii amice conficiendum fore, dummodo ille Mansfeldium & Alberſtadienſem exauthoraret, omnemque exercitum ſuum dimitteret, quod Daniæ quoque Regis Legato dum ad Comitia Vngarica Oedenburgum veniſſet, ab Imperatore reſponſum fuerat. Ac non contemnendos iſti Palatinales Duces progreſſus interim faciebant; Mansfeldius Hagenoam in Alſatia, & mox Maydeburgum Spirenſe cæperat; poſtea Friderico Palatino ipſo præſente, qui per Galliam mutato habitu cum paucis Comitibus eo tunc advenerat, Tillium cum Bavarico exercitu apud Mingelſchemium menſe Aprili prælio fuderat, cæſis ex eo duobus millibus, & pluribus inſignioribus Præfectis, quatuor tormentis, ſignisque militaribus plurimis captis; deinde Ladeburgum obſedit, & vi aperta expugnavit: Eppingam ac Sinshelmium recuperavit, præſidiis Hiſpanicis cæſis. Et Tillius quidem paulo poſt ſub finem Aprilis Marchionem Durlacenſem apud Vimpſenam profligarat, caſtris & univerſis ejus impedimentis potitus, & menſe Iunio Alberſtadienſis copias apud Hæchſtiam in fugam verterat: ſed Mansfeldius nihil mutato fortunæ ſuæ curſu,ex pluribus in Palatinatu locis Hiſpanos rejiciebat, ab obſidione Hagenoæ Archiducem Leopoldum recedere coëgerat diſſipato primum ejus equitatu obviam ſibi miſſo, & magna parte illius exercitus in fuga trucidata, curribuſque plurimis cum inſtrumento bellico & impedimentis Caſtrenſibus intercepris Darmſtadium cæperat, & deinde Andlavia Oberndemioque occupato, tabernas Alſatiæ obſidione gravi prope ad neceſſitatem deditionis redegerat. Tamen cum Palatinus voluntati Regis Angliæ & Daniæ refragari non poſſet, poſtquam illi ſpe pacificationis ab Imperatore accepta ipſum ſerio monuerant, ut arma deponeret, tredecima menſis Iulii Tabernarum obſidionem ſolvi fecit, & Mansfeldium ac Alberſtadenſem cum univerſa militia dimiſit. Iam enim Comes Szwartzemburgicus ex Anglia redierat, recta converſus Bruxellas, eoque venerat Anglicus Legatus Veſtonus, tractatus pacis inchoatutus, quos culpa ſua Palatinus remorari nolebat. Statimque Mansfeldius cum Alberſtadenſi inter quotidianos cum Imperialibus, & Hiſpanicis conflictus

Ferdinando Imperatori deſponſatur Leonora Mantuana.

Ferdinandus Imperator Legatum mittit in Angliam ad deſtinendum Palat. ſpe reconciliationis.

Frider. Palat. mutato habitu per Galliam in Palatinatum venit.

Mansfeldius apud Mingelſchemium profligat Tillium.

Tilius Marchionem Durlacenſem profligat.

Leopoldum Archidux Mansfeldius apud Hagenoam fugat.

Fridericus Palat. ſpe reconciliationis progreſſus ſuos felices relinquit & exercitum dimittit.

Mansfeldius & Alberſtadenſis dimiſſi à Palatino in Hollandiam tranſeunt.

A.C. 1622. flictus ad fines Galliæ per Metenſem Epiſcopatum tranſeuntes, pene cum vinginti millibus armatorum, ſparſo rumore quod Regi Galliæ militaturi irent, apud Sedanam obliquarunt curſum in Hollandiam per Brabantiam, ubi Gonzalum de Corduba cum viginti quinque millium exercitu itinera ipſis intercludenrem apud Falleis oppidum, ſub finem Auguſti prælio commiſſo fuderunt: Er licet reſtituerit Cordubenſis aciem ſuam inclinatam peditatus Hiſpanici opera, qui in illo conflictu firmus diſperſo equiratu ſtetit, tamen prohibere non poterat, quin illi tranſirent Bredam, extremaque ſolum eorum agmina carpens, aliqua ſigna & currus ſuos ablaros recuperarat.

Mansfeldius Hiſp. apud Falerorum diſſipat.

Alberſtadienſis manum amittit.

In illo conflictu Alberſtadienſis jaculo bombardæ in manu ſiniſtra percuſſus, vulnere ex labore pugnæ inflammaro, eam iterata ſectione reſciſſam amiſit, maniſeſteque pœnam tulit ſacrilegii facti in Templo Paderbonenſi expilato, ubi ex auro 80 pondo conflatum loci ejus Patronum S. Liberium abſtulit, & ex argento Monaſterii Suſati, aliiſque ædibus ſacris rapto, monetam ſignari juſſit, ab una parte manu ex nube protenſa gladio armata, ab altera inſcriptione *Amicus Dei, inimicus Cleri*, omninoque ad talem ictum illam manum extenderat. Ex inſignioribus Hiſpanicis ceciderat in ea pugna Franciſcus Guevara, gregarii prope mille, pauciores ex Mansfeldicis. Cæterum poſt illam Mansfeldii & Alberſtadii miſſionem, res Palarini cum ſublevari debuiſſent, in peius ruerunt; nam & tractatus pacis Bruxellis magis ad tempus trahendum inſtirutus, perfici non potuir, eo quod Belgii Gubernatrix, non habebat ad decidendum illud negotium, vel ad concedendas inducias plenam ab Imperatore poteſtatem; quod demum inchoatis tractatibus patuit. Et ſtatim poſtquam à Palatinatu diſceſſerat Monsfeldius & Alberſtadienſis, quaſi cuſtodibus remotis Leopoldus Archidux, ex ſuperiori Alſatia adveniens Hagenoam recepit, & inde movens, Spiram, ac plura viciniora Oppida occupavit: & alii Imperiales Duces, nemine jam propugnanre Landavia, Vintſinga, Neoſtadio, quæ adhuc in nomen Palatini tenebantur, iſtius præſidia ejecerunt. Tillius vero Heidelbergam (ad Nicrum fluvium ſita eſt illa Civitas Electorum Palatinorumq̃ ſedes) medio menſe Auguſto obſidione cinxit, ſummaque vi oppugnatam, ſedecima Septembris (magis inertia defenſorum) immiſſo per ruinas propugnaculorum dejectorum milite cæpit, diripiendamque permiſit. Arx quoque paucos poſt dies deditionem fecit, pacta defenſoribus, & magna parte Civibus, qui eo confugerant, incolumitate. Supellex autem omnis Palatini & Bibliotheca inſtructiſſima Imperatori & Duci Bavariæ ceſſit. Nec moratus Tillius Manchemium (ad confluentem Nicri & Rheni ſitum, in cujus arce veteri Echelberg dicta, quondam Ioannes Papa XXIII. à Concilio Conſtantienſi exauthoratus per triennium captivus manſerat) obſedit, magnaque contentione oppugnatum & defenſum, demumque à præſidiariis ad Arcem concedentibus incendio deformatum, ſub finem Octobris vi obtinuit. Verius Anglus pro Palatino præerat illi loco, & ſatis ſtrenue rem geſſit, ſed multitudine hoſtium ſuperante, etiam Arcem dedit 2 die Novembris, libertate & incolumitate tam corporum quam facultatum omnium plena, non ſibi tantum & millitibus ſuis, ſed omnibus qui cum ipſo erant obtenta, & ut cum vexillis explicatis, bambardis, funiculiſque accenſis, ac duobus tormentis minoribus præſidiarii exirent. Propugnaculum in Rheno infra Bonam ab Hollandis extructum dictum *Pfaſenmutz*, Princeps Neoburgicus cum Henrico Comire Bergenſi interim quoque expugnarar, cum Iuliaco capto interclusi Hollandi ab illa regione, ſubſidia eo mittere non poſſent. Totoque Palatinatu in poteſtatem Imperatoris redacto, Franchentalium ſolum Palatinales retinuerant, non amplius quam ad annum proximum, ut tunc dicemus.

Franciſcus Guevara caſus in pugna cum Mansfeldio.

Friderici Palat. res poſtquam dimiſit exercitum in pejus ruunt.

Frider. Palat. promiſſum de tractanda pace non tenetur.

Leopoldus Archid. poſtquam Palat. ſpe pacis dimiſerat exercitum recuperat Ageno am.

Cæſarei Duces poſtquam Palat. ſpe pacis dimiſerat militem reliquum ejus ditionis indefenſum occupant.

Heidelbergam Tillius capit.

Bibliotheca Heidelbergen. abducitur Monachium.

Manchemium obſidet Tillius.

Echelberga captivus ſedit Ioannes XXIII Papa.

Manchemium vi captum, & Arx per deditionem.

Hollandorum munitio in Rheni Inſula Kompervert expugnatur.

Franchentalium tantum retinet Palat. in ſua ditione.

In

A.C. 1622.

In Sileſia quoque Glatzium Comes Turrenſis junior, quod fortiter euſque defenderat, & adhuc retinere poterat, niſi Palatinus prohibuiſſet, accepta cum ſuis militibus ſecuritate vitæ Carolo Archiduci Epiſcopo Vratiſlavienſi dimiſit, & omnes copiæ quæ ibi cum Iagendorfio pro Palatino militarunt, poſtquam Imperator cum Gaborio Bethlem ac Vngaris pacem compoſuerat, partim in diſperſionem vexillis laceratis, partim ſub ſigna Imperialia tranſierunt.

Turrenſis Comes Glatzium dedit Carolo Archiduci.

Friderici Palat. copia in Sileſia diſperſa facta pace cum Betlemo.

Atque ita Imperator hoſtes ſuos ſpe reconciliationis ad arma deponenda inductos facile ſuperavit, & ex omni parte Imperii exturbavit. Tuncque demum Comitia Generalia Germaniæ ſæpius dilata, pro abdicando Palatinali Electoratu Friderico ad finem anni hujus celebranda indixit Ratisbonæ, quo ipſemet cum Imperatrice & Comitatu Aulico menſe Novembre tranſierat. Sed ex Electoribus nullus à principio adfuit: ac paulo poſt cum nonniſi Eccleſiaſtici adveniſſent, invitandis & expectandis Saxonico & Brandeburgico Electoribus, reliquum anni hujus tempus fuit conceſſum. Offenderat autem gravius Saxoniæ Electorem, & omnes Diſſidentes in Religione, quod Imperator abrogaverat Boëmis *Literas Majeſtatis*, ac Iurapatronatus, & juſſerat expelli Praga, ac ex toto Boëmiæ Regno dogmatiſtas tam Euangelicos, quam Lutheranos, & aliarum Religionum adverſarum, eorumque templa claudi fecerat.

Ferdin. Imp. hoſtes ſuos ſpe pacis ad arma deponenda inductos facile ſuperavit.

Comitia German. Ratisbonæ indicit Imperator ad finem anni 1622.

Pro Auguſtana itaque ſecta ſeu Lutheranis reſtituendis, ſcripſerat Elector Saxoniæ ad Imperatorem, fidem appellando edictorum literarumque ipſius diverſarum, in quibus profitebatur bellum illud pro recuperatione Provinciarum ſuarum hæreditariarum, non pro tollendis *Literis Majeſtatis*, neque in præjudicium Euangelicæ vel Lutheranæ Religionis ſuſceptum fuiſſe. Ad quam querelam cum Imperator Boëmos propter rebellionem ſuam privilegia omnia amiſiſſe, & ſi ex gratia ipſis reſtitueretur beneficium *Literarum majeſtatis*, eos ad ingenium & ad novas turbas ciendas ſub earum tutela redire poſſe reſpondiſſet, omninoque in ſententia ſua de eis non reſtituendis perſiſteret, illum eo magis indignatum ad Comitia Ratisbonam venire noluiſſe multi opinabantur. Verum præter hanc cauſam alia longe diverſa cunctationis hujuſmodi apparebit ex progreſſu Comitiorum, quæ Imperator pertæſus moræ longioris, non expectatis illis Electoribus.

Saxoniæ Elector offenſus Imp. non venit ad Comitia.

Pragæ ejecti hæretici concionatores.

Ferdin. Imp. reſpondet Boëmos privilegia ſua amiſiſſe.

Annus Chriſti, 1623.

Die ſeptima Ianuarii, Anni Milleſimi, Sexcenteſimi, Vigeſimi tertii, fecit inchoari, & proponi negotia, propter quæ Conventum illum convocarat. In primis longa ſerie narratis Frederici Palatini delictis, declaravit, quod eum proſcripſerit, Electoratu privaverit, ejuſque Electoratum lege ut vocatur *Commiſſoria*, ad ſe devolutum ex plenitudine poteſtatis, tranſtulerit in DucemBavariç Maximilianum, cujus fidelem operam toto illo bello fuit expertus. Addita quoque erant aliqua, ſuper quibus Imperator deliberationem, & conſilium illius conſeſſus requirebat, nempe de juvandis rebus Vngaricis: de modo reſtituendç pacis Germaniæ, de inſtauranda authoritate judiciorum Cameræ Imperialis, de Hollandis qui multa loca in Imperio occuparunt, de Monetariis. Sed illud caput rei fuit, de exauthorando Friderico Palatino, contra quem cum accuſationem & judicium vel ſaltem ad ſpeciem inſtituendum, & cuinam Electoratus deferendus eſſet, in illis Comitiis primum dignoſcendum fuiſſe, omnes ſperaſſent, eum damnatum, Magiſtratu abdicatum, prætéritiſque omnibus qui ex lege vocabantur ad illum Magiſtratum, remotiorem gradu in ſerie gentis Palatinæ, victoris arbitrio ſolo fuiſſe evectum videntes, principia abſoluti Dominatus exhorruerunt.

Ratisbonæ in Comitiis Imp. propoſitio.

Frid. Palat. de abdicando nullum judicium Comitiorum præmiſſum.

Varia-

A.C. 1623.

Electorum Concilium reſpondet ſine prævia cognitione Iudiciali Palat. abdicari, & in remotiorem Electoratum transferri non poſſe.

Variabant etiam ſtudia Collegii Comitiorum, plures Imperatore ac Bavariæ Duce ad partes ſuas trahente: ſed tamen ſub finem Ianuarii, ab illo datum fuit reſponſum ad Cæſaream propoſitionem tali ſenſu: Quod Palatinus promeruerit quidem tantas pœnas, ſed procedendi in hac cauſa modum illegitimum videri, in quo reus, nec citatus, nec auditus, ſine ulla judiciali cognitione damnaretur: Cum tamen etiam in minoribus cauſis,ſecundum genuinas Imperii leges & pacta ab ipſomet Imperatore circa inaugurationem ſuam jurata, pares Curiæ & ejuſdem cum reo dignitatis, & conditionis perſonæ, ad judicium ſint adhibendæ in quovis delicto quantumvis manifeſto. Tranſlationem quoque Electoratus ad perſonam remotiorem omiſſis filiis, fratre, agnatis proximioribus, qui nihil peccarunt, quinimo Cæſari in hoc perturbato rerum ſtatu utilem operam navarunt, & ex præſcripto Bullæ aureæ jus quæſitum ſuper Electoratu habent, Legibus Imperii & omni æquitati ac conſuetudini in ſimilibus antiquitus receptæ adverſari, aliiſque Electoribus ſæcularibus exemplum hoc præjudicare, & ſucceſſionis Electorialis jura à fundamentis convellere. Hæque & aliæ in iterato reſponſo (poſtquam ad primum Imperator immotus in propoſito perſiſtebat) graviores rationes inducebantur: & demum invocabatur clementia Imperatoris, ac pietas erga

Ferdinandus Imperator non flectitur precibus Comitiorum ut ſervet ordinem Bullæ Aureæ in abdicando Palat.

patriam, quæ perpetua Electorum ac Principum Imperii diffidentia, belloque perenni conflictatura eſſet, ſi in ea ſucceſſionis Electorialis confuſa veſtigia manerent, & Palatinus ope tot Regum & Principum affinium, amiſſa recuperare conaretur. Sed fructu ad extremum inani hæc omnia agitabantur, cum Imperatot nullis ſuaſionibus & deprecationibus flecti vellet, vel non poſſet reſcindere ſua promiſſa, ſeu rationes præjudicatas ſtatus ſui conſervandi, continendæque in freno Germaniæ (*ragion di ſtato moderni dicunt*) ſanctioribus obligationibus, armis Hiſpanicis, diverſiſque recens (ſub hoc tempus novum fœdus fecerat Auſtriaca Domus, de conſiliis & opera mutua conferenda pro conſervanda ſucceſſione ſuæ proſapiæ in ditionibus ſuis) initis fœderibus connexas. Atque propter-

Saxoniæ & Brandeburgi Elector non venit ad Comitia ne conſentiret inordinatæ abdicationi Palat.

ea Electores Saxoniæ & Brandeburgi etiam ad repetitam per Volfgangum à Verſzevitz Cæſaris vocationem, pro Comitiis illis venire detrectarant, cauſis abſentiæ ſuæ perſcriptis, quod illam damnationem Palatini, & Electoratus collocationem legibus, conſuetudinibus Imperii æquitatique contrariam probare non poſſent, & timerent majorem Imperatoris offenſam, ſi præſentes ipſius obſirmatæ voluntati contradicerent. Et paulo poſt iidem Electores Anneberga datis ad Imperatorem literis, de violato jure Collegii Electoralis queſti, omnia à ſuis Nuntiis contra illam tranſlationem Electoratus facta dictaque confirmarunt. Appo-

Diſſidentes in Religione intercedunt pro templis Pragenſibus reſerandis.

ſuerant etiam ex illo Collegio Comitiali diſſidentes in Religione petitionem pro templis Auguſtanæ confeſſionis Pragenſibus occluſis, quorum cauſam, licet videretur Boëmorum propria, cum omnium diſſidentium Germaniæ libertate indiſſolubili vinculo eſſe colligatam, & niſi reſtituerentur, ſolidam pacem in Imperio ſperari non poſſe ajebant. Sed æque iſta atque illa prima pro Palatino rejecta,

Bavariæ Dux renuntiatur Elector Palatinus 25 Februarii 1623.

Imperator vigeſima quinta Februarii ſolenni ritu Ducem Bavariæ Maximilianum Electorem Archidapiferum Imperii renuntiari fecit, per Vicecancellarium Germaniæ, qui diſertiori oratione declaravit, quod iſti Cæſar dignitatem Electoralem, Friderico ob ſua delicta ademptam, cum jure ſeſſionis in Collegio Electorum & ſuffragii in eligendo Imperatore contulerit. Qua renuntiatione Dux per internuntios accepta, in Concilium veniens, genu flexus ad pedes Imperatoris, ab eo pileum & pallium Electorale accepit, & jusjurandum conſuetum tactis Evangeliis præſtitit. Tres Electores, Moguntinenſis, Colonienſis & Trevirenſis, ac Epiſcopus Salſpurgenſis, Rariſbonenſiſque aderant illi actui: Legatus Hiſpaniæ Regis adeſſe (ac ſi Rege ſuo inſcio illa fierent) recuſavit, & Legati

Electoris

A.C. 1623.

Frid. Palat. agnatis ſalvum jus conſervatur in Electoratu.

Electoris Saxoniæ & Brandeburgici, ac Princeps Volffgangus Vilhelmus Neoburgicus Comes Palatinus, qui uti proximior agnatus Friderici, ac Catholicus, illum gradum apperebat. Et ne penitus à ſua ſpe iſte excidiſſe, vel ne Angli ac Dani pro Friderico (ſpe adhuc aliqua eos diſtituiſſe oportebat) interceſſiones neglectæ fuiſſe viderentur, in ultima ſua declaratione Imperator opponi juſſerat, quod filiorum, ac fratris Friderici, & Principis Neoburgici, aliorumque ejus agnatorum jus ad Electoratum & ditiones Palatinatus, in Conventu proxime ad hoc inſtituendo, amica compoſitione, vel ſi hæc non ſuccederet, judiciario proceſſu, adhibito Electorali Collegio, ac aliis Iudicibus non ſuſpectis intra certum tempus definiendum eſſet: Ac poſſeſſio Electoratus Duci Bavariæ data, illis præjudicare non deberet. Immo in diplomate iſti ſuper eodem Electoratu dato adderetur clauſula, ac ipſemet Dux reciproca obligatione caveret. *Quod ſi alicui ex proximioribus prædictis idem Electoratus adjudicaretur, illi ditio ejuſdem Electoratus poſt obitum ipſius Ducis Bavariæ ab Imperatore conſignanda eſſet.* Prætendit autem Bavarica proſapia jus ad Electoratum etiam ex ſucceſſione ſua hæreditaria ab Ottone Duce Bavariæ, qui Anno Chriſti 1215, ducta uxore Agnete

Bavaricæ ſtirpis jus ad Electoratum.

Henrici ultimi tunc Electoris Palatini unica filia, cum ea Palatinatum & Electoratum illum obtinuit. Sed prout à prima inſtitutione Electoratuum, nonniſi penes poſſeſſorem Palatinatus, ſi iſte diviſim à Boiaria obtineretur, Electoratus ille erat, ita & poſt Ottonem Anno Chriſti 1295, cum ejus Nepotes filii Ludovici III partirentur inter ſe hæreditatem paternam primogenito Rudolpho I cum ceſſiſſet Palatinatus, ceſſit & Electoratus: Ludovico vero IV ceſſit Boiaria. Et licet Ludovicus iſte IV factus Imperator ſpoliarit fratrem Rudolphum Palatinatu & Electoratu, eo quod ille circa Electionem Imperatoris faverat Friderico III Auſtriaco, & poſtmodum circa reſtitutionem filiorum ejus Rudolphi II & Ruperti in ditionem paternam, caverit, ut iſtis commune eſſet jus Electorale cum filiis ipſius Ludovici IV nempe Ludovico & Stephano, alternaque ſuffragia darent iſti in Electione Imperatoris, hancque concordiam in Comitiis Francofurti Anno Chriſti 1339, confirmari curaverit, tamen Carolus IV Imperator illam concordiam uti Conſtitutionibus Imperialibus antiquis contrariam, ac vi extortam, ex conſilio Electorum Ordinumque Germaniæ, Anno Chriſti 1353, reſcidit, juſque Electorale Ruperto Palatino (ejus frater major natu Rudolphus II interim obierat) ſoli integrum addixit; diplomaque publicum ſuper hoc in Comitiis Norimbergæ Anno Chriſti 1356, ab Electoribus approbari & ſubſcribi fecit. Ab illoque tempore, citra ullam controverſiam ſoli poſſeſſores Palatinatus Rheni Electorali prærogativa utebantur. Neque tamen

Francovalium Rex Angliæ per modum depoſiti tradit Gubernatrici Belgii.

ex iſta, neque ex alia cauſa amicorum arbitrium ſeu judicium illud ab Imperatore promiſſum, unquam fuit habitum: & inſuper cum pro parte Friderici quo Imperator placaretur, illudque arbitrium ſeu judicium celerius perfici juberet, Rex Angliæ Francovalium ſeu Franchentalium præcipuum in Palatinatu (hoc unicum ubi Palatinus adhuc retinebat) propugnaculum durantibus adhuc Comitiis Ratisbonæ Belgii Gubernatrici per modum depoſiti tradidiſſet, fide utrinque interpoſita, ut niſi intra quindecim Menſes tractatus hujuſmodi pacis terminaretur, iſta Franchentalium cum omni apparatu bellico Regi Angliæ redderet, elapſo illo tempore præſtituto, nec tractatus fuit completus, nec Franchentalium reſtitutum. Sub finem vero Martii ſolverat Comitia Imperator, ac paulo ante dimiſerat Tillium cum mandato, ut exercitum augeret ad cohibendum

Tillius accipit mandata Imperatoris ut exercitum ſuppleat.

Mansfeldium & Alberſtadenſem, qui ex Hollandia in Saxoniam inferiorem, & ille in Friſiam Orientalem conceſſerat, vireſque reſtaurarat. Ipſe Imperator ſolutis Comitiis Pragam inviſit, ibique rebus conſtitutis & Saxoniæ Electore, col-

A.C. 1623.

Luſatiam Imp. confert. Saxoniæ Electori.

Bethlem ob non ſervatas conditiones ab Imperatore in Moraviam excurrit, & Cæſarianos profligat.

lata ipſi Luſatia ſuperiori & inferiori fiduciario jure, in amicitia confirmato, iterum Viennam menſe Iunio tranſierat, propter novos motus in Vngaria exortos, ubi Gabor Bethlem offenſus, quod quinquaginta millia nummorum aureorum annua ex pactis Nikelſpurgenſibus ſibi promiſſa non ſolverentur, & quædam conditiones non ſervarentur, per Comitem Turrenſem ſeniorem. Legatum ſuum Conſtantinopoli à Turca majora auxilia impetraverat, illiſque acceptis, Budianus in Auſtriam inferiorem, ipſe vero Bethlem in Moraviam irrumpens, menſe Octobre plurima damna Cæſarianis dedit: Tiſenbachicam legionem profligavit, plurimos ex ea cæpit, & una cum Vanglero Vicepræfecto Tiſenbachii Tyrnaviam, quam etiam receperat, vinctos oblegavit: præſidiarios Moraviæ circa Brunam exuſtis ibi ſuburbiis fudit, & Comitem de Montenigro cum Cæſarianis copiis fuga ægre ad Gedingum oppidum elapſum, ibidem obſidione gravi ad vigeſimam Novembris preſſit: Demum vero Turſone Palatino Vngariæ procurante inducias fecit ad menſem Aprilem proximum. Turcæ tamen ipſius auxiliares in reditu à Novoſelenſibus, Comorenſibus, Iaurinenſibus Cæſarianis præſidiis multum incommodi acceperunt.

Bethlem inducias facit cum Imper.

Turcæ auxiliares Bethlemi in reditu cæduntur.

Germania vero conquietura videbatur, poſtquam totum Palatinatum Imperator obtinuerat, & Rex Angliæ tradita Franchovalia in depoſitum Gubernatricis Belgii, inducias ad Menſes quindecim ſtabilierat, Fridericumque Palatinum omni ſocietati cum Mansfeldio & Alberſtadenſi aliiſque renunciare fecerat, fretus maxime, quod tota illa lis, ſi tractatus cum Gubernatrice non ſucceſſiſſent, certe connubio (unicum hoc ſupererat reconciliandi cum Auſtriacis Palatini medium) Caroli Valliæ Principis filii ſui, cum Maria ſorore Regis Hiſpaniæ ſopiri deberet. Sed majore metu ſuſpicionibuſque inter Principes diſſidentes in Religione ab illis Comitiis Ratisbonenſibus ſubortis, bellum novum conceptit: Territi enim iſti proceſſu illo contra Fridericum Palatinum præter juris Ordinem & inconſulto Collegio Electorali, mera victoris poteſtate facto, cum Imperator jam debellatis ſuis hoſtibus, nihilominus majores copias colligeret, ac Liga Catholica, licet fœdus diſſidentium jam eſſet ſolutum, arma retineret, ea contra ſe parari, & cauſa non licta cxequutionem pro reſtituendis Eccleſiarum bonis contra ſe inſtituendam fore opinabantur. Vnde ſtatim Principes & Civitates reſerioris Saxoniæ, ubi plurimi Epiſcopatus ac Eccleſiaſtici fundi à Principibus & Nobilibus, communitatibuſque Religionis adverſæ tenentur, inierant fœdus, & conſcripſerant militem pro mutua defenſione, eique præfecerant Chriſtianum Ducem Brunſvicenſem Alberſtadenſem Epiſcopum. Tillius itaque ex Veteravia movens per Haſſiam, nec quicquam tranſitum denegante Mauritio Landgravio, eo contendit, ſcriptis literis ad Vlricum Ducem Brunſvicenſem, quod Alberſtadenſis occaſionem ſibi daret ingrediendi illas ditiones. Et tunc quidem Principes illius circuli non ſatis contra tantam vim inſtructi, perſuaderi ſibi permiſerunt ſolum Alberſtadenſem quæri, eoque amoto ſeſe immunes fore. Ac propterea illum ablegarant poſtquam excuſarunt, quod nil hoſtile contra Cæſarem vel contra vicinos moliretur, verum ſtudio per ipſos avocatus à Mansfeldio, ſecuritatis ſuæ perſonæ cauſa in caſtris ſe contineret, reconciliationem Cæſaris expectans. Et licet Tillius tali excuſationi non acquieſcens cum exercitu ad eorum fines appropinquaret; jamque in Brunſvicenſi Principatu Arcem Friedland, aliaque circa Volfenbutelam plura loca occupaſſet, tamen ipſi quieverunt. Sed cum iſte cæſo poſtea ſeptima Auguſti Alberſtadenſi in Veſtphalia apud Lonerbruchum prope Monaſterium, (abeuntem ex Imperio & pugnam detrectantem, cum tranſitum Knipauſius ejus Tribunus male cuſtodiſſet,

Germaniæ Principes Diſſidentes in Religione ſibi timent & fœdus ineunt pro mutua defenſione.

Tillius movet exercitum in Saxoniam inferiorem.

Tillius profitetur quod tantum Alberſtadenſem perſequi velit.

Tillius Alberſtadenſem profligat.

ſet, improviſo conſequutus profligarat) Mansfeldio quoque ex Phriſia Orientali excedere coacto, nulloque jam qui Imperatori ibi reſiſteret apparente, nihilominus in Haſſia militibus ſuis hyberna diſtribuiſſet, impoſita Provincialibus ſuſtentandi alendique eos neceſſitate, nec loca in Brunſvicenſi territorio occupata dimitteret, tanto magis in ſuſpicione initio concepta, confirmati, ad capeſſenda arma pro ſua defenſione mutuo conſpitarunt; Ducemque armorum ſuorum elegerunt Regem Daniæ: Qui nil moratus illud onus ſuſcepit, præſidia circa tranſitus Viſurgi diſpoſuit, velutique novum bellum exorſus, acri contentione duxit, in ſubſequentibus annotandum.

A.C. 1623.

Tillius in Haſſia hyberna ſumit.

Saxonia inferior cum Tillio caſo Alberſtaden. nihilominus ibi exercitum teneret, Regem Danum in auxilium vocat.

Interim opportunitate victricium ubique armorum Auſtriacorum uſus Princeps Neoburgicus, Lippiam hæreditatis Iuliacenſis longa & difficili oppugnatione ad deditionem coëgit, totumque Comitatum Ravensburgenſem recepit: Et Cordubenſis Eſſenum in Montenſi Comitatu præſidium Hiſpanicum introduxit. Hollandi quoque occaſionem nacti, quod Embdana Civitas in Phriſia Orientali Tillium metuebat, ſuum præſidium ibi ut ſuſciperetur, non difficile impetrarunt, ac Legato Imperatoris Gramaio menſe Octobre Hagam Comitis advecto, reſtitutionemque illius, & aliarum Civitatum Imperialium requirenti reſponderunt, eas non uſurpari in præjudicium Imperii, ſed cuſtodiri ne inde ſui fines ab hoſte impugnentur. Addiderat idem Legatus de penſione annua Matthiæ Imperatori promiſſa ab illis Ordinibus ſolvenda, & præſtandis auxiliis contra Tutcam, ac offerebat interceſſionem Imperatoris ad Regem Hiſpaniæ pro conſtituenda inter ipſos pace perpetua, ſed & interceſſione tali opus non eſſe, & auxilia contra Turcas æque ac penſionem Matthiæ, quouſque tantum Gubernatoris apud ipſos munus gerebat, aſſignatam dari non poſſe replicarunt, vacuumque dimiſerant illum Legatum. Terra nullos alios apparatus bellicos fecerunt iſti hoc anno, ſed claſſem prope quadraginta navium expedierant cum Architalaſſo Eremito, qui in Galitiam delatus, Civitatem Sancti Angeli invaſit & diripuit, & in Orientali India Luſitanorum claſſem diſſipavit, multis navibus demerſis, & non paucis una cum Meccao civitate captis. Domi vero deprehenderant Arminianos toties caſtigatos novas conſpirationes in necem Mauritii Principis Auraici, & ad novandam Rempublicam moliri, quorum authorem Slatium cum aliquot ſociis Concionatoribus Atminianis Hagæ Comitis ſupplicio capitis affici fecerunt: duo Batneveltii filii olim Advocati Hollandiæ cum intellexiſſent illam conjurationem fuiſſe detectam, fuga elapſi crimen agnoverunt.

Neoburgicus Princeps Ravensburgum recepit.

Hollandi Embdam præſidium ſuum introducunt.

Imperatoris Legato Hollandi dant reſponſum.

Hollandica claſſis in Galitia damna dat Hiſpanis.

Luſitana claſſis in India ab Hollandis profligata.

Arminiani iterum conſpirantes puniuntur.

Barneveltii filii profugiunt ex Hollandia.

Quod tamen attigimus ſupra de filio Regis Angliæ Principe Valliæ nuptias ſororis Regis Hiſpaniæ ambiente, licet Senatus in eo diſſentiret, tamen cum Pater Rex ita vellet, cum paucis Comitibus mutato habitu mari Caletum ille tranſiens, poſtea Pariſios, indeque Veredis, ac ad velociorem curſum diſpoſitis equis in Hiſpaniam, Mantuam, Carpenatorum ſeu Madritum medio menſe Martio pervenit; ſpe plenus, quod præſens facile reſtitutionem Palatini, & tractatum illius matrimonii perficeret. Declinaratque recta ad domum Digbii Legati Anglici extraordinarii nocte intempeſta: ubi cum latere, & ab itinere aliquot diebus quieſcere propoſuiſſet, die inſequenti divulgato rumore de ſuo adventu, evitare non potuit, quin miſſo Marchione Buquingamio, præcipuo itineris ſui præſultore ad Comitem Olivarez, Regem Hiſpaniæ de adventu ſuo certiorem faceret: Rex quoque eodem die cum Regina & duobus fratribus ſub veſperam, quaſi animi gratia per civitatem curru iret, eum curru ex induſtria illa eadem via vectum offendit, & ſalutavit. Moxque Rex deducta Regina ad Palatium, ſolus cum Comite Olivarez ad hoſpitium Angli reverſus, obviam eum iterum in medio itinere habuit, & poſtquam ambo deſilientes ex curru mutuis amplexibus ſeſe con-

Vallia Princeps filius Regis Angliæ in Hiſp. venit.

Hiſpaniæ Regis cum Vallia Principe congreſſus.

 ſalu-

A.C. 1623.

Hiſpania Regis cum Vallia Principe congreſſus.

ſalutarunt, Regium currum aſcendentes, Anglo dextram licet renuerit tenente in campo quodam ſemihoræ ſpatio diverſos ſermones inter ſe conferebant. Et demum elapſis aliquot diebus à monaſterio S. Hieronymi, quaſi tunc primum ingrediens Vrbem hoſpes iſte, à Rege magnoque Hiſpanorum Procerum numero pompa ſolenni ad Palatium Regium fuit deductus, ac Regio ſplendore habitus.

Valliæ Principis Madritum ſolennis ingreſſus.

Quid porrò interceſſerit circa matrimonii tractatum, melius liquere poteſt ex relatione Buquingamii in reditu anno ſubſequenti (ſed huic loco magis convenit) apud Senatum Angliæ facta, in qua hæc narrabat ille:

Valliæ Principis tractatus de matrimonio in Hiſpania ſeriis.

De reſtitutione Palatinatus Hiſpanos nunquam ſerio cogitaſſe, illudque vanum fuiſſe, quod Gubernatrix Belgii Iſabella in Bruxellenſi tractatione Anglis Legatis affirmarat, habere ſe plenam poteſtatem conſcribendi & dimittendi militem. His tamen ejus verbis credidiſſe Regem Angliæ, ut Mansfeldium cum exercitu è Palatinatu revocaverit: cumque idem Rex viceverſa de abducendo inde milite Hiſpano urgeret Bruxellis, reſponſum fuiſſe, illud non eſſe in poteſtate Infantis, ſed ab Hiſpaniæ Rege impetrari debere. Regem itaque Anglum miſiſſe tunc celeriter in Hiſpaniam Potterum, ut peteret clarum reſponſum à Rege Hiſpaniæ, & de matrimonio, & de reſtitutione Palatinatus, præſtituto ipſi, ne ultra decem dies ibi hæreret. Et cum Digbius Legatus Anglicus jam ante propterea ad illam Aulam miſſus, eum in incerto diutius tenuiſſet, ipſummet Potterum ad Comitem Olivarez acceſſiſſe, ab eoque reſponſum tuliſſe, quod negotium matrimonii & reſtitutionis Palatinatus dubium adhuc eſſet. Cum tali reſponſo eum Potterus in Angliam redire conſtituiſſet, Digbium eo tantiſper remorato, aliud reſponſum à Comite Olivarez flagitantem, non aliud obtinuiſſe niſi quod iſte indignatus Pottero de relevato reſponſo ipſi ſoli concredito, nullum aliud dari poſſe replicavit. Digbium nihilominus ſpe inani obtinendi utrumque Regem Angliæ lactaſſe euſque ut eum permoverit ad mittendum in Hiſpaniam filium ſuum, cujus adventum inſperatum ibi fuiſſe, nihilque permotos Hiſpanos Principis præſentia primum ante quartam hebdomadam ab ejus adventu de Matrimonio tractatum ullum inchoare noluiſſe, & demùm plane denegaſſe Matrimonium, niſi Princeps Religionem mutaret. His auditis Princeps eum reditum in Angliam pararet, Hiſpani quo eum adhuc retinerent, promiſerant ſuper illo Matrimonio, ad quod Eccleſiaſtici Hiſpaniæ conſentire nollent, niſi Princeps mutaret Religionem, à Summo Pontifice Romano diſpenſationem per Regem Hiſpanum obtinendam fore. Interea Digbium ſuaſiſſe Principi, ut Religionem mutaret, vel ſaltem hoc ſimularet: ſed Principem utrumque recuſaſſe, diſceſſumque tanto magis maturaſſe. Demum cum perſuaſus expectavit diſpenſationem, eam tandem allatam fuiſſe: ſed conditionibus (præſertim circa Catholicos in Anglia degentes) appoſitis adeo reſtrictam ut eam probare non potuerit, & omnino diſcedendum decreverit. Aliud igitur medium Hiſpani propoſuerant, nempe ut Legati Hiſpani Regis tractarent in Anglia ſuper moderando diſpenſationis articulo. Recuſantes ſive Romano Catholicos in Anglia degentes concernente: ſed illis Legatis ex Anglia reverſis, rumorem fuiſſe ſparſum, exorituras ibi propterea ſeditiones, ad eaſque compeſcendas Principi exercitum, & auxilia ſufficientia Hiſpanum Regem obtuliſſe. Denique Regem Hiſpanum aliam diſpenſationem liberaliorem Romæ procurare voluiſſe, in qua expectanda Principem longioris moræ incommoda veritum, diſceſſum inſtituiſſe, apud Digbium ſuper utroque negotio informatione ſufficienti relicta. Addiderat inſuper: *Quod toto illo tempore nonniſi ſemel Principi Regiam Virginem illam, idque verbis præſcriptis licuerit alloqui, quodque in literis à Rege Hiſpaniæ in Angliam poſt Principis diſceſſum miſſis expreſſum apparebat, de reſtitutione Palatinatus cum ſolo Imperatore agendum eſſe.* Et hæc Buquingamius.

Valliæ Principi nonniſi ſemel licuit alloqui Infantem Hiſp.

Et licet ex iſtis perſpicua ſit tota ab initio ad finem ſeries tractationis illius,

quo

quo tamen ſatisfiat lectori, nos quoque potiora quæ circa eam evenerunt attingemus. Quouſque Princeps Valliæ Madriti hæſit, negotio Palatinali ſuſpenſo, de nuptiis ſolis deliberationes habebantur, perſuaſis Hiſpanis potitum iſtis illum Principem poſtpoſiturum res Palatini, & Anglis arbitrantibus, quod ſponſaliis concluſis, Palatinales offenſæ perpetuorum utrinque bellorum & diſſidiorum anſa in gratiam novorum ſponſorum tollerentur. A.C.1623.

Valliæ Principi conditiones propoſitæ pro connubio cum Hiſpana.

Conditiones vero Matrimonii ex illis conſultationibus propoſitæ fuerant iſtæ præcipue: *Vt Rex Hiſpanus à Summo Pontifice ſuper illo matrimonio diſpenſationem obtineret: Matrimonium ritu Catholico in Hiſpania celebraretur, & in Anglia ſi qua ejus feſtivitas iteranda eſſet, ne quid ibi contrarium Religioni Catholicæ, vel quod Sponſam offenderet adhiberetur. Familiam omnem Reginæ Catholicam haberet, non ex ſubditis Regis Angliæ, ſed quam Rex Hiſpanus ordinaret, & in decedentium locum alios ſubſtitueret, illaque Familia legibus Angliæ non ligaretur. Familia hæc fidelitatem Regi Angliæ juraret, forma juramenti approbanda à Sede Apoſtolica, ut nihil in ea inſeratur, quod conſcientiam Catholicam gravaret.*

Regina haberet in Palatio Sacellum amplum, & Templum Palatio vicinius pro exercitio Religionis Catholicæ, cum numero Sacerdotum Catholicorum ſufficienti arbitrio ſuo.

Vt filii & filiæ ex hoc Matrimonio procreandi à Matre educarentur, & ſuccederent in Regno quamvis profiterentur Religionem Catholicam.

Angliæ Rex confirmat conditiones datas filio ſuo pro matrimonio cum Hiſpana.

Hæcque utrinque erant rata & confirmata à Rege Angliæ (nimium credulo) ſumma celebritate in præſentia duorum Legatorum Hiſpanorum & Gubernatricis Belgii. Ad dubia quoque poſt hæc à Rege Hiſpaniæ propoſita de ſecuritate adimplendarum iſtarum conditionum, & matrimonio hoc non reſcindendo, & de ætate filiorum ad quam manere deberent in poteſtate Matris, Rex Angliæ ſatisfecerat. Et pro danda diſpenſatione Romana Curia, ultra libertatem Religionis ad perſonam Reginæ & Aulæ ſuæ ſatis firmatam primis illis conditionibus, volebat quidem in commodum Catholicorum per totam Angliam aliquid concedi, ſed ad ultimum acquieviſſet iiſdem conditionibus, quibus Sororem Regis Galliæ paulo poſt eidem Principi Valliæ jungi permiſit: omninoque de pactis illius connubii inter partes convenerat, niſi illa concepta de controverſia Palatinali opinio unam & alteram feſelliſſet. Quod demum reverſo in Patriam Valliæ Principe patuit, allatis Hiſpani Regis literis, quas relatio Buquingani nominat. Ex eis enim primum Angliæ Rex perſpecto quod negotium reſtitutionis Palatinatus ad ambiguum Imperatoris arbitrium remittebatur, contractum illum matrimonialem potius rejiciendum, quam Palatinum deſerendum decrevit, & Hiſpani affinitate Angli ſatius fruſtrari, quam Palatinatus arcanique ſui de ſubjuganda Germania jacturam facere maluerunt, exindeque tractatus illi intermiſſi, in anno conſequenti prorſus evanuerunt, acerbioribus odiis inter illos Principes propterea exortis, ut tunc dicemus. Menſe vero Septembre diſceſſerat Madrito Princeps Valliæ Regali magnificentia dignis muneribus acceptis, & datis in illa Aula Comitatus à Rege ejuſque fratribus Eſcurialem, & inde deductus à Cardinale Zapata, ac Comite de Monterei uſque ad portum Aſturiæ S. Andreæ, ubi claſſem Anglicam conſcendit, medioque Octobre Londinum rediit. Sub illud autem tempus quo manſit Madriti, fortuito eo Orator Regis Poloniæ Adamus Makowski functus officio Internuncii Regii Neapoli multis annis, advenerat opportune Hiſpanis, qui eum pro Principe Poloniæ Vladiſlao matrimonium cum eadem Hiſpana procurare jactabant, ut terrerent Anglos & ad ſuſcipiendas graviores conditiones flecterent. Longe aurum alia tractavit, & nihil obtinuerat, præter larga promiſſa, ac rediens in Gallia ad Aquas Sextias deceſſerat, ob

Palatinatus reſtitutio matrimonium Angli cum Hiſpana impedivit.

Valliæ Princeps Madrito revertitur.

Makowski Polon. Regis Legatus Madriti præter larga promiſſa nil obtinet.

A.C. 1623. ob evacuatum nimium ſectione venæ ſanguinem Hiſpano more, qui Septemtrionalium naturæ nunquam conducit.

Makowski moritur in reditu ex Hiſpania.

Gregor. XV PP. moritur.

Gleſelius Card. liberatur ex captivitate Auſtriaca.

Bibliotheca Heidelbergenſis donatur à Duce Bavariæ Pont. Rom.

Vrbanus VIII PP. creatur 6. Aug. 1623.

Hoc anno Romæ obierat Gregorius Papa XV octava Menſis Iulii, & non multum ante ſuam mortem è captivitate Archiducum Auſtriæ liberaverat Cardinalem Melchiorem Gleſelium, miſſo Auditore Rotæ Veroſpio, qui examine facto, eum injuſte fuiſſe detentum invenit, & ſecum abduxit Romam, ubi in Caſtro Sancti Angeli per paucos dies ſubſiſtere juſſum, poſtea Pontifex innocentem declaravit, & Collegium Cardinalium ad conclave Electionis novi Pontificis eum admiſit. Receperat etiam idem Pontifex à Duce Bavariæ Bibliothecam inſtructiſſimam ablatam Heidelberga, quam in Vaticano Bibliothecæ Pontificiæ adjungi fecit. Decima autem nona Iulii ejuſdem anni Cardinales Romæ præſentes quinquaginta quinque Conclave ingreſſi, initio ſtudiis diviſi, diutius de eligendo Pontifice novo deliberaturi videbantur, ſed ex æſtu nimio in anguſtioribus illius conclavis Vaticani cubiculis (ubi præſertim æſtate aër eſt inſalubris) nonnullis morbo correptis, & aliquibus extinctis, rem maturare coacti, die ſexta Auguſti Maffeum Barberinum Cardinalem ætatis annorum quinquaginta ſex, Pontificem Summum renunciarunt, qui ex more nomine mutato, Vrbanus VIII vocari voluit.

Venetiarum Dux moritur.

Invenerat autem ærarium Pontificale exhauſtum, unde reſtringere largitiones anteceſſoris, præſertim pro bello Germanico coactus, offenderat Auſtriacos. Gravatam etiam Apoſtolicam Sedem impenſis (pluſquam centum millium nummorum aureorum annuorum) pro præſidiis in Valle Tellina ſuſtentandis, eo onere ut liberaret, ad reconciliandam pacem inter Regem Hiſpaniæ & Galliæ pro illa Valle diſſidentes omnem curam ſuam convertit: in proximis annis adnotabitur iſtius conſilii exitus, Duci quoque Venetorum Menſe Auguſto defuncto ſucceſſit Franciſcus Contarenus, & iſto mox Decembre Menſe extincto, ſuffectus fuit Procurator S. Marci Ioannes Cornarus.

Sigiſm. III Polon. Rex in Pruſſiam tranſit.

Elbingæ Sigiſmund. Rex ſplendide excipitur.

Gedani Sigiſmund. Rex commoratur.

Guſtavus Rex Suecus prope portum Gedanicum cum claſſe venit.

In Polonia poſtquam Sigiſmundus Rex militarem à bello Turcico Chocimenſi ſeceſſionem ſolutis ſtipendiis compoſuerat, pacata omnia in Regno habens, ad viſendas Provincias ac Vrbes Pruſſiæ, & Majoris Poloniæ animi gratia iter ſuſcepit. Sub finem itaque Iulii navibus conſcenſis, unà cum Regina & filia quadrienni, & filio Vladiſlao Principe, ac numeroſo Aulico Comitatu ſecundo flumine Viſtula Plockam attigit: ubi magnifice ab Henrico Firley tunc Epiſcopo Plocenſi exceptus, Toruniam pertexit, ac inde Mariæburgum tranſiens initio Iulii, Elbingam primum ac deinde Gedanum viſitavit, utroque Regio ſplendore tractatus: Gedani præcipue, ubi ad alteram hebdomadam ſubſiſtenti, quotidie variati ludi delectabiles, ac convivia ſumptuoſa exhibebantur. Paulo ante autem fuerat in Aula Regis Comes Michaël Adolphus Althein, quem transferendi in Sueciam belli pro illo Regno recuperando Archiſtrategum fuiſſe ſupra attigimus, unde percrebuerat, quod eadem conſilia tunc agitatir. Vnde de hoc Suecus Guſtavus (aderant in Aula plures Germani & Sueci ejus exploratores) præmonitus, cum inſuper Regem Sigiſmundum tranſire Gedanum intellexiſſet, cum claſſem ibi apparaturum, tranſlationiſque talis belli initia facturum credebat; & ſtatim præſidiis firmioribus muniri curaverat maritimas ſuas Arces, navibuſque triginta quinque (iſtis Suecia abundat) collectis, ipſemet ſinum Balticum decurrens, prope portum Gedanenſem appulerat, obſervaturus illius rumoris progreſſus. Sed præter opinionem ſuam pacata omnia reperit, & licet non difficile fuiſſet, eum inſoleſcentem nimium (ad ſingulos tormentorum in honorem Regis, vel in introitu, vel ſub conviviis in ſignum lætitiæ exoneratorum ſonitus, ille quoque non minori fragore

in

A.C.1623.

in anchoris ſtans reſpondebat) rejicere, ad quod aderant in illo portu novem Prætoriæ Regiæ naves, & aliæ Civitatis ac mercatorum prope centenæ; operamque ſuam ad hoc Ioannes Vejer Palat. Culmenſis offerebat, tamen Rex Sigiſmundus ſtantibus induciis ratus non laceſſendum hoſtem, ſatis habuit quod Regni Senatores qui aderant miſerint ad eum expoſtulantes de induciis violatis. Prætexebat ille tunc quod ad tractandam pacem inclinaret, ſed tam importune, abſque præparatione cum hoſte tam ſuperba oſtentatione tumente tractare, indignum videbatur. Nihilominus diſſimulatum fuit, ut Gedanenſes Cives (ne Civitatis mercaturis navibuſque eò commeantibus infeſtus eſſet) ei petenti nonnulla cibaria ſuppeditarint. Rex vero Sigiſmundus decima nona Iulii Dantiſco relicto, per Pomeraniam converſus Gneſnam, Majorem Poloniam perluſtravit, & demum initio Septembris Vaſaviam rediit.

Sigiſmund. III Rex Pol. majorem Poloniam inviſit.

Sub hoc tempus Dux Chriſtopherus Zbáráwski pervenerat Conſtantinopolim cum ſplendido Comitatu pro confirmandis pactis Chocimenſibus, ac Legationem illam ex voto abſolvit; præter quod à principio Merhgiorgium Baſſa Veſiratum tunc tenentem, infenſiorem rebus Polonicis habuit, ſed eo mox amoto, & Mere Vſſin Baſſà in eo officio ſurrogato, omnes difficultates ſuperavit, ac pacta Chocimenſia in nonnullis punctis correxit, illamque conditionem de tenendo continue Legato Regio in illa Aula aboleri fecit. In liberandis etiam è captivitate Staniſlao Koniecpolski, Luca Zolkiewski, ac Georgio Ferensbach, multum laboris ſubiit, & ultra dona munifica diverſis ejus Aulæ miniſtris (ut ſunt avariſſimi & venales) diſtributa, lytrum octuaginta millium denariorum argenteorum ſeu talerorum Germanicorum pro ipſis perſolvit. Et hoc quidem extorſit neceſſitas, cum aliter liberari non poſſent iſti captivi: ſed ſplendor in Comitatu (quadringentis perſonis conſtabat) & liberalitas profuſa Legati, obfuit poſtea aliis Legatis, quos Turcæ minus ad magnificentiam & largitiones inſtructos, pro Legatis agnoſcere noluerunt, & contemptui habuerunt. Poſt ejus diſceſſum in fine hujus anni pœnitentia ducti Turcæ de occiſo Oſmano, & magis quòd Muſtafæ ejus ſucceſſori mentis impoti Baſſæ Syriæ & Ægypti parere recuſarent, iterum conſpiratione facta, citra tumultum tamen, Muſtafa vitam privatam agere juſſo, Imperatorem novum elegerunt Amuratem quartum dictum Oſmani fratrem annorum quatuordecim: quem equo impoſitum ad templum ſive Meczetum Sultani Ægypti denominatum ultra mœnia Civitatis duxerunt, ibique Muphti ſeu ſummus eorum Pontifex framea illum accinxit: ritus eſt inaugurationis apud ipſos Principum.

Zbarawski Dux Legatus Conſtantinopolim venit.

Koniecpolski cum ſociis liberatur è captivitate Turcica.

Zbaraſcii Ducis ſplendor in Legatione Turcica.

Zbaraſcii Ducis profuſio in Legatione obfuit aliis Legatis.

Turcæ deponunt Muſtafam Imp. & ſufficiunt Amuratem.

Interim etiam captivitatem ſuam apud Chamum Tartaricum redemerat Ioannes Zolkiewski filius Præfecti militaris nuper circa expeditionem Cicorenſem cæſi 40 millibus Talerorum, & Ianuſſius Tyſzkiewicz, Nicolaus Potocki, Nicolaus Struſſius, Balaban, aliique plurimi à clade Cicorenſi in Tauricam à Tartaris abducti pro ſua libertate pluſquam centum millia talerorum Imperialium numerarunt. Martinus Kázánowski Tribunus celebris equitum tunc etiam captus à Tartaris, ſimulato quod eſſet vilioris conditionis, citius & facilius evaſerat. Nec aliud ſingulare in Polonia hoc anno acciderat, præter quod Tartari pactis recens initis neglectis, à Sniatino in Ruſſiam Leopolim uſque excurrentes, magnum numerum plebis ruſticanæ & pecudum abegerant, omnemque illam Regionem incendiis vaſtarant, deſidentibus in proximo cohortibus præſidiariis Quartianis dictis, quarum etiam aliquas Ordinibus confuſis occurrentes fugarant.

Turcis Imp. ſuum inaugurandi ritus.

Zolkievius juvenis redimitur à captivitate Tartarica.

Tartari in Pocuciam excurrunt.

Annus

Annus Chriſti, 1624.

A.C. 1624.

Comitia Pol. Varſa. 1624.

AD has incurſiones inhibendas, & Livoniam à Sueco vindicandam indixerat Rex Sigiſmundus Varſaviæ Comitia generalia Ordinibus Regni ad menſem Martium Anni Milleſimi, Sexcenteſimi, Vigeſimi Quarti; in quibus inchoatis nihil remiſſum fuit ex cunctatione ſolita & ſtudiis partium, præſertim popularium, qui nacti novas querelarum contra Regem occaſiones, eis exaggerandis Comitiorum deliberationes gravius diſtrahebant. Nuper defuncto Simone Rudnicki Epiſc. Varmienſe, contulerat Rex illum Epiſcopatum filio ſuo Principi Ioanni Alberto, quod vetitum videbatur lege Regni, quæ à Senatoriis dignitatibus & Magiſtratibus ac Præfecturis publicis arcet perſonas ſanguinis Principum: tanto magis ob ætatem immaturam muneri Senatorio inutiles.

Varmien. Epiſcopatum filio Sigiſmun. Regis collatum Poloni ægre ferunt.

Zyviecen. Comitatum Conſtantia Regina emit.

Regina quoque emerat Comitatum Zywieçenſem (patet in longum ad decem, & in latum ad ſex milliaria Germanica inter confinia Sileſiæ & Vngariæ Moraviam attingens, ſitu ad oppugnandam Cracoviam, octo milliaribus Germanicis inde diſtantem, & ad res novandas, avulſionemque à Polonia faciendam, ac exercitus ibi congregandos plane opportuno) à Nicolao Komorowski ſexingentis millibus aureorum nummorum ſeu florenorum Polonicorum, adverſante conſuetudine & legibus Regni, quæ provida majorum induſtria ſancitæ caverunt, ne Rex acquirendo fundos Ordini Nobilium addictos, potentiam ſuam augeret, Nobilium vero minueret. Vnde ne quidem devoluta propter crimen læſæ Majeſtatis, ſeu quavis alia de cauſa ad fiſcum Regium Nobilium ſeu militaria bona, Rex poteſt retinere pro uſu ſuo, ſed obligatur ea (arbitrio tamen ſuo) alicui ex illo ſtatu tradere.

Pol. Rex lege prohibetur emere poſſeſſiones in Regno.

Ac tanto diligentius prohibuerat ſagax antiquitas, manutenendæ liberæ Electionis Regis ſtudioſior, ne Principes eorumque filii Arces & loca in confiniis Regni munitiora poſſiderent, in quibus congregato milite externo, ſub Interregno Regis novi Electionem turbarent, vel repulſam paſſi, ad vicinos, ut Sileſii Duces olim, deficerent.

Princeps ſanguinis Regii in Polonia non poſſunt tenere finitimas arces.

Nec minus offenderat quod Rex inconſultis Ordinibus bello Germanico ſe immiſceret, & Coſacos in auxilium Imperatori mittere non deſineret, quo (præter bellum difficile Turcicum nuper iſti Regno propterea conflatum) & pacta vetuſta ac vicinitatis cum illa gente jura violarentur, & Poloniæ ab illa parte confinia continuis depopulationibus paterent: De moneta demum adulterata tanto majora lamenta audiebantur, quod hoc malum ſingulos lęderet.

Poloni ægre ferunt quod Rex dandis auxiliis immiſceret ſe bello Germanico.

Pro his itaque abrogandis ſeu corrigendis moris patrii tenaciores æſtuabant: ſed ante omnia beneficia vacantia (lege ita diſponente ne Candidatorum ambitu curſus Comitiorum diſtineretur) Nuncii Terrarum diſtribui urgebant: præcipue Cancellariatum Regni, quem Andreas Lipski ad Epiſcopatum Vladiſlavienſem, poſt defunctum nuper Paulum Wolucki aſſumptus, quamvis ex lege dimittere obligaretur, adhuc ad Comitia proxima retinere nitebatur. Et demum prope finem Comitiorum Nuncii Terrarum hoc impetrato, ac Cancellariatu quidem Vicecancellario Venceſlao Leſzczynski, Vicecancellariatu autem Staniſlao Lubienski Epiſcopo Luceorienſi collato, nihilominus alias ſuas propoſitiones ſumma contentione promovere non ceſſarunt, concertationibus hujuſmodi ad finem Comitiorum continuatis, cum Regiarum quoque partium rationes ex adverſo fortius propugnarentur.

Leſſczynski Cancellarius Regni renunciatur.

In privatis etiam colloquiis Proceres, maxime Lithuani Regi ſuadebant, ut conſiderato quod populi totius Regni bellis præteritis exhauſti, ad vocem tributi, ſumptuſque bellicos ſubminiſtrandos induruerant, eoque bellum Sueticum difficilius duci poſſet, potius honeſtis mediis cum illo hoſte tranſigeret: ac proponebant conditiones pacis non indecoras, quas fidiſſimi Guſtavi

Sigiſmun. III. Rex Pol. admittere non vult conditiones pacis honeſtas cum Rege Suecia.

ſtavi Regis Sueci familiares ſugeſſerant; nempe ut reſtituta Regno Pol. Livonia, univerſam Eſtoniam & Filandiam cum ſpe ſucceſſionis in Regno Sueciæ, ſi Guſtavus decederet ſine prole maſcula, unus ex filiis Sigiſmundi Regis haberet: titulo quoque Regis Sueciæ Rex Sigiſmundus uteretur, dummodo Guſtavus cum eodem titulo Regio Regnum Sueticum ſecure teneret. A.C. 1624.

Sed nihil profecerunt, ex iiſque luctationibus inter nonnullos Primarios Regemque exorta diffidentia, omnium animi in promovendis Comitiorum conſiliis languebant. Aliam præterea diſſenſionis materiam dederant literæ ex Polonia interceptæ & tranſmiſſæ à Gubernatrice Belgii, quibus Aurelianenſi Duci Gaſtoni Galliæ Regis Fratri ſpes ſuccedendi in Regno Poloniæ poſt fata Sigiſmundi Regis injiciebatur, eorumque conſcium fuiſſe Ducem Chriſtopherum Radziwil Præfectum minorem militarem Lithuaniæ Rex perſuaſum habebat. Nec diſſimulata offenſa, alienatiorem ab eo inde animum præferebat, denegato ipſi officio Præfecti majoris militaris Lituaniæ morte Caroli Chodkiewicz vacante; quod paulo poſt gliſcentibus iiſdem odiis dederat Leoni Sapiha Palatino Vilnenſi octuagenario prope, authoritatis quidem magnæ, & ad ſupplendos bellicos ſumptus (quod maxime ſpectabatur) proprio peculio abunde inſtructo, ſed profeſſionis tota ætate alienæ à militari. Verum omnes iſtæ acerbitates in jacturam Livoniæ, perniciemque Reipub. & commodum hoſtis Sueci redundarunt, ut in conſequentibus advertere licebit. Et quidem quoad Livoniam, ſtatim ab iſtis Comitiis in quibus tanta diviſione voluntatum perturbatis ſubſidia pecuniaria pro illo bello Suetico obtineri non potuerunt, cum Sueco Rege induciæ fuerunt prorogatæ ad finem Martii anni proximi, eiſque ita prolatis (invitus Rex cùm nervus pro bello ducendo denegaretur eas conceſſerat) illi hoſti tempus & commoditas data fuit, ut ex opibus ipſiuſmet Livoniæ vires ſuas auxerit, animoſque ſumpſerit ad bellum diuturnum. Negotio vero Zywiecenſi ad alia Comitia rejecto, Varmienſis Epiſcopatus dubium ita fuit compoſitum, ut Rex diplomate ſuo caverit, quod Princeps Ioannes Albertus Epiſcopus cum ad ætatem idoneam perveniret, Sacerdotio initiaretur, & jurejurando fidelitatem ſuam Reipub. obligaret, quando ſeſſionis & ſententiæ in Senatu dicendæ prærogativa uti vellet. Pro non mittendis Imperatoriis auxiliis majori contentione ad ultimum Comitiorum terminum (Rege nocte tota incomparabili æquabilitate ac tolerantia aſſidente) ad auroram inſequentis diei protractum Regii laborarunt, ſed contraria factione prævalente, lex fuit ſancita, quod omnes qui apud exteros (preſſo honoris cauſa nomine Imperatoris) militarent, & intra præſtitutum tempus militiæ illi non renunciarent, vel in poſterum ultra limites Regni militaturi ſub ſignis exirent, pro infamibus & perduellibus haberentur ac punirentur.

Litera intercepta de vocando ad Regnum Polon. Aurelianenſi Duce.

Sigiſmund. III Rex Pol. offenſus Chriſtophero Radziwilo.

Sapiha defertur Præfectura militaris Lituanica.

Inducias concedit Rex Sigiſmun. Sueco invitus.

Sigiſmun. Rex cavet quod ejus filius Epiſc. Varmien. Sacerdotio initiandus eſſet & juraret fidem Reipub.

Sicque Comitia illa & Regi & Ordinibus faſtidioſa nullo Reipub. fructu finierunt. Sub initium eorum obierat Laurentius Gembicki Archiep. Gneſnenſis cui ſucceſſit Henricus Firley. Nec multo poſt deceſſerat etiam Ioannes Kuczborski Epiſc. Culmeñ. deditque locum in Plocenſi, ad quem poſt Firleyum fuerat deſignatus, Hieronymo Cielecki Referendario Regni, & in Culmenſi Iacobo Zadzik Secret. Majori Regni. Peculii vero ſui prædivitis, nempe quingentorum millium nummorum aureorum ſeu florenorum communium Polonicorum, cum omnium admiratione ex cenſu Eccleſiæ ſuæ, idque intra decem ſolum annos quibus illi Epiſcopatui præfuit collecti, conſtituerat hæredem Regem Sigiſm. præterito fratris ſui germani filio, aliiſque agnatis; forte quod crederet ex grata munificentia Regia eos majora recepturos: ipſi lucra iſta ſua enarrent. Poſnanieñ. Epiſcopatus mortuo Andrea Opalinski ſub finem anni præteriti, ceſſerat Ioanni Wæzyk Epiſc. Præmiſlien. mihi vero poſt iſtũ Abbatia Claræ Tumbæ. Fatalis quoq; hic annus fuit Ioanni

Gembicius Archiep. Gneſnen. moritur.

Kuczborſcius Epiſcop. Culmenſis hæredem facit Regem ſui peculii.

Zolkiewski

A.C.1624.

Zolkievius juvenis moritur.

Zolkiewski Cancellarii olim Magni & Præfecti militaris filio, qui ante paucos Menſes è captivitate Tartarica multo ære redemptus, reverſuſque Varſaviæ febri maligna intra paucos dies interiit cælebs, ampliſſima hæreditate ſuæ germanæ relicta, & Regiæ diſpoſitioni Præfecturis aliquot inſignioribus Menſe autem Iunio

Tartari in Ruſſiam excurrunt.

Terras Ruſſiæ gravius afflixit incurſio Cantimiri Murza, qui cum 30 millibus Tartarotum ex Valachia veniens, à Snlatinio ſumma celeritate Medicam pervenit, ibique Caſtris poſitis, phalanges ejus in omnes ejus Regionis partes longe lateque procurrentes ultra Iaroſlaviam, Brzozoviam, Croſnam, Rzeſoviam, Sendiſzovum, rapinis, incendiis, innumeros pagos vaſtarunt, magna plebis multitudine in captivitatem abducta. Euſque autem vices Præfecti militaris ſuſtinuerat Staniſlaus Lubomierski Pincerna Regni: recens vero reverſus ex captivitate Turcica Staniſlaus Koniecpolski, Præfectus Minor militaris tunc aſſumpſit adminiſtrationem officii ſui:

Tartari profligantur apud Martinowo.

& cum non poſſet colligere copias præſidiarias Quartianas tam cito, ut hoſtem præveniret, ad reditum ejus aliquanta manu congregata, prope Haliciam apud Martinowo tranſitus omnes inſedit. Ea itaque cum Tartarus rediret, conſpecta paucitate Polonorum (erant equites ter mille, pedites vero ſeptingenti) prælium cum eis tentavit, ſed primo conflictu rejectus ſtatim in fugam conceſſit, præda omni hominum pecudumque relicta.

Vladiſlaus Princeps extra Regnum proficiſcitur.

Eodem anno Princeps Vladiſlaus poſt longas Patris Sigiſmundi Regis deliberationes obtinuit, ut iret viſitatum nationes exteras. Ac primum conſilio habito Niſſæ apud Archiducem Carolum, Epiſcopum tunc Vratiſlavienſem, Viennam

Vladiſlaus Princeps Imperatorem Viennæ convenit.

tranſiens Imperatorem ſalutavit; ex compoſito ad villam Erberſdorff ſuburbanam prodierat Imperator, quò advenientem Principem, Carolo Archiduce eum inter ſuum Comitatum intercedentem ignotum commonſtrante, agnovit, & cœna finita in ſuo curru Viennam duxit. Inde Princeps idem ſub nomine Ducis Alberti Radziwil, quem ſuum Patronum fuiſſe Comitatus ille fingebat, cum viginti perſonis per Germaniam in Belgium ivit, & à præmonita ab Imperatore Gubernatrice Belgii ſummo honore exceptus, tractatuſque, viſo Bredanæ obſidionis exercitu ac apparatu, per Alſatiam Mediolanum pervenit, præcipuaſque Italiæ Vrbes viſitavit, ubique præveniens famam adventus ſui, & nonniſi amicis inſignioribus copias ſui agnoſcendi conceſſa.

Vladiſlaus Princeps Romam venit.

Romæ inchoationi Sacri Iubilæi adfuit, in Palatio Pontificio magno cum ſplendore tractatus. Iterum autem Neapoli rediens, quò liberius Romanas antiquitates viſeret, noluit ad Palatium Pontificis diverti, ſed in Vrbe verſus portam Populi dictam in Palatio Caponum incognitus manſit: conſcio tamen Summo Pontifice, quem iterum in diſceſſu convenit, ac demum inſequente anno in Poloniam incolumis rediit.

Carolus Archidux in Hiſpaniam abit.

Archidux vero Carolus poſtquam ut diximus peregrinatum expedierat Principem Vladiſlaum, ipſe quoque in Hiſpaniam omine infeliciori iter inſtituit, ſpe adipiſcendi Regni Portugaliæ illectus, ſed ut primum Bar-

Carolus Archidux moritur in Hiſpania ex nimia venæ ſectione.

cellonam attigit, mox (ex potu vini meracioris) languere cœpit, & Madritum conductus, ſummaque cum lætitia ab illo Rege & ejus fratribus Carolo & Ferdinando exceptus, menſe Novembre 30 à ſuo eò adventu die obiit, ideo quod Medici Hiſpani morbis ſeptemtrionalium mederi neſcientes, plus juſto ſanguinis ſectione ejus venæ emiſiſſent. Priuſquam iviſſet in Hiſpaniam, adoptaverat ſibi ſucceſſorem ſeu coadjutorem Epiſcopatus Vratiſlavienſis Carolum Ferdinandum Poloniæ Principem, quam adoptionem Collegium illius Eccleſiæ Vratiſlavienſis eo de-

Coſaci Conſtantinopolim prope excurrentes prædam agunt.

functo ratam habere noluit, & multo labore per Electionem novam ille Epiſcopatus Principi eidem acquiri debuit in anno proximo. Menſe vero Septembre anni hujus Coſaci Zaporovienſes ex Boriſthene, centum myoparonibus Pontum Euximum mare nigrum vulgo dictum ingreſſi, uſque in proſpectum Conſtantinopolis

vene-

A.C. 1624.

Conſtantinopolis trepidatur ad adventum Coſacorum.

venerunt, & ibi prope uno milliari in littus deſcendentes, Oppidum inſigne Iangikoie expilarunt, ac incendio immiſſo vaſtarunt. Tantus autem terror in ea Vrbe fuit, ut intra ſex horas, quibus tales hoſpites illi portui imminebant, nullæ vires vel ad defendenda littora, vel ad eos invadendos expediri potuerint: demum vero aliquanta triremium claſſis egreſſa, ſpectavit tantum cum præda opima ipſos abeuntes, confligere non auſa.

Germania Diſſidantes in Religione timent reformationem.

In Germania novæ diſſenſionum materiæ, quam ſupra attigimus, nempe Diſſidentium timori ne reformationis Religio apud ipſos inſtitueretur, prior illa videlicet Palatini reſtitutio, à tot cladibus quaſi rediviva ſeſe conjunxit, poſtquam ultima ſpes ejus à matrimonio Principis Valliæ cum Hiſpano pendens, hoc abrupto concidit univerſa.

Anglia Rex fatetur ſe delusum fuiſſe ſpe reconciliationis amica Palatini cum Imperatore.

Rex enim Angliæ cum ſuo Parlamento audita relatione Marchionis Buquingami, quam ſupra adnotavimus, faſſus eſt in publico conſilii ſui conſeſſu, detentum ſe ſpe inani & circumventum fuiſſe, quominus pro Palatino pridem arma ſumpſerit, & ne in poſterum reſtaret, quod ſuam ad eum juvandum intentionem impediret, nihil amplius de matrimonio filii ſui cum Hiſpanis fore tractandum, ſed Palatinatum cujus reſtitutionem Hiſpani ambiguam fecerant, armis recuperandum, Hiſpanumq; Regem pro hoſte habendum decrevit.

Anglia Rex rejicit tractatum matrimonii cum Hiſpana.

Ac ſtatim ſumptus pro tali bello, apparatuſque terra & mari neceſſarii à Parlamento fuerunt ordinati. Mansfeldius ex Hollandia, ubi dilapſis ſuis in Phriſia copiis aliquantum ſubſtiterat, per Galliam in Angliam veniens, nova mandata pro conſcribendo milite accepit; nec multo poſt & Alberſtadenſis eò tranſiens illi Regi pro eodem bello operam ſuam obligavit.

Anglia Rex pro recuperatione Palatin. arma comparat.

Anglia Catholicis arma adimuntur.

Catholicis omnibus in illo Regno arma fuerunt adempta, & Ieſuitæ ſeverioribus edictis inde migrare juſſi. Tractatus quoque alterius Matrimonii fuit inchoatus, nempe cum ſorore Regis Galliæ Henrica Maria, ac felicius ſucceſſit in anno proximo, ut tunc apparebit. Atque tale claſſicum tunc inſonuerunt Angli pro Germania: arma tamen non expedierunt hoc anno, durantibus induciis cum Gubernatrice Belgii ſancitis, dum eis Frankentalium traderetur; vel quod vincere victorias Auſtriacorum non eſſet ſolius Angliæ opus, ſed omnium qui ipſorum potentiæ incrementa formidarent.

Anglia Rex tractat matrimonium ſuo filio cum ſorore Regis Galliæ.

Vnde prius varia conſilia de conjungendis contra eos viribus agitabantur, fœduſque fuit initum: in quo Angliæ, Daniæ Regi, Diſſidentibus Germaniæ, Hollandiſq; conſentientibus, Galliæ quoque Rex, Sabaudiæ Dux, & Veneti pro vindicanda Valle Tellina ſe conjunxerunt, ingenteſque delectus militares & præparationes ad hoc bellum in omnibus locis iſtis fiebant: præcipue in inferiori Saxonia, ac in Dania, qui Rex tanti propoſiti ſummus arbiter deſignabatur.

Reges & Principes diverſi ineunt fœdus contra Auſtriacos.

Circumferebatur paſſim fœderis illius formula, ſed eam uti incertam omittimus, ſecretioremque fuiſſe cenſemus in re tam gravi, ac inter Dynaſtas adeo excelſos, quam ut in vulgus ſpargeretur. Nec deerant Auſtriaci quoque rebus ſuis: nam Rex Hiſpaniæ ut primum de illo fœdere Nuntium accepit, tributa pecuniaria ſolito majora omnibus ſubditis ſuis imperavit, militeſque & in Hiſpania, & in Italia magno numero conſcribi juſſit.

Auſtriaca Domus præparationes bellicæ contra Fœderatos Germaniæ.

Imperator vero ne haberet quo in talibus periculis circum Viennam remoraretur, iterum menſe Maio, cum Gaborio Bethlem pacem tractavit. Perſuaſus iſte erat, quod Imperator anno hoc pacata omnia habens in Germania, totas vires in Vngariam ad Tranſilvaniam invadendam converteret, eoque territus haud gravatim veteres conditiones pacis tunc ſuſcepit.

Ferdin. Imp. iterum ſibi reconciliat Bethlemum.

Hac autem concluſa Imperator, hæreticis omnibus qui ad novandas res omni oblata occaſione propendere videbantur, exercitium Religionis ſuæ tam in Auſtria utraque quam in Boëmia interdixit; quinimo jus Civitatis Pragæ, ubi tumultus perículoſius concitarentur, talibus ademit, ibidemque Templa Lutherana & Calviniana aliquandiu occluſa, alia Carmelitis Diſcalceatis, alia Societati IESU tradi fecit.

Ferdin. Imp. hæreticis jus civitatis Pragæ interdicit.

Exercitus quoque qui in Suecia, Haſſia, & Saxo-

A.C. 1624.

Pragæ hæreticorum templa clauſa dantur Religioſis.

Tillius exercitum auget in Saxonia inferiori.

Anhaltinus Princeps reconciliatur cum Imper.

Saxoniæ Elector approbat tranſlationem Electoratus ad Ducem Bavariæ.

& Saxonia inferiori erant, ſuppleri juſſit, & quantumvis Princeps inferioris Saxoniæ copias ſuas nonniſi pro defenſione propria teneri, nec ab eis quicquam hoſtile timendum eſſe obteſtarentur, militemque Tillii inde abduci peterent; ille tamen eum retineri, & loca tranſituum ad Viſurgim opportuna muniri præcepit. Fridericum Altenburgicum, & Vilhelmum Vinmarienſem Saxoniæ Duces, & Chriſtianum Anchaltinum Principem ſeniorem in gratiam recepit. Quin & Electorem Saxoniæ propter Electoratum Palatinalem ad Ducem Bavariæ tranſlatum male contentum, placari curavit, ut in Conventu Electorum ac Principum Germaniæ ad finem Iunii indicto Sleuſingæ tranſlationem illam Electoratus probaverit, & ad conſeſſum Electoralem novum illum Electorem admiſerit, licet obteſtatus fuerit quod per hoc oppoſitioni per ſuos Nuntios in Comitiis Ratisbonenſibus contra eandem tranſlationem Electoratus factæ, aut juribus familiæ Rhenenſi Palatinæ derogare non intendat. Moguntinus ſolus cum Saxone adfuit præſens illi Conventui, alii Electores per Legatos, idemque Moguntinus juſjurandum Electorale ab Electore eodem novo recepit.

Iuliacenſi pro hæreditate concordiam Hiſpani non permittunt concludi.

Tentata etiam fuit concordia pro hæreditate Iuliacenſi, ac convenerat inter Electorem Brandeburgicum ac Neoburgicum Principem, ut iſte Iuliacum cum Montenſi Comitatu poſſideret, ille vero Cliviam, Marcam, Ravensburgum, ac Ravenſteinum: ſed Hiſpanorum deſiderabatur ad hoc aſſenſus, qui nunquam potuit obtineri, licet ipſemet Neoburgicus pro eo petendo primum in Hiſpaniam, deinde Bruxellas iverit.

Bredam obſidet Spinola.

Quo autem diſtinerentur Hollandi, ne ſe immiſcerent rebus Imperii, majori vi domi oppugnandos Hiſpani decreverunt. Et menſe Iulio Spinola collectum viginti quatuor millium peditum, & ſex millium equitum exercitum, cum dubium eſſet quò duceret, ſub finem Auguſti tandem ad Bredam obſidendam conduxit, operiſque excitatis, in brevi totam eam Civitatem circumdedit, quamvis à præſidiariis (præter Cives erant propeſeptem mille) eruptionibus quotidianis & tormentorum jaculis impediretur. Poterant Hollandi inferius Bredam fluminis Mercani muniſſe ripas, ne illum tranſitum hoſtis occludere potuiſſet: verum initio contempſerant periculum, eo quod fiderent excubanti ibi præſidio ſelectiorum militum numeroſo, commeatu ad unum annum ſufficienti, & omni inſtrumento bellico inſtructo, ac crederent Hiſpanos hyeme ſuperveniente ad hyberna receſſuros, aut redigendos fore ad annonæ pabulorumque inopiam, intercluſo ipſis itinere excurſionibus à caſtris Henrici Naſſovii & à Bergomſoma, ſeu avocari poſſe averſione belli aliqua, præſertim ad Antverpiam, ad quam intercipiendam Mauritius Princeps ſtratagema inſtruxerat: ſed talibus conjecturis eventus non reſpondit, ut in anno ſubſequenti videbimus.

Portum Omnium SS. in Braſilia Hollandi capiunt.

In mari benigniorem fortunam hoc anno Hollandi habuerunt; nam & plures naves Hiſpanorum, mercibus magni pretii onuſtas interceperunt, & ad ſinum Omnium Sanctorum in Braſilia eorum claſſis viginti quinque navium cum Præfecto Iacobo Vilhelmio menſe Maio delata, portum illum una cum Civitate Sancti Servatoris in ſuam poteſtatem redegit, magnamque ibi vim auri argentique præſertim in templis acquiſivit, Gubernatoremque loci illius captum cum Epiſcopo & Provinciali Societatis IESU in Hollandiam abduxit.

Annum Iubilæi 1624. Romæ inchoat Vrbanus VIII Papa.

Romanus Pontifex ad annum inſequentem Iubilæum ſacrum Romæ celebrandum hoc anno indixerat, & pridie Natalis Chriſti deſcendens ad oſtium Baſilicæ Sancti Petri Portam Sanctam ritu ſolenni uſitato (quem alias deſcripſimus) aperuit, quam Cerimoniam Vladiſlaus Princeps Poloniæ præſens ſpectavit, & beneficium obtinuit à Summo Pontifice, ut in manus ſumeret S. Veronicæ linteum ſacrum, in quo Chriſti Domini crucem geſtantis facies verberibus fœdata ad vivum

opere

A.C. 1624.

Vladiſlaus Princeps aſſumit habitum Canonici ſancti Petri, ut poſſit habere S. Veronicam in manibus.

opere Divino cernitur expreſſa. Cum vero nulli liceat illud ſacrum depoſitum attingere, niſi ſit Canonicus illius Baſilicæ ſancti Petri, debuit Princeps, ut olim Carolus V Imperator, aſſumere titulum Canonici ſancti Petri, & veſtiri Clericali habitu, ac ita demum ſumere in manus illam effigiem. Paulo ante idem Pontifex Marcum Antonium de Dominis Archiepiſcopum Spalatenſem ab Apoſtaſia, cura & perſuaſionibus Congregationis de propaganda fide, data ſecuritate impunitatis ex Anglia revocatum, in Caſtro S. Angeli includi fecerat, ubi cum intra paucos dies, (forte ex melancholia) morbo concepto interiiſſet, ejus cadaver delatum ad Templum ſanctæ Mariæ ſupra Minervam, ſententia ex ſcripto prælecta damnatum ut hæreticum, deinde conductum ad campum Floræ igne publicè fuit combuſtum, ac cineres in Tyberim abjecti.

Antonius de Dominis ab Apoſtaſia convertitur.

Antonius de Dominis cadaver damnatum crematur.

Rheticis rebus finiemus hunc annum, & inchoabimus ſubſequentem. De iſtis ſolicitus Pontifex, ut occaſiones belli inter magnos Reges Hiſpanum & Gallum tolleret, ac ærarium ſuum Pontificale levaret onere alendi (Hiſpaniæ Rex illas impenſas ſubminiſtrare ex pacto debuerat, ſed parum præſtabat) in propugnaculis Vallis Tellinæ præſidia, diverſas pacis & reſtitutionis in priſtinum ſtatum illius Vallis formulas propoſuerat, ſed eas non probaverunt Rheti, præſertim Religionis adverſæ, qui liberiores eſſe volebant in gubernanda illa Valle, quam uti conditionibus illis à Pontifice laris circumſcribebantur: vel quod ex illis Hiſpani aliquid juris vetuſti Mediolanenſium Ducum ad eam Provinciam uſurpaturi eſſent.

Vallis Tellinæ in priſtinum reſtitutio tractatur.

Et ut hoc quoque breviter delibemus: Provincia iſta ab antiquo paruit Mediolani Præfectis, donec Anno Chriſti 1512. eum opera Helvetiorum & Rhetorum recuperaſſet à Gallis Mediolanum Sfortius Maximilianus Dux, nec haberet promptam pecuniam, qua promiſſa ſtipendia ſolveret, illis præmii loco Comitatum Bellenſem, ac Præfecturas Loverſiam, Luggaraſiam, Mendriſiam, Meinthaliam, iſtis vero Vallem Tellinam cum Comitatu Clavenſi & Vormſenſi jure perpetuo addixit. Sed Vallis propius attingit Mediolanenſes Terras, totaſque prope lacum Comenſem intercludit à Tyrolo & Helvetiis, qua ſolum patent illius tranſitus ex Italia in Germaniam, & per Helvetios Rhetoſque in Galliam; Gallis vero Mediolanum & in Bergomaſcum tractum Dominatus Venetorum, vel etiam per Sabaudiam, ſi permitteret ille Dux Mediolanum, longòque circuitu Italiæ ad Venetos ex Gallia penetrare liceret. Verebantur itaque Rheti, ne tali juri ſuo pactis novis à Pontifice ſancitis derogaretur, vel ne ſub diuturniori Pontificio depoſito Hiſpani erectis novis propugnaculis (uti non multo ante Comes de Fontibus unum denominatum Forte Fuentes conſtruxerat) fortius ibi pedem figerent. Galli etiam & Veneti prævidebant, ne Mediolanum finibus ſuis, Valle illa intermedia ſubjugata, ad Tyrolum productis, commoditatem Auſtriacas ſibi conjungendi vires, & excludendi ſtatum Veneticum à commercio auxiliorum Helveticorum, Gallicorumque haberet. Unde utrique rejecto pacis tractatu, & depoſito Pontificio poſthabito, vel quod ejus tempus jam præterierat, reſtitutioque à Pontifice tam facilè impetrari non poſſet, pro recuperanda illa Valle arma expedierunt, tanto ſilentio, ut Præfectus Hiſpanus Mediolani tum primum id adverterit, cum jam hoſtis difficilliores ad illam Vallem tranſitus ſuperaſſet. Marchioni de Coeuvre Rex Galliæ eam curam commiſerat, qui per Bernates cum ſex millibus armatorum facto itinere, aſſumptis Rhetorum copiis, ſumma celeritate Staygenſes anguſtias intercepit, ac munivit; indeque progrediens, Mansfeldiam ſub finem Novembris, dein Curiam ac Prettingaviam ad deditionem coëgit, pluribus oppidis cum ſuo milite ad ejus partes tranſeuntibus, & eorum populis ſævientibus in eos, quorum opera Hiſpani ibi fuerant recepti. Nec moratus Coeuvrius, omnes aditus Tyrolis occupavit, & intrò Vallem Tellinam

Vallis Tellina olim pertinuit ad Mediolanum.

Vallis Tellinæ ſitus.

Galliæ Rex Vallem Tellinam ex depoſito Pont. recuperat.

A.C. 1624. *Tyranum in Valle Tellina Galli capiunt.* deſcendens, Tyranum obſidione cinxit, tormentiſque viginti quatuor à Venetis adductis pulſatum, poſt aliquot dies deditione cæpit. Arcem aliquandiu defendit Marchio de Bagni, & Robuſtellius Pontificii Præfecti: ſed cum hyeme jam ſæviente auxilia ſperare non poſſent, deditionem medio menſe Decembre ſecerunt. Inde Coeuvrius tranſiens, Sondetſiam caput Regionis brevi oppugnatione in ſuam poteſtatem redegit, Arcemque ejus paucis, ex ſuis amiſſis vi expugnavit, præſidiarios tamen Italos in gratiam Pontificis liberos dimiſit.

Annus Chriſti, 1625.

Vormſam capiunt Galli in Valle Tellina. INeunte autem Anno Chriſti, Milleſimo, Sexcenteſimo Vigeſimo quinto, Vormſam ejuſque Arcem Comitatus Vormſenſis præcipuum propugnaculum, quam prope Tyrolum in Germaniam commodior eſt tranſitus, admotis majoribus machinis oppugnavit. Ducenti ſexaginta Pontificio Hiſpani milites in præſidio ibi erant,& fortiter primos Gallorum impetus exceperant;ſed & iſti auxiliis deſperatis deditionem fecerunt. Reſtabat Clavena,quam etiam (intermiſſis paucis diebus, dum itinera nivibus benigniore aëre ſolutis aperirentur) *Clavenam capiunt Galli.* vi aggreſſus,triginta ex ſuis deſideratis, pluribus autem ex Pontificio Hiſpanicis cæſis expugnavit, & præſidiarios Arcis ita conſtrinxit, ut deſperata defenſione menſe Februario tradiderint Rhetorum perduelles, & pacta ſibi incolumitate *Rivam obſident Galli irrito eventu.* abierint. Sed Riva plus negotii fecit: ſita enim ad oſtium latus Comenſis, à recipiendis ſubſidiis intercludi non potuit,& poſt diuturnos cum excurrentibus Præſidiariis ſanguinolentos conflictus, Papenheimio cum duobus millibus Germa- *Vrbanus Papa connivere Gallis in occupanda Valle Tellina Hiſpani arbitrantur.* norum adveniente ſecurior, hoſti ad finem reſtitit. Volebant autem Hiſpani, ut Summus Pontifex illam injuriam fidelis depoſiti, uti Eccleſiæ Romanæ propriam ſeverius vindicaret, vel Gallos quaſi hæreticos in opprimendis Catholicis juvarent, anathemate notaret: & cum renueret, eum iſtis addictiorem taliſque conſilii recuperatæ Vallis conſcium fuiſſe ſuſpicabantur. Verum prudens Pontifex extremis iſtis (nempe in cauſa prorſus rationem ſolam ſtatus *ragion di ſtato* dicunt concernente) remediis ſepoſitis, tutiora ſore judicavit, quod Cardinalem Fran- *Barberinus Cardin. Legatus in Galliam mittitur pro pace Vallis Tellinæ.* ciſcum Barberinum fratris ſui germani filium Legatum à latere menſe Aprili ad Regem Galliæ miſit, æquioremque compoſitionem de illa Valle in priſtinum ſtatum reſtituenda tractavit, non infelici exitu, ut ſuo loco dicetur.

Interim novum bellum in Italia incœpit: Genuenſes (forma præſens hujus Reipub. inſtituta fuit, A.C. 1528. & confirmata à Carolo V Imperatore,ex viginti octo Familiis Patritiis fit unus Dux biennalis Senatores quadringenti, Octoviri Gubernatores, Octoviri Procuratores, Syndici quinque, & Dux functus officio *Sabaudiæ Dux Genuenſibus bellum infert.* ſuo biennali inter Procuratores cenſetur) obtinuerant ab Imperatore Zuccarellum, quod Sabaudiæ Dux ad ſuam ditionem aſſerebat: & cum rationibus nihil proficeret, ad vim converſus,bellum Genuenſibus indixit, collectoque exercitu & accerſito Ladigerio cum ſubſidiis Gallicis ex Delphinatu, eorum territoria in- *Genuenſes apud Ottagium prælio vincuntur à Sabaudiæ Duce.* vaſit, Gavium ac plura illius viciniæ loca occupavit. Ad Otaglium vero duodecim milliaribus Italicis à Genua diſtans defendendum, cum copiæ Genuenſium proceſſiſſent, commiſſo prælio ad ſeptem horas continuato tandem ſuccubuerunt: eorum Dux Ludovicus Guaſco,& unus ex Doriis,ac prope triginta militares Præfecti,& trecenti alii Genuenſes fuerunt capti, quadringenti cæſi,ac Otaglium re- *Sabaudus opportunitatem capiendæ Genuæ omittit.* cepit Gallicum præſidium. Inde vero Sabaudus ſtatim ipſam Vrbem Genuam petere decreverat,&conſternatam,nullaq; parte munitam(non difficilius quam olim Romam poſt pugnam Cannenſem Annibal) invadere potuiſſet. Sed Ladigerius Savo-

Savonam oppugnare maluit, eoque ſuas copias divertit inutili profectu. At Sabaudi ſoli tanto auſo impares, tamen populabundi in illa regione graſſabantur, iterumque Hieronymum Doriam cum copiis quas ducebat fuderunt, eumque cum pluribus Nobilioribus Genuenſibus ceperunt. Pievium oppidum, & Zuccarellum occuparunt. Ad quos reprimendos Hiſpanus Mediolani Gubernator Dux Ferienſis Genuenſibus multas turmas Germanorum & Neapolitanorum militum in auxilium miſerat, & ipſe exercitu validiori collecto, ad ditiones Sabaudi expugnandas movit, ibique Vervam oppidum ad ripam Padi fluvii loco opportuno ſitum obſedit. Et Genuenſes quidem Sabaudo ad defenſionem Vervæ converſo reſpirarunt, Gaviumque & alia loca amiſſa recuperarunt: Ferienſis tamen ab obſeſſis Vervanis, nova identidem ex Creſcentino ipſomet Sabaudo auxilia aſſiduè ipſis ſubminiſtrante rejectus, multa accepta in reditu bellici apparatus jactura, illam obſidionem poſt alterum menſem deſeruit, ſaltiſque habuit quod bellum tunc à cervicibus Genuenſium avertit.

A.C.1625. *Genuenſes iterum profligantur à Sabaudis.* *Verſam obſident Hiſpani irrito eventu.*

Nec multo poſt publicata fuit ceſſatio armorum inter illas partes, ac pro Valle Tellina in Hiſpania tractata; ſicque hoc anno & ab obſidenda Riva fœderati Rheti, & Genuenſes cum Sabaudo quieverunt. In Gallia quoque cum Vgonoti iterum criſtas erigere & Regi recalcitrare voluiſſent, Rexque collecto exercitu, Rupellam obſideri juſſiſſet, motum illum Regis Britanniæ interceſſio ſedavit. Recens enim illis Regibus colligatis arctiori affinitatis & neceſſitudinis vinculo, ne colendæ hujuſmodi amicitiæ ea pro Vgonotis diſſenſionum anſa obſtaret, amputari debuit. Ac affinitas ſucceſſit, ſorore Regis Galliæ Henricheta Maria, Carolo Valliæ Principi tunc jam Regi Angliæ (Iacobo Rege Angliæ ejus Patre tredecima menſis Aprilis hujus anni vita functo) in matrimonium tradita. Quod matrimonium ſtatim à reditu ex Hiſpania illius Principis ſupra attigimus fuiſſe tractatum, & vivente Iacobo Rege ſub finem anni præteriti ejus conditiones pars utraque ſtabilierat tales:

Induciæ pro bellis Italicis in Hiſpania tractantur. *Angliæ Principis cum ſorore Regis Galliæ ſtabilitur matrimonium.* *Iacobus VI Angliæ Rex moritur 13 April. 1625.* *Angliæ Principis cum Galla matrimonii conditiones.*

Primò Rex Galliæ diſpenſationem ſuper illo matrimonio à Summo Pontifice Romano intra tres menſes impetrabit & obtinebit.

Pactis Matrimonialibus utrinque approbatis, Rex Britanniæ viro illuſtri quem ad hoc delegerit, mandatum plenum dabit, ut nomine Principis Valliæ matrimonium cum ſorore Regis Galliæ contrahat, ritu in Eccleſia Catholica Romana uſitato.

In Anglia verò matrimonium confirmabitur eo modo, qui in Gallia in Henrici Regis defuncti cum Regina Margarita, & Principis Berrenſis cum ſorore ejuſdem Regis matrimonio fuit ſervatus.

Sponſalibus celebratis, Regia ſponſa quamprimum commode poterit, in Angliam deducatur, Rege Galliæ Caletum uſque ſumptus omnes ad ejus iter ſuppeditante; inde vero à Regis Britanniæ Legatis excipietur ſumptibus ipſius, & in itinere ac poſtea ita tractabitur, uti convenit Principi Regii ſanguinis in Gallia natæ, & Britannicorum Regnorum hæredi deſponſatæ.

Matrimonii iſtius ſolennitatibus in Gallia peractis, ſimul ac Regia ſponſa in Angliam venerit, dies certus conſtituatur, quo Rex & filius ejus Valliæ Princeps, ac nova nupta in aliquo cœnaculo pro dignitate talium perſonarum ornato conveniant, illicque pacta matrimonialia, quemadmodum literis conſignata fuerunt, cum poteſtate Legatis data totaque tractatione à principio facta, palam recitabuntur, ſimulque à Rege & à Principe ejus filio initum matrimonium coram iis qui ipſorum nomine illud in Gallia contraxerunt, aliiſq; Regnorum Britannicorum Proceribus, qui tali actui intererunt denuo confirmabitur, ita tamen, ut nullæ Cerimoniæ Eccleſiaſticæ adhibeantur.

Regiæ ſponſæ liberum Romano Catholicæ Religionis exercitium, pro ipſa totoque ejus Comitatu, ac liberis, qui ex ipſius miniſtris naſcentur concedetur.

A.C. 1625. *Quod ut commodius fieri poſſet, illa in omnibus locis, Palatiis, domiciliis Regiis in toto Regno in quibus Rex commorabitur, Sacellum in ſuum & ſuorum uſum habebit. Hæc ſacella inſtruentur & ornabuntur, ut decet ab illis quibus eorum cura & cuſtodia ab ipſa Regia ſponſa fuerit demandata.*

In eis Conciones Verbi Dei, Sacramentorum adminiſtratio, Miſſæ Sacræ, & alia officia Eccleſiaſtica publicè, ac liberè abſque ullo impedimento Romano Catholico more peragentur. Indulgentiæ, veniæ, à Pontifice Romano, & ritus Iubilæi accipientur, & obſervabuntur.

Locus aliquis Londini pro ſepultura eorum, qui ex ipſius miniſtris illic morientur, & ad ritum Romanæ Eccleſiæ, circa eam peragendum (quod tamen abſque ſtrepitu & offenſione fiet) deſignabitur, hocque cæmeterium claudetur, & cuſtodietur ne polluatur.

Eidem ſponſæ licebit penes ſe habere Epiſcopum tanquam primarium ſuum Eleemoſinarium, cum plena Iuriſdictione & authoritate in cauſis ad Religionem pertinentibus. Ille poteſtatem habebit in Eccleſiaſticos Aulæ Sponſæ ſecundum præſcriptum Iuris Canonici animadvertendi. Tum ſi forte Magiſtratus Politicus Eccleſiaſticorum illorum aliquem propter aliquod delictum contra leges Regni commiſſum comprehendat, facta ſufficienti inquiſitione, eum cum cauſæ proceſſu & tota informatione, teſtiumque depoſitione, ad eundem Epiſcopum mittet, ut ille de ipſius delicto cognoſcat, & ſi gravi aliqua pœna dignum eſſe accuſatum judicaverit, eum exauthoratum & Sacerdotio exutum puniendum Magiſtratui Politico reddat. In omnibus aliis delictis minoribus iſte Epiſcopus poteſtatem habeat judicium contra illos Eccleſiaſticos, juxta juris Canonici ſtatuta exercendi, eandemque poteſtatem habebit Vicarius ipſius, cui cauſarum hujuſmodi cognitionem committet.

Eadem Sponſa apud ſe & in aula ſua habebit 28 Sacerdotes ſive Eccleſiaſticos, quo numero etiam Eleemoſinarii & Sacellani comprehendentur, qui in ſupradictis Sacellis Aulicis munus ſuum eo modo atq; ordine qui ipſis præſcribetur peragent: & ſi inter ipſos aliqui ſint Monachi, ſeu alicui Ordini Religioſo adſcripti, illi habitum ſui Ordinis gerent.

Rex & Princeps magnæ Britanniæ jurejurando cavebit, quod ſæpe dictam ſponſam nulla ratione inducere conabitur, ut à Romana Catholica Religione deſciſcat, aut aliquid agat & ſuſcipiat, quod illi adverſetur.

Aula Regiæ Sponſæ ita ordinabitur, ſicut ipſius conditio & dignitas poſtulat cum ſufficienti miniſtrorum ac domeſticorum numero, atque eo ſplendore & magnificentia, quantam unquam Princeps Valliæ habuit,

Omnes Miniſtri atque Aulici quos ſecum in Angliam ducet, erunt Catholici, & in Gallia nati, quos Rex Galliæ ipſemet eliget, & ſi unus aut alter moriatur, aut ipſa ſponſa quoſdam permutare, & illorum loco Anglos aſſumere volet, iſtud ipſi fas erit, modo id cum Regis magnæ Britanniæ conſenſu fiat.

Ipſius Miniſtri & Aulici cùm Regi & Principi Valliæ, tum ipſi Regiæ Sponſæ jusjurandum præſtabunt hac formula: Ego N. juro, ac promitto me præpotenti Domino Iacobo Regi Magnæ Britanniæ, & Illuſtriſſ. D. Carolo Principi Valliæ, nec non Illuſtriſſimæ D. Henricæ Mariæ Regis Galliæ ſorori, Dominæ meæ clementiſſimæ, fidum & addictum fore, fidemque ipſis datam firmiter, conſtanter, atque inviolate ſervaturum, ita ut ſi reſciſcam quenquam contra ſupradicti Regis, Principis, ac Dominæ vitam, honorem, dignitatem & exiſtimationem, aut contra ſtatum & incolumitatem hujus Regni aliquid moliri, illud abſque mora Regi, Principi, ac Dominæ, aut quibus harum rerum cura incumbet annunciaturus & patefacturus ſim.

Eidem Sponſæ Regiæ dotis loco octingenta millia Coronatorum, quorum ſinguli trium librarum communium in hoc regno æſtimationem æquent, numerabuntur à Rege Galliæ, dimidia pars pridie nuptiarum Londini celebrandarum, reliquum intra annum à prioris partis ſolutione inchoandum.

Si con-

Digitized by Google

Si contingat ut Princeps Valliæ, ante ſuam conjugem abſque liberis ex hoc matrimonio ſuſceptis decedat; integra dos Viduæ reſtituetur, ut cum ea agat quicquid ſibi libebit, ſive in Anglia maneat, ſive in Galliam redeat, quo caſu dotem illam ſecum auferre ipſi licebit, A.C. 1625.

Si verò liberi ex hoc matrimonio ſuperſtites erunt, Bes ſeu duæ partes dotis tantum ipſi reſtituentur, nec reliquam tertiam partem ipſa unquam repetet, ſive in Anglia maneat, ſive in Galliam revertatur, nihilominus fructum ſeu penſionem annuam hujus tertiæ partis ad dies vitæ accipiet.

Liberi qui ex hoc matrimonio procreabuntur, apud Matrem manebunt, & ab ea educabuntur uſque ad annum ætatis decimum tertium.

Liberi iidem ex hoc matrimonio procreati, poſt mortem Matris habebunt, & jure hæreditario conſequentur beſſem dotis maternæ, quæ ipſis reddetur; niſi illa ad ſecundas nuptias tranſeat, quo caſu liberi poſtremi conjugii beſſem reſtitutæ dotis æqualibus portionibus cum liberis prioris conjugii divident, & inter ſe partientur.

Si verò ipſa conjux ante Principem ex hac vita migret, nec ullos ex ſe hæredes relinquat, convenit ut Princeps ſuperſtes dimidiam partem dotis retineat, ſed ſi liberi ſuperſint, integra dos ipſis maneat.

Illa viciſſim loco donationis propter nuptias, accipiet 18 millia librarum Anglicarum, quæ ad Gallicam monetam reducta 60 millia coronatorum conficiunt.

Rex Magnæ Britanniæ in honorem & favorem hujus Matrimonii Sponſæ donat gemmas & monilia 50 millibus coronatorum æſtimata, quæ jure proprietatis, ſicut ea quæ jam ante habuit aut deinceps conſequetur, poſſidebit & retinebit.

Ad neceſſariam ſuſtentationem jam dictæ Sponſæ & ipſius Aulæ in caſu ejus viduitatis, aſſignabuntur certæ poſſeſſiones, eiſque ac omnibus donationibus, quæ ipſi conceſſæ fuerint, liberè fruetur, ita ut ſi Princeps è vivis excedat, ſive liberi ſuperſtites eſſent, ſive non, ipſi liberum ſit habitare ubicunque velit in Provincia, arce, aut domo, quæ ipſi in hunc viduitatis caſum aſſignata fuerit, quarum una & altera ita comparata erit, ut in ea commorari & ſedem ſuam habere poſſit, atque etiam ita ornabitur & inſtruetur, ſicut tantæ Principis dignitas & conditio requirit.

Ad hæc plenam poteſtatem habebit in illa provincia, quæ ipſi propter viduitatem attributa erit, ſive Principatus aut Comitatus titulum gerat, beneficia & officia iis quibus volet conferendi.

Liberum quoque erit ſæpe dictæ Sponſæ Regiæ, ſive hæredes, habeat ſive non in Galliam reverti, & dotem ſibi redditam, ſua mobilia, monilia, gemmas, & theſauros, ſecundum ſupra poſitos articulos ſecum aſportare, & Rex Magnæ Britanniæ tenebitur eam ſuis ſumptibus Caletum uſque deducendam & comitandam curare, ſicut ipſius dignitas & conditio poſtulat.

Denique illa renunciabit omni juri & actioni in Paternæ & Maternæ hæreditatis, atque etiam lineæ collateralis ſucceſſione, quod attinet ad Ditiones, Dominia, & Provincias quæ Regi Galliæ immediate ſubjectæ erunt, aut etiam bona, quæ junioribus liberis prius legata & reſervata fuerunt, aut quocunque alio nomine appellentur. Hæc pacta Matrimonialia & hic contractus in Acta Parlamenti Pariſienſis referuntur, & in Anglia ab illius Regni Parlamento confirmabuntur, atque etiam illius publicis tabulis & publicis Commentariis Regni inſcribentur, quodque Rex & Princeps promiſerint ſanctè ea obſervare, nec ullum eorum articulum aut clauſulam violare.

Poſtremo convenit, ut qui ex duobus Regibus aliquid in ſe deſiderari patietur, quominus hoc Matrimonium conſumetur, alteri ſummam 400 millium Coronatorum in pœnam mutatæ ſententiæ perſolvere teneatur. Actum & confirmatum Lutetiæ, per Commiſſarios Regum Magnæ Britanniæ & Galliæ, 10 Novemb. Anno 1624.

Hæc itaque pacta licet morte Regis Iacobi fuerint interrupta, tamen poſtea

A.C. 1625.

Galliæ Regis ſoror ſponſa Angliæ Regis deducitur Londinum.

rata habuerunt Reges illi,& menſe Iunio iſtius anni Sponſa Boloniam deducta,inde claſſe tranſiit in Angliam cum Duce Chevreuſio ejuſq; Conjuge, ac Villoclaro Secretario, Epiſcopo Mundenſi,& 20 circiter Sacerdotibus, ſplendidoque Aulicorum Comitatu: ubi Calendis Iulii nuptiæ illæ Regiæ in magno Procerum Britannicorum concurſu fuerunt celebratæ. Coronato tamen Carolo novo Angliæ paucos poſt (nempe Calendis Februarii conſequentis) Menſes, Regina non fuit coronata,eo quod miniſterio hæretici Archiepiſcopi Cantuarienſis titulum & locum tenentis, idque ritu Eccleſiæ Romanæ Catholicæ contrario coronari nollet.

Carolus Rex Angliæ coronatur.

Regina Angliæ noluit coronari ab Hæretico.

Angliæ Rex commercia Hiſpanis in ſuis Regnis interdicit.

Franchentalium non redditur Anglo contra fidem datam.

Anglica claſſis ſerò expedita ad infeſtandam Hiſpaniam nil præſtitit.

Daniæ Regis apparatus pro bello Germanico.

Cæterum in Hiſpanos Rex ille Britanniæ,quod ſpe injecta contrahendæ conſanguinitatis ſe eluſum fuiſſe,& Palatinum exulare ægrè ferret,hoſtilem animum palam præferebat, commercia omnia in ſuis Regnis illis interdixit, & cum Palatinalibus induciis elapſis, nulla ſpes reconciliationis Palatini appareret, ac inſuper Franchentalium Gubernatrix Belgii contra fidem datam non redderet, exercitum in Anglia conſcribendum, ducendumq; in Germaniam Mansfeldio commiſit. Claſſem etiam validam inſtrui fecerat, qua bellum in Hiſpaniam transferret, hoſtiſq; vires diſtraheret:non inconſulto ſi maturaſſet negotium:ſed tardius Pleymontho Claſſis illa ſolvens,adulti autumni ſævis tempeſtatibus in mari diutius jactata,demum ſub finem Novemb. ad littora Luſitaniæ delata, magis præmonuit hoſtem ut ſibi caveret,quam offendit:quin&tormenta aliquot,ac equos ducentos in littus expoſitos cum viris prope mille à præſidio ejus loci ad talem caſum tempeſtivè prævisum bene inſtructo cæſis amiſit, laceraq; nimium in Angliam rediit. Nec aliud tentatum fuit hoc anno pro recuperando Palatinatu, præter præparationes magnas in Dania, & in inferiori Saxonia à Rege Daniæ inſtitutas, qui Sueciæ quoque Regem ad memoratum fœdus aſciverat, & in colligendo majori numero milite, muniendiſque circa Viſurgim locis opportunis, & excludendis inde Imperialibus ad finem ejuſdem anni variante Marte laboravit.

Vallenſtein conſcribit exercitum contra Danum.

Imperator quoque legiones ſuas omnes ex Haſſia & Veteravia, unà cum novo exercitu 24 millium peditum, & 6 millium equitum ab Alberto Valenſtein conſcripto eo convertit; & quantumvis Principes illius Provinciæ ex Conventu ſuo Brunſuicenſi ſæpius repetita cum Tillio Legationum commutatione deprecarentur, ne in eorum ditionibus ſtativa exercitus iſti haberent, utque loca ibi occupata relinquerent, tamen ille ſepoſitis hujuſmodi Legationum & literarum, ultro citroque miſſarum concertationibus, donec arma tam Principes illi,quàm Rex Daniæ deponerent, in Brunſuicenſi ditione ac circa Viſurgim hoſpitia ſuis militiis vi ſumpſit. Circa quæ leviora prælia committebantur aſſiduè utrinque, nunc iſtis, nunc illis munitiora illius oræ loca præoccupantibus, & in ſuam poteſtatem aſſerentibus. Et tali contentione auctis animis, ſub finem hujus anni prope ad juſtum prælium res devenit apud Hanoveram, ubi Obentrautium equitum Danicorum Magiſtrum cum aliquot legionibus ſubſiſtentem,Tillius à Calenberga,quam paulò antè deditione cæperat,nocte itinere facto, ex inopinato aggreſſus profligavit, cæſis prope quingentis ex Danicis cum ipſomet Obentrautio, & Friderico Duce Saxoniæ Altemburgico ac Vicepræfecto eorum capto, Daniæ verò Rex dum primo Havеliæ luſtraret exercitum, ex equo à fragore ſclopeti exploſi territo & collapſo excuſſus, graviter læſus fuerat, ab eoque omine expeditio ipſius inchoata, minus fortunatos habuit progreſſus & exitus. Tunc tamen recuperata valetudine, Verdam conceſſit, ibique conſiſtens in Epiſcopatu Oſnaburgenſi, Hildeſcheimenſi, & Monaſterienſi, plurimis oppidis circumvicinis præſidia impoſuerat. Tillius vero eo abeunte,Hameliam & Vallenſteinius Halberſtadium,totumque illum Epiſcoparum occuparat, ac aliquot militares Turmas Epiſcopi Magdeburgenſis tunc diſſipavit,& pontè in fluvio Albi Deſſavienſem excluſo Danico præſidio munivit.

Brunſuicenſis Principum Conventus avertere non poteſt Tillium ab irruptione.

Tillius Obentrautium apud Hanoveram profligat.

Daniæ Regi in procinctu belli Germanici omen minus fauſtum obvenit.

Vallenſteinius Alberſtadium occupat.

nivit. Taliterque alternante Martis alea annus iſte tranſiit, & inſequenti integrum bellum tranſmiſit, cum Conventus illius Provinciæ Ordinum Brunſvicenſis ad tanta ſua damna, & monitiones Imperatoris immotus, armis pacem Religionis & libertates ſuas tueri decreviſſet, ac ſub finem anni majores copias colligi curaſſet in Michelburgenſi Principatu, quo Mansfeldius quoque cum 12 millibus pugnatorum ex Hollandia per Colonienſes Bremenſeſque ditiones pervenerat.

A.C. 1625.

Mansfeldius in Germaniam redit cum exercitu.

Imperator vero ſub hoc tempus Comitia Ordinum Vngarię Oedenburgi celebravit, & renunciari fecit Regem Vngariæ filium ſuũ majorem natu Ferdinandum III denominatum, cujus coronandi feſtivitas 8 Decembr. ibidem fuit celebrata. Leopoldus autem Archidux Imperatoris frater, dimiſſo Epiſcopatu Paſſavienſi & Argentinenſi filio Imperatoris Leopoldo Vilhelmo, deſponſaverat ſibi uxorem Claudiam Ferdinandi olim Magni Ducis Hetruriæ filiam, Viduam Vrbini olim Ducis. Gabor etiam Bethlem Tranſilvaniæ Princeps finiente hoc anno contraxit matrimonium cum Catherina ſorore Electoris Brandeburgici, cujus nuptiis Caſſoviæ Regia magnificentia peractis adfuit Legatus Imperatoris, Hiſpani Regis, & Ducis Bavariæ, diverſorumque Magnatum plurimi cum muneribus amplis, quæ ſumptus nuptiales longe ſuperabant. Iſtis tamen devinciri ille non potuit, quin iterum ad partes fœderis Germanici tranſierit, ut in conſequentibus attingemus.

Ferdin. III filius Imp. renunciatur Rex Vngariæ.

Leopold. Archid. ducit uxorem Claudiam Mediceam.

Betlem Gabor ducit uxorem Electoris Brandeburg. ſororem.

In Belgio Spinola Hiſpanicarum copiarum Dux obſidionem Bredæ in hunc annum continuavit, ſpe certa quod eam fame & rerum neceſſariarum inopia ad deditionem adigeret, poſtquam Hollandi ad ejus caſtra oppugnanda, & commeatum ipſis adimendum omnibus viribus & conſiliis ſuis converſis, nil proficere poterant. Decumbebat quoque Mauritius Princeps Auraniæ ſummus eorum Dux ex morbo ſub expeditione ad initium iſtius obſidionis facta, concepto, illoque languente, languebat ibi opus bellicum, ac eo defuncto 23 Aprilis Hagæ Comitis, nulla cura ferendarum Bredæ ſuppetiarum profuit: Vnde iis initio menſis Iunii deſperatis, ibi obſeſſi deditionem fecerunt.

Breda obſidionem continuat Spinola.

Mauritius Auranus moritur 23 April. 1625.

Breda deditionem facit.

Nec benigniorem in Indiis fortunam Hollandi hoc anno habuerunt, Hiſpani enim primo vere ad recuperandum ſinum omnium Sanctorum, & Civitatem Servatoris claſſe 30 bellicarum navium vecti, felici curſu ſub finem menſis Aprilis eo appulerunt. Hollandica vero claſſis eòdem in auxilium deſtinata aberravit: unde præſidiarii illius loci poſtquam diebus 15 oppugnationem fortiter ſuſtinuerant, & diutius ſine ſpe auxiliorum reſiſtere non valerent, pacta ſibi incolumitate, & aliquot navibus pro diſceſſu, Hiſpanis locum illum reddiderunt. In portum etiam Divitem aliquot naves Hollandicæ invectæ, & ab Hiſpanicis circumcluſæ, nonniſi duæ evaſerunt: & aliæ triginta circa portum Mardianum Hiſpanicis inſidiantes à tempeſtatibus disjectæ, pluribus demerſis, aliquibus ab Hiſpanis captis paucæ in Angliam refugerunt.

Portum Omnium SS. in Braſilia recuperant Hiſpani.

Hollandica Claſſis jacturam patitur.

Huic cladi apponi poteſt damnum à Turcis datum hoc anno Melitenſibus Militibus in mari Mediterraneo, ubi cum claſſe Algeritana conflictu facto, quatuor triremes magnas amiſerunt, earum Architalaſſo & centum quadraginta equitibus, pluribuſque militibus ſtipendiariis cæſis, duæ reliquæ triremes, nimium ab ictibus tormentorum labefactatæ ægre effugerunt periculum. Qua neceſſitate conſtricta illa militia, nullam excurſionem maritimam longo poſt tempore tentavit, donec integram novam claſſem comparaſſet.

Melitenſium Claſſis à Turcis profligatur.

In Polonia Rex Sigiſmundus ad initium hujus anni inſtituerat Ordinibus Regni Comitia Varſaviæ, quæ peſtis contagioſa anno præterito ex Vngaria allata, & propter hyemem ſolito tepidiorem (pluvias ferebat continuas) nil ex ſuo fervore remittens, turbavit, ut Rex ne ejus Aula commiſceretur populo illa labe infecto, in villa Iuburbana Iazdowo morari, & non niſi ad ſeſſiones Comitiales in

Comitia Pol. Varſau. 1625. Peſtis ingens Varſavia graſſatur.

 Civita-

A C. 1625.

Sueci inducias nonniſi longiores volunt.

Civitatem venire debuerit. Præcipuum autem deliberationum Comitialium caput fuit de bello cum Suecis Livonico, ad quod iſti dum Induciæ ad menſem Aprilem proximum ſtabilitæ finirent, majores vires apparabant. Nec induci poterant ad prorogandas illas inducias in tractatu interim ſuper hoc habito, niſi Rex Sigiſmundus eas longiores, nempe in multos annos eſſe vellet, vel Sueciæ Regno ſe abdicaret, pacemque faceret perennem.

Et majores illi ſumpſerant animos, cum inaudiſſent in Conventibus Terrarum (qui antecedere ſolent Comitia Generalia) Poloniæ Ordines à bello abhorrere, ſuiſque Nuntiis ad iſta Comitia mandata dediſſe, ut nulla tributa pro impenſis belli illius concederent: quibus Regem Sigiſmundum deſtitutum, etiam iniquiores conditiones pacis ſuſcepturum Sueci ſperabant. Nec eos fefellit conjectura quoad tributa, exigua enim fuerunt conceſſa & quæ vix debito in præteritis expeditionibus contracto exolvendo ſufficerent.

Sigiſmund. III Rex leges pacis à Suecis propoſitas reſpuit.

Livonici belli imperium bellicum apud Lithuanos confuſum magna damna attulit.

Sed tamen Rex leges pacis aut induciarum ab ipſis propoſitas non probavit, quamvis Proceres evidentioribus argumentis reliquæ Livoniæ jacturam & majora Reipublicæ incommoda inde naſcitura demonſtrarent. Præſertim ex eo quod rationes adminiſtrandi iſtius belli male cohærerent, cum Dux Radziwil Præfectus minor militaris Lithuaniæ offenſus repulſa in petitio majoris Præfecturę accepta, nullam ad illud operam conferret, & Leo Sapiha novus Præfectus major, gravatus ſenecta ad labores bellicos minus expedita etiam ſubdelegatum ſibi à Rege ad hoc munus Alexandrum Corvinum Gaſiewski Ducem veteranum & peritum rejeciſſet filio ſuo Staniſlao Sapiha Mariſchallo Lithuaniæ bello inexercito ſumma rei militaris permiſſa. Ne nimirum (ut palam ajebar) gloriam bellicam ab alienis ſuo nomini præripi permitteret, ſeu quod in illa Præfectura filium potius quam alium ſuccedere voluerat. Hincque promanarunt omnia ſubſequentia in illo bello Reipublicæ adverſa, quæ à prudentioribus tempeſtive præviſa, pace aliqua honeſta evitari potuiſſent.

Carolus Pol. Princeps in conſequendo Epiſc. Vratiſlavienſi laborat.

Vratiſlavienſe Capitulum permovetur ad eligendum Epiſcopum Carolum Principem Poloniæ.

Quod autem attigimus ſupra de Principe Poloniæ Carolo Ferdinando, à defuncto in Hiſpaniis Archiduce Carolo ad Epiſcopatum Vratiſlavienſem adoptato, cum illud Collegium jure ſuo eligendi ſibi Epiſcopum uti vellet, miſerat Rex ad illam Electionem Vratiſlaviam Sigiſmundum Opácki Legatum ſuum, qui Electione inſtituta, majores difficultates quam ſperarat, eidem Principi opponi ibi ſenſit, cum & Legatus Imperatoris Annibal à Dona frigide nimis negotium hoc promoveret, & ex illo Collegio plures illam dignitatem ambirent. Eoque res devenerat, quod poſt longas deliberationes ad alteram hebdomadam protractas conſeſſus ille eligentium, renunciarat Legato Regio, Principem ea vice eligendum non eſſe. Sed fortuito illo ipſo die Princeps Vladiſlaus à ſua peregrinatione rediens Niſſam venerat, & quinque mille Coſacorum ex Polonia in Sileſiam intrarant: quo audito præſides illius Collegii exiſtimantes rem geri armis, quibus ipſi inſtructi non erant, & Imperatorem ad talia pro jure affinitatis connivere, eodem veſpere conſilio facto Legatum monuerunt, ut aliud reſponſum tantiſper expectaret, & primo mane congregati in loco ſeſſionis conſueto, Principem Carolum Epiſcopum ſuum renunciarunt.

Cracovienſem Academiam Religioſi Soc. Ieſu oppugnant.

Cracovienſis Academia fundata 1344.

Eodem anno Academia Cracovienſis grave certamen habuit cum Religioſis Societatis Ieſu, qui Antiacademiam ſeu aliam Academiam & Scholas inſtitui ſui publicas, adjuti favore Regio & Epiſcopi Cracovienſis tunc Martini Szyskowski Cracoviæ aperuerant, ac ultimum Academiæ tam claræ & vetuſtæ (A. C. 1344, 17 Auguſt. fundatæ) excidium illud futurum erat, cum diſcipuli novarum rerum cupidi Gymnaſia illius Academiæ veteris deſerturi viderentur, & ejus Doctores omni patrocinio deſtituti, (etiam Curiæ Romanæ mandatis oppugnabantur

bantur) de conſervando ſtatu ſuo deſperarent. Tanto magis, quod neque vis defuit armorum, quibus aliquot Studioſi Academiæ oppreſſi occubuerant,& plures ſæpius ad carcerem Arcis Cracovienſis abducebantur, orta aliquali contentione cum Ieſuiticis, à quorum partibus erat Præfectus Regius illius Arcis Gabriel Comes à Tarnow, & omnes ejus miniſtri. Concordiam quæ obtrudebatur, aliqui volebant: ſed quæ firmaret jus novæ Scholæ Ieſuitarum, Academiæ vero infringeret, iterumque infringi poſſe doceret, & novi nil præſtaret Academicis. Vnde Academici ſenes cautiores litem apertam paci inutili & periculoſæ prætulerunt,nec facilius Academiam cum Scholis Ieſuiticis coire, quam mare cœlo miſceri poſſe judicarunt. Sicque fortiora potius quam pacatiora conſilia ſequuti,evaſerunt tandem ex illo periculo auſpiciis novi Regis Vladiſlai, poſtquam aliquot annis in forenſi jurgio pæne ſuccubuerant, ut ſuo loco dicemus. *A.C. 1625.*

Hoc itidem anno obvenit calamitas conflagratæ Iaroſlaviæ in Polonia medio menſe Auguſto. Ad diem B. Virginis Aſſumptæ frequentari ibi ſolent Nundinæ poſt Francofurtenſes ad Mænum in tota Europa celebratiſſimæ, comportanturque eo ex Italia, Germania, Dantiſco, Torunia, Regiomonto, Vilna, omnibuſque Regni Poloniæ Civitatibus & Provinciis, ac vicina Turcia, Vngaria, Moldavia utraque ingenti copia variæ merces. Fortuitum itaque exortum incendium (ut ibi ſunt ædes ligneæ) intra unius horæ ſpatium univerſum illud Oppidum ita pervaſit, ut omnes divitias ibi tanto ſtudio lucri, ac pretio pluſquam decies mille millium (ſeu decem millionum) florenorum coacervatas in cinerem redegerit. Hocque indicium certum fuit in Pruſſiam mox tranſlati belli Suecici, quod ærarium illud & penu locupletiſſimum totius Poloniæ, atque adeo totam Poloniam exhauſit. *Iaroſlavia nundinarum celebritas.* *Iaroſlavia conflagravit incendio gravi.*

Poſtquam enim ut attigimus ex Comitiis Regni præteritis exigua ſubſidia pro Livonia defendenda decreta fuiſſent, & pacis conditiones à Suecis propoſitæ in dubio manerent,Guſtavus Suecus opportunitatem, totius illius Provinciæ in poteſtatem ſuam aſſerendæ nactus, induciis ineunte Aprili finitis, alias quæ traherent bellum non ſopirent, tractare noluit, ſed collecto exercitu arces in quibus præſidia Polonica ibi erant, expugnavit.

Ac proceſſerat illi obviam Staniſlaus Sapiha Mariſchallus Lithuaniæ Præfecti magni militaris Lithuaniæ filius, cum duobus equitum millibus, & mille peditibus, ſed confuſis Ordinibus incedens ſine ulla de hoſte notitia, repente circumventus ſub finem Aprilis apud pagum Valmoiſa, ne aciem quidem ad pugnam, explicare valuit: equites evaſerunt, pedites pæne omnes ſunt capti, paucis qui reſiſtere voluerant cæſis. Caſtro cum magno curruum numero, & tribus minoribus tormentis, victor Suecus obtinuit, illoque præſidio unico Livoniæ tam facile ſublato, loca omnia quæ ibi adhuc à Polonis poſſidebantur, ad deditionem coëgit, præſertim Arcem Kokonhauſiam in littore Dunæ opere Teutonici Ordinis & ſitu loci munitiſſimam, aliaque minoris nominis oppida. Derpatum aliquantum reſtitit, ſed cum auxilia ſperare non poſſet, hoc quoque deditionem fecit. Inde in Lithuaniam erumpens, Bietze Ducis Chriſtopheri Radziwil in Samogitia Arcem bene munitam, ſed ad tam inſperatam vim milite non ſatis proviſam occupavit, & 60 tormenta ænea inde Rigam abduxit. Dineburgum ſolum ex oppidis Livoniæ Lituani retinuerunt, pro Bierzis vero inſtituto commutationis tractatu,Laudanum Suecis tradiderunt. Atq;ita tota Livonia præter Dineburgum cum ſuo territorio in manus Succi tranſiit. Qui tamen neque his contentus donec à Sigiſ. Rege pro Regno Sueciæ conditiones pacis quas volebat obtineret, bellũ apparavit continuandum omnium opinone contra Lituaniam;ſed jam inde conſilia de invadenda Pruſſia ſuſceperat,& de portu Pilavienſi cum Duce Pruſſiæ *Sapiha Mariſchallus Lithuaniæ à Suecis profligatur.* *Kokonhauſia Arx à Suecis capta.* *Derpatum Suecis deditum.* *Bierze Arx Radziwili capitur à Suecis.* *Dineburgum præter totam Livoniam occupant Sueci.*

A.C. 1625.

Suecus Rex cum Duce Pruſſia & Elbingenſibus de bello in Pruſſiam transferendo tractat.

Pruſſiæ obtinendo, ac opera Fabiani de Dona cum Elbingenſibus tranſigebat tanto ſilentio, ut Poloni tum primum id adverterint, cum jam & Pilavia & Elbinga hoſtem pene protenſis manibus receperat, ut in anno proximo dicemus.

Sigiſmund. III Regis Pol. aula peſte inficitur.

Sigiſmund. III Rex Pol. Oſietzkum & Ciemiernikum recedit propter peſtem.

Interim Polonis & Lituanis nihil minus quam de periculo Pruſſiæ cogitantibus, pro vindicanda Livonia Rex Sigiſmundus Comitia ad Ianuarium anni advenientis indixerat Varſaviam, necdum ſatis tutam à peſte, quæ etiam Aulam Regiam infecerat, & penetrarat ad familiariores Regis ut Rex cum Regina ac filiis Oſieczkum cum pauco Comitatu recedere debuerit: & hic quoque uno ex Cubiculariis Reginæ Georgio Val Livone peſte extincto, ac duobus janitoribus cubiculi Regii eodem morbo correptis, circumque oppidum illud lue tali vires ſumente, Ciemiernicum (erat hæreditarius locus Henrici Firley) tranſivit, ibique ad finem anni hujus hæſit, frigora hyemis opperiendo quibus contagio illa purgaretur.

Coſaci in Tauricam eunt.

Tartarum Principem Coſaci occidunt.

Sub idem tempus Coſaci evocati à Sangerejo in Tauricam, ut ejus fratrem Mechmetgerei à Turcis exautoratum ad illum Principatum reſtituerent, totam eam Tartariam pervaſerunt, & fuſis partium adverſarum Tartaris, Capham in ultima illius Peninſulæ ora ſitam oppugnarant, donec Mechmetgerei Turcæ fuit reconciliatus. Iterum vero paulo poſt in auxilium ejuſdem Mechmetgerei eo profecti, comperto dolo quod unam eorum phalangem cum Duce Doroſzenko Tartari ipſius partium circumveniſſent, eum trucidarunt, & amiſſis illis paucis ſervatis ordinibus, cum impedimentis Caſtrenſibus inter crebros cum Tartaris conflictus ad propria evaſerunt.

Koniecpolſcii expeditio contra Coſacos.

Coſaci vincuntur apud Curicowo.

Verum Turca propterea querelas commovente, Koniecpolſcius Palat. tunc Sendomiriæ, Præfectus militiæ Regni, collecto exercitu & auxiliis Procerum finitimorum ad eos coërcendos ivit: & ad finem Octobris hujus anni ultra *Crilow* conſiſtentes (erant 30 millia armis bene inſtructi) poſtquam moniti ut deponerent arma, contumaciter reſpondiſſent, prælio excepit, ubi aliquanta clade accepta, in aciem amplius evocari non potuerunt, in caſtris ſeſe continentes, quæ ad loca ſilveſtria verſus lacum *Curucowo* dictum mox traduxerunt. Sed eo quoque ſubſecutus Koniecpolſcius, poſt ſanguinolentas Caſtrorum eorum oppugnationes, in quibus plurimi pedirum præſertim Germanorum, tum & equi multi à jaculis bombardarum perierant, & nonnulli fortiores, inter quos & Thomas Zamoyſcius Palat. tunc Kijoviæ, ac Martinus Kazanowski Caſtell. Haliciæ periclitati ſunt, effecit, quod coram Regiis Delegatis Iacobo Sobieski Craſnoſtaviæ, ac Balabano Trebowlæ Præfectis jurarunt ſubjectionem, & quod abſtinere deberent ab excurſionibus in Turcicas ditiones, ſolis ſtipendiis quæ aliquantum ipſis aucta fuerunt contenti.

Annus Chriſti, 1626.

Comitia Pol. Varſav. 1626.

Polonia Rex Præfecturas Iuris Regii non poteſt dare filiis vel uxori ſine. conſenſu Ordinum.

INeunte autem Anno, Milleſimo, Sextenteſimo, Vigeſimo Sexto, redierat Rex Verſaviam ſub finem Ianuarii Comitiis exordiendis præſtitutum, in quibus deliberatione de negotiis Reipubl. introducta, Ordines de Livonia amiſſa ſoliciti, ad eam recuperandam omnem curam converterant: non remiſerunt quidem ex recepto trahendi Comitia more, publicis privatas cauſas intermiſcentes, & querelas de Comitatu Ziewiecenſi à Regina empto, recens vero defuncta Regia ſorore Anna, Præfectura Brodnicenſi & Golubenſi non requiſito (uti neceſſe erat) Reipublicæ conſenſu ipſi Reginæ collata, tamen ad ultimum iſtis ſepoſitis, ſumptus pro illo bello Livonico neceſſarios

A.C. 1626.

rios providerunt, Rege ad deprecationes Senatorum ut ceſſione juris Regni Sueciæ in perſonam ſolam viventis Guſtavi, tam Nobilium Provinciarum jacturam & bellum difficile diuturnumque redimeret, immoto perſiſtente. Nempe quod fideret victoriis Imperatoris, & promiſſis (quando finirent bella Germanica) auxiliis pro recuperando illo Regno. Paulo poſt finita illa Comitia, iterum Lituanicæ paucæ cohortes Alexandro Gaśiewski Ductore cum Sueticis numero prævalentibus apud pagum Dalmoiſa congreſſæ cladem acceperunt, cæſis prope ducentis ex Lituanis, unde tanto majori diligentia convocabantur in Polonia milites, pedites præcipue qui in Livoniam properarent. De irruptione hoſtis in Pruſſiam ne tunc quidem habebantur indicia, præter quod adulto vere Gedanenſes injecerant aliquid ſuſpicionis Regi, nunciato de apparatu hoſtis maritimo, ſolito majori, & Legationibus ad illam Civitatem, ut neutras partes ſequeretur, atque ab ipſo offendendo abſtineret, niſi vellet privari commerciorum in Suecia libertate, & in mari naves ſuas periclitari. Hoc tamen ab illo tempore quo Rex fuerat Anno Chriſti, Millesimo, Sexcenteſimo, vigeſimo tertio, Gedani tractatum, eo pertinere credebatur, ne quid adverſi ex portu illo metuendum eſſet Suecis, & ne ibi claſſis Regia receptaculum haberet. Creſcente vero rumore de illa claſſe Suetica, ſatis viſum fuit, quod Rex monuerit Ducem Pruſſiæ, ut diligentiores in Pilavico tranſitu, prout ex formula ſuæ fiduciæ tenetur, excubias, & quatuor naves milite & bellico apparatu inſtructas haberet. Delegatos etiam ſuos eò deſtinarat Rex, qui munitionem illam Pilaviæ & ordinem vigiliarum recognoſcerent, ac Regentes illius Pruſſiæ dato reſponſo affirmarunt, ſecuritati Regni ab illa parte ſufficienter eſſe proſpectum. Omninoque tuta eſſe omnia ab illa ora maritima videbantur; cum initio menſis Iulii Guſtavus Rex ex Suecia cum triginta navibus adveniens, Pilaviam intravit nemine reſiſtente, & tormenta ſolo pulvere nitrato ſine pilis onerata, adventante hoſte plane lætitiæ cauſa explodi fecerat Præfectus ejus loci, qui etiam convivio lauto tantum hoſpitem excepit. Præſidio ibi ſuo relicto, & Ducis Pruſſiæ dimiſſo, altera die Suecus lacum *Friſch Haff* denominatum, qui à mari Netinga inſula ſeparatur, & altero ſuo latere Epiſcopatum Varmienſem ac agros Elbigenſium alluit, claſſem introduxit, medioque lacu defixis anchoris explicavit; ipſemet vero ad caſtrum Ducis Pruſſiæ Brandeburgum novum divertens, à Borkio Præfecto loci, magnificis epulis honoratus, equos prope quingentos (cum ex Suecia non plures quam 30 conduxiſſet) rum & currus, ac omne inſtrumentum Caſtrenſe conquiſivit alacri miniſterio Ducalium. Octavo Julii ex Haffo ad littus Paſſeriæ fluvii militem expoſuit, rectaque Bransbergam conversus, eam ſine ullo negotio occupavit, Oppidanis tanto pavore inopinati caſus correptis, ut conſilium defenſionis inire non potuerint. Fravenberga Pontificalis Eccleſiæ Varmienſis ſede, intra illud biduum ab adventu hoſtilis claſſis Canonici in ſumma trepidatione, in qua nec obſequium ſubditorum ad ſubvectiones habere potuerant, paucam ſupellectilem ſacram Ollenſtenium abduxerant, relicto ad cuſtodiam Templi Henrico Endenberg Canonico, cum ducentis ex delectu ruſticano peditibus: Cui procurrenti verſum Bransbergam, deditionemque offerenti, dummodo Templo parceretur, ipſemet Guſtavus Rex talem immunitatem promiſerat. Sed cum ventum fuit ad Arcem, nec quicquam Endenbergo fidem datam obſtante, & portam clauſam tenente, dònec ſibi de ſecuritate caveretur, irruens multitudo hoſtilis, & domos privatas, & Ædem ſacram, uſque & ſepulchra, præſertim Simonis Rudnicki Epiſcopi, diripuit, Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ ex pixide argentea ſuper pavimento Templi abjectum & diſperſum ipſemet Guſtavus Rex ſpectavit, ac

Sueci in Livonia Alexandrum Gaſiewski fugant.

Sueci conſilia de transferendo in Pruſſiam bello non preſpiciunt Poloni.

Pruſſia Ducalis Regentes aſſeverant ſecuritatem Regni à porta Pilavienſi.

Guſtavus Suecus Rex Pilavia excipitur à Ducalibus ſine ulla vi.

Suecus Rex acquirit equos in Pruſſia miniſterio Ducalium.

Bransbergam capit Suecus.

Varmienſes Canonici in ſumma trepidatione Ollenſtenium abducunt ſacram ſupellectilem.

Varmienſi templo Cathedrali immunitatem promiſſam violat Suecus.

Sueci etiam ſepulchris in Varmienſi Eccleſia non parcunt.

Suecus Rex ſpectat disjectam per pavimentum templi Sacram Euchariſtiam.

A.C. 1626.

ac accerſito Endebergio illuſit: ſuppellex omnis Eccleſiæ, etiam tabulæ altarium cum picturis ad naves Sueticas aſportabantur, quo & Endenbergius in cuſtodiam tranſiit invitus. Inde poſtridie Guſtavus Elbingam perrexit ad deſtinatam proditionem, cujus plebs illius Civitatis neſcia ad defenſionem omnia neceſſaria comparaverat.

Endenberg. Canonic. Varmienſis captivus ducitur ad naves Suecicas.

Sed Conſul cum paucis ex Senatu tanti arcani conſciis, ad Guſtavum extra portam, quaſi ad colloquium prodiens, nullo tractatu facto, & ne quidem Civibus vel ſibimetipſi ſecuritate proviſa, eum in Civitatem introduxit: parumque abfuit à tumultu cum Cives armati excubantes ad portam, rei novitate turbari, & Suecos ingredientes ſubmovere cœpiſſent, niſi Magiſtratus præſens obſtitiſſet: & iiſdem veſtigiis Suecorum magnæ catervæ intro ſucceſſerunt, qui vallum Civitatis ſtatim remotis inde cuſtodiis Vrbanis in ſuam poteſtatem acceperunt, & Cives omnes non ſecus atque vi captos direptionem Civitatis ingenti lytro redimere coëgerunt.

Guſtavus Suecus munitâ Varmia Elbingam tranſit.

Elbinga à conſciis proditionis Conſulibus traditur Sueco.

Nec aliis injuriis abſtinuerunt, impoſitis Civitati gravioribus tributis, & onere alendi militem, ac ſuppeditandi caſtris ſuis omnem apparatum bellicum, ibique primum Guſtavus juſtas equitatus legiones collegit, & ſtipendiarios exercitatiores Germanos, qui ex Ducali Pruſſia (Duce illo connivente dum ſua ſigna relinquerent) certatim ad ipſum concurrebant, (ex Suecia nonniſi ſex mille pedites foſſoribus potius quam bellatoribus ſimiles adduxerat.)

Guſtavus Suecus primum circa Elbingam juſtum exercitum acquirit.

Eadem facilitate tertio poſt die cepit Mariæburgum præſidio vacuum, præter quod Albertus Penclawski cum ducentis peditibus in Livoniam tendens, audito periculo ad illam Arcem diverterat: verum rei militaris ignarus, licitumque eſſe reputans ſtationem non ſibi commiſſam deſerere, ſatis habuit quod cœnarit cum Guſtavo, & cum ſarcinis ſuis libere abire potuerit: quæſtore Regio Iacobo Soſnowski cum peculio ſuo divite, & multa Regia pecunia in manu hoſtis relicto, Elbingamque vincto abducto.

Mariæburgam Sueco dedit Penclawski.

Soſnowski quæſtor Regius Mariæburga Elbingam vinctus mittitur.

Tum demum itaque Polonis conſtitit conſilium hoſtis de bello ex Livonia in Pruſſiam transferendo, eademque fama attulit eum veniſſe, ac tot inſignia loca cepiſſe, ut nulla ratione primos illos impetus ipſius potuerint cohibere. Sed exciti demum tanto claſſico, ſumma feſtinatione ad ſigna currerunt. Legiones Quartianæ in ultimis confiniis Ruſſiæ excubantes, tam facile adduci non potuerant, eis tamen ſubſequi juſſis, ipſemet Rex Sigiſmundus Varſavia ſub finem menſis Auguſti, cum ſuis Aulicis & diverſorum Procerum auxiliariis cohortibus movit, & circa Toruniam exercitum luſtratum verſus Peplinum, (octo equitum & tria peditum millia in tam brevi tempore confluxerant) qua hoſtis auctus equitatu ex Livonia interim à Comite Turrenſi per Ducalem Pruſſiam conducto, Derſavia & Meva intercepta, tranſitus Dantzicam intercludere volebat, magnis itineribus duxit.

Poloni primum reſciunt de adventu Sueci poſtquam cepit tot loca in Pruſſia.

Sigiſmund. III Rex Pol. ſumma celeritate colligit exercitum & ducit contra Suecum in Pruſſiam.

Sueco Regi majores copiæ ex Livonia per Ducalem Pruſſiam adveniunt.

Nec ſegnior Suecus, Mevam quam peti arbitrabatur, cum ſuis copiis ſtatim proceſſit, ibique primum venit in conſpectum exercitus Polonici, circa aggeres Viſtulæ, & quercetum quoddam ibi proximum ſuis copiis diſpoſitis. Signo pugnæ dato, cum Poloni tota acie præſertim equitatus haſtatorum, majore hoſtilium agminum parte inter querceta conſiſtente, confligere non poſſent, peditatu tantum & turmis equitum tribus emiſſis lævam eorum alam in aperto ſtantem, magna ſtrage edita (ibi fortiter pugnans occubuit Otto Dinoff Regis domeſticus juvenis egregius) ultra aggerem repulerunt, & in fugam jam converſam facile diſſipaſſent: ſed repente Mariſchallus Regni (cujus muneris eſt, ſi non adſit Præfectus militum generalis ejus functiones obire) ignarus quid in conflictu ageretur, receptui canere juſſit.

Sigiſmund. III Poloniæ Regis congreſſus primus cum Sueco apud Mevam.

Sueci igitur poſt hæc recollecti, Mevam firmius præſidium introduxerunt, & altero mane receſſerunt Dirſaviam, ubi etiam nil memorabile accedit: Guſtavus enim prælium detrectans, tractatum pacis inſtitui petiit, & eo durante tranſ-

Suecus Rex ſubvenit Mevæ.

miſit

miſit Viſtulam, abductoque toto exercitu in Inſulam Mariæburgenſem, nuſquam pugnandi copiam fecit, ac tandem etiam pacis tractatum deſeruit. Nec abundabant conſilio Poloni, pulvis nitratus in Mevenſi conflictu eis defecerat, & tum primum Dantiſca adferri debuit. Duces periti deerant: & cum uni ſummam regiminis bellici Rex non commiſiſſet, plures præeſſe & imperare volebant.

A.C. 1626.

Suecus prælium detrectando ad tractatus pacis provocat.

Medio demum Octobre advenerat eodem cum Legionibus veteranis Quartianis Præfectus militaris Staniſlaus Koniecpolski, cum jam hoſtis abiiſſet. Ibidem tamen caſtris poſitis, tota hyeme Dirſaviam obſidione preſſit, ac loca circum vicina ab excurſionibus Suecorum defendit. In Epiſcopatum Varmien. Martinum Kázánowski veteranum Tribunum cum una legione deſtinarat, qui Gutſtadio & Vormdito intra paucos dies Suecos ejecit.

Dirſaviam obſidet Koniecpolski.

Vormditum recuperat à Sueci Kázánowski.

Rex verò Sigiſmundus tranſierat Gedanum, ut illam Civitatem in ſua fide confirmaret; ac rebus ibi ex voto diſpoſitis, Toruniæ ſub finem Novembris Comitia cum Ordinibus Regni celebravit, exitu felici, cum etiam illi qui pro Livonia contra illum hoſtem defendenda ſubſidia denegabant, tali contentione cum in Pruſſiam malo Reipublicæ fuiſſe accerſitum ſentientes, lubenter tributa tantis impendiis neceſſaria conceſſerint.

Comitia Polon. Toruniæ. 1626.

In prohibenda navigatione è fluvio Niemen Regiomontum gravius decertabatur, cum Lithuani unicam illam commoditatem conquirendæ pecuniæ adimi ſibi ægrè ferrent, & Poloni judicarent hoſtem conſtringi non poſſe, quouſque ab illa Civitate (Dux Pruſſiæ præſeferebat quod neutram partem ſequeretur, ſed Suecis favebat palam) commeatum & omne belli tam terreſtris quam maritimi inſtrumentum habere poſſet. Vnus autem ex Senatoribus gravioribus, iſque Magiſtratum Cancellariæ Regni gerens, injecerat mentionem ut in tam periculoſo ſtatu ſuo Reſpub. Regni ſucceſſorem Regni deſignaret, ac intendebat digitum in Caſimirum Principem ſecundogenitum Regis: ad quam vocem exhorruerant omnes Ordines, & fremitu concitato, ad pœnas legum depoſcere ejus authorem volebant, ni difficilioris temporis rationes ſilentio potius tunc illam indignationem premere coëgiſſent. Cæterum Archiepiſcopo Gneſnenſi Henrico Fierley nuper defuncto, Rex ſuffecerat Ioannem Wæzyk Epiſcopum Poſnanienſem, iſti verò in Poſnanienſi Marthiam Lubienski Epiſcopum Chelmenſem.

Polonis de ſucceſſore Regi viventi deſignando mentio ingrata.

Ioannes Wæzyk Archiepiſcopus Gneſnenſis in locum Firlei renunciatur.

Et cum hoc modo iniquiorem fortunam belli in Pruſſia Poloni experirentur, in confiniis Ruſſiæ de Tartaris celebrem victoriam reportarunt. Commiſerat Præfectus militaris dum abiret in Pruſſiam vices ſuas in illis confiniis Stephano Chmielecki viro forti, qui cognito per exploratores de adventu Maradin Sultan, cum triginta millibus Tartarorum ſelectiorum menſe Septembre, ipſe quoque ſuas copias (nonniſi bis mille ſtipendiarii erant, auxiliares diverſorum Procerum mille, & ſexies mille Koſaci Zaporoviani) collegit, ac ſumma celeritate contra hoſtem duxit. Apud fluvium Roſia prope Biala Czerkiew poſuerat Tartarus caſtra ſua, indeque dimiſerat expeditiores turmas ſuas prædatum. Ibi itaque ſecurè ſubſiſtentem, ac contempta paucitate Polonorum, in aciem (alioquin fugiendo pugnare ſolitum) audacius prodeuntem, Chmielecius invaſit; & quamvis Tartari numero longe præſtarent, & bombardarum uſum pluvia (ab eadem arcubus ſuis madidis ac lubricis factis Tartari uti non poterant) Polonis ademiſſet, frameis tamen rem gerentes, hoſtem pertinacius pugnantem, poſt alterius horæ acerrimum dubiumque conflictum ſuperarunt, quater mille Tartari in loco pugnæ manſerunt cæſi, & in fuga plures circa tranſitus fluminum, partim in aquis ſuffocati, partim à plebe ruſtica trucidati perierunt: vivi mille ducenti capti, inter quos Ordinum Ductores quinquaginta Murzi vocantur, ipſe Sultan fuga evaſit. Singulæ deinde Turmæ Tartaricæ ad caſtra ſua (inſciæ quid ibi interim ſucceſ-

Chmielecius Tartaros profligat.

A.C.1626. ſerit) cum præda redeuntes profligabantur à victoribus, ut ex tanto numero vix ſexta eorum pars effugerit. Ex Polonis nonniſi novem fuerunt deſiderati, & vulnerati quinquaginta.

Valſtenii cum Fœderatis tractatus pacis ad trahendum tempus.

In Germania initio anni hujus varii tractatus de pace ſunt habiti, præſertim inter Valnſtenium, Tilliumque Duces Imperiales, ac Principes inferioris Saxoniæ, ubi plurimis ultro citroque legationibus miſſis, eas rationes pacis iſti propoſuerant, ut Imperiales copiæ quamprimum ex finibus ipſorum abducerentur, loca occupata relinquerentur libera, damna illata compenſarentur, caveretuque ipſis Religionis libertas, & Liga Catholica (diffidentiæ præſentis in Germania omnis fons ajebant) ſolveretur. Illi verò negarunt ſalva dignitate Imperatoria abduci inde poſſe exercitum ſuum, niſi prius Principes, ac una Daniæ Rex arma deponerent: impenſas belli Imperatori refunderent: Mansfeldio ac aliis Imperatoris hoſtibus ſubſidia & receptaculum non darent: de cætero ſecuri eſſent de gratia majeſtatis ſuæ, qua in libertate Religionis Auguſtanæ conſervarentur. Hiſque diſputandis interceſſore & arbitro Saxoniæ & Brandeburgi Electore, tota hyems ceſſit, profectu ad ultimum inani. cum illi Principes nullis perſuaſionibus induci poſſent, ut primi arma deponerent: fortè quod non fiderent Valnſteinio ac Tillio: vel quia ſubſcripſerant fœderi Anglico, & jam præmeditatum habebant bellum etiam pro recuperando Palatinatu, ut evidentius colligi poteſt ex literis ad Electores Catholicos Dani Regis excuſantis apparatus ſuos bellicos ſenſu tali:

Daniæ Regis de bello ſuſcepto in Germania rationes.

Profitetur inprimis arma ſua non ad opprimendum ullum Principem aut Ordinem Romani Imperii, qui ſit Religioni Catholicæ addictus, ſed ad pacem recuperandam, & Germanicam Religionis libertatem tuendam ſpectare.

Deinde narrat omnem ſuam operam & interceſſionem pro Comite Palatino apud Cæſarem interpoſitam effectu caruiſſe, tametſi Palatinum induxerit, ut Bohemiæ Regno renuntiare, Cæſarem ſubmiſſe deprecari vellet, dummodo ſuas ditiones hæreditarias, ac dignitatem Electoralem recuperare poſſet.

Interim exercitus Cæſareos retineri, Ordines quibus cum turbis Bohemicis nihil negotii fuerit, præſertim Provincias inferioris Saxoniæ, militum immiſſionibus, traductionibus, hoſpitiis, rapinis, incendiis exhauriri. Ducem Luneburgicum aliquot auri miriadum, Brunſuicenſem trecentorum millium Talerorum Imperialium damna accepiſſe. Itaque Ordines illius ditionis ad ſui defenſionem conveniſſe, nec quidquam contra Imperii conſtitutiones machinatos eſſe. Præterita autem æſtate adverſam partem rapinis, cædibus, & incendiis, ita omnia divexaſſe, ut Turcæ & Tartari ſævire magis non potuerint. Tillium quoque cum ipſi Legati & Conſiliarii ſui amicum tractatum propoſuiſſent, & exercitum Regium honeſtis conditionibus retroceſſurum obtuliſſent, ſuperbe reſpondiſſe iſtud ſibi minime ſatisfacere, ſed exercitum illum à Rege prorſus dimittendum eſſe, aut illum diſturbandum fore. Nihilominus ſe Cæſari & Regi Hiſpaniæ animum ſuum pacificum denuo per litteras teſtatum feciſſe; ad quas cum nullum reſponſum acceperit, ſe compulſum fuiſſe ut arctius fœdus cum circulo inferioris Saxoniæ pro libertate Religionis & pace Reipublicæ Germaniæ iniret. Se autem nihil aliud cupere, quam ut Cæſar & omnes Electores Principes, atque Ordines unius & alterius Religionis mutuam inter ſe pacem & amicitiam colant. Mansfeldii cauſa, non eſſe cur ſiniſtre aliquid ſuſpicentur.

Daniæ Rex Oſnaburgum & Monaſterium occupat.

Sive autem ex iſto reſpectu, ſive ex illo quod Ducibus Imperialibus nonniſi ad lucrandum tempus ſpem concordiæ oſtentare ſolitis parum fiderent Principes illi, pacis tractatum ſub initium Martii abruperunt, & armis aſſumptis Rex Danus Oſnaburgenſem & Monaſterienſem Epiſcopatum occupavit. Chriſtianus Halberſtat. Dux Brunſuicenſis in Haſſiæ finibus, & circa Gottingam pluri-

Digitized by Google

A.C. 1626.

Tillius circa Veſeram pro Imp. multa loca munit.

pluribus oppidis præſidia ſua impoſuit. Tillius etiam pro Cæſare plurima loca circa Fuldam & Veſeram,& Valnſteinius reliquum Alberſtatenſem Epiſcopatum in ſuam poteſtatem redegit; & paulo poſt menſe Aprili Mansfeldium à Ponte Deſſavienſe præſidium Imperiale ejicere conantem profligavit; ſex tormentis, & triginta ſeptem militaribus ſignis impedimentiſque omnibus captis, & toto ejus peditatu parte cæſo, parte in Sacramentum Cæſaris adacto. Equitatus evaſerat cum Mansfeldio,qui recollectis ſuis manipulis, inde in Marchiam conceſſit, ibique conquiſitis majoribus copiis, quo Cæſarianorum vires diſtraherentur, in Sileſiam una cum Erneſto Duce Vinmarienſe ſexdecim millia militum,& quindecim tormenta duxit, conſilio non inutili; nam ita & Gabor Bethlemum iterum ad arma contra Cæſarem ſumenda concitarat, & Valnſteinium coëgerat, ut magnam exercitus Cæſarei partem cum Pechmano eo converterit, tantoque debiliorem Tillium Dano oppoſuerit. Nihilominus Tillius interim feliciter rem geſſit: Mindam vi expugnavit, Veidenbrucum & Gottingam deditione cepit; partem copiarum Danicarum apud Calenbergam miſſo cum triginta ſex equitum turmis, & mille quingentis peditibus Comite Furſtenbergio fudit, ſexcentis ex eis cæſis, & quinque ſignis equitum captis, ex parte vero ſua Ioanne Martino, Horivio,Sevrio Tribunis ,ac circiter ſexaginta gregariis militibus deſideratis. Ipſemet verò Tillius decima Auguſti die (quo etiam Electus fuerat Rex Romanorum Francofurti Ferdinandus II) obtinuit victoriam apud Luthram pænè omnibus aliis quæ præceſſerant celebriorem. Northemio imminebat Tillius & ſuffeciſſe poterat Dano, quod ipſum ab obſidione illius oppidi recedere coëgerat: ſed eum non ſatis tunc inſtructum ad pugnam, ac Gottingam quo tranſiturus erat difficilior recedentem, dum avidius inſequitur, in loca iniquiora ab exploratoribus male cognita præcipitavit. Tillius itaq; auctus interim quatuor legionibus peditum & turmis tribus equitum à Valnſteinio ſibi ſummiſſis, in tali opportunitate rei bene gerendæ converſo curſu, Danos ex illis anguſtiis eluctari, iterumque verſus Volfenbutelam ad tutiora tranſire adnitentes, integro triduo velitando diſtinuit, ut ſubſiſtere & pugnandi copiam dare debuerint prope Luthram Ducis Brunſuicenſis Arcem, ubi prælio commiſſo poſt acerrimum utrinque conflictum, Danici ſuccubuerunt. Cæſorum ibi in ipſa acie, præcipue ex peditatu quinque millia numerabantur, cum aliquot Ordinum Ductoribus: capti pluſquam bis mille, inter quos inſigniores Tribuni non pauci & Centuriones, Vicarii, Signiferi prope centum. Occubuerat ibidem ex Danicis Philippus Fuchſius Dux belli veteranus, tanto majori diſpendio Dani, quod parem alium tunc belli Ducem non haberet, cum & Chriſtianus Alberſtadenſis paulo ante febri ardenti obiiſſet. Tormenta viginti duo ænea cum inſigniis Dani Regis,& in ſumma copia inſtrumentum bellicum, ac caſtra univerſa cum impedimentis omnibus ceſſerunt in poteſtatem victorum, ac ſigna capta pedeſtria octuaginta, equeſtria ſex. Rex ipſe cum equitatu Volfenbuttelam conceſſit, nec multum ibi morari auſus, Albim tranſiit. Mox verò aliquantum numerum copiarum ſuarum ex fuga convocavit: & quo animos ſui reſumerent, circa Verdam ad Viſurgim aliquos pagos vaſtavit, & inde progrediens, Hoyam Arcem obſedit, continuataque in diem ſeptimum acri oppugnatione cepit. Niemburgum Epiſcopatus Bremenſis, & Stolrſenaviam commeatu introducto ſublevavit, & tandem in hiberna conceſſit. Tillius vero proſequens victoriam Neoſtadium, Steinbrucum, Hanobriam, Verdam, & plura alia vicina ibi Oppida ad recipiendum præſidium Cæſarianum coëgit, ac totum Comitatum Hoyenſem, præter Arcem Hoyam, & Epiſcopatus Bremenſis ditionem, præter Niemburgum occupavit. Wolfenbuttela quæ tam facile hyeme imminente oppugnari non poterat, in fide Dani manſit, pacto ut Tilliani

Valnſteinius Mansfeldium profligat.

Mansfeldius recollectis viribus in Sileſiam irruit.

Bethlemus iterum contra Imperatorem arma ſumit.

Tillius Mindam capit & Danicos fugat.

Daniæ Regem Tillius afficit clade magna apud Luthram 27 Auguſt. 1626.

Fuchſius celebris belli Dux occiſus in prælio Luthren.

Daniæ Rex recolligit ex fuga ſuos milites.

Tillius proſequitur victoriam,& multa loca ad deditionem cogit.

A.C. 1626.

Apelman Præfectus claſſis Polonicæ, literas Camerarii intercipit.

Camerarii literæ interceptæ de clade Dani.

Civitatem liberè ingredi, & viciſſim Cives extra exire ac negotiari ſecurè poſſent. Quanti autem æſtimata fuerit clades illa Dani, & quam ab ea deſperaverint de rebus ſuis omnes ejus colligati, liquebit clarius ex literis Ludovici Camerarii, Comitis Palatini ac fœderis iſtius ſagacioris Conſiliarii, interceptis ab Apelmano Præfecto Claſſis Regis Poloniæ, cum ſub finem anni hujus aliquas naves Sueticas propè portum Dantiſcanum expugnaſſet. Longiores ſunt literæ quàm ut in iſto compendio noſtro extendi poſſint, ſed verba earum propoſito noſtro ſervientia ponemus. Hagæ Comitis ſcribit 15 Septembris, 1626 ad Regni Sueciæ Cancellarium.

Legatus Gaborei hodie diſcedet in Angliam profecturus. Vltra menſem detentus fuit, & tamen in re pecuniaria nil ab Hollandis obtinuit. Metuo ſi ille acta reſciſcat, ne reſiliat, quod ſi facit periit Mansfeldius &c. Dani clades magna fuit, præcipitavit in loca iniquiora, & caruit exploratoribus. Res ab Imperialibus in magis extolletur ubique, maxime ut Gaboreum contineant in amicitia, & Mansfeldii res ad incertum redigant, Danus mea opinione nec cito ſe recolligere, nec diu conſiſtere poterit. Civitates Hanſiaticæ ex metu Iulii Tillii imperatis ſatisfacient, niſi viderint aliis utriuſque maris majorem curam fore. Poſtularet ſane neceſſitas, ut Guſtavus, Danus, Hollandi, Angli, aliique quorum intereſt ea de re peculiares tempeſtive Conventus agerent. Hocque ſæpius Camerarius Hollandis inſtillat, ſed parum promovet. In Aula Electoris Brandenburgici miſera eſt facies rerum, & optimus noſter Winderfeldius cogitat de diſceſſu, ſequentur exemplum alii: Sic Comes Swartzenbergius vacuæ dominabitur Aulæ, &c. Et in aliis literis inquit: *Dani clades quæ ſane ingens fuit, adeo DD. Ordines perculit, ut etiam in conſiliis de ſuis rebus fluctuare inceperint. Volebat omnino Princeps aliquid magni adhuc tentare & de obſidenda Veſalia actum fuiſſe ſcio, ſed infortunio Danico percepto, non audent experiri fortunam, quam ſibi quoque adverſam fore metuunt.*

Mansfeldius apud Opoliam profligat Cæſarianos & multa loca capit.

Mansfeldius in Vngariam tranſiens apud Poſonium profligat Cæſarianos.

Bethlem audita clade Dani iterum pacem facit cum Imperatore.

Valnſtenii copia in expeditionem contra Bethlemum conſcripta.

Hæc ille, & vere divinavit; nam ut judicium ipſius de viribus Dani non facile inſtaurandis, & non multum duraturis anno proximo reſervemus, ea quæ de Gaboreo ac Mansfeldio prædixit actutum evenerunt. Et quidem Mansfeldius, ut alias diximus, à clade Deſſavienſi in Sileſiam converſus, magnos progreſſus fecerat: fuderat apud Oppolium Cæſarianos, quorum Dux Annibal de Dona etiam vulnus acceperat in illo conflictu: occuparat non in Sileſia tantum, ſed & in Moravia plura Oppida, ut Kozle, Iagendorfium, Teſinam, Ratiboriam, Tropaviam, omnemque illam oram, qua liberum tranſitum ad fines Vngariæ ſibi apetiret, in ſuam poteſtatem redegerat: & relicto Duce Vinmarienſi cum Baudiſio ac octo millibus militum pro cuſtodia illorum locorum interceptorum, in Vngariam tranſierat; ubi Cæſarianis in territorio Poſonienſi magnam ſtragem intulit, integra eorum legione Vallonica cæſa; Gaboreus quoque ad famam ipſius adventus collecto numeroſo exercitu, totam Vngariam ad novandas res concitarat, ac commoverat Budenſem Baſſam, ut circa Neoſelium & Strigonium caſtella quædam ad Imperatorem pertinentia expugnaverit, & Novigradiam obſeſſam ad neceſſitatem deditionis prope adegerit.

Sed audita Dani clade, & intellecto quod neque ab Hollandis, neque ab Anglo ſubſidia pecuniaria certo habere poſſet, indeque timens ne tota belli moles ſibi ſoli incumberet, in caſtris circa Conventzium pacem, cura Eſterhaſii Palatini Vngariæ ad menſem Aprilem anni proximi compoſuit cum Valnſtenio, qui eò cum copiis Imperatoriis advenerat, & vinci poterat non prælio nec ferro, ſed cunctatione & inedia, injuriiſque humidioris tunc Autumni, quibus jam ejus copiæ adeo diminutæ fuerant, ut ex viginti millibus ipſius equitum in Vngariam conductis, vix quatuor millia cum equis ad hiberna redierint. Atque ita reſiliente

A.C. 1626.

liente Gaboreo à fœdere Anglico, Mansfeldius, ut Camerarius prædixerat, periit. Et quidem in pactis illarum cum Cæſarianis induciarum Gaborcus caverat ei ſecuritatem reditus ad propria, ejuſque ſociis ac militibus, ſed ipſe cum qualivis cautione non ſatis tutum ſibi fore reputans per medios Cæſarianos redire, tormenta ſua bellica & impedimenta militaria vendiderat Baſſæ Budenſi, ac per Turcicas ditiones impetrato tranſitu ad Venetos, cum Dalmatiam attigiſſet, prope Zaram morbo ex itinere concepto interiit: Et Vinmarienſis qui manſerat in Sileſia, ac Cæſarianos excurſionibus crebris fatigarat, Liſuitzium vi ceperat, iterato profligarat Annibalem de Dona capto ipſius Patrueli, tandem ipſe quoque obiit non multo poſt, relicto Imperio militari penes Baudiſium & Carpezanum, qui omnia illa loca in Sileſia & Moravia capta in nomen Dani Regis manu forti retinuerunt ad æſtatem proximam.

Mansfeldius reſiliente Bethlemo a fœdere Germanico, periit.

Mansfeldius Baſſa Budenſi vendit inſtrumentum bellicum.

Mansfeldius moritur.

Vinmarienſis Dux in Sileſia facto magno progreſſu moritur.

Baudiſius loca in Sileſia capta retinet in nomen Dani Regis.

Aliud bellum geſſerunt hoc anno Imperiales in Auſtria ſuperiori circa Onaſum, ubi plebs ruſtica ſtipendiis militi Bavarico in menſes ſingulos contribuendis, hoſpitiiſque præſtandis nimium gravata, & indignè ferens, quòd mandatis Imperatoris & conſilii Viennenſis ſtringeretur ad ejiciendos Dogmatiſtas ſuos hæreticos, ſequendamque Fidem Catholicam Romanam, tumultuabatur. Octuaginta millia ruſticorum ibi arma ſumpſerant, & occuparant Velſam, Ebersbergam, Steirum, Schatluſium, Valkenburgum, aliaque oppida non pauca, ex quibus collecto magno apparatu bellico, caſtriſque inſtructis, Comitem Heberſdorfium Gubernatorem Lintzii fugarant, & etiam Lintzium obſederant, acriterque iterata irruptione oppugnarunt. Nec poterant à tali pertinacia avocari tractatu pacificationis per Delegatos Cæſaris ſæpius oblato, quinimmo licet acceperint cladem magnam in oppugnatione Lintzii, ac à Lebelio Tribuno apud Onaſum oppidum, amiſſis prope duobus millibus ex ſuis, una cum Duce ſuo Stephano Fadingero pila tormenti occiſo, infeſta tamen arma per illas Provincias circumferebant, & multa oppida ſpoliabant. Legionem Ducis Alſatiæ ex Bavaria venientem novi ſui Anteſignani Achatii Villingeri (calcearius fuit) opera, tum & alias copias Bavaricas cum [illegible]idloio Tribuno circa montem Saccari profligarant. Quinimmo & prælio manum conſerere auſi, prope Velſiam Imperiales legiones ſub Breuneto, Avenbergio, Lebellio, Schafenbergio militantes diſſiparant, continuaruntque ſeditionem ſuam variante fortuna, & ſæpius ad ipſorum partes inclinante toto hoc anno, ut cum majori exercitu peritior belli Dux Pappenhemius contra ipſos fuerit advocandus, qui ſub finem hujus anni circa Efferdingam, & iterum prope Gemundam diutius anceps, & difficile certamen cum ipſis habuit, inde quod circa ſylvas hærerent, ad eaſque vi ingruente refugientes periculum evaderent, & non minus quod eorum plerique Magicis præſtigiis muniti eſſent contra ictus bombardarum, ab eiſque ſecuri (eorum Dux pilam tormenti pectore illæſus excepit, deinde vero ſclopeti ictu proſtratus occubuit) audacius pugnam inirent. Tandem tamen ipſemet Pappenhemius in acie obequitans milites ad fortiter pugnandum excitando, & hic & ibi pæne furentem illam colluviem multo labore ſuperavit. Et cum nihilominus in armis præfractè perſiſterent, apud Reclapontem & iterum apud Volfekium, & demum Griesburgi plurimis trucidatis, (quindecim millia in omnibus illis conflictibus perierant) eos domuit.

Auſtriæ ſuperioris ruſtica plebs arma ſumit pro Religione.

Ruſtici tumultuantes ab obſidione Lintzii rejiciuntur.

Ruſtici tumultuantes prælio certare audent & vincunt.

Pappenhemius poſt difficile certamen ruſticos rebelles profligat.

Præſtigiis muniti ab ictu tormenti illæſi evadunt.

Ruſtici Auſtriæ rebelles edomantur multis cladibus.

In Italia difficilioris belli inter Regem Hiſpaniæ & Galliæ pro Valle Tellina initia, Summus Pontifex Romanus miſſo Cardinali Franciſco Barberino in Galliam, tollenda procuravit: & cum ubi integra pacificatio non ſucceſſiſſet, eundem Cardinalem hoc anno in Hiſpaniam ad eam perficiendam mandaverat. Sed priuſquam iſte Cardinalis Madritum veniſſet, Hiſpani conditiones pacis hujuſmodi jam ante conſcriptas approbarunt, & pacem concluſerunt, eamque publi-

Barberinus Card. Legatus in Hiſpaniam mittitur.

 carunt,

A.C.1626.

Hiſpanus Rex pacem pro Valle Tellina approbat in gratiam Regis Galliæ.

carunt, ut in gratiam Regis Galliæ fuiſſe factam appareret, huncque potius tali officio ſibi devincirent. Conditiones autem erant tales:

Vallis Tellina Summi Pontificis miniſtris reſtituatur, qui ſecuritati Religionis Catholicæ in ea provideant. Munitiones recens extructæ diruantur, & uterque Rex liberum ea tranſitum habeat: Rheti tenebuntur eos Magiſtratus quos Vallis Tellinæ incolæ in Provincia conſervatores ſibi eligent, confirmare.

Pacis pro Valle Tellina conditiones.

Comitatus Vormſianus & Clavenæ ſub Valle Tellina comprehendantur, atque inde utriuſque partis præſidia abducantur.

Vallis Tellinæ incolæ tenebuntur Rhætis quotannis in recognitionem veteris clientelæ certam pecuniam pendere. Ambo Reges incolas in ſuam tutelam recipient, ut hæ conditiones obſerventur.

Et licet poſtea ipſimet Rhæti in recipiendis hujuſmodi legibus pacis hæſitaverint, tamen cum jam inter Hiſpanos & Gallos de eis ſervandis conveniſſet, illi quoque intra rixas verborum ſuas oppoſitiones continuerunt. Et ne alia in Italia belli Regibus iſtis anſa reſtaret, circa controverſiam quoque Ducis Sabaudiæ cum Genuenſibus in illo tractatu Madriti hæc fuerunt decreta:

Delegati eligentur, qui controverſias inter Genuam & Ducem Sabaudiæ componant. Interea Induciæ ad quadriennium ſerventur, & ſi eo temporis ſpatio controverſiæ illæ componi nequeant, ambo Reges tantum ut intermedii ſe interponent.

Barbarinus Card. in Hiſpania Regis filiam baptizat.

Maria ſoror Regis Hiſpaniæ deſponſatur Vngariæ Regi.

Sicque quieverant aliquantum motus illi Italici, & Cardinalis Barberinus Regali ſplendore tractatus in Aula Hiſpanica, poſtquam illius Regis filiam paulo ante ſuum adventum genitam è ſacro fonte Baptiſmi levavit, & ſororem Regis ejuſdem Mariam, in ſua præſentia ſponſam Imperatoris filii Ferdinandi Vngariæ Regis renunciatam ſalutavit, Romam rediit ad initium menſis Octobris.

Galliæ in Regem conjuratio detecta ſopitur.

In Gallia hoc anno nova contra Regem conſpiratio priuſquam perficeretur, in lucem prodiit. Decreverant conjurati Regem in venatione comprehendere, & in Monaſterium detrudere vel tollere, eique ſufficere fratrem juniorem; ſed re tempeſtive detecta, præcipui ex eis (viri primarii) fuerunt comprehenſi, & etiam Regis frater ſub cuſtodiis aliquanto tempore debuit hærere: demumque Comitis de Chales ſupplicium capitale temeritatem illam expiavit.

Subiſſius Dux pro Vgonotis in Anglia auxilia conquirit.

Angliæ Rex Reginæ miniſtros Catholicos relegat.

Cum Anglis autem Galli hoc anno prope in apertum bellum proruperant, cum & illi Gallicis, & iſti Anglicis navibus, in mari illo hoſtiliter intercipiendis ac diripiendis inſtarent. Ducem Subiſſium ex Gallia profugum cum viginti navibus, & pro Vgonotis Rupellanis contra Regem Galliæ auxilia conquirentem in ſuam clientelam Angli receperant: & gliſcentibus exinde ſimultatibus, Angliæ Rex fere omnes miniſtros Reginæ (trecentos circiter) fœminas, pariter ac viros Catholicos, diſtributis inter ipſos munuſculis in Galliam remiſerat, cauſa relegationis per Carletonem Nuntium ſuum declarata, quaſi illi præſertim Eccleſiaſtici, in rebus ad officium ſuum non pertinentibus ſe ingererent. Miſerat itaque Rex Galliæ Legatum ſuum Baſſompetra in Angliam, qui negotium quidem reſtitutionis miniſtrorum Reginæ Catholicorum ita compoſuit, ut duodecim tantum Sacerdotes, unus Epiſcopus, duodecim Matronæ, unus Cubicularius, Secretarius, Medicus, & tres præterea alii Miniſtri Catholici pro Reginæ obſequio ibi manerent, aliquam etiam reſtitutionem & commutationem interceptarum navium obtinuerat; ſed patrocinium Subiſſio & Vgonotis Rex Angliæ cum præſtare non deſiſteret, acerbiores poſt hac inimicitiæ inter utrumque Regnum exarſerunt, ut ſuo loco patebit.

Angliæ Reginæ miniſtri Catholici reſtituuntur.

Angliæ Rex Vgonotis auxilia dare non deſiſtit.

In Belgio Hiſpani menſe Septembre anni hujus, fodere cœperunt novum alveum, quo Rhenum à Rinberca ad Geldriam & inde Venloam, ibique ad Mo-

ſam

A.C. 1626.

Rhenum ad divertendum Hiſpani novum alveum faciunt.

Hollandi novi alvei foſſionem impediunt.

ſam diverterent, ac navigationem Rheni Hollandis adimerent, infra Rinbercam initio ſumpto, ubi ipſemet Spinola principium fodiendi ſuis manibus fecit. Octo milliaribus Belgicis, nempe itinere totidem horarum ille alveus duci debuit 35 pedes latus, & 5 altus opera & impenſa incredibili, cum ad reprimendos impedientes Hollandos propugnacula pluſquam viginti in illo tractu excitare fuerit neceſſe, & excubare cum exercitu armato, ut Hollandi quoque excubabant, ac cruentis pugnis ibi continuè certabatur, & ad extremum labor ille aliquot annorum manſit imperfectus. De reliquo nihil adeo memorabile ibi hoc anno ſucceſſit, quamvis utrinque ſtudia militaria non quieverint: Sed & Spinola Sluſam, & Hollandi Oldenſeela diruta, Hulſtam irrito conatu tentarunt: Et cum iſti duas cohortes Hiſpanas cum Fuggero militantes circa Veſaliam fugaſſent, pari ſorte Comes quoque Bergenſis apud illum novum alveum, excubias ipſorum Comite Stirumio earum Duce capto, & Barone Botlitzio cæſo diſſipavit. In mari ſimiliter æquali Marte certarunt, & tam Hiſpani Hollandicas, quam iſti Hiſpanicas naves plures mercibus magni pretii onuſtas cæperunt. In Guinea vero Hollandi à Mauris cladem acceperunt, dum ad Caſtellum Minæ, quod Luſitani ibi tenent, oppugnandum deſcendiſſent: oppreſſi enim ab inexpectata Maurorum multitudine perierunt quadringenti, una cum Frumio uno ex ſuis Præfectis, alter Præfectus Theodorus Lammius recollectis à conflictu ſociis ſuis, integram Claſſem licet re infecta inde abduxit, & mercibus pretii pluſquam mille librarum auri, eboriſque magna copia conquiſita, damnum compenſavit.

Hollandi à Mauris cæſi in Guinea apud Minam.

Annus Chriſti, 1627.

Poloni tota hyeme in caſtris ſe continent & infeſtant Suecos.

Pucenſis Arcis præſidium Sueticum ad deditionem cogitur.

Diximus ſupra Præfectum militarem Poloniæ Staniſlaum Koniecpolski in caſtris continuiſſe ſuum exercitum circa Derſaviam, ubi hæſit tota hyeme Anni Milleſimi, Sexcenteſimi, Vigeſimi ſeptimi, & emiſſis continuè excurſionibus, Elbingam, Mariæburgamque verſus, coarctavit Suecos, ut quaſi obſeſſi in ſuis præſidiis immoti hærerent, & magis ne poſſent ſubvenire Pucenſi portui, quem interim obſideri fecerat, commiſſa ea cura Tribuno militum Ioanni Lanckoronski, Vexillifero Halicienſi, demumque redegerat præſidiarios ejus Suecos ad neceſſitatem deditionis ſub finem menſis Martii, ademitque eam opportunitatem hoſti, qua ab una, & ex Pilavienſi ſinu ab altera parte intermedium Gedanum occluſerat. Ad ſubveniendum autem ſuis in tanto periculo conſtitutis Guſtavus Rex, cum ex Suecia hyberno tempore ſævientibus procellis maris auxilia mittere non valeret, in Marchia Germanicæ Pomeraniæ exercitum quinque millium peditum, & trium millium equitum conſcribi fecerat, & conduci in Pruſſiam, à Tribunis Streffio & Tauſelio. Quo cognito Koniecpolski, ſumma celeritate ad confinia Pomeraniæ duxit, eoſque ſecuros & nihil adhuc hoſtile expectantes, Hamerſtini corona cinxit: Vnde illi conſtricti, ut nec pugnam inire, nec fuga evadere poſſent; cum jam æquitatus Polonicus in eos irrueret, ſublatis in haſtilibus pileis deditionem fecerunt talem. Signa equeſtria 25 pedeſtria 30, & tympana ſua ad pedes victoris abjecerunt. Streffius & Tauſelius captivi ſunt accepti, reliquis venia data redeundi in Germaniam, præſtito jurejurando, quod intra annum contra Polonos non militarent, & majori parte præſertim pedites, ſub ſigna Polonica conceſſerant. Hac parta victoria Poloni, caſtris ſolutis in diverſa ſtativa abierant ad reficiendas vires poſt hyberna inter acerbiores

Hamerſtini auxilia Sueco ex Germania venientia Koniecpolskius ad deditionem cogit.

Koniecpolskius poſt victoriam Amerſtinen. exercitum ad ſtativa dimittit.

A C. 1627.

Guſtavus ex Suecia in Pruſſiam revertitur.

res hyemis injurias in tabernaculis vilioribus tranſacta, & maxime quod pabula equorum circa Derſaviam defeciſſent. Sed dum illi in ſtativis quieſcunt, Guſtavus Rex ex Suecia Menſe Majo adveniens, bellum Majori fervore apparavit, parumque abſuit quin Gedanum in periculum adduxerit, niſi ipſius conatus turbaſſet caſus talis: Expugnare primum voluerat illc propugnaculum quod Gedanenſes excitarant ex adverſo munitionis à Suecis ad Caput inferius Inſulæ Mariæburgenſis locatæ, in qua oppugnatione Gedanenſi præſidio fortiter rem gerente,

Guſtavus Suetus vulneratur ictu bombardæ.

ipſemet Guſtavus ab ictu ſclopeti vulnus circa ſinum accepit, plurimoſque ex ſuis amiſit. Interim vero Præfectus militaris Poloniæ, dum Guſtavus ex tali vulnere decumbebat, convocatat ſuum exercitum, & Meva circumdata, præſidium Sueticum,

Meva ejicit Koniecpolſcius præſidium Sueticum.

oppugnatione decem dierum inde ejecit: & cum ille recuperata valetudine, iterum infra Derſaviam Gedanenſium ripis infeſtus immineret, illamque munitionem circa quam vulnus acceperat, ex inopinato accurrens, (Nicolaus Potocki cum auxiliis tardaverat) deditione obtinuiſſet, Polonicæ quoque copiæ à Meva infra Derſaviam tranſierunt, eumque coëgerunt, ut relicta oppugnatione aliorum illius oræ locorum, vires omnes contraxerit Derſaviam,

Derſaviam prope Polonorum caſtra & Suetica conſiſtunt.

caſtris ſuis in proſpectu Polonicorum locatis: ubi præter excurſiones leviores per dies multos nil notabile ſucceſſit, Duce Polonorum Koniecpolſcio expectante, donec majores copiæ ad ſua caſtra confluerent, cum nonniſi quatuor millia militum in eis euſque haberet, & peditatu (Mevæ reliquerat potiorem) pene caret,

Hollandi Legati ad Sigiſmundum Regem veniunt pro pace tractanda cum Suecis.

quo præcipue ad invadenda caſtra Suetica indigebat. Sub id etiam tempus advenerant Legati Ordinum Fœderatorum Hollandiæ ad Regem Sigiſmundum Varſaviam, operam ſuam pro illo bello ſopiendo offerentes. Sed prius ad Guſtavum Suecum diverterant, & clara indicia dederant, quod ipſius rationibus magis faverent. Nihilominus Rex annuit, ut tractatus pacis inſtitueretur in caſtris, quo ipſe quoque in brevi erat tranſiturus. Dum autem illi Legati hujuſmodi tractatum à Koniecpolſcio priuſquam Rex adveniret inchoari, vel arma tantiſper ſiſti urgent, Suecus die Martis ſuas turmas equitum contra caſtra Polonica emiſit. Præter omnem ſpem illud Koniecpolſcio acciderat, ut qui adhuc ea hora convivantes apud ſe Legatos Hollandicos haberet: tamen relictis menſis tumultuarie convocatas ſeptem equitum Vſſarorum, & octo Coſacorum cohortes ipſe quoque eduxit trans vadum paludis, quæ caſtra ſua ab illa parte claudebat. Nec ultra proceſſit, hoſte etiam firmo conſiſtente, donec occidente Sole cum dato receptui ſigno, major pars Polonorum jam ad ſua caſtra conceſſiſſet, & iterum ad locum prælii redire facile nequiret, nempe vado adeo ſtricto, ut nonniſi ſingulis equitibus euntibus pateret, Sueci ad pugnam

Polonorum cum Suecis anceps conflictus apud Derſaviam.

ſigna ſua converterant, à 4 tantum Polonicis cohortibus haſtatorum, & duabus Coſacorum excepti acerrimo conflictu, in quo cadentibus utrinque plurimis, Koniecpolſcius ipſemet inter confertos hoſtes pugnando illatus, periculum ob lapſum equi ægre evaſit, & ingruente majori vi, cum Poloni ad vadum paludis retrocederent, excurrentes è caſtris Butleri, pedites jaculis bombardarum rejecerunt hoſtem inſequentem, deinde à latere dextro cum legione ſua ex caſtris tardius longo paludis circuitu educta, accurrens Martinus Kazanowski in ſubſidium laborantibus, propulſis Suecis inſtauraverat prælium, quod tandem nox diremit: octuaginta ex Polonis ibi occubuerant, ex Suecis pene totidem. Et non diu iſti

Guſtavus Suecus, oppugnando caſtra Polonica vulneratur, & in fugam vertitur.

lætati ſunt illa victoria: Nono enim poſt hæc die cum Guſtavus in illo præterito congreſſu Koniecpolſcium (equus ex quo iſte tunc pugnarat, profugerat ad Suecos) occubuiſſe, ſeu debiliores eſſe Polonorum vires judicans, ad eorum caſtra priuſquam Sigiſmundi Regis adventu majores vires ſumerent, oppugnanda veniſſet, pila è bombarda à peditatu Ducis Korecki exploſa, in pectore ſub humero

ſiniſtro

humero ſiniſtro percuſſus, grave vulnus accepit, ejuſque copiæ pluribus ex ſuis amiſſis in fugam concedere ſunt coactæ. A. C. 1627.

Sigiſmun. III Rex Pol. venit ad caſtra ad Derſaviam.

Legati vero illi Hollandici, ſic abruptum de pace tractanda colloquium adveniente ad caſtra Rege Sigiſmundo Menſe Septemb. iterum inſtaurarant, & prope ad optatum finem perduxerant, adnitentibus Proceribus Poloniæ, Regemque ſuum pro tranquillitate publica deprecantibus. Tanto magis quod Guſtavus omnium ablatorum reſtitutionem offerret, præter Rigam, quam ad plenam ſuper jure ſucceſſionis in Regno Sueciæ durantibus triginta annorum induciis faciendam deciſionem, retinere voluerat. Sed totum illud negotium pene maturum evertit nova Regi de recuperando Regno Sueciæ ſpes injecta ab Auſtriacis, quorum intererat, ut Guſtavus bello Polonico diſtineretur, & à Germanicis rebus averteretur. Ad finem enim tractatuum, cum poſtridie pacis leges concludi & publicari debuiſſent, advenerat cum Staniſlao Makowski ab Hiſpano Rege miſſus Gabriel Roy, & paulo poſt ejus collega Baro de Auchi, qui promiſit quod intra duos Menſes Regis Hiſpaniæ impenſis, claſſis viginti quatuor navium bellicarum in ſinu Baltico comparanda eſſet, eique imponendi duodecim mille milites à Valnſtenio jam ad hoc deſtinati, in Sueciam trajicere, ibique ſedem belli figere deberent, ac impenſis Regis Hiſpaniæ ſuſtentari, donec bellum duraret: Ad quod ducenta millia talerorum Imperialium in colybis ſe habere prompta dicebat. Tam ſpecioſis itaque promiſſis confiſus Rex, induciis pro Regno Sueciæ quod vivens illis auxiliis recuperare maluiſſet, longioribus ſubſcribere renuit, & rebus infectis Varſaviam rediit ad Comitia Regni, quæ pro Menſe Novembre indixerat. Suecus vero abrupto hoc modo pacis tractatu, ſimulans quod in hyberna abiret, ſumma feſtinatione divertit Vormditum ditionis Varmienſis, quo Koniecpolski quoque properavit quidem, ſed cum pontem in proximo non haberet ut trajiceret Viſtulam, & Grudentum uſque exercitus ipſi circumducendus eſſet, tardius longinqua circuiens apud Oppidum Pravuti in itinere accepit nuncium de tradito Vormdito à Vladiſlao Lipnicki & Henrico Loſvango, qui ibi erant cum ducentis equitibus & peditibus trecentis præſidiatii imperiti. Inde Guſtavus Elbingam redierat, & poſt paucos dies in Sueciam. Quare Polonicus quoque exercitus in diverſa ſtativa fuerat diſtributus.

Pacis cum Sueco concluſionem impedit Hiſpani Regis Nuncius.

Hiſpani Regis promiſſa de claſſe tenenda in mari Baltico contra Suecum.

Vormditum Suecus cogit ad deditionem.

Guſtavus Suecus redit in Sueciam.

Cæterum Varſaviæ in Comitiis nonniſi querelæ audiebantur, veteribus circa ſtatum publicum additæ novæ de illo bello Pruſſico necdum confecto. Et magis quod oſcitanter nimium tractaretur, præſertim à Lituanis, qui cum à parte ſua armis in Livoniam illatis vires hoſtis diſtrahere debuiſſent, eas prolongandis induciis potius foverunt, & tamen expenderant inutiliter magnam vim pecuniæ publicæ in paucas turmas militares, quas Staniſlaus Sapiha Præfectus Rigenſis intempeſtive conduxerat in Pruſſiam. Intermittere etiam nolebant, commerciorum uſum, nec ceſſabant devehere annonam, ac omnis generis commeatum Regiomontum, unde & claſſi & terreſtribus copiis Sueticis neceſſaria ſuppeditabantur: Poſt longas demum concertationes, permiſerant illi ferri legem, qua commercia illa fuerunt inhibita. In eiſdem Comitiis officium Vicecancellarii à Staniſlao Lubienski ad Epiſcopatum Plocenſem poſt obitum Hieronymi Cielecki evecto depoſitum, detulerat Rex Iacobo Zadzik Epiſcopo Culmenſi, mihi vero paulo ante Comitia, Epiſcopatum Camenecenſem die Diviſionis Apoſtolorum 15 Iulii Polonis feſto & fauſto, nempe quo memorabilem de Crucigeris Ordinis Teutonici in Pruſſia obtinuerunt victoriam apud Grunevaldum A. C. 1410, ubi centum quadraginta millium exercitum collectum ex Germania, quæ tota tunc in perniciem Poloniæ cum

Comitia Polon. Varſav. 1627.

Lituani à Livonia induciis faciendo cum Sueco, vires illius augent.

Lituanis commercia cum Regiomonto prohibentur.

Zadzik Epiſcopus Culmen: Vicecancellarius Regni deſignatur.

A.C. 1627. cum Crucigeris conſpiratat, profligarunt, cæſo & ſuptemo illius Ordinis Magiſtro.

Hiſpani Regis Nuncius Gabriel Roy Roſtochii naves conductitias ad bellum habere non poteſt.

Comitiis expeditis Rex Sigiſmundus, majori fiducia in Hiſpanicis auxiliis, & maritimo bello repoſita, ſumma diligentia apparari Gedani juſſerat, claſſem ſuam novem navium, quam illi ab Hiſpanis promiſſæ conjungeret. Et quidem Gabriel Roy, quem nominavimus, iverat Roſtochium ac Lubecam, ubi in nomen Imperaroris & Valnſtenii claſſem hujuſmodi compararet, re nummaria bene ad hoc inſtructus. Sed cum primum ſocietas Anſiatica advertit Auſtriacos eoſque Hiſpanos cum claſſe ſua Baltico mari incubare velle, ne unam quidem ſcapham ipſi conducendam permiſit, prætereuntque bis bini menſes ac poſtea & anni, Rex Sigiſmundus tamen promiſſam illam claſſem obtinere non potuit. Immo cum poſtulaſſet (me miniſtro) ut ſaltem illa ducenra talerorum millia ad hoc à Rege Hiſpanico in collybis deſtinata ſuæ poteſtati permitterentur, ex quibus Gedani mercatorias naves tali uſui idoneas non difficile conquirere potuiſſet, neque hoc perſuaderi ſibi (dicebat quod nihil haberet in mandatis de tradenda pecunia) permiſit ille Delegatus Hiſpanicus Auchius, qui in Aula hac à ſuo adventu perpetuo hærens, Regem à tractatu pacis cum Guſtavo variis inſuſurratis rationibus avertebat, & ingerebat nihilominus ſpem certam illius Claſſis inſtruendæ, cum Stralſuntum, Lubeca, Roſtochium, omneſque Civitates illius oræ maritimæ (ita ajebat) in brevi in poteſtatem Imperatoris venirent. Denique ſolicitabat, ut naves Regiæ Dantiſco in nomen Imperatoris Roſtochium ex ea ratione tranſirent, quod ad tanta principia claſſis militaris aliæ naves conductitiæ (ſolæ bellica pericula ſubire formidantes) facilius adſciri poſſent. Abſit verbo invidia, me præſente in Aula conſtanter hoc ipſi negabatur: vix autem abieram Menſe Auguſto anni proximi ad Epiſcopatum, effecit Auchius quod voluit, & evenerat uti præmonueram, quod Danus ægre ferens palam contra ſe ex portu Polonico armatam claſſem prodire, Dantiſcanis ad eoſque commeantibus, quos euſque ab injutiis Suecorum defenderat, ab eo tempore multa damna dedit, & rationibus Regiis infenſior fuit, omneſque illæ naves Regiæ (cum ſolæ potentiori claſſi & Danicæ & Sueticæ reſiſtere non poſſent, & Cæſariani plures unde aggregarent non invenirent) partim captæ ab hoſtibus Imperatoris, partim demerſæ cum centum viginti tormentis æneis, & copioſo inſtrumento bellico, atque nautico perierunt. Antequam tamen è portu Dantiſcano abiiſſent, non levem metum hoſtili claſſi inferebant, & ſub finem anni hujus inſignem victoriam reportarunt. Vndecim enim Sueticæ naves cum excubarent prope illum portum, eum obſeſſum tenentes, Archithalaſſus Regius Apelman Menſe Decembre, collocatis in ſubſidium nonnullis Dantiſcanorum in proximo navigiis armaris, claſſem iſtam Regiam contra eas eduxit, & tanta fortitudine oppugnavit, ut duas earum ceperit; unaque demerſa & Suetico Præfecto cæſo, reliquæ laceræ Pilaviam fuga evaſerant.

Hiſpani Regis Nuncius non ceſſat diſſuadere pacem cum Suecis ſpe auxiliorum.

Apelman claſſis Polon. Præfectus claſſem Sueticam profligat.

Ad impenſas autem claſſis iſtius Reſpublica Polona nil contribuebat: ſed ex proprio Regis peculio, ejus nautæ & milites ali debuerunt. Vnde deficientibus ſtipendiis, ſæpius in portu otioſa delituit: alioquin majora præſtitiſſet, ſi Hiſpani ſaltem illud pecuniarium ſubſidium contuliſſent.

Terræ motus in Apulia horrendus.

Et ut externa quoque attingamus. Hoc anno horrendus terræ motus in Italia Apuliam Regni Neapolitani Provinciam concuſſit, præceſſeratque eum anno præterito ſimilis calamitas, qua in Calabria convulſa Civitas Cantazara, Nicaſtrum, Miglianna, Gomfalcone, magnam jacturam ędificiorum ac ſimul hominum pecudumque fecerunt. Sed ſuperat pręſens caſus alios omnes præteritorum longo ordine

ordine ſæculorum, ut non tam facile comparationis exemplum inveniri poſſit. Ac incidit hîc terræ motus in trigeſimam diem menſis Iulii hujus anni 1627, quem fide digni exploratoris verbis hic ſignandum voluimus, ne immutata, genuinam ejus relationem corrumpant. A.C. 1627.

Dictus terra motus hora decima ſexta (nobis hora duodecima meridiana) incepit, & licet quinque horis duraverit, primus tamen ejus impetus tantus fuit, ut bonam ſtatim Apuliæ partem, in eaque peculiariter Vrbem cui à S. Severo nomen eſt devaſtarit, magnumque ædium, palatiorum, ac turrium numerum, ita ut ne quidem ipſarum veſtigium appareat, nec locus à loco, platea à platea, aut domus à domo diſcernatur, peſſumdederit. Atque in hac ruina omnes ferè incolæ, qui tunc temporis in Vrbe erant, extincti ſunt, præter eos qui foris circa cerealia morabantur, primo hoc terræ motus inſultu nemini inducias aut fugiendi tempus largiente. Loci hujus Epiſcopus vel in medio ruinæ (neſcio an non mirifice, & non ex ſingulari Dei providentia) illæſus manſit; eo enim à prandio ob tuberculum in crure lecto parum incumbente, in momento cubiculi ſtructura diſrupta eſt, ejuſque tegumentum decidit, præterea & murus poſt ejus accubitum magnum detrimentum accepit, ipſo Epiſcopo nil adverſi in ſuo corpore paſſo, tametſi duo ex ejus familia perierint. *Terra motus in Apulia deſcriptio.*

Omnes etiam Moniales ſalvatæ ſunt, præterquam quod una ſola ſpiritum efflarit, & quinque vulneratæ ſint. Illæ, ne in graviorem perniciem inciderent, à Vicario Epiſcopi in rus ductæ ſunt, ubi ipſarum paſtor erat, ibique poſtquam ad dies aliquot commoratæ eſſent, neſciæ quo ſe verterent, victus inopia conflictatæ, à quibuſdam Luceriam (quæ Vrbs duodecem milliaribus inde diſtans, necdum à terræ motu multum nocumenti ſenſerat) inhabitantibus invitatæ ſunt. Epiſcopus à R. Pozzo, Cathedræ iſtius Theſaurario, mulieres ab aliis mulieribus certatim in ædes ſunt ſuſceptæ. Paucis tamen poſt diebus, & iſtius loci incolæ omnes patriam fugere, rurique ob horribiles terræ motus, quibus de novo vexabatur ſe concredere coacti ſunt.

Inſuper in Cœnobio Monachorum Cæleſtinorum duo vitam finière, multi mutilati, ac ipſorum Cœnobium in nihilum eſt redactum. Partes Capucini omnes incolumes evaſere, ſed poſtquam in rus conceſſerant, Monaſterium ipſorum peſſum ivit. Hoc terræ motu non ſolum Vrbs Sancti Severi ruinam vidit, ſed etiam tota Apulia inde percuſſa eſt, ſicuti Oppidum quod Termini appellatur ultra medietatem deſtructum jacet. Sarra, Capriola prorſus deleta eſt: Sancti Pauli pagus Albancnſium, mons ſaxeus factus eſt.

Turris major locus Principis S.Severi tantum non omnimodo dirutus eſt.

Caſtelli novi ejuſdem Principis vix tertia pars reſtat, ut cum Princeps cum ſuis in eam arcem quæ munitiſſima eſt, ſe contuliſſet, ipſe quidem cum quibuſdam in rus ſalvus evaſit, alii autem ipſius miniſtri interière, alii militati ſunt.

In Regnano ubi Ieſuitæ habitant, maxima pars ædium cum interitu multorum corruit.

Dragonaria in ejuſdem Principis territorio ſita penitus everſa eſt.

Idem S. Liandri oppido, quod ad DD. à Calapreſſa ſpectat contigit.

In Abbatia Melanicana Patriarchæ de Sangro templum collapſum eſt, ita & illud quod in Ripa alta fuit, à varogine devoratum fertur.

Procina cum habitantibus concidit.

Vrbes, Aſculum, Bovium, Troja, Tranium, Andria, Foggia, Fortore, Campus marinus, Remitium, Hoſtonium, Franca villa, Hortoria, Auſarium, Caſininum, Teregnola, Canuſium, locaque alia multa tam perſonarum quam rerum jacturam haud levem fecere, ita ut oppida, pagi, caſtra numero 17 hominum vero ultra 1700 perierint. Extendit ſe hic terræ motus ad ducenta millia Italica.

Hæc

A.C. 1627. *Hæc in ruina multa & notatu & admiratione digna acciderunt, quorum aliqua, quæ in contentione minime poſita ſunt, enumerabo.*

Procul à lacu Leſinenſi, qui multas horas ſine aqua fuit, piſces reperti ſunt, unde dictum fuit furorem terræ motus, fundum lacus bis elevaſſe. Mons in tres partes à tribus voraginibus horrendis diviſus eſt.

Roſeti terra ad duodecim milliaria aperta fuit.

Multi putei etiam profundiſſimi non ſolum aquam, ſed & terram ejecere.

In Vrbe S. Severi inventus fuit infantulus vivus mammis matris ſuæ adhærens, & lac exſugens.

Campana quædam ſupra infantem cadens, ipſum non ſolum non offendit, ſed etiam ab omni malo defendit.

Repertum eſt inter rudera dolium, in quo mulier atque puer viventes adhuc viſi ſunt.

Porro etiam ſcribunt Cheateæ, terræ motum integram ſilvam eradicaſſe.

Montes & lacus alicubi veteres periiſſe, alicubi novos apparere.

Hæc ille relator; verum plura portentoſa de illo laborantis naturæ hiatu circumferebantur, quibus nos compendii cauſa omiſſis, mox graviorem totius Italiæ motum bellicum referemus, concitatum poſt extinctum fato 29 Decembris Vincentium Mantuæ Ducem, cujus hæreditatem jure naturali Carolo Gonzaga Duci Niverniæ in Gallia agnato defuncti proximo debitam, alii Gonzagani gradu ſanguinis remotiores præripere voluerant, ut anno ſubſequenti apparebit.

Vincentius Mantuæ Dux moritur.

In Gallia, cum Vgonoti poſt iteratas ſæpius pacis compoſitiones quieſcere nollent, & novum fœdus opera ducis Subiſſi ad ſuam defenſionem cum Angliæ Rege iniiſſent, Galliæ Rex eos armis ad officium revocare decrevit, & majori quam unquam apparatu bellico conquiſito, ipſemet ad Rupellam eorum receptaculum præcipuum expugnandum ivit: ubi obſidione arctiori inſtituta, etiam fauces portus illius vaſtiores oportuit occluſiſſe, ingenti labore & impenſa, navibus innumeris miro opere concatenatis, & non paucis ibidem demerſis. Cumque iſti obſidioni non parum negotii faceſſerent, auxilia ex Anglia à Buquingano & Subiſſio adducta, quæ Inſulam Sancti Martini littoribus Rupellanis oppoſitam occuparant, & quod Roanus Dux, ut obſeſſis ſubveniret, vel ad minus diſtraheret oppugnatorum conatus, magnas copias in Linguadoca collegerat, Rex ad utrumque intentus, alium exercitum cum quo Dux Condæus in Linguadoca excubaret, conſcribi juſſerat; & ab alia parte armari fecerat quadraginta navium claſſem, cum qua expeditus Dux Guiſius, propugnaculo Inſulæ Sancti Martini, quod adhuc reſtiterat Anglis, introducta eo annona, & majori militum præſidio tempeſtive ſubvenit: demum vero Gallis ſtrenue rem gerentibus, Angli deſideratis ex ſuis prope duobus millibus, & amiſſis tormentis quatuor, ſignis militaribus viginti, navibus aliquot è tota illa inſula excluſi, in Angliam redire ſunt coacti. Obſeſſi tamen Rupellenſes iſtis nil territi, eruptionibus continuis cum oppugnatoribus certarunt, & quamvis multitudine Regiorum ſuperante ubique ſuccumberent, & tenerentur undique circumſepti, ut nullum commeatum à foris recipere poſſent, tamen ſpe novorum ex Anglia auxiliorum obſidionem pertinacius tolerarunt ad extremam deditionis neceſſitatem, quæ ſub finem anni proximi ſucceſſit.

Galliæ Regis contra Vgonotos expeditio.

Angliæ claſſis auxilia ferens Rupellanis inſulam S. Martini occupat.

Angli ex Inſula S. Martini ejiciuntur à Gallis.

Rupella pertinacius obſidionem tolerat.

Hollandi hoc anno cum Hiſpanos poſt captam Bredam quieſcere, nec copias ad ſubitam vim propulſandam paratas habere vident, celerius collecto exercitu, Grollam obſederant, & priuſquam auxilia Hiſpanica cum Comite Bergenſi eò adveniſſent, aggeribus & vincis circum excitatis Oppidum illud ita conſtrinxerunt, ut Comes nullum auxilium dare potuerit obſeſſis. Qui tamen for-

Grollam Hollandi capiunt.

A.C. 1627.

fortiter reſiſtebant: ſed ad extremum poſtquam Hollandi actis cuniculis partem mœnium dejeciſſent, & aditum ad irruendum in Civitatem patentem haberent, deditionem fecerunt.

Spinola in Hiſpaniam proficiſcitur.

Exorta tunc etiam fuit aliqua diffidentia inter Duces belli Hiſpanicos, & Spinola nonnihil odii ac invidiæ à Bredana expeditione apud Hiſpanos incurrerat. Vnde ut ſpecie honeſta à munere ſuo removeretur, anni hujus menſe Octobre poſt amiſſam Grollam evocatus fuerat in Hiſpaniam, nec amplius rediit in Belgium.

Saxonia inferior ſubjicitur Imperatori.

Michelburgi Principatum Imp. confert Valſtenio.

Brunſuicenſes Principes reconciliantur Imperatori.

In Germania poſt profligatum Regem Daniæ apud Lutram, Cæſarianis victoriam proſequentibus nulla munitio reſiſtere valuit, & intra paucos menſes tota inferior Saxonia ejectis vi aperta Danicis præſidiis, præterquam Atenburga & Voltenbutela, in eorum poteſtatem conceſſerat. Principes quoque Brunſvicenſes territi Palatini, & recenti Michelburgenſium Ducum exemplo, quorum ditiones Imperator Valnſtenio jure donationis contulerat, ne ſibi quoque eadem fortuna exilii & amiſſionis bonorum ſubeunda eſſet, palam renuntiârunt ſocietati Danicæ, & ad obſequium Imperatoris redierunt.

Valnſtenius Tropavia & Kozlia ejicit Mansfeldianos.

Baudiſius Kozlio relicto erumpit per Poloniam in Marchiam Brand.

In Sileſia vero & Moravia hærebant adhuc copiæ à Mansfeldio & Vinmarienſi ſub nomine Dani Regis introductæ, & Imperialibus tota hyeme eorum vicinas ſtationes excurſionibus divexando, aliquid damni dederant. Sed eo converſus Valnſtenius, primo Vere poſtquam Tropaviam non ſine magno oppugnationis labore cepiſſet, & Kozle, unius ex Oppidanis ductu per divia & uliginoſas Oderæ fluvii ripas tranſitu invento, (munitum fuit illud Oppidum ad reſiſtendum diutius omni majori potentiæ, niſi tali proditioni patuiſſet) ſecuris & nil ab ea parte metuentibus ibi præſidiariis, intercepiſſet, omnia alia in illis partibus occupata loca Danicos relinquere, indeque migrare coëgit. Baudiſius eorum Ductor præcipuus fuit, qui omnia itinera in Sileſia à Valnſtenio clauſa ſibi fuiſſe videns, per Poloniam Koſeiánenſi tractu eruperat in Marchiam, plurimis Polonorum Nobilium domibus in itinere, ac Abbate Paradiſienſe Martino Lentowski divini peculio ſpoliatis. Poſt expulſos autem Danicos ex Sileſia, reverſi iterum in Saxoniam Valnſteniani tanto majori vi, reliqua inferioris Saxoniæ, quæ in nomen Dani Regis adhuc retinebantur, expugnabant. Præſertim in Holſatia, ubi Marchionem Durlacenſem cum copiis Danicis Comes Slichius Valnſtenii Vicarius non minori clade quam nuper apud Lutram profligavit, cæſis bis mille equitibus, & ſex mille peditibus, ac captis pluſquam quadraginta ſignis militaribus, & tormentis viginti cum copioſa ſupellectili Caſtrenſi. Ipſe Marchio vix cum Nellio ſuo Præfecto & paucis Tribunis fuga ſe ſalvavit. Poſt quam victoriam, Holſatia tota Imperiales ſunt potiti, præter Glukſtadium & Crempam, ac circa Bremam pauca oppida.

Slichius Danicos in Holſatia profligat.

Imperatrix coronatur Regina Boëmiæ.

Ferdin. III filius Imper. renuntiatur Rex Boëmiæ.

Mulhuſii Conventus Electorum Germaniæ ad quem refertur Pax Pragenſis.

Interim Imperator Vienna Pragam tranſierat, & fecerat Imperatricem coronari Reginam Boëmiæ ſub finem menſis Novembris, ſimulque renuntiavit Regem Boëmiæ (nulla forma Electionis ſervata ut olim, ſed abſoluto juſſu juxta novam pragmaticam perpetuæ hæreditatis) filium ſuum Ferdinandum, conditione adjecta, quod vivente Patre non deberet uſurpare Rex novus illius Regni adminiſtrationem. Sub id quoque tempus in fine Octobris & initio Novembris Conventus Electoralis Mulhuſii fuit celebratus, in quo Imperatoris Legati propoſuerant ad deliberandum, quomodo pax univerſalis Germaniæ reſtitueretur, debita pro bello præterito contracta ſolverentur: & ſi pax componi non poſſet, ſumptus providerentur pro ulteriori defenſione Imperii. Electores Moguntinus & Saxoniæ ſoli præſentes ibi aderant, alii per Legatos: ſed colloquio facto omnia illa negotia ad Generalia Germaniæ Comitia rejiciebantur, nec quidquam pro

Ll tran-

A.C. 1627.

Germaniæ Principes novam diffidentiam concipiunt ex mentione reſtitutionis Eccleſiarum.

tranquillitate publica fuit definitum; quinimo novas diffidentias commoverat ibi injecta mentio ex Conventu Ligæ Catholicæ Herbipoli nuper celebrato, de reſtituendis bonis Eccleſiarum Catholicarum, & reducenda pace Religionum ad concordiam Paſſavienſem, Anno Chriſti 1552, & Auguſtanam Anno Chriſti 1555. Quod tamen longioris belli cauſam futuram nemo tunc ſuſpicabatur, præſertim quod arma Imperatoria vincere non ceſſarent, eiſque nemo ſe oppoſiturus credebatur.

Slichius iterum profligat Danicas copias.

Nienburgum Tillius ad deditionem cogit.

Iuttiam Daniæ ditionem Cæſariani invadunt.

Iterum enim paulo ante incœptum illum Conventum decima octava Octobris, Valnſtenii Vicarius Slichius reliquas Dani legiones, quæ prope Viburgum cum Conrado Nellio, Kallenbergo, & Baudiſio ex Sileſia per Poloniam reverſo convenerant, penitus diſſipavit, Nellio & Kallenbergo cum viginti octo ſignis militaribus capto: Baudiſius fuga evaſerat. Tillius vero Nienburgum poſt longam obſidionem decima ſexta Novembris deditione obtinuit, ac inde Volfenbutelam (arx Guelphorum antiquis) tranſlata obſidione, ejus quoque præſidiarios omni ſpe auxiliorum deſtitutos ad deditionem coëgit. Et neque hic vincendi finem Cæſariani fecerunt, ſed verſus Iuttiam Danici Regni ditionem progreſſi Valnſteniani, obvia quæque expugnârunt ad viginti quinque milliaria Germanica regionis illius Danicæ oppidis & locis in ſuam poteſtatem redactis, ubi etiam hibernârunt.

Annus Chriſti, 1628.

Cæſariani ad maritima delati claſſe carentes adverſam fortunam invenerant.

Imperator petit claſſem ab Anſiaticis nec obtinet.

Germaniæ maritimæ civitates præſidia Imp. recipere nolunt.

Stralſunda obſidionem Valnſtenius accepta clade deſerit.

IN Annum autem Chriſti, Milleſimum, Sexcenteſimum, Vigeſimum Octavum, aliæ longe diverſæ belli illius ducendi rationes Cæſarianos ceperunt. Ad maritima enim delati, ubi ſinus aquarum ad Inſulas invadendas trajiciendi, & Civitatibus oppugnandis auxilia è mari intercludenda eſſent, ſine claſſe valida rem gerere non potuerunt. Ad eam vero comparandam accinctis, plurimæ difficultates occurrebant. Miſerat Imperator Comitem Szwartzenbergium ad Conventum ſocietatis Anſiaticæ Lubecæ ſub hoc tempus celebratum, poſtulans ut operam ſuam ſocietatis illa conferret ad inſtruendam hujuſmodi claſſem, quæ mercaturæ ipſius exercitio contra monopolia Anglica & vectigalium in tranſitu Helleſponti Danici *Zund* dicti injurias uſui eſſe poſſet. Verum reſponſum accepit, quod Civitatibus non eſſet tutum ſuſcipere bellum contra Principes maris illius Dominos, in quorum locis commorari & negotiari conſueverunt. Imperiales etiam Civitates illius oræ maritimæ requiſitæ ut præſidia Cæſarea reciperent, & claſſem in ſuis portubus pro Cæſare armari permitterent, omnino recuſarunt, præter Viſmariam & pauca loca vi occupata à Delegato Valnſtenii Arnhemio. Aliæ vero potentiores Civitates contra talem juſſum, etiam armis ſeſe munierant, & Stralſunda uſque obſidionem graviſſimam prope anno integro propterea ſuſtinuit, demumque vicit, ipſimet Valnſtenio, qui eam totis viribus promovebat, magna clade illata: Deinde Inſulam Denholmiam ſuis littoribus propinquam ab Arnhemio occupatam recuperavit auxiliis Dani & Sueci Regis, quæ Cæſariani claſſe deſtituti prohibere non valebant.

Daniæ Rex renovat fœdus cum Anglo & Sueco, & Cæſarianos à maritimis pellit.

Daniæ itaque Rex, qui confirmato interim cum Anglo & Sueco ac Hollandis fœdere vires recollegerat, claſſeque maxime valebat, tali occaſione bellum inſtauravit, infirmiorum apud maritima ex defectu claſſis Imperialium ex Femera Inſula & Ecklenfurto præſidia ejecit; Volgaſto & Vſedomia Inſula intercepta, tranſitus à Stetino, ne commoditati illorum inſervirent, obſedit; & plurimas

etiam

A.C. 1628.

Tillius cum claſſe careret à maritimis damna accepit.

Pomeraniam Cæſariani ſtativis divexant.

etiam naves quas circa Viſmariam, ac à Rege Poloniæ mutuo conquiſierant, variis præliis conquaſſavit. Quin & Tillius cum alio exercitu circa Holſatiam demorans, poſtquam initio menſis Maji iſtius anni præſidium Anglicum cum Præfecto Morgano Stada decedere coëgerat, inde progreſſus, Crempam, & Gluckſtadium mari vicinum & opportunum recipiendis inde auxiliis, cum ad iſta arcenda claſſe careret, damni multum in longa & inani locorum illorum oppugnatione accepit. Profuit tamen Imperialibus penetraſſe ad regiones illas mari confines, præſertim in Pomeraniam omnium rerum copia abundantem: Ibi enim eis in ſtativa diviſis, non ſolum commeatum, ſed & ſtipendia incolæ locorum ſubminiſtrare inviti debuerunt, quantumvis Boguſlaus Dux Pomeraniæ, adjutus interceſſione Electoris Saxoniæ deprecaretur Imperatorem, ne præter ſuum meritum, & contra immunitates ſanctioneſque antiquas Imperiales gravaretur; vel magis privato Valnſtenii commodo inſervivit, introduxiſſe tantum (quadraginta millium prope) exercitum in illas partes, nempe ut Principatum Michelburgenſem ſive Megapolitanum ac Saganenſem, quem ipſi Imperator, abdicatis eo ob perduellionem veris Dominis, contulerat; occuparet poſſideretque ſecure potentia tanta ſubnixus. Vnde ne ſibi imputaretur ſi eſſet oneri Imperatoris ærario miles tanto numero collectus, non Imperatoris ſumptibus fore alendum ille promiſerat, alendumque curaverat (de ſuo aliturus putabatur) ex alieno, Provinciis illis ad tributa graviora & ſolvenda eidem militi ſtipendia adactis, & pæne in prædam conceſſis avaritiæ militari. Quid porro ſucceſſerit propter Principatum illum Megapolitanum hoc modo ad alium poſſeſſorem tranſlatum, & ex iſto novo artificio militem ſuſtentandi ſpoliis populorum, ſequentia docebunt. Tunc expulſo ultra maria hoſte omnia licere, & eſſe in tuto videbantur: inſuper & novum bellum minus neceſſarium ſuſcipere libuit contra Ducem Mantuæ Carolum Gonzaga Ducem Niverniæ, qui Mantuæ & Montisferrati hæreditatem acquieſcerat tali jure.

Valnſtenii inventum perniciosum alendi militem ex rapinis Provinciarum.

Mantuani Ducatus ſucceſſio ad Carolum Nivernenſem devolvitur.

Carolo Nivernenſi jurant fidelitatem Mantuani.

Franciſcus Dux Mantuæ deceſſerat relicta unica filia Maria, ex Margarita Sabauda, illi vero ſuccedens frater germanus Ferdinandus, ac deinde Vincentius cum nullam quoque prolem haberet, vivens ipſius filiam dederat in matrimonium Duci de Rettel filio Caroli Gonzaga Ducis Niverniæ in Gallia proximi ſui agnati, eundemque generum ſuum ac gradu ſtirpis proximiorem declaraverat ſucceſſorem hæreditatis Mantuanæ, una cum dicta filia Franciſci ei deſponſata Maria, ipſumque Mantuæ in ſpem ſucceſſionis alebat: unde eodem Vincentio Duce in brevi poſt defuncto, Carolus Nivernenſis hæreditatem illam & ſibi uti agnato proximo, & filio propter uxorem filiam Franciſci jure naturali debitam accepit, ſeu à vivente adhuc illo Duce Vincentio manu eidem filio ſuo traditam retinere continuavit, jurejurando fidelitatis à ſubditis in nomen ſuum recepto.

Hiſpani favent magis Gonzagæ Guaſtallano in ſucceſſione Mantuana.

Nivernenſis Legato denegat audientiam Imp. & jubet ut dimittat Mantuam uſque ſuum jure vindicet.

Ac ſtatim initio ſuæ poſſeſſionis, miſerat ad Imperatorem Archiepiſcopum Mantuanum, petens, ut pro cliente jus fiduciarium Imperiale in illo Principatu recognoſcente haberetur. Sed Hiſpani Gallicis affinitatibus & patrociniis potentem Principem (ut erat Nivernenſis) vicinum Mediolano habere nolentes, Principem de Guaſtalla remotiorem quidem gradu, ſed ex eadem ſtirpe Gonzagea genitum præferri ei in illa hæreditate optabant: & effecerant ut Imperator jus ipſius in dubium vocaverit, Legatoque illi audientiam petenti renuntiari fecerit, quod uti Archiepiſcopum negotia propria narraturum libenter audiret, ſed uti Legatum Ducis Nivernenſis, quem pro Duce Mantuæ non agnoſceret, admiſſurus non eſſet, niſi prius ille arreptam authoritate propria poſſeſſionem Feudi Imperialis dimitteret, & jus ſucceſſionis, ſi quod ibi prætendit, in judicio ſuo probaret, pareretque judicato: nempe ea ratione qua Imperator Rudol-

A.C. 1628. phus II, Iuliacenſem hæreditatem deponi apud ſe, judicioque per cohæredes vindicari voluerat. Verum ut ibi formulam talem conſequendæ hæreditatis Elector Brandeburgicus & Princeps Neoburgicus eſſe inuſitatam in Imperio aſſerebant, & poſſeſſionem illius Principatus jure naturali, quo aliæ quoque hæreditates ſine prævio depoſito more communi adeuntur, adepti retinuerunt, ita Nivernenſis quoque poſſeſſioni potius quam actioni inſiſtere maluit; tanto potiori jure quod Iuliacenſem hæreditatem plures Principes potentes (etiam Saxoniæ Elector) æquali titulo petebant, & ne pro ea certantes bellum Civile concitarent, remedio depoſiti præcavendum erat; Mantuam vero alteri nulli quam Nivernenſi deberi liquidò conſtabat, eamque iſte non vi, ſed per manus a vivente adhuc Vincentio Duce ſibi traditam acceperat. Vel quicquid fuerat de juſtitia cauſæ, Nivernenſem ſi ſponte non cederet Mantua, Imperator armis amovendum decreverat, ut mox dicemus.

Imp. recipit Auſtriam ſuperiorem à Duce Bavaria.

Interim Pragæ demorans Imperator, receperat Auſtriam ſuperiorem, eouſque nomine Hypothecæ ſubjectam Duci Bavariæ pro ſumptibus belli, qui jam Electoratu & Palatinatu ipſi ab Imperatore addicto ſatis compenſati videbantur.

Florentia Dux juvenis venit Pragam.

Norberti S. Oſſa Magdeburgo transferuntur Pragam.

Venerat etiam ſub id tempus Pragam Ferdinandus II Magnus Dux Hetruriæ, ac Imperator avunculus obviam ipſi proceſſerat ultra portam ad Montem Album, & magno honore habitum, demum menſe Majo dimiſerat. Eo autem præſente Pragam adducta Sacra Oſſa B. Norberti Magdeburgenſis olim Archiepiſcopi in Ordine quatuordecimi ab Altingero & Abbate Strochovienſi, ſumma veneratione ac ſolennitate ipſemet Imperator deponi fecit in Templo Cœnobii ejuſdem Abbatis. Obierat iſte Sanctus Anno Chriſti 1142, poſtquam cum Lothario Imperatore in Italiam profectus, Romæ Petri Leonis dicti Anacleti ſchiſma contra Innocentium II, commotum una cum D. Bernardo ſedaverat. Exuviæ ipſius jacuerant Magdeburgæ in Cœnobio S. Mariæ in uno lapide excavato depoſitæ, & alio plano lapide ſolido contectæ terra aggeſta. Nec aliud inventum fuit intro præter oſſa & crucem auream, ac annulum cum diamante non vilis pretii togæque carie conſumptæ aliquas partes. In procinctu autem cum jam eſſet Imperator rediturus Viennam, advenerant literæ à Senatoribus Danicis, qui moniti à Duce Holſatiæ quod pax tractari poſſit, eam tractari petierunt: deſignaveratque ad hoc Imperator locum Lubecæ: & inde major ſpes tranquillitatis Germaniæ affulſerat. Ne vero in Germania reſtaret turbarum incitamentum hæreſis, poſtquam reſtitutio Catholicæ Religionis feliciter ſucceſſerat Viennæ in Auſtria, & Boëmia, eam Imperator in Sileſia quoque inſtitui fecerat, & tanto majori ſtudio in Palatinatu Rheni, ubi in brevi Heidelbergæ, Crucenaci, Germerſchemii, Hagenoe rejectis hæreſiis plurimi fidem Catholicam receperunt: Franchentalia multi migrârant alio divenditis ſuis poſſeſſionibus, cum hoc liceret omnibus qui nollent converti ad Catholiciſmum. Itidem Delegati Cæſarei pro inſtauranda Religione Catholica deſtinati, è Iuliacenſi & Montenſi regione ac Dortmunda, Cauſſobero, Dogmatiſtas hæreticos ejecerunt, & Senatui Auguſtæ Vindelicorum perſuaſerunt, ut explicatione confeſſionis Auguſtanæ ſaniori, corrigerent errores ex Calviniſmo derivatos.

Pacis tractatus cum Dano inſtituitur Lubecæ.

Catholicæ Religionis inſtauratio inſtituitur in Palatinatu.

Franchentalia multi abeunt propter reformationem Religionis.

Hæretici Dogmatiſtæ ejiciuntur ex Iuliaco.

Auguſta monetur ut veram Auguſtanam rejecto Calviniſmo inſtauraret.

Leopoldi Archid. filius primogenitus baptizatur.

Aliud nil ſingulare occurrit ex rebus Germanicis hujus anni, præter quod Leopoldus Archidux filium ſibi recens natum, denominatum Ferdinandum Carolum, fecerat levari è ſacro fonte Baptiſmi Oeniponti decima octava Iunii à Magno Duce Hetruriæ, ab Aula Cæſarea ſub id tempus illa revertente: & Imperator celebratis Znaimæ Moraviæ Ordinum Comitiis, redierat Viennam initio Iulii. Studia vero Martialia interim ex Germania in Italiam tranſierant, ubi Præfectus Hiſpanicus Mediolani Gonzales Corduba magnum apparatum bellicum colligebat

A.C. 1628.

Bellum ex Germania in Italiam transfertur.

gebat contra novum Mantuæ Ducem Nivernenſem, & in ſocietatem iſtius belli traxerat Ducem Sabaudiæ, ea occaſione vindicare volentem veteres ſuas cum Mantuanis controverſias. Ac præmiſerat Imperator ad Ducem Nivernenſem Mantuam Delegatos ſuos Ioannem Comitem Naſſoviæ, & Hermanum Queſtenburg, qui requiſierunt ut Ducatus Mantuæ & Montisferrati traderetur in depoſitum Imperiale, donec judicium decerneret, cuinam ejus ſucceſſio jure deberetur.

Nivernenſis Dux monetur ut tradat Mantuam in depoſitum Imperatori.

Cumque ille parere nollet, & judicium ab executione inchoandum non eſſe, poſſeſſioneque bene quæſita niſi poſt rem judicatam cui ſtare vellet, ſe jure ſpoliari non poſſe reſponderet, Mediolanum reverſi illi Delegati, aliam monitionem ipſi per caduceatorem menſe Majo inſinuari curârunt, quod niſi intra quindecim dies paruerit mandatis Imperatoris, proſcriptio Imperialis contra ipſum promulganda eſſet. Et ut omnes ſubditi illorum locorum non alteri quam ſibi Delegatis Imperatoris interim obedientiam præſtarent, ſub pœnis contra perduelles legibus Imperialibus ſancitis interdixerunt.

Nivernenſis Dux Mantuam retinet & provocat ad Imp. melius informandum.

Poſt hanc itaque denunriationem cum Nivernenſis Dux ad Cæſarem melius informandum provocâſſet, & quæſita non dimitteret, Præfectus Mediolani in Montferratenſem ditionem exercitum duxit, ac interceptis aliquibus minoris nominis oppidis, Caſale illius regionis caput obſedit, contra portum quà Mediolanum itur, aggeribus & operis ad prohibendas obſeſſorum eruptiones excitatis: Ab altera vero parte Dux Sabaudiæ Alba poſt triduanam oppugnationem intercepta, obſedit Trinum & Niceam alius exercitus Mediolanenſis cum Præfecto Serbelone.

Mediolani Gubernator Montferratum arma convertit.

Sicque à multis ſimul partibus Nivernenſis oppugnatus, difficilem belli aleam ſubivit: Tanto magis quod ex Gallia ſubſidia promiſſa recipere non poſſet, eò quod Sabaudiæ Dux omnes Alpium tranſitus munierat, ut apud unum eorum à Sancto Petro denominatum Gallici militum Tribuni vi irrumpere contendentes, prope quingentis ex ſuis amiſſis retrocedere fuerint coacti.

Gallica ſubſidia intercluduntur Nivernenſi.

Vnde Trinum longa obſidione ad inopiam commeatus, & pulveris nitrati reductum deditionem fecit, & Niceæ præſidiarii poſt diuturnos conflictus, in quibus plurimi ex Hiſpanis occubuerant, & ipſemet Serbelonus ac alius Præfectus Genuenſium copiarum Trottus vulnus accepeſat, deſperatis auxiliis Civitatem illam poteſtati Hiſpanorum ceſſerunt: ſimiliter & Pondeſturam ac Montecavallum auxiliis deſtitutum Sabaudus non paucis in utraque oppugnatione ex ſuis amiſſis cepit.

Trinum deditur Sabaudiæ Duci.

Niceam capiunt Hiſpani.

Pondeſturam capit Sabaudus.

Caſale tamen ſtructuris munitionum & præſidio numeroſiore, omnique inſtrumento bellico melius proviſum tantam vim ſuperavit, & eruptionibus frequentibus plurimum damni dedit Hiſpanis. Denique Padi exundantis aquæ oppugnatorum ſtationes adeo oppleverant, ut & Inſulam ex adverſo Civitatis cum magno obſeſſorum incommodo occupatam deſerere, & ad poſtremum cum totis Caſtris ab obſidione illa recedere fuerint coacti, niſi quod in vicinorum collium munitionibus præſidia reliquerant, ut à longinquioribus excurſionibus Caſalenſes, & à commeatu conquirendo prohiberent.

Caſalis obſidionem deſerere coguntur Hiſpani.

Aliud etiam acciderat, quod non levius turbavit illam obſidionem Hiſpanorum: Dux Sabaudiæ quamvis inducias haberet cum Genuenſibus, ſubornaverat Iulium Cæſarem Vacherum, ut cum aliis conjuratis (erant quingenti) Ducem & Senatum Genuenſem, quadam die pompam Religioſam ex more per Civitatem ad Xenodochium majus ducentem opprimeret, ad quem tumultum ipſe quoque Sabaudus cum exercitu ex caſtris tunc ad Trinum conſidentibus advolare, Genuamque hoc modo occupare ſtatuerat.

Sabaudiæ Dux inſtruit proditionem Genuæ.

Sed dolum talem unus conjuratorum Radinus pridie quam perficeretur detexerat, ac Vacherus cum fratre, paucisque ſuis ſociis fuit captus, plures fuga evaſerunt.

Genuæ proditio detegitur.

Et quidem Dux Sabaudiæ excuſabat factum, quaſi ante initas inducias fuerit inſtructum, & niſi Vacherus cum ſuis dimitteretur liber, Genuenſibus omnibus apud ſe

Genuæ proditores ſupplicio mortis afficiuntur.

Ll 3 captivis

A.C. 1628. captivis laquei ſupplicium minitabatur. Verum Senatus Genuenſis hoc poſtpoſito, de eo & aliis authoribus illius conſpirationis pœnas ſumpſit, & Gubernator Mediolani Corduba exinde omnia conſilia Sabaudi ſuſpecta, magiſque progreſſus illius in illo bello feliciores quam ſuos inviſos habebat. Remiſſus tamen hoc modo tunc belli illius furor, in annum ſubſequentem majores ſumpſit vires, ut ſuo loco apparebit.

Cornarus Dux Venetiarum accuſatur à Zeno.

Zeno à ſicariis Cornari vulneratur.

Venetia Dux Marinus capite mulctatus 1362.

Cornarus Dux ab accuſatione Zeni abſolvitur.

Hoc anno etiam Veneti inteſtinis odiis gravius laborârunt: Reginoldus Zeni Eques Sancti Marci unus ex decem viris invehebatur in Ducem Cornarum acerbius propter leges patrias ab eo non ſervatas, præſertim in promotione filii ſui ad Cardinalitiam dignitatem. Quod moleſte ferens alter Ducis filius Georgius Cornari, ſubornârat ſicarios, ut Zenum prodeuntem ex Curia Senatoria trucidarent: aberrârant tamen illi ictu, & non niſi levia vulnera ipſi inflixerant. Sed atrocitas talis facinoris omnes commovit: & magis cum famulus ſaucii Zeni ſublatam tunicam ſanguine à plagis madentem per Vrbem circumferret, identidem clamitans, herum ſuum in defendendis patriis legibus cæſum fuiſſe. Elapſis itaque fuga authoribus criminis, Zeni in Ducem culpam omnem conferebat, & inſtituta actione parum abſuit,quin renovatum fuerit exemplum vetus Ducis Marini in anno 1362, quondam ob affectatum abſolutum in illa Republica dominatum capite multati. Tandem vero cum Dux crimen ſe inſcio commiſſum ejuraret, ſicario ejus filio pœna proſcriptionis perpetuæ & privationis bonorum fuit irrogata: Et propter alium filium Cardinalem creatum, cum Dux abdicare ſe Ducali Magiſtratu vellet, Reſpublica rei novitatem & indignitatem exauthorandi Ducis abhorruit, accuſationemque illam rejecit.

Rupella obſidionem Rex Galliæ continuat.

Anglica claſſis non poteſt penetrare Rupellam.

Roanus Dux Condæum in Linguadoca profligat.

In Gallia obſidio Rupellæ continuabatur hoc quoque anno, ſumma animorum ac virium contentione: nempe quod Vgonoti omnes ſpes ſuas in ea conſervanda reponerent, & Rex niſi ea capta à turbis domeſticis vacare, ac obſequium ſubditorum habere non poſſet. Et Regii itaque tota hyeme non ceſſârunt inſtare munitionibus terra marique ducendis, quibus obſeſſos magis coanguſtarent, & obſeſſi eruptionibus aſſidue infeſti Regiis imminebant. Maximo autem adjumento iſtis fuit æſtus maris præter ſolitum tum efferveſcentis, quo compage Regiarum navium portum illum claudentium ſoluta, & etiam claſſe pro ejus cuſtodia excubante disjecta, decem naves cum commeatu obſeſſi ex Anglia conductas receperant. Indefeſſus tamen Regiorum fervor ſumptu immenſo, & artificio Pomponii Targoni Architecti ingenioſo, iterum portum illum inſtravit navibus ingenti multitudine colligatis, & aliis immerſis, ut veniens paulo poſt Anglica octuaginta navium claſſis, ne tentare quidem illum tranſitum auſa fuerit, octo diebus ſtans in anchoris in proſpectu ejuſdem portus Rupellani. Et quidem iſta juvabatur intumeſcentibus cum plenilunio aquis, ac vento ſecundo, ſed cum ante ingreſſum cum Regiis navibus prius confligendum eſſet, deinde per ſinum demerſis tot navibus obſtructum, quaſi inter ſcopulos via quærenda, demumque pons navalis innumeris tormentis, & præſidio militari valido munitus perrumpi deberet, ac inſuper obſeſſi nil à ſe operæ in aperiendo iſto tranſitu ſperari poſſe ſignificâſſent, Architalaſſus Anglicus maluit ſervare ſuam claſſem, quam certo periculo nullo operæ pretio committere, reque infecta vela in Angliam convertit. Spe quidem data obſeſſis, quod cum majori apparatu in brevi rediret, (unde iſti deditionis tractatum ſub hoc tempus agitatum & pæne concluſum rejecerant, ideo quod Rex Ducem Roanum in eo comprehendi noluerat) nunquam tamen rediit, & alii peritiores navalis militiæ Duces à Rege Angliæ ſummiſſi, nullam rationem invenire potuerunt, qua in illum portum penetrarent. Confidebant adhuc obſeſſi progreſſu feliciore Ducis Roani in Linguadoca, ubi iſte

apud

A.C. 1628.

apud Afriquen profligârat Ducem Condæum cum Regio exercitu, ſed aliæ diverſæ copiæ Regiæ ita præoccupârant omnia itinera, ut nemini acceſſus ad Rupellam pateret. Et prorſus vana expectatione auxiliorum perdiderant illi etiam beneficium tractatus pacis, quem ſatis liberalem Rex ipſis offerebat, & poſtquam fuerant hoc modo undique conſtricti, ne ad colloquium quidem eos admiſit, niſi ut abſoluto ipſius arbitrio uti perduelles victi ſe dederent: Hacque lege deditionem fecerunt ad extremam rerum omnium neceſſitatem reducti ſub finem hujus anni. Capta Civitate, Rex omnes Vgonotos à Magiſtratu removit, & uſum cujuſcunque profeſſionis hæreticæ prohibuit incolis illius Civitatis, ſola Catholica Religione relicta.

Rupella deditionem facit.

Vgonoti omnes ejiciuntur Rupella.

Hollandi hunc annum in obſervandis ſolum Hiſpanicis conatibus tranſegerunt, & deprehenſam proditionem Bergæ ad Somam coërcuerunt ſupplicio ſeveriori proditorum: Novis quoque foſſis ductis prope Steinbergam, præmunierunt tranſitus ad illam Civitatem. In mari autem multa damna dederunt Hiſpanis apud portum Coronæ, & apud Gades, pluribus eorum navibus demerſis, ex claſſe novem navium veniente è Regno Peruano, quatuor argento puro onuſtas Duce Petro Heinio ceperunt, præda divite inde acquiſita, quæ octuagies centum millibus nummorum aureorum ſeu florenorum ibi communium æſtimabatur: talique nervo inſtructi in annum ſubſequentem expeditionem bellicam ſolito majorem apparari fecerunt.

Berga Soma deprehenſa eſt caſtigata proditio.

Hollandia claſſis multa damna dat Hiſpanis.

Flotam intercipit.

In Polonia abruptum fuiſſe pacis cum Sueco tractatum alias attigimus: totâ tamen hyeme nil memorabile utrinque ſucceſſit, exercitu Polonico in diverſa hiberna diſperſo, eo quod in Pruſſia æſtiva præterita expeditione,longe lateque agricolarum meſſibus in herba abſumptis, annona & equorum pabula haberi non poſſent. Quam ob cauſam adveniente quoque Vere milites eo non properarunt, & Bidgoſtiæ congregati, etiam ſeceſſionem facere voluerant ob non numerata ſtipendia; ac nonniſi poſt multas difficultates compoſuerat illos motus Præfectus bellicus Staniſlaus Koniecpolski, promiſſa ſolutione & auctione ſtipendiorum, & quod annona ipſis eſſet ſuppeditanda à Miniſtris ærarii publici. Demum itaque adulto Vere convenerant ad caſtra, quæ infra Grudentum fuerunt poſita, cum in ea parte & Guſtavus Rex Suecus prope Quidzinum ſuas copias contraxiſſet, ac aliquem propinquiorem locum, vel Toruniam petiturus videretur.

Grudentum prope caſtra locat Konieepolſcius.

Interim Rex Sigiſmundus Comitia cum Ordinibus Regni Varſaviæ celebravit menſe Iulio, in quibus potiſſimùm de neceſſario commeatu & pecuniis pro ſuſtentando milite conſultabatur. Sed ab eis contribuendis Nuntii Terrarum alieniores animos præferebant, niſi prius meliores belli illius ducendi rationes inirentur. Audiebantur querimoniæ contra Lithuanos,quod tam graviter tunc laborante toto Regno,ipſi induciis pro Livonia trahendis vacarent,nec abſtinerent à prohibitis commerciis maritimis, unde hoſti maxima commoda proveniebant. Et magis contra Ducem Pruſſiæ Electorem Brandeburgicum,quod ipſo conſcio bellum illud in Pruſſiam introductum, ejuſdem opibus conſiliiſque ac armis ſuſtentaretur. Omne enim vectigal Pilavienſe nauticum permiſerat ille Sueco, ac libertatem conquirendi ſumendique in ſuis ditionibus, quæcunque uſui ſuo ſervirent. Militem quoq; ibi hoſtis quando libuiſſet conſcribebat,armabat, receptum tutum habebat: imo & Ducis ipſiuſmet ſtipendiarii communes erant Suecis,& ubi venit occaſio illis conjuncti, mutua opera oppugnabant Polonos: nec raro etiam ſoli cum inciderent in Polonos, ſi debiliores inveniſſent, hoſtiliter eos tractabant uti Sueci,captoſque remittebant ad præſidia Suecorum: ſi vero inferiores eſſent Polonis, ut periculum evaderent, pro Ducalibus ſe gerebant. Sed circa initia

Comitia Pol. in Iulio Varſavia 1628.

Lithuani nullam operam conferunt pro bello Pruſſico.

Poloni conqueruntur contra Ducem Pruſſiæ de conducto in Pruſſiam Sueco.

A.C. 1628. iſtorum Comitiorum clarior quam ut ſimulari poſſet colluſio ibi fuerat deprehenſa. Sæpius admonitus ille Dux officii ſui erga Regnum Poloniæ bis mille pedites ne viderentur collecti pro Sueco, ad Caſtra Regia promiſerat mittendos, quibus Suecus inter ſuas ſtationes tranſeuntibus (plane ex condicto cum alios circa Dzialdoviam ac Nidborcum tranſitus liberiores haberent) obviam factus, vi ad ſpeciem oſtentata perſuaſit, ut in ſuam militiam tranſirent, Tribuni & Ductores ordinum cum tormentis quatuor quæ ducebant, redierant ad Ducem, ne ipſis conſentientibus illud eveniſſe crederetur. Ac plura ſimilis inter Suecum & Ducem Pruſſiæ conſenſionis argumenta in dies referebantur, ex quibus judicabant Ordines, non aliter bellum contra illum externum hoſtem tutè promoveri poſſe, niſi iſte quoque pro hoſte haberetur. Aderant tamen non pauci illi Duci amicitiis vel Religionis conſortio, ſeu largitionibus devincti, qui partes ejus defendebant, nec aliud fuit contra ipſum concluſum, præter quod Rex Comitiis finitis per Henricum Dinoff Secretarium ſuum operam ejus fideliorem requiſivit. In eiſdem Comitiis cum vacaret officium Cancellarii Regni poſt Veneſlaum Leſzczynski proxime defunctum, ex more delatum fuit Vicecancellario Iacobo Zadzik Epiſcopo Culmenſi; iſtius vero locus vacans, cum omnium opinione deberetur Maximiliano Przerembski Caſtellano Siradienſi, Referendario Regni, nempe officii gradu proximo, maturo ac doctrina rerumque in Republica longo uſu conſpicuo, eo excluſo odiis Eccleſiaſticorum, quos aliquando offenderat, Thomæ Zamoyski Kijovienſi Palatino obvenit. Sub finem tandem Comitiorum conceſſerant Nuntii Terrarum pro illo bello Pruſſico contributiones exiguas, idque inviti, cum mallent tractari pacem. Sed mentio iſtius erat ingrata quouſque hærebat in Aula Regia Baro Auchius miniſter Hiſpanicus, & prædicabat victorias Cæſaris, ac ingerebat ſpes feliciores comparandæ claſſis, bellique transferendi in Daniam & Sueciam: hocque ille prætexens, obtinuerat paulo poſt, ut Rex claſſem ſuam novem navium ex portu Gedanenſi abduci permiſerit Viſmariam pro uſu Imperatoris, magno incommodo Gedanenſium, quibus ea claſſis præſidio fuerat, & emiſſa conciliârat graviorem offenſam Dani, contra quem ducebatur. Atque hæc agebantur in Aula Regia. In Caſtris autem Præfectus exercitus Koniecpolski non ſatis inſtructus ad offendendum, de ſola defenſione ſolicitus, obſervabat conatus hoſtis. Qui interim dum apud Quidzinum hæreret, partem copiarum ſuarum emiſerat verſus Gedanum, & initio Iulii à Neringa, portum illius Civitatis Motláwá dictum oppugnari fecit. Sed poſtquam aliquantum damni navibus ibi ſubſiſtentibus dederant Sueci, denſis tormentorum jaculis ex propugnaculis vicinioribus Civitatis exploſis repreſſi, prope ducentis ex ſuis amiſſis abierunt. Apud Grudentum vero cum exundantes aquæ Viſtulæ, pontem Polonorum navalem abrupiſſent, Guſtavus Rex Suecus ipſemet præſens in ſuis caſtris infra Pokriwniciam tranſlatis, mille pedites lintribus celerius ad ripam adverſam trajecit, & oppidum *Nowe* priuſquam Poloni ponte deſtituti ſubveniſſent intercæpit, cum commeatu & impedimentis Caſtrenſibus, quæ ibi in magna copia fuerant depoſita. Paucas tamen poſt hebdomadas adveniens Stephanus Moczárski cum ſuis Coſacis recuperaverat illum locum. Et neuter exercitus aliud ſingulare tentavit totâ æſtate, donec ſub finem Septembris Suecus movens, magnis itineribus Brodniciam duodecim milliaribus Polonicis inde diſtantem contendit: quo Koniecpolſcius quoque tũm primum re cognita, exercitum duxit, præmiſſo cum expeditiori equitum manu Alberto Kozakowski, ut tranſitus difficiliores cuſtodiret. Sed iſte non ſervatis Ordinibus incedens (circa Radzinum vix viſo hoſte in fugam conceſſerat) nil præſtitit, & hoſtis præveniens, Brodniciam quinta Octobris obtinuit, proditione præfecti illius præſidii della Montanie Galli.

Pruſſiæ Dux milites in auxilium Polonis deſtinatos Suecis prodit.

Sigiſmundum III Rex Poloniæ Legatum mittit ad Ducem Pruſſiæ requirendo fideliorem operam ab ipſo.

Leſzczynski Cancell. Pol. moritur.

Zamoyſcius renunciatur Vicecancell. Poloniæ.

Sigiſmundus III Rex Pol. claſſem ſuam Imper. mittit Viſmariam.

Guſtavus Suecus rejicitur ab oppugnatione Gedani.

Nowe oppidum Sueci intercipiunt.

Moczárski recipit Nowe à Suecis.

Kozakowski fugatur à Suecis apud Radzinum.

Galli. Hunc Koniecpolſcius (aderat jam præſto cum auxiliis, & pulveres nitratos ad obſeſſos inferri fecerat) capite plecti juſſit, & abeuntis Sueci poſtremum agmen trium millium equitum cum Baudiſio Tribuno conſequutus, apud Oſtroda oppidum Ducalis Pruſſiæ ſexto à Brodnicia milliari prælio commiſſo fudit, ipſumque Baudiſium ſaucium ac duodecim ſigna equeſtria cepit, paucis Sueticis ex eo conflictu noctis beneficio elapſis.

A.C. 1628.

Suecus Rex proditione Galli centurionis, obtinet Brodniciam.

Baudiſium profligat & capit Koniecpolſcius.

Annus Chriſti, 1629.

INtegrum itaque bellum illud manſit in Annum Milleſimum, Sexceteſimum, Vigeſimum nonum, aucto inſuper hoſte acceſſione Brodniciæ, cujus recuperationem licet facilem futuram fuiſſe Poloni putârint, gravius tamen circa eam laborârunt. Reliquerat Koniecpolſcius Præfectus militiæ in vicinia pro hibernis circumcirca totum pæne exercitum, ut à longinquo commeatum prohiberent Suecis in illo præſidio cum Comite Turrenſi juniore excubantibus, hocque modo in multam hyemem iſti conſtricti, ne efferre quidem pedem ex illa Civitate ac Arce potuerunt, & annona omni conſumpta, propediem deditionem facere decreverant. Demum tamen menſe Februario fuerunt ſublevati à Ioanne Vrangelio Elbingenſi Suetico Præfecto cum clade obſidentium. Qui nimium ſecuri periculum imminens non præviderant, nec tempeſtive convenerant milites majori parte in diverſa ſignis relictis dilapſi. Nec erant plures quam quater mille, cum Sueci eſſent decem mille: & ex Tribunis Ordinumque Ductoribus vix unus atque alter aderat præſens. Quodque potiſſimum, deerant conſilia, prohiberi debebat & facile poterat hoſtis tranſitum fluvii Drwencza, à quo cuſtodiendo peditatu Germanico Equitis Melitenſis Iudicki temere revocato, & omnibus copiis ad proximum campum retrocedere juſſis, ordines fuerunt turbati, hoſtique tempus datum vadum illius fluvii ſuperandi, ac ſpatium explicandi aciem. Qua etiam utrumque ſuum latus Poloni circumdari permiſerunt,& Ordines ſuos confuſos reſtituêre(uti veterani monebant)neglexerunt,quin & tormentis propriis in illa perturbatione contra ſuammet ſtationem converſis, & ſubſidiis non diſpoſitis, ac nulla ſervata arte militari, ſola quinque Haſtatorum & quatuor Coſacorum ſigna prælium inierunt. Pugnârunt tamen acriter, & magnam ſtragem in Suecis ediderant, ſed multitudine hoſtium ſuperante, deſtituti auxiliis quæ una cum Duce (Staniſlaus Potocki Caſtellanus Camenecenſis erat) integris turmis tormentorum & ſuorum & Sueticorum denſa jacula declinando, ſtatim ab initio prælii remotius ſeſe avulſerant, illi quoque qui pugnabant receptum quæſierunt, ſignis nihilominus ſervatis præter unicum Præfecti militiæ Koniecpolſcii tunc degentis in Comitiis Varſaviæ Signifero ejus cæſo interceptum. Atque hæc fuit ſeries illius prælii prope Oppidum Gorzno Epiſcopi Plocenſis die Lunæ Februarii 19 commiſſi, in quo ex illis equitibus qui pugnârunt inſigniores Drozdowski Signifer Koniecpolſcii, & Chodakowski Vicepræfectus Kalinovii, Ioannes Bokiey Centurio unius cohortis Coſacorum, alii vero minoris nominis nonniſi octuaginta ceciderunt, & ex hoſtibus multo plures una cum collega Vrangelii Maijero duabus lanceis transfixo. Pedites Germanici trecenti, & Vngarici ducenti nec evadere nec pugnare in illa perturbatione potuerunt, & omnes fuerunt partim cæſi, partim capti, una cum quatuor parvis tormentis. Caſtra nulla erant, cum impedimenta ſua ſingulæ cohortes, procul in diverſis ſuis ſtationibus reliquiſſent, & circa Lubaviam, ac pridie circa Gorznam in itinere aliquos currus ipſorum Sueci diripuerant. Inde vero Vrangelius

Brodniciam obſident Poloni.

Vrangelius apud Gorzno profligat Polonos.

A.C. 1629. lius libere Brodniciam pervenit, commeatumque ſufficientem intulit. Et utendum ratus victoria, qua jactabat univerſum exercitum illum & robur Polonicum

Torunia ab oppugnatione rejicitur Vrangelius.

concidiſſe, Toruniam petiit, ſpe concepta, quod Civitate ad tantum periculum non proviſa, & recenter ab illo certamine metu conſternata facile potiretur. Ac pervenerat ad mœnia & portam Civitatis, quam Cives militiæ expertes pæne deſeruerant: tamen à Gerardo Dinoff Tribuno veterano fortuito ibi tunc præ-

Vrangelius in reditu multos ex ſuis amittit.

ſente ad fortitudinem erecti, tormentis majori numero ad eam partem conductis & exploſis, hoſtem rejecerunt, & ex illo equitatu Polonico à pugna Gorznenſi diſperſo, apud Golubiam mille quingenti collecti, eum in regreſſu carpebant, ut vix tertiam partem è ſuo peditatu ſalvam Elbingam reduxerit. Opportune autem ſub hoc tempus Varſaviæ Comitia Regni Generalia celebrabantur,

Comitia Pol. Varſav. 1629.

Ordines enim in contribuendis pro illo bello pecuniis eo uſque nimium remiſſi, tanta elatione hoſtis excitati, magna ſtudiorum conjunctione, etiam extraordinaria plurima tributa decreverunt: & tum primum conceſſa fuit collecta Fu-

Fumalis collecta primum instituta in Polonia.

malis denominata dimidii floreni communis à ſingulis domibus tam Civitatum, quam pagorum & villarum, (Curiis nobilium & Eccleſiaſticorum exceptis) quæ quadruplum uſitati tributi agrarii æquavit. Ac reſiſtebant pertinacius Provinciæ Ruſſiæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podoliæ, ne talis lex nova contra ipſos præcipue inventa (in modo conſueto contribuendi ex agrorum æſtimatione, defraudabant iſti ærarium publicum, fere decimam partem tantum juſti cenſus conferentes) cuderetur, ſed induſtria Georgii Oſſolinski inter Nuntios Terrarum ingenio & eloquentia tunc præſtantis, tum acclamationibus & concordia omnium victi, Reipublicæ

Poloni permittunt ut Rex advocaret auxilia ex Germania contra Suecos.

neceſſitati tam urgenti ceſſerunt. Poſt illam quoque cladem Gorznenſem primum depoſitis ſuſpicionibus, propter quas gens iſta exercitus ex milite externo ſub ſignis & Ductoribus externis (alioquin ſingulares milites quamvis advenæ ſub Imperio Ducum indigenarum hic mereri magno numero conſueverunt) introduci in Regnum à ſæculis vetabat, placuit ut ab Imperatore copiæ auxiliares ad iſtud bellum advocarentur: nempe quod imminente proximo belli gerendi verno tempore, in tam brevi tempore domi ſolito major, uti neceſſitas requirebat, militarium manus congregari non poſſet, & apud Imperatorem prope jam (uti tunc apparebat) perfunctum ſuis periculis domeſticis, in promptu multæ legiones haberentur feriatæ. Et ſtatim Comitiis finitis Rex Sigiſmundus omni ſtudio ad apparatus bellicos conquirendos converſo, miſerat pro hujuſmodi auxiliis

Arnhemius ab Imp. cum auxiliis copiis miſſus luſtrat exercitum contra Delegatis Regis Pol.

ad Imperatorem, à quo deſtinatus Arnhemius (poſt obſidionem Stralſundæ irritam) cum quinque millibus peditum, & duobus millibus equitum per Pomeraniam veniens, initio Maji apud Hamerſtinum delegatis Regiis exercitum illum ſuum luſtrandum permiſit, ac inde ad ſtationem ſibi deſignatam verſus Grudentum proceſſit; quo Præfectus quoque militiæ Polonæ Koniecpolski ſuas copias juſſerat convenire. Nec ſegnior Guſtavus Rex Suecus tempeſtive ex Suecia tra-

Guſtavus Suecia Rex apud Quidzinum caſtra metat.

jecerat Elbingam, & recenſitis apud Mariæburgum quinque millibus equitum, & peditum octo millibus, menſe Iunio apud Quidzinum caſtra poſuit. Ibi itaque Koniecpolſcius, licet tunc adhuc nonniſi mille trecentos ſub octo ſignis equites haſtatos, ac mille ducentos Coſacos ſub novem ſignis haberet, aleam belli experiri

Koniecpolſcius ad prælium elicit Suecum & vincit.

decrevit. Et ut hoſtem à munitionibus ſuis avocaret, ac in campeſtria eliceret, cum equitatu ſolo, relicto itinere Quidzinum recta tendente, verſus caſtra Arnhemii quaſi Prabutum iturus deflexit, req; communicata Arnhemio, iterum retro ad Luſnam converſus, primo diluculo vigeſima ſeptima Iunii, tranſitus fluvii Lyba, quos hoſtis cuſtodire ſolebat, apud molendinum Sadow, & ſupra Trzcianá ſumma celeritate per Coſacos occupari fecit. Succeſſitque ei ex voto; nam Suecus hoc cognito Quidzino relicto, eo cum ſuis copiis proceſſit, ut tranſitus illos defenderet,

detet, quos in poteſtate ſua tenens jam Koniecpolski, aliquot præterea turmas Coſacorum emiſit ad hoſtem velitando diſtinendum, donec ſuus equitatus omnis fluvium ſuperavit. Ac Arnhemius quidem cenſebat expectandum peditatum ſuum duobus milliaribus inde ſubſiſtentem, verum Koniecpolski in Equeſtri congreſſu omni fiducia repoſita, aciem ſtatim inſtruxit, in læva Equitibus haſtatis, in dextra Coſacis, ac in medio auxiliariis Cæſarianis cum Arnhemio collocatis, præliumque inchoantibus Coſacis, ipſemet cum haſtato equitatu in confertiſſima Suecorum agmina, ubi Guſtavus prope ſua tormenta ſtabat, magno impetu irruit, cuneumque illum disjecit, ac tormenta occupavit. Inde tota Suetica acie in ſubſidium ſuis laborantibus effuſa, & Polonos, præſertim jaculis bombardarum, equis plurimorum proſtratis urgente, Cæſariani prælium exceperunt, & univerſe utrinque acerrimo conflictu inito, tandem Sueci terga verterunt, pluresque in fuga occubuerunt, à Polonis Strazevum uſque inſequentibus cæſi.

A.C. 1629.

Prælium Polonorum cum Suecis apud Trzcianam.

Sueci profligantur à Polonis.

Revocaverat tamen ex fuga Guſtavus majorem partem ſui equitatus, & reſarcitam aciem reduxerat, prælium inſtauraturus, ſi forte victores incauti ordines ſolviſſent: ſed invenit bene paratos, eumque hoc conſpecto retrocedere parantem, Koniecpolſcius iterum pugnare coëgit, emiſſo omni equitatu Polonico, & aliquot Cæſarianorum turmis, qui collatis ſignis poſt brevem dimicationem Suecos repreſſerunt, & aliæ Coſacorum turmæ tardius ad pugnam advenientes in latus ipſorum recedentium invectæ, eorum manipulos omnes diſſipârunt, plurimoſque trucidârunt, diſperſis Stummum uſque ad veſperam inſiſtentes. Cæſariani à perſequendo abſtinuerunt, propter itinera foſſis frequentioribus impedita, & equos ſuos celeri curſui minus adſuetos. Guſtavus ipſe maximum periculum tunc ſubiit, apprehenſus primum, balteo quo tenebatur ſuper caput abjecto, & petaſo à capite ſibi detracto aufugit, & iterum cum captus ad cædem à Polonis traheretur, à Germano quodam, qui eum agnoverat dicente, quod eſſet ex vilioribus Ringravii famulis, liberatus, ac equo pernicioti impoſitus Mariæburgum intempeſta nocte evaſit: Ringravius junior, & Comes de Maydeburg in iſto conflictu ex parte Suetica perierat, aliorum vero occiſorum late per campos à Trzéiáná Stumum uſque parentes cadavera jacentia numerari non poterant: vivi ducenti, & inter eos plerique Ordinum Præfecti capti, una cum quindecim ſignis equeſtribus, & tormentis decem ligneis, corio (artificio novo) affabre compactis, ut facile circumferri, & tamen decies ad minus vibrari poſſint. Ex Polonis inter paucos deſideratos perierat meus frater Nicolaus Piaſecki Signifer cohortis Kazanovii, & ex Cæſarianis unus tantum Centurio gravius in capite fuit vulneratus, & pauci Equites ſaucii.

Guſtavus Suecus Rex captus à Polonis nec agnitus elabitur.

Ringravius junior occiditur.

Suecorum cæſorum ingens numerus.

Tormentorum bellicorum novum artificium.

Rex Sigiſmundus ſub id tempus Varſavia decima nona Iunii profectus, Bydgoſtiam veniens primum Nuncium de illa victoria accepit, & feſtinavit ad caſtra, ſperans quod ſuo adventu aucto exercitu, ultima manus bello illi imponenda eſſet. Nec caruiſſet optato ſucceſſu, niſi hunc evertiſſent occultiores doli, quibus & Præfectus Koniecpolſcius circumventus victoriam illam non proſequebatur. Mariæburga ſumma rei ſtatim à pugna Trzcianenſi petenda erat, ſed Arnhemius cum ſuis Cæſarianis maluit divertere ad ripam Viſtulæ ex adverſo Albi montis (Inſulæ Mariæburgenſis ſuperum caput, à quo Viſtula diviſa uno alveo Gedanum, altera Elbingam decurrit) ut munitionem à Suecis ibi excitatam trajecto flumine (ut ajebat) occuparet, & Koniecpolski tardius poſitis caſtris propius Mariæburgum, atque carens peditatu illo Germanico, contra muros & vallum illius oppidi proficere nil potuit, tempuſque datum ita fuit hoſti, ut munitiones ibi ſuas ductis aggeribus opera Colonorum Zulavienſium magno numero eo conductorum firmârit, & novas copias compatârit, accitis ex Livonia præſi-

Sigiſmundus III Rex de victoria Trzcianenſi Bydgoſtiæ accipit nuntium.

Arnhemius montem Album oppugnandum ſuſcipit ut tempus daret Suecus.

A.C. 1629. præſidiis, quæ interim cum Lithuanis (iſtis quoque conveniebat tunc diſtinuiſſe ab illa parte hoſtiles vires) factis induciis vacabant. Atque talis error totum rei bene gerendæ tempus extraxit. Nam etiam præſente Rege in caſtris Arnhemius

Arnhemii excuſatio ne tempus perderet apud Album montem & veniret ad caſtra Regis.

cum ſuis apud illam ripam hæſit, & monitus ne ibi impenſam perderet (conſumebat in dies magnam vim pulveris nitrati, & pilarum, reſonando in aëra, nullo damno Suecorum, & naves innumeras perdidit, quas contra omnem rationem objiciebat ictibus tormentorum Suecicorum ſub eorum mœnibus Viſtulam ponte jungere inaniter contendens) militem ſuum ad caſtra Regia progredi nolle prætendit, niſi ipſi ſtipendia ſolverentur. His quoque numeratis (Rex ſtatim fecerat ea dari ex privato ſuo ærario) parere noluit, cum Rex decreviſſet dividere copias tam numeroſas (erant 15 millia Equitum, & viginti quatuor millia pedi-

Arnhemii fraus deprehenſa.

rum) ut parte Elbingam, parte Pilaviam (oppoſuit ad hoc Arnhemius ſibi non eſſe commiſſum à Cæſare ut invaderet ditiones Electoris) dimiſſæ commeatum haberent copioſiorem, & à pluribus locis hoſtem oppugnarent. Ad ultimum fuit deprehenſum à Trzcianenſi conflictu, Electoris Ducis in Pruſſia Nuncium perpetuo ipſi Arnhemio adhæſiſſe, omniaque conſilia Polonica inde Electori, & ita

Arnhemius ablegatur ad Valnſtenium.

hoſti paruiſſe (erat Electoris cliens Arnhemius, in ejuſque ditione Electorali domicilium habebat) & quoddam arcanum à Rege cum eo Præfecto militari Polonico ſolo conſcio, uſque & Principe Vladiſlao excluſo, tractatum, ab ipſo Electori revelatum fuiſſe, eoque opportunitatem quandam rei bene gerendæ effluxiſſe. Ac tum demum Rex fraude comperta, miſſo celerius ad Valnſtenium

Sigiſmundus III Rex Pol. incidit in morbum & reliquit caſtra.

Nuncio, effecerat, ut eum revocaverit, ejuſque loco ſubſtituerit Henricum Iulium Ducem Saxoniæ Lauenburgi, & deinde Philippum Mansfeld utrumque ignavum. Ac prorſus remedia tantæ rei quærebantur ſero nimium adultâ jam æſtate, & cum Rex languore ex diſſenteria concepto caſtra relinqueret. Poſt diſceſſum autem Regis, Præfectus exercitus Koniecpolſcius Inſulam Mariebutgenſem occupandam, Guſtavumque hoc modo intercludendum inſtituerat, ac

Coſaci in Inſulam Mariaburgi irruunt.

infra Mariæburgam altero milliari munitionem Suecicam ad ripam Nogati pro inhibendo in illam Inſulam tranſitu excitatam, redegerat ſummâ vi in poteſtatem ſuam; ejuſque cura ac cuſtodia Cæſarianis commiſſa, aliquot Coſacorum turmas in Inſulam expedierat. Sed priuſquam majores copias eo tranſmiſiſſet, inducias 30 dierum pepigerant cum hoſte Delegati ex Comitiis Regni deputati pro tractanda pace, perſuaſi ab Electore Duce Pruſſiæ, quod ipſius opera æquioribus conditionibus illa tunc concludi poſſet; alii quoque graviores caſus inciderant, qui curſum illius belli interrumpere tunc cogebant. Peſtis ſæva ex Suecicis caſtris ad Cæſarianos, qui ibi liberius converſabantur, tranſlata, tota Polonica caſtra invaſerat, & multis ex ea in dies ſingulos morientibus, tanto plures inficiebantur, ut inſigniores qui numeroſam familiam alunt à tali malo ruri eſſe non poſſent; nullumque remedium ſupererat, niſi ut concurſus ille multitudinis quamprimum ſolveretur. Tanto magis quod præter metum contagionis, ex oppidis

Vrangelius junior in Inſula Mariaburgi à Coſacis caſus.

proximis Propolæ commeatum ad caſtra adferre non auderent. Vel etiam quod itinera uno milliari à caſtris propter latrocinia non eſſent ſecura, unde exercitus ille magna annonæ & pabuli equorum inopia laborare cœperat, & ad Suecos ex Cæſarianis non pauci proterea tranſibant. Imo iſti propugnaculum illud apud

Germani milites propter Arnhemium ablegatum nullam operam utilem Polonis præſtant.

Nogatum interceptum, cum jam Coſaci in Inſula, cæſo Vrangelio juniore felices progreſſus haberent, temere deſeruerunt, non tam propter victus neceſſitatem, quam ex ſimultatibus poſt Arnhemium relegatum conceptis, propter quas nulla etiam fidelis opera ab illis amplius erat expectanda, eoſque quamprimum, ne inaniter æs Caſtrenſe lucrarentur, dimitti conveniebat. Tractatus itaque pacis fuerat introductus: & licet Delegati Poloni non eam facilitatem quam Elector promi-

ſerat,

A.C. 1629.

ſerat, in eo continuando inveniſſent, ac ſtatim ab initio offenſi elatione Guſtavi (fraus Arnchemii iſtum poſt tantam cladem ad meliores ſpes erexerat) colloquium inchoatum abrumpere voluerint, tamen adnitentibus Galliæ & Angliæ Regum Legatis continuabatur, ac poſt longas diſceptationes induciæ ad A. 1635, menſe Iunio illius anni terminandæ, fuerunt ſtabilitæ. Talibus conditionibus præcipuis quod Brodnicia, Vormditum, Melſacum, Stumum, Dirſavia reſtituerentur Polonis, Mariæburga traderetur in depoſitum Electori Duci in Pruſſia, qui utilitates annuas ex illa Inſula provenientes in ærarium Regis Poloniæ inſerret, & induciis finitis, niſi pax plena interim conſtitueretur, arcem illam & Civitatem una cum Dirſavia Suecus reciperet, ac loco pignoris interim haberet Portum cum Arce Memelenſe Ducatus Pruſſiæ, & Elbingam, Bransbergam, portumque Pilavienſem, ac omnia quæ eouſque in Livonia occupârat, teneret: Rex & Ordines Regni Poloniæ conventionem hanc confirmarent. Ad quod Comitia Varſaviæ menſe Novembre fuerunt celebrata in maxima perturbatione propter peſtem ibi graſſantem ex caſtris Pruſſicis dilatatam, & quod Rex talem pactionem reprobaret. Exoratus tamen à Senatu, ut bellum illud tam difficile ad feliciora Reipublicæ tempora differet, eam ſuſcepit, approbarique publico Ordinum decreto permiſit. Atque ita ad tempus reſtinctum fuit belli illius Pruſſici incendium, ex quo ſubſequens peſtis calamitas, non minus afflixit Poloniam, late per vicinas Pruſſicis Provincias, præſertim Maſoviæ & Majoris Poloniæ diffuſa, innumeram populorum multitudinem crudeliter depaſcens, ut non raro integri pagi atque villæ habitatoribus ſuis omnibus tali lue extinctis, vacuæ viſerentur. Statim quoque poſt Comitia metu peſtis Aula tota diſperſa, Rex cum Regina & filiis, ac pauciſſimis domeſticis receſſerat Oſjecium.

Germani milites propter Arnhemium ablegatum nullam operam utilem Polonis præſtant.

Pax tractatur & concluditur cum Suecis in Pruſſia ad annos 6.

Comitia Pol. Varſav. in Novembre 1629.

Peſtis crudelior totam Poloniam pervadit.

Menſe autem Octobre hujus anni, memorabilem victoriam obtinuit de Tartaris, quorum 60 millia Duce Galga fratre Chami ſeu Principis Tartarici, ac Murza Cantimiro Ruſſiam ingreſſi, dimiſſis prædatum ſuis turmis Socaliam uſque incendiis & rapinis illas partes fœdarant. Eos vero revertentes apud Monaſteriſca & Burſtinowo Stephanus Chmielecius (etiam Cantimiri Murza filius ibi fuit occiſus) cum Coſacis profligavit; alios Staniſlaus Lubomirski Palat. Ruſſiæ ſuperveniens cum aliis copiis excepit & fudit, ut vix aliquis ex illis turmis quæ prædatum intro Poloniam iverant, evaſerit, præter Salmazat Murza cum ſuis manipulis, qui audito à longe periculo per aliam viam diverterat; vivi capti bis mille, inter quos fuit frater Chami Principis Tartarorum junior à Palat. Ruſſiæ captus. Alter frater illius Principis Galga, & Cantimirus ultra Tyram poſuerant caſtra ſua, & audito adventu Chmielecii cum Coſacis, abierant non tentato prælio.

Tartari profligantur apud Burſtinowo à Polonis.

Initio Decemb. obierat Palat. Lublinenſ. Nicolaus Oleſnicki, Zbignei illius Cardinalis Epiſc. Cracoviæ (floruit ad 1 Aprilis 1455 quo obiit Sandomiriæ) generis magnanimitatiſque dignus hæres, ac vera imago. Toto ſuo tempore nulla Comitiorum vel aliarum publicarum actionum celebritas præteriit, in qua ipſe non præſtaret ſplendore apparatus, populari favore, ac gratia libertateque dicendi in tuendis æquioribus Reipub. partibus: ſed præcipue enituit ejus animi excelſitas in obeunda Legatione apud Ducem Moſcoviæ Demetrium cæſum, & Baſilium Suyſcium ejus ſucceſſorem: tum & in componenda ſeceſſione partis exercitus ex Moſcovia egreſſi, qui Leopoli conſederat: dumque ſequitur Regem cum magna militum manu propriis ſtipendiis conducta prima Guſtavi Sueci irruptione in Pruſſiam, quæ etiam expeditiones rem ipſius privatam attenuarunt nimium, gloriam auxerunt.

Oleſnicki Palat. Lublin. moritur.

Zbignei Card. ſeculum.

Sub finem vero ejuſdem anni obierat Gabor Bethlem Tranſilvaniæ Princeps, qui propria induſtria partum Imperium, virtute retinuit, & ſine viciſſitudine for-

Bethlem Gabor moritur feliciter geſtis bellis contra Auſtriacos clarus.

Digitized by Google

A.C. 1629.

Georgius Rakocy renunciatur Princeps Tranſilvaniæ.

tunæ ſolus ſub hoc tempus cum Auſtriacis feliciter bellum geſſit, eiſque clades multas (cæſo Dampiero & Bucquoio Ducibus Cæſarianis) intulit. Ei ſucceſſit in Principatu Tranſilvaniæ favore Turcæ & Procerum Tranſilvaniæ Georgius Rakocy, remota vidua Bethlemi & ejus fratre Iſthuano Bethlem poſthabito.

Daniæ Rex recollectis viribus ſuis ex Holſatia Cæſarianos ejicit.

Lubecæ pax tractatur inter Imp. & Danum.

In Germania cum Cæſariani pulſis toto Imperio ſuis hoſtibus ſecuriores, ſed claſſe deſtituti, circa maritima otioſi hærerent, partemque copiarum ſuarum in Poloniam, partem in Italiam amandaſſent, Daniæ Rex recollectis ſuis, & miſſo Morgano in ditionem Holſatiæ ac Slevicenſem, plurimas ditiones ibi ſuas ejectis præſidiis ipſorum recuperavit. Quod profuit ad tractatum pacis Lubecæ à Delegatis Cæſareis Danicíſque tota hyeme inani labore continuatum, tandem æquis mediis terminandum: Hoc enim Cæſariani permoti, ſeu quod ad ſublevandam Sylvam Ducis ab Hollandis ſub id tempus arcta obſidione cinctam, & in Italiam contra Gallos Duci Mantuano auxilium ferentes, avocarentur, faciliores conditiones pacis, Dano propoſuerant. Et coaluerat illa pax ſub finem Maji iſtius anni tali lege:

Pacis cum Dano & Imp. conditiones.

Daniæ Regis filius retinet Bremenſem Epiſcopatum.

Nempe ut amicitia inter Imperatorem & Danum Regem vetuſta coleretur: Danus rerum Imperii nonniſi uti Dux Holſatiæ curam haberet, & in actionibus regiminis Imperatoris nil corrigeret: Epiſcopatus in Germania non occuparet. Speciali tamen diplomate poſtmodum conceſſerat Imperator ejus filio Friderico Epiſcopatum Bremenſem. *Inſulas Femeram, Nordſtrand, & alia loca intercepta legitimis Dominis reſtitueret; Venſiam, Stormariam, Holſatiam, Iuttiam, Ditmarſiam, Neſuicum & alias ditiones ac loca ab Imperialibus occupata integra reciperet, ſalvo Imperatori jure directi Dominatus ſuper Holſatia, Stormaria, & Ditmarſia. Expenſa utrinque ut compenſarentur, & captivi dimitterentur. Pactis iſtis à parte Imperatoris Rex Hiſpaniæ, Poloniæ, Adminiſtratrix Belgii cum tota Domo Auſtriaca, & Electoribus ac Principibus Ordinibuſque Imperii. A parte vero Dani Rex Galliæ, Angliæ, & Sueciæ, & Ordines Hollandiæ includerentur, ſi eis non contradicerent.*

Ferdinandus Imp. publicat edicta pro reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum.

Germaniæ Provinciæ diripiuntur à milite Imper.

Imper. malle habere ſuos ſubditos pauperes, quam rebelles reſpondent querulantibus Cæſarianis.

Sed contradixerunt iſti ſtatim ob non reſtitutum Palatinum, & Michelburgenſes, ac alios Principes, qua flamma adhuc tunc neglecta paulo poſt tota Germania miſere conflagravit. Auxerunt etiam mox diſſidiorum in Germania materiam edicta Imperatoris ſeveriora, 6 Martii iſtius Anni C. 1629, (propter prolixitatem omittuntur) promulgata, pro reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, & Religione Catholica inſtauranda, diſſidentiumque Religionum pace ad concordiam Paſſavienſem A.C. 1552, & Auguſtanam 1555, tum & ad terminos Confeſſionis Auguſtanæ 1530 reducenda, hoc anno divulgata. Et ſimul inſolens militis alendi introducta ratio, invitis Provinciarum populis eo onere contra præſcriptum antiquarum ſanctionum Imperialium gravatis, idque nulla æquabili moderatione ſervata, ſed licentiæ militaris arbitrio, ut Civitates & Oppida quaſi in prædam datæ, à receptis hoſpitio, ſeu præſidii Imperatorii titulo militibus, ſtipendiorum nomine diriperentur, conniventibus ad omnia eorum Præfectis. Iſti enim non aliud reſponſum dabant ea de re conquerentibus, niſi quod *Imperator mallet ſuos ſubditos habere pauperes, quam rebelles.* Hæc itaque novarum offenſionum cumulata materia non ſolum fovit, ſed etiam accelavit novum belli Palatinalis incendium, à Magdeburgo Civitate celebri ſumpto hoc eodem anno initio. Guſtroviæ (eſt primaria Ducum Michelburgenſium ſedes) deſidebat tunc Valnſtenius Dux Cæſareanæ militiæ, ut Dominatum ſuum in illo Principatu firmaret; & tenebat quadraginta millium exercitum circumcirca per Pomeraniam, Marchiam, Saxoniæque partem diſpoſitum, modum illum emungendi à Civitatibus

Magdeburga motuum initia.

ſtipendia non negligentem. Quo nomine Magdeburga quoque aliquoties magnam vim pecuniæ numeraverat, & tandem fatigata, cum tantis ſumptibus ſe

ſufficere

A.C. 1629.

ſufficere non poſſe reſpondiſſet, eoſque præſtare recuſâſſet, Croatorum Legio cum Præfecto Bechero ad extorquendam hujuſmodi ſolutionem miſſa, omnes tranſitus ad Civitatem inſedit, & multos currus ad mercatum eò venientes diripuit: viciſſimque populus Civitatis arma pro defenſione ſua corripuit, eruptioneque facta, naves aliquot cum commeatu pro uſu Valnſtenii tranſeuntes in Albi fluvio intercepit, & ex vicinioribus ſtationibus, ac ex pago ibi vicino Cracovia Cæſarianos inde Civitati infeſtos imminentes, cæſis prope centenis ejecit: ex eoquè initio res in apertum bellum prorupit. Valnſtenius enim eo ſtatim plures legiones cum Tribuno Cronico direxerat, quæ Civitatem obſiderent, quantumvïs Magiſtratus per Legatos Hamburgenſium & Lubecenſium excuſaverint illum populi errorem ſe inconſulto & invito perpetratum, ac offerret multum auri ut pacem redimeret. Nec alia ratione placari ille voluit, niſi ut reciperet præſidium Cæſareum Civitas, à quo iſta direptionem timens, & magis ne exequi vellet mandata Imperatoris nuper edita pro reſtitutione Religionis Catholicæ ac bonorum Eccleſiaſticorum, extremam defenſionis fortunam maluit experiri, exindeque à Cæſarianis continuo fuit oppugnata exitu triſti, ut ſuo loco apparebit. Paulo ante inchoatum hoc bellum mœnia Civitatis illius ab una parte centum ulnis in longum corruerant, uti & Bransbergæ in Epiſcopatu Varmienſi acciderat paucos ante menſes, quam à Guſtavo Sueco caperetur. Non ſolum autem Magdeburga, ſed & aliæ Civitates Imperiales iiſdem ex cauſis, nempe mutationis Religionis, & expilationis metu turbatæ, pro conſervando ſuo ſtatu varia defenſionis remedia tunc quæſierunt: Hamburgenſes à Tillio, qui Stadæ cum ſuo exercitu ſubſiſtebat, requiſiti ut præſidium Cæſareum reciperent, omnino renuerunt, ac illo munitiones ad obſidendam eam Civitatem extruente, ipſi quoque de milite ſufficiente ad reprimendam omnem vim ſibi proſpexerant: Stralſunda cum Sueco fœdere propterea ſtabilito, ipſius præſidium admiſerat, ac ad finem anni majori numero ibi congregatæ Sueticæ copiæ, Michelburgenſium, Magdeburgenſium, plurimorumque aliorum illius oræ locorum patrocinium ſuſceperant, tota pæne Germania ad earum ingreſſum applaudente, ut infra patebit.

Magdeburgenſes intercipiunt naves Valnſtenii.

Valnſtenius Magdeburgam obſidet.

Valnſtenius reconciliari non vult niſi Magdeburga recipiat præſidium Imper.

Magdeburga mœnia ante inchoatum bellum corruunt.

Hamburgenſes à Tillio coguntur ut recipiant præſidium Imp. ſed nolunt.

Guſtavus Suecus Rex in auxilium Michelburgenſibus Tranſulso venit.

Quod autem attigimus de obſidione famoſa Sylvæducis Civitatis in Zelandia, eam ab ultimo die Aprilis hujus Anni Henricus Vilhelmus Auraniæ Princeps Hollandorum Dux inſtituit, conducto valido & numeroſo exercitu, qualem Hollandi vix aliquando habuerunt, & apparatu bellico ingenti. Maxime autem ibi induſtria militaris & artificia ingenioſa oppugnationis enituerunt, ut omnia plane & antiquioribus bellatoribus uſitata, & à modernis inventa, hæc unica obſidio in perfectione ſumma repræſentârit.

Sylvamducis obſident Hollandi.

Intra decem ab adventu ſuo dies, Dux ille Hollandicus totam Civitatem concluſerat, ab una parte Erneſto Caſimiro, ab altera Guilhelmo Naſſoviis, & à Petleriano propugnaculo Brederodio collocato; caſtraque ſua circumvallavit ducto aggere & foſſa 24 pedes lata, & 8 profunda, in quam etiam Domne fluvium à conſueto intro Civitatem curſu averſum derivavit, ac ita ab extra ſecurus, pluteos & teſtitudines (galeriæ nunc dicuntur) & inde cuniculos ad mœnia Civitatis promovit, quibus obſeſſos non minori fortitudine & ſcientia militari reſiſtentes à propugnaculis extra Civitatem ſitis poſt ſanguinolentos plurimos utrinque congreſſus excluſit, & demum cuniculus ſubter vallum contiguum portæ Vuchtenſi ductus, magno fragore emergens, latum ingreſſum intro Civitatem aperuerat. Vnde deſperata obſeſſi defenſione, ultimo die Auguſti deditionem fecerant. Secundo demum obſidionis menſe Henricus à Berga cum viginti quinque millium exercitu venerat in auxilium Civitati, ſed munitiones Caſtrorum Hollandorum, tanto temporis intervallo operis continuatis firmatas, nulla parte perſtringere

Sylvaducis deditionem facit Hollandis.

Henricus à Berga non poteſt ſubvenire Sylvaducenſibus.

A.C. 1629.

Henricus à Berga cum Cæſarianis auxiliis in Velaviam tranſit.

Veſaliam Hollandi intercipiunt.

gere valuit, & unica ſubſidii ſpe in eorum viribus diſtrahendis avertendiſque repoſita, in Velaviam conceſſerat, quo Cæſarea quoque auxilia cum Comite de Monrecuculi, paulo poſt advenerant, gravem aliquam cladem illi ditioni hoſtili, Vltrajectum & Amſterlodamum uſque præſidiis vacuæ illaturi. Nec caruiſſent optato eventu, niſi fortuna hoc anno magis Hollandis faviſſet: Emiſſæ ab iſtis aliquæ militares turmæ ad obſervandos hoſtis progreſſus, ſummo ſilentio Veſaliam (cujus Gubernator nonniſi de ſecuritate itineris pro conducendo commeatu ad caſtra Hiſpanica ſolicitus, eo bonam partem ſui præſidii amandaverat) in aurora advolant decima nona Auguſti, & ſuperato propugnaculo quodam, necdum perfecto, excubias trucidant, apertiſque portis ædes Gubernatoris illius Civitatis ſtatim occupant, ipſum Gubernatorem capiunt; ac inde alia porta aperta Civitatem ingreſſi, eam totam in poteſtatem ſuam redigunt, cæſis prope centenis Hiſpanis, qui collecti reſiſtere voluerant, reliquis captis una cum magna copia apparatus bellici & annonæ. Cives nullum damnum acceperunt, ſed Mercatorum Brabantinorum facultates in prædam victoribus ceſſerunt, in ſingula militum capita bis mille aureis nummis æſtimatam.

Henricus à Berga Velaviam deſerit poſt captam Veſaliam.

Hoc audito Bergenſis ac Montecuculi Oppida quæ in Velavia interceperant, direpta prius deſeruerunt, veriti maxime ne amiſſo illo unico loco unde in neceſſitate ſublevari potuiſſent, à ſuperveniente Erneſto Naſſovio ex caſtris à Sylvaducis cum magno copiarum numero contra ſe dimiſſo, & à præſidiis Hollandicis vicinioribus circumvenirentur. Atque ita Hollandi anno hoc acceſſione duarum potentium Civitatum rem ſuam auxerunt.

Montmoranzius Privaſii Vgonotorum mœnia ſolo æquat.

Vgonoti & Dux Roanus ad obſequium Regis redeunt.

In Gallia Rupella à Rege capta, Vgonotorum res conciderant, & quamvis in Linguadoca non paucæ adhuc Civitates in eorum nomen tenerentur, tamen expugnato ſummâ vi Privaſio, & ſolo æquatis à Montmoranzio Duce ejus mœnibus, primariiſque Civitatis in crucem actis, reliquæ Civitates territæ, ad obſequium Regis redierunt, venia commiſſorum impetrata; quam Dux quoque Roanus obtinuit, ita ut per triennium extra Regnum degeret. Atque ita corruit ſocietas Vgonotorum, quæ in Gallia partim minis, partim precibus domicilio impetrato, etiam Dominatum Civitatum optimarum & totius Reipublicæ Gallicæ adminiſtrandæ potiores partes ſibi uſurparat, ut Reges illi nonniſi ipſius arbitrio, belli paciſque conſilia agitare, arma ſumere & deponere, & quaſi in diviſo Imperio precario regnare cogerentur. Ea vero ſublata, (plane Herculeus fuit ille labor) quantum acceſſerit potentiæ illorum Regum, conſequentium temporum ſeries docebit: nempe qui olim ſingulis bellis ſuſtinendis (niſi ita Vgonotis placuiſſet) ſufficere vix poterant, paulo poſt ſimul per Germaniam, Burgundiam, Lotaryngiam, Arreſiam, Italiam, Hiſpaniam, terra marique fortes victoreſque exercitus circumduxerunt.

Galliæ Regum potentia aucta Vgonotis ſublatis.

Pax inter Gallos & Anglos inſtauratur.

Galliæ Rex Suſam capit & ipſemet in Sabaudiam venit.

Italia tota ad adventum Regis Galliæ commovetur.

Cum Angliæ Rege pax quoque facile Vgonotorum rebellione ſopita, redintegrata fuit Gallis, & vetera inter iſta duo Regna fœdera reſtituta. Cæterum cum in Italiam anno præterito pro defendendo Mantuano Ducatu ſubſidia Gallica penetrare non potuerint, eo quod tranſitus omnes Alpium Sabaudiæ Dux diligentius cuſtodiret, hoc anno primo vere ipſemet Rex Galliæ cum triginta millium exercitu eo adveniens, clauſtrorum illorum præcipuum Suſam dictum, vi irrumpens occupavit, & toto exercitu ſuo in Sabaudiam introducto, in proximis commodioribus retinendo illi tranſitui locis, propria præſidia diſpoſuit. Ad quam famam commota tota Italia, ſuſpenſis animis, magnam aliquam rerum viciſſitudinem expectabat, propter veteres Gallorum cum Hiſpanis pro Mediolanenſi Ducatu, & Regno Neapolitano controverſias. Magis autem Hiſpanicos Miniſtros inopinatus ille Gallorum adventus terruerat, eo quod propugnacula

prope

A.C. 1629.

Gallorum primum impetum conſilio reſtringunt Hiſpani.

prope omnia, tam circa Mediolanum, quam Neapoli vacua præſidiis eſſent, & vires tunc excipiendo tanto periculo pares non haberent, nec ſatis fiderent populis Italiæ novandarum rerum ſtudio in Gallos propenſis. In diſcrimen igitur armorum deſcendere minus tutum futurum ſibi judicantes, conſilio Gallicum illum primum fervorem reſtrinxerunt.

Sabaudiæ Dux convenit Regem Galliæ Suſæ, & permittit omnia ejus poteſtati.

Iverat Dux Sabaudiæ ſtatim Suſam, & inprimis cauſam propriam cum Mantuano poteſtati Regis permittens, operam ſuam ad componendum omne negotium quod eidem Mantuano cum Cæſare & Hiſpanis intercedebat obtulit, dummodo Rex ultra non progrederetur, & Suſæ rei ex voto ſuo perficiendæ exitum expectaret. Ac effecit ut Rex ibi ſubſtiterit, & tractatu pacis introducto, conditionibus ſatis æqualibus acquieverit. *Præcipue ut Gubernator Mediolani, ab obſidione Caſalis ſtatim recederet, & loca in Montferrato occupata dimitteret, Sabaudus retineret Trinum cum annuo cenſu inde proveniente quindecim millium nummorum aureorum. Cæſar intra Bimeſtre Diploma ſuper Principatu Mantuano & Monteferrati Nivernenſi daret; & Rex Hiſpaniæ intra idem tempus hæc omnia approbaret.*

Hiſpani Galliæ Regi conditiones promiſſas non ſervant, poſtquam primum ejus impetum evaſerunt.

Verum iſtam concordiam nonniſi ad lucrandum Hiſpanis tempus fuiſſe compoſitam, mox apparuit. Imperator enim conditionem illam de dando Nivernenſi diplomate pro Mantuæ Ducatu ſe inconſulto (uti ajebat) ſuſceptam, ratam habere noluit, indignum ducens ut armis ac arbitrio alieno ad deferendum alicui Imperialem ditionem cogeretur: & Rex Hiſpanus reſponderat, ita demum Mantuano ſe pacem daturum, ſi Galliæ Rex Sabaudo Suſam reſtitueret, exercitum ex Italia abduceret: Mantuanus depoſitis armis ſententiam Cæſaris in cauſa juris ſucceſſionis ſuæ Mantuanæ expectaret. Atque hoc modo tractatus illi ad remorandos Gallos arte inſtituti, evanuerant, & Hiſpanis ad præmunienda ſua propugnacula, augendaſque copias tempus fuit datum. Solverant tamen obſidionem Caſalis ſtatim, & ex Monteferrato exceſſerant. Hocque Rex Galliæ ſuffeciſſe ſibi tunc ratus, novo præſidio cum commeatu Caſalium introducto, ac circa Suſam toto relicto exercitu in Galliam redierat, alterius menſis inſuper induciis factis, quibus durantibus Imperator, interceſſorum, præſertim Summi Pontificis Romani cura, ad approbandum illum tractatum pacis induceretur. Sed iſtæ quoque induciæ magis conducendis in Italiam Auſtriacorum legionibus, quam paci conciliandæ ſervierunt. Nam interim Comes Merode, Sultius, Altringer, Oſſa, Galaſſius, Cæſariani Duces Lindaviæ luſtrato triginta millium exercitu cum viginti tormentis & magno apparatu bellico, tranſitus Helveticarum & Rhæticarum Alpium à nemine tunc cuſtoditos interceperunt, eiſque munitis in Rhætiam penetrantes, initio menſis Junii Curiæ, Gallico inde Legato ejecto, ſuum præſidium collocârunt. Hocque modo de libero majoribus ex Germania conducendis copiis tranſitu ſecuri, per Mediolanenſem ditionem in Mantuanum agrum recta tranſierunt. Ab altera parte Hiſpani Neapoli numeroſo milite adducto, & alio Mediolani conſcripto una cum Duce Sabaudiæ Padi ripas inſederant, ut Galli licet in propinquo adeſſent circa Suſam, Caſalium tamen tranſitum nullum haberent. Ambroſium Spinola militia celebrem tunc Rex Hiſpanus ab Aula ſua dimiſſum præfecerat Mediolano & Ducem illo bello, quod reſciſſo omni pacis tractatu proclamatum, maxima ſtudiorum contentione (nempe quo ſummum in Italia rerum arbitrium Hiſpanis vindicaretur) promovebatur. Imperialibus enim Mantuanum territorium hoſtiliter ingreſſis, Nivernenſis Dux fortiter ſe oppoſuit: & cum illi Canneto (Veneti defendendum ſuſceperant) intercepto Mantuam appropinquaſſent, eos ipſe ad finem hujus anni continuis dimicationibus diſtinuit, ac demum & caſtra ipſorum demiſſo lacu inundavit.

Galliæ Rex abit ex Sabaudia prolongatis induciis.

Imp. copiæ in Italiam veniunt.

Hiſpani Padi ripas inſederant tranſitum Caſalium Gallis intercludendo.

Spinola deſignatur gubernator Mediolani & Dux belli ad Caſalium.

Veneti amittunt Cannetum quod cuſtodiendum ſuſceperant.

Sicque

A.C. 1630.

Nivernenſis Cæſarianos rejicit ab obſidione Mantuæ.

Sicque illi prope quinque mille partim cæſis, partim aquis ſuffocatis ex ſuis amiſſis à Mantua tunc receſſerant, & in Mutinenſi, Regienſi, Placentino, ac Cremonenſi tractu ſumptis hibernis, non minus quam in hoſtico extorquendis ſtipendiis & commeatu populos divexârunt.

Annus Chriſti, 1630.

Veneti auxiliares Mantuæ apud portum à Cæſarianis fuſi.

Mantuam proditione gubernatoris Cæſariani capiunt.

Nivernenſis Dux Ferrariam deditâ Mantua abit.

Spinola Caſalium obſidet.

Torraſius Hiſpanis apud Caſalium cladem infert.

Octavius Sforza apud Caſalium cæſus.

Pinarolum Galli capiunt.

Galli apud Pondeſturam prælio Hiſp. vincunt.

Maſſarinus Pont. Legatus facit conditiones induciarum circa Caſalium.

IN Annum autem ſubſequentem Milleſimum, Sexcenteſimum Trigeſimum, iterum Imperiales Duces ab una parte contra Mantuam, ab altera Hiſpanici cum Spinola novo Mediolani Gubernatore ad expugnandum Montferratum & Caſalium arma converterunt. Ac illi quidem aucti novis copiis ex Germania magno numero primo Vere conductis, poſtquam Venetorum copiarum Ducem (belli imperitum) apud Portum fugârant, Nivernenſem intro Mantuam compulerunt, & non multo poſt proditione Præfecti tunc illius Civitatis, quaſi auxiliares à Venetis adventantes in Civitatem admiſſi, eam ceperant, & ſpoliârant, Duxque Nivernenſis pacta ſibi Ferrariam tranſeundi ſecuritate, etiam Arcem ipſis dimiſerat, ejus vero filii Principis uxor ſalutem quæſierat fuga ad Monaſterium Monialium deducta: poſtea tamen fuit permiſſa libere citra injuriam ad maritum abire. Hocque modo totum Mantuanum territorium devenerat in Imperatoris poteſtatem. Sed Spinola circa Caſalium difficiliorem fortunam eſt expertus; præſidium enim Gallicum ejus loci, cui cum Imperio militari præerat Comes Torraſius obſidionem illam fortiſſimum tota æſtate ſuſtinuit, & eruptionibus continuis magna damna oppugnatoribus intulit, plurimis cæſis inſignioribus, inter quos perierat Marchio Malaſpina Præfectus Italici equitatus, & Octavius Sforza, ac ipſemet Spinola ex mœrore conceperat morbum lethalem, & Hiſpani non pauci occubuerant: Gallicus etiam exercitus interim Pinarolum & Marchionatum Salutii, ac plura loca Sabaudiæ Ducis ceperat, ut haberet quo Nivernenſis damna commutaret: & demum menſe Auguſto progrediens in auxilium Caſalienſibus, apud Carignanum & Pondeſturam prælio commiſſo Hiſpanos profligavit; Ponte tamen ab iſtis fugientibus disjecto, Padum ut Caſalium perveniret ſuperare non potuit, & priuſquam tranſitum ſibi comparâſſet, Legatus Summi Pontificis Iulius Maſſarinus tempus habuit ad pacificationem inchoandam, brevibus induciis ab utraque parte impetratis conditione tali: *Nimirum ut Galli Caſalii Citadellam retinerent, Hiſpanis vero* (ne nimirum iſti jacturam exiſtimationis ſuæ facerent ſi obſidionem nullo profectu ſolviſſent) *oppidum cederent poſſidendum ad quindecimam Octobris, ad quam ſi Gallis in præſidio illius Citadellæ manentibus ſubſidia veniſſent, iterum Hiſpani oppidum & Arcem ipſis reſtituerent, ſi vero non venirent etiam Citadellam totumque Caſale Hiſpani obtinerent.* Ad ſpeciem potius compoſuerat Maſſarinus concordiam hujuſmodi, ſaltem ut arma ſiſteret, donec ſanciretur ab Imperatore pax firma, quæ jam in Comitiis Germaniæ Ratiſbonæ per Oratorem Galliæ Regis Carolum Brulardum, ac Frà Ioſephum profeſſionis Capucinorum tractabatur: Et juxta eam introducti fuerant Hiſpani in oppidum & Arcem Caſalienſem, Gallis Citadellam retinentibus: & cum terminus induciarum in proximo adeſſet, ac Galli ſuum exercitum apud Polangaram Pado trajecto ad ſublevandum Caſſale adduxiſſent, reddique ſibi ex pacto oppidum cum Arce ab Hiſpanis vellent, eo magis quod Rex Galliæ pacis formulam Ratiſbonenſem non probaret, iterum idem Legatus Pontificius concurſum armorum (habebant Hiſpani in promptu vires quibus potuiſ-

A.C. 1630.

Maſſarini Pont. Legati conditiones aliarum induciarum circa Caſalium.

potuiſſent prohibere inferri Caſalium auxilia, licet uti condixerant Gallis Citadelam tenentibus, oppidum arcemque ceſſiſſent) alia ingenioſa pactionis regula diremit. *Nempe ut æque Galli Cittadela, atque Hiſpani oppido Arceque excederent, & filius Ducis Nivernenſis ſecundogenitus Dux Vmenæ totum Caſalium teneret jurejurando interpoſito, quod eum locum in nomen Cæſaris cuſtodiret, neminique traderet, niſi ei cui Cæſar tradendum juberet.* Dubia vero quæ ſupererant circa abducendum ex illis partibus militem, compoſuerant Delegati Gallici, & Sabaudiæ arbitro eodem Legato Pontificio & Marchione Sancrucio vices Gubernatoris Mediolani poſt Spinolam (quindecima Septembris prope Caſalium in Caſtello Scriviæ defunctum) gerente. Atque ita conquieverat tunc furor ille armorum in Italia: Verum peſtis à Germanis introducta duravit ibi in longum tempus, & crudelius afflixit pæne totam Italiam, præſertim Lombardiam, Venetias, Paravium, Parmam, Placentiam, multa parte Florentiam, Neapolim, in quibus locis major pars plebis, & ex ditioribus numerus non exiguus tali labe interiit: ſola ditio Eccleſiaſtica minus eam calamitatem ſenſit, exquiſitiori adhibita ſeveritate in non admittendis commerciis, & advenis ex locis ſuſpectis, niſi prius quadraginta dierum ſpatio (experimentum peſtis extinctæ certiſſimum) ſub aëre puro eos degentes, nullo morbo laborare appareret, & merces ventilarentur: literas papyraceas non recipere infectionem, niſi filum canapeum vel ſericeum quo ligarentur, communis eſt opinio.

Spinola circa obſidionem Caſalis moritur.

Italia gravi peſte à Germanico exercitu infecta.

Peſtis extincta experimentum certum 40 dierum.

Literæ papyraceæ non inficiuntur peſte.

Quod autem attigimus de formula tractationis Ratisbonenſis ſuper lite Mantuana, illa fuit talis:

Ratisbonæ ſtabilita conditiones pacis pro Ducatu Mantuano.

Primo, ut Rex Galliæ Imperii ſtatum nullo modo laceſſeret, hoſtibus & rebellibus Imperii ac Domus Auſtriacæ auxilia non daret. Et viceverſa ab Imperatore nil ſimile contra ipſum tentaretur.

Sabaudiæ Duci propter ipſius prætenſa jura, Trinum cum locis quorum cenſus annuus 15000 aureorum nummorum Italicorum æquaret, cederet. Lotaryngiæ Duciſſæ cauſa ratione hæreditatis Mantuanæ amica conciliatione vel Cæſarea deciſione, adhibita Electorum ſententia intra ſemeſtre componeretur, & Carolus Gonzaga (Nivernenſis Dux) omne quod ibi in eadem cauſa ſtatutum eſſet, adimplere teneretur: ſin minus Cæſareæ executioni, abſque pacis hujus præjudicio ſubjaceret.

Duci Guaſtellenſi ob ejus prætenſa jura in Mantuana ſucceſſione annui 6000 aurei nummi, ſeu loca quorum cenſus annuus hanc ſummam æquaret, addicerentur.

Carolus Dux Cæſarem deprecaretur. Hoc facto Imperator Pontifice & Rege Galliæ intercedentibus, ex gratia ipſi Diploma ſuper ditionem Mantuæ & Montferrati intra ſex ſeptimanarum ſpatium daret, & inde intra quindecim dies, loca occupata ipſi à Delegatis Imperatoris conſignarentur. Ac Imperator ipſum contra hoſtes ſuos, qui ei in hoc Principatu moleſtiam facerent, tueretur.

Confirmatis utrinque his articulis, & Tribunis militaribus in Italia ſignificatis, hoſtilia omnia intermitterentur. Et Imperator intra quindecim dies, aut intra tempus ab utraque parte interim in Italia conſtitutum, copias (in Mantua & Canneto præſidiariis quantum opus eſſet relictis) ex Mantuana ditione abduceret. Idem Galliæ Rex (Pinaroli, Bricaraſiæ, Suſæ, Aviglianæ tantum ſuis præſidiis relictis,) faceret, & Dux Sabaudiæ milite ſuo è Montferrato educto, Trinum retineret.

Caſale & alia in Montferrato loca Duci Carolo redderentur; ſi vero à Tribunis militaribus in Italia de munitionum demolitione ante tractatum horum ſubſcriptionem aliquid concluſum eſſet, id ratum haberetur.

Hiſque demum impletis, Imperator Mantuam & Cannetum Duci Carolo redderet. Similiter Rex Galliæ Pinarolum, Bricaraſiam, Suſam, & Aviglianam Sabaudiæ Duci reſtitueret, munitionibus de novo utrobique extructis ſolo æquatis.

A.C. 1630. *Imperator primo tempore tranſitus Vallis Tellinæ & Rhetiæ in priſtinum ſtatum reſtitueret hac lege, ut munitiones illarum Regionum ab alio occupari non debeant.*

Pro majori certitudine Pontifici vel Magno Duci Hetruriæ ſeu alicui Principi Germaniæ Catholico ab utraque parte obſides ſiſterentur, ibique ad completum hunc tractatum morarentur: & ſi ab altera parte aliquid in eo violari contigerit, illius obſides alteri traderentur.

Hac concordia Veneti quoque includerentur: ita tamen ut contra Imperatorem & Imperium Romanum nihil moliantur, & militem dimittant.

Alterius tractatus in Italia forte interim initi contenta, præſenti confirmarentur.

Controverſiæ cum Rege Galliæ de Civitatibus & Epiſcopatibus, Mediomatricum Divoduri ſeu Metenſe, ac Leucorum Tullo, tum Viroduno, Goritia, Abbatia cum aliis locis occupatis, paci huic non præjudicarent, & in aliud tempus rejicerentur, abductis utrinque copiis militaribus.

Cum etiam Dux Lotharyngiæ durante hoc bello copias collegerit, hoc tractatu comprehenderetur. Injuriæ omnes ſub hoc bello hinc inde illatæ, oblivione delerentur, & occupata utrinque ſuis Dominis redderentur, ac captivi liberi dimitterentur.

Chieraſci iterum tractatur pax pro Sabando & Mantuano.

Circa iſta vero ortis aliquibus dubiis, nempe quod Rex Galliæ vellet exprimi quinam hoſtes Auſtriacorum eſſent intelligendi, & nollet dividi hæreditatem Mantuanam in partes pro Duce Sabaudiæ & Guaſtallenſi, Legatus Pontificis Maſſarinus effecit, ut nihilominus ab armis utrinque abſtineretur, & Montferrati loca utrinque abductis copiis libera relinquerentur, cuſtodienda nobilibus illius ſtatus ad deciſionem Cæſaream. Et paulo poſt ambarum partium & Principum arbitrorum Legati Chieraſci in Pedemonto convenientes, poſt longas controverſias illa dubia ſopiverunt, ac correctis nonnullis punctis utriuſque propoſitionis, tandem pacem firmam concluſerunt in anno proximo, ut tunc adnotabimus.

Sabaudiæ Dux Emmanuel moritur.

Sub finem hujus anni Emmanuel Carolus Sabaudiæ Dux ſeptuagenarius morte obita quievit, in vita nunquam quietus, & nunc Hiſpani nunc Galli partes ſecutus, quo ipſum vel cupido bellorum, vel ſpecies commodi pertrahebat. Reliquitque ſucceſſorem in eo Principatu Victorium filium ſuum primogenitum.

Vrbini Dux moritur & ditionem ſuam relinquit Pontif. Romano.

Vrbini Ducis nepti. Duci Florentiæ deſponſata.

Deceſſerat & Vrbini Dux poſt expletum octuageſimum tertium ætatis ſuæ annum, ultimus ex Familia Rovere Sixti Papæ IV, à quo Principatus Vrbini in illam Familiam introductus, iterum poſt mortem iſtius Ducis rediit ad Pontificatum Romanum. Peculii vero ejus locupletiſſimi hæreditas ceſſit fœminæ Nepti illius ex filio unico immature defuncto ex Claudia Medicea genitæ, quæ Florentiam conducta juveni Magno Hetturiæ Duci Ferdinando deſponſata fuit, ibique enutriebatur.

Guſtavum Sueciæ Regem venientem German. Civitates pro defenſore ſuſcipiunt.

In Germania domeſticum bellum tot victoriis Cæſaris & pace cum Rege Daniæ facta pæne oppreſſum, novæ turbæ ex Suecia ut diximus, accitis armis inſtaurârunt. Duravit enim in hunc annum tumultus Civitatis Magdeburgenſis, & Sueciæ Regem Guſtavum cum apparatu ingenti bellico advenientem non iſta tantum, ſed plurimæ aliæ Pomeraniæ, & Marchiæ Civitates eodem quo & illa malo commotæ, uti defenſorem ſuum lætæ ſuſceperunt. Ac primum Stralſunda fœdus in defenſionem ſuorum Privilegiorum cum eo pepigerat: & inde tanquam è præcipua belli ſede exercitus Sueticus in plures illarum Regionum partes dimiſſus, obvia quæque non proxima tantum, ſed & longinquiora ſumma celeritate

Digitized by Google

A.C. 1630.

ritate & facilitate (cum Civitates eum ſponte admitterent) occupabat. Ex Rugia primum Cæſarea præſidia ejecerat, & progreſſus ad portum Peinemundanum ac Volgaſtenſem, eum nullo negotio in poteſtatem ſuam redegit. Moxque adverſi fluvii Oderæ littora legens Vſedoniam Inſulam, Volliniam (Iulinum olim celebre emporium) ac paucos poſt dies Stetinum cepit, Ducemque Pomeraniæ Boguſlaum adegit, ut cum omnibus ſuis Provinciis in ſocietatem ejus conceſſerit. Ab altera quoque Stralſundæ parte portum Ribnicæ, Damgartenſem, & in proximo Trubſeſſium intercepit, Michelburgenſemque Principatum intra paucos menſes pulſis Valnſtenianis præſidiis, ad obſequium Ducis naturalis revocavit; præter Roſtochium & Viſmariam, Gripſualdam, ac pauca alia loca, quæ aliquanto diutius teſtiterunt. Tantus autem flammarum erumpentium impetus cum à Ratisbonenſibus Comitiis hoc anno, ut alias attigimus, celebratis cohiberi adhuc potuiſſet, veluti ſuffuſo oleo magis impulſus, totam Germaniam corripuit. Quod priuſquam referamus Comitiorum illorum Ratisbonenſium ſeriem breviter perſtringemus. Præcipuus fuit eorum ſcopus, ut filius Imperatoris Rex Vngariæ, in Regem Romanorum eligeretur: ad quod Electores animos applicare noluerunt, niſi prius pax in Imperio componeretur, & onera quibus gravarentur ſtatus Germaniæ tollerentur: nempe ut ſopiretur bellum Italicum, reſtitueretur Palatinus, aliique Principes præſertim Michelburgenſes, ac mandata Cæſarea pro Reſtitutione Religionis Catholicæ ac bonorum Eccleſiaſticorum, & cum primis novus modus introducendi in Provincias militis, & extorquendi ſtipendia abrogaretur. Ad iſta itaque omnibus deliberationibus illorum Comitiorum converſis, bellum Italicum ut diximus, utcunque conquieverat. Anglico vero Legato pro Palatino deprecanti, conditiones reconciliationis propoſitæ fuerant, ut Palatinus Cæſari ſe ſubmitteret, veniamque commiſſorum ab ipſo peteret, Boëmiæ Regno pro ſe & ſuis poſteris renunciaret, Electoratu ſe abdicaret, & à Societatibus fœderibuſque quibuſvis abſtineret.

Rugiam capit Suecus.

Pomerania maritima apud Odera oſtia Suecus capit.

Iulinum antiquis in Pomerania nunc Vollinia dicitur.

Pomerania Dux Boguſlaus convenit cum Sueco.

Michelburgenſem ditionem capit Suecus pulſis Valnſtenianis.

Comitia Ratisbonæ Imp. celebrat.

Electores nolunt eligere Regem Rom. niſi pax reſtitueretur Germaniæ.

Palatino conditiones propoſita pro reconciliatione Imper.

Cumque Legatus Anglus urgeret, ut ille pro commodiori negotii totius tractatione à proſcriptionis vinculis inprimis liberaretur, & declarari peteret, quidnam adimpletis dictis conditionibus de reſtitutione ſui ſtatus ipſi ſperandum eſſet, reſponſum accepit; tum demum poſtquam illas conditiones præſtiterit, eum abſolvendum fore à proſcriptione, habiturumque ab Imperatore ex iis ditionibus Palatinatus, quas Adminiſtratrix Belgii tenet, proviſionem alimentorum quæ Principem decerent. Nec aliud impetravit ille Legatus: & indignum ducens illam Palatini reſtitutionem tam anguſtis alimentorum cancellis conſtringi, eam repudiavit, reque infecta diſceſſit. Multominus elici potuit reſtitutio Michelburgenſis Principatus, in quo Valnſtenius jus ſibi jam quæſitum fuiſſe prætendebat. Immo ſub hoc tempus paſſim per Imperium bona aliorum quoque plurium qui contra Imperatorem militaverant, ab ejus ad hoc Delegatis fiſco Imperiali applicabantur. Circa Decretum pro reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum publicatum, Imperator immutare nil voluit, & Virtembergenſi Duci conquerenti quod octo millia armatorum pro executione illius Decreti in ſuas ditiones hoſtiliter tunc intrâſſent, reſponſum dedit; quod inde diſceſſuri non eſſent, niſi Dux illi Decreto paruerit. Privato tantum nomine Catholici promiſerant, quod Francofurti in brevi convenire, ac amice de tali controverſia tractare deberent. Contra novum abuſum imperandi Provinciis & Civitatibus immenſa tributa prout liberet militari aviditati, æque Catholicorum atque Diſſidentium graviora lamenta audiebantur: Vnde eo magis permotus Imperator, talis inſtituti authorem Valnſtenium, & in quem præcipue querelæ illæ colli-

Anglia Legatus conditiones reconciliationis Palatini rejicit.

Imp. fiſco rebellium bona in multis locis applicantur.

Imp. nil immutari vult circa ſuum edictum de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum.

Valnſtenio abrogatur Præfectura militaris.

A.C. 1630. collineabant, (odiis Ducis Bavariæ maxime petebatur) generali militari Præfe-ctura abdicavit. Cautum quoque fuit Comitiali Decreto ut exercitus imminueretur: Legiones ad certum numerum reducerentur: nullum novum bellum abſque Electorum conſenſu ſuſciperetur; & tributa pro alendo milite nonniſi in Conventibus Provinciarum ad hoc celebrandis peterentur, ac decernerentur. Sed cum Bavariæ Duci Præfecturam illam generalem militarem, pro fideliori talis decreti obſervatione committi Electores poſtularent, & Imperator renueret, majoris diffidentiæ anſam inde arripuerunt, & pacificatione univerſali, quam à Comitiis illis exſpectabant deſperata, omnes Germaniæ Ordines magis turbari cœperunt. Sub finem Comitiorum initio Novembris conjugem ſuam Leonoram Gonzagæam Mantuanam Imperator corona Imperiali coronari fecerat. Sicque Comitiis ſolutis redierat Viennam, nullum periculum ab iſtis novis ſimultatibus prævidens, præter bellum cum Sueco, quem revocatis ex Italia copiis parvo negotio, ut nuper Danum ſuperandum fore perſuaſum habebat. Verum ut primum Elector Saxoniæ Lipſiam ad menſem Februarium anni proximi omnibus diſſidentibus in Religione ad deliberandum de tollendis præjudiciis publicis Ratisbonæ propoſitis, Comitia indixerat, eo claſſico tota Germania ad novandas res concitata, Imperatoris rationes difficiliores propterea paulo poſt futuras apparuit. Plurimi enim exinde ad fœdera cum Sueco jungenda concurrebant, eoque erectus ille majori fiducia in remotiores à Mari Baltico Germaniæ ditiones arma ſua promovit, & ſub finem anni hujus Griffenagam, ubi bis mille quingenti præſidiarii Cæſariani erant, vi cepit, una cum Ferdinando Capua illius præſidii Præfecto, qui Stetinum abductus, ibidem ex vulneribus obiit. Gartzio quoque Comitem Schavenburgicum cum præſidio excedere coëgit: Colbergam quam ſolam in Pomerania Cæſariani retinebant, obſideri fecit; & intra paucos dies meliorem partem novæ Marchiæ obtinuit, continuavitque ex Cæſarianis tota hac hyeme victorias, & auxit ſuas vires fœderatorum ad eum concurrentium numero in dies creſcente, ut in anno ſubſequenti conſtabit.

Principes Germani novas diffidentias concipiunt ex Comitiis Ratiſbonen.

Leonora Gonzagæa coronatur Imperatrix.

Elector Saxoniæ indicit Lipſiæ Conventum Diſſidentibus.

Sueci Regis felices in Pomerania & Marchia progreſſus.

Hiſpani hoc anno magnam jacturam fecerunt in America, amiſſo ibi Ferambuco portu præcipuo, quem Hollandi Duce Vartemburgio ex inopinato aggreſſi, poſt brevem oppugnationem interceperunt, excitariſque magna diligentiâ novis operis munierunt, ut non tam facile recuperari poſſit. Omnes etiam Provinciæ illius incolas ad ſocietatem ſuam attraxerunt, libertate ac ſecuritate poſſidendi bona ſua tanquam ſi eſſent indigenæ Hollandici ipſis ſtipulata, dummodo mutuas vires ad propulſandum Hiſpanos advenientes conferrent. Pacem autem Hiſpanus Rex cum Rege Angliæ, eouſque ſolicite tractatam, tandem hoc anno concluſit, tali formula:

Ferambucum in Americam Hollandi capiunt.

Vt hoſtilia utrinque intermitterentur: Commercia terra marique eſſent libera, & portuum uſus tam Hiſpanis in Anglia, quam Anglis in Hiſpania, etiam navibus præſidiariis aliqua tempeſtate jactatis, dummodo non plures quam ſeptem vel octo ſimul accederent, & prius Magiſtratui loci cujuſque ſui adventus cauſam ſignificarent, ac Angliæ Rex nihil quod ad Hollandos ſpectaret in ſuis navibus in Hiſpaniam deferri permitteret.

Angliæ Rex facit pacem cum Rege Hiſpaniæ.

Nuptialibus quoque curis Hiſpani hoc anno vacârunt, ſorore Regis Maria ad ſponſum ſuum Vngariæ Regem expedita. Quæ Barcellona ſolvens, Neapolim primum conceſſerat, ac ibi aliquot menſes commorata, & ad iter terreſtre longinquius inſtructa, Loretum rectâ, Roma omiſſa petiit: ubi Regio ſplendore à Thadæo Barberino Nepote Summi Pontificis tractabatur, & acceptis honorariis pretioſis à Pontifice & Cardinalibus inſignioribus tranſmiſſis, ſub finem anni Anconam ivit. Inde vero duodecim triremibus à Venetis ſubminiſtratis, Trie-

Maria Hiſpana ad Sponſum Regem Vngariæ proficiſcitur.

ſtam

ſtam trajecit, & excepta ibi ab Archiduce Leopoldo Viennamque deducta, initio anni proximi, magnificentia tantis nominibus convenienti, nuptias cum ſuo ſponſo celebravit.

A.C. 1630.

Maria Sponſa Regis Vngariæ venit Viennam.

In Polonia hoc anno induciis cum Sueco factis omnia erant tranquilla, præter quod miles ob ſtipendia non ſoluta ad ſeditionem propendebat: quod præcavens Præfectus militaris Koniecpolski, interim donec pecuniæ ad hoc in Comitiis præteritis deſignatæ contribuerentur, cohortes ſingulatim in diverſa longinquiora ſtativa diſtribuerat.

Coſaci concitantur ad ſeceſſionem.

Accidit autem cum in tractu Kijovienſi (præcipua Coſacorum ſede) aliquæ hoſpitia ſumpſiſſent, quod Coſaci (Archimandrita Kijovienſi Schiſmatico eam ſuſpicionem ipſis movente) veriti ne ad ipſos extirpandos, ſeu in Ordinem reducendos totus exercitus ex Pruſſia converteretur, tumultum concitârunt. In quo Præfectum ſuum Hriczkonem à Rege conſtitutum, motum illum ſedare contendentem trucidârant, inſimulatum quaſi cum Regiis ſtipendiariis in eorum perniciem conſenſiſſet. Aliquas etiam cohortes Regias in ſuis ſtationibus hibernantes invaſerunt, præſertim Laſcii, Lanckoronii, Sladkovii, & plurimis ex eis cæſis, ac reliquis locum mutare coactis, omnia impedimenta ipſorum diripuerant. Neque hic quieverunt, ſed convenientibus ad eas partes juſſu Koniecpolſcii, ad cohibendam illam inſolentiam, omnibus copiis Regiis, ipſi quoque electo ſibi novo Duce *Târas* dicto, magno numero concurrerant, Caſtraque ſua oppoſuerunt Koniecpolſcio, qui trajecto apud Kijoviam Boriſthene, circa Pereſlaviam demum ipſos fuerat conſequutus. Tandem tamen, poſt multos ſanguinolentos conflictus, in quibus ex Regiis præter milites gregarios, Equites Nobiles plures quam toto bello proximo Pruſſico (trecenti numerabantur) ciciderant; & rari non amiſerant meliores equos, miſſo ex caſtris ſuis (bene munita habebant) ad Koniecpolſcium Nuntio, veniam erratorum petierunt, ac obtinuerunt tali lege, ut authores criminis ad Comitia proxima mitterent arbitrio Regis puniendos, Duci ſuo quem idem Koniecpolſcius ſtatim illis præfecerat, obedientes eſſent, & fidem atque ſubjectionem Regi jurarent. Atque ita inconditum illud militiæ vulgus ad obſequium redierat.

Coſaci poſt ſanguinolentos conflictus redeunt ad officium.

Verum ſtipendiarii Pruſſici hac occaſione congregati, colloquia miſcendi de ſeceſſione facienda, ob non ſoluta ad tempus præſtitutum ſtipendia commoditatem habuerunt, & vix finito cum Coſacis tractatu, indixerunt ſibi Conventum apud Gliniány, ubi ſocietatem ſeu fœderationem inirent, non pro illis ſtipendiis tantum, ſed & pro damnis ex jactura equorum in illo bello acceptis à Republica repetendis. Iamque elegerant ſibi Mariſchallum Iaroſium Wilinski, & alios Præſides talis ſocietatis ad inſtar fœderis militaris belli Moſchovitici, & Turcici Chocimenſis, quod una cum calamitatibus tunc Regno illatis veluti redivivis repræſentare decreverant.

Milites à bello Pruſſico ſtipendia flagitant.

Sed hanc quoque commotionem, Sigiſmundi Regis publicæ ſalutis cura prohibuit: ſtatim enim expeditis ad Conventum illum Delegatis ſuis, qui & prece & precio delinitis anteſignanis, moram brevem pro ineundo debitorum calculo & pecunia numeranda impetrarent, ex peculio Reginæ proprio magnam pecuniæ ſummam depromi fecit, & aliam in fidem publicam à privatis (etiam depoſito Ducis Zaſlavienſis in Prætorio Leopolienſi Delegati Regii manus injecerant) mutuari, hacque publicæ pecuniæ adjuncta, debitum illud militare, reſciſſa damnorum quæ prætendebatur compenſatione, præter ſpem omnium fuerat exſolutum. Satisfactionem tantum Cæſarianis Arnhemianis, quam Valnſtenius importunius & pæne exprobratoriis literis exigebat, tantiſper donec ex proximis Comitiis provideretur, oportuit differri, monito Valnſtenio de auxiliis majoribus

Militis Pruſſici ſeceſſio ſedatur ſolutione ſtipendiorum.

Valnſtenii exprobrationi reſpondetur Imp. majora auxilia accepiſſe ex Polonia quam præſtitiſſe.

ex Po-

A.C. 1630. ex Polonia bello Cæſariano citra exprobrationem & mercedis duriorem repetitionem ſuppeditatis. Et quidem à Comitiis præteritis decreta tributa omnibus iſtis oneribus ſufficere poterant, niſi ſorices ærarii communis, nervum hunc Reipublicæ arroderent, inveterato rei privatæ ex publico cenſu augendæ ſtudio, quem errorem omnes in hac Republica palam norunt, & in ſingulis Comitiis perpetuo deplorant, & nunquam corrigunt.

Piaſeczynski Legatus ad Turcam mittitur.

Aliquid periculi expectabatur hoc anno à Tartaris, qui cladem nuper apud Burſtinowo acceptam vindicaturi ferebantur. Sed miſerat Rex in Turciam Legatum Alexandrum Piaſeczynski Præfectum Vlanovienſem, ut Turcam admoneret pactorum recens initorum, quæ incurſionibus Tartaricis violarentur. Ac obtinuerat ibi reſponſum, quod prohibendæ eſſent hujuſmodi irruptiones Tartarorum, dummodo Coſaci quoque à pyratica in Euxino mari abſtinerent. Legatus

Zbaraſcii profuſio in Legatione Turcica obfuit Legatis minus profuſis.

iſte non parum habuit negotii ab initio cum Turcis, qui ipſum non ut Legatum, ſed ut Nuntium vulgarem ſeu tabellarium tractare voluerant, eo quod non cum eo ſplendore ut Chriſtophorus Zbáráwski paucos ante annos (prima hæc fuit Legatio poſt Zbáraſcianam) comparuiſſet. Et tunc primum conſtitit quantum præjudicaverat illa Legatio Zbaraſciana ſucceſſoribus Legatis largitione profuſa, qua ineſcati Turcæ Legatos minus liberales contemnerent.

VVolowicz Epiſcopus Vilnenſis vir inſignis obiit. Chmielecius qui toties Tartaros prælio vicit moritur Synanchia.

Clarioribus viris non paucis hic annus fatalis fuit. Nona Ianuarii obierat Euſtachius Wołowicz Epiſcopus Vilnenſis Lithuanici nominis ob ſuavitatem morum ſingulare decus. Menſe vero Februario Synanchia extinxit repente Stephanum Chmielecki vix dum ad Palatinatum Kijovienſem evectum, bellatorem fortiſſimum, qui apud Białaczerkiew, & iterum apud Burſtinowo à longo ſæculo non auditam cladem Tartaris intulit; & alibi ſæpius, licet minori numero eos feliciſſime profligavit, primuſque docuit gentem illam fugiendo pugnare adſuetam prælio poſſe ſuperari, ac nullus hac ætate gloria militari æque floruit, vel ſui deſiderium majus in univerſali iſtius gentis opinione reliquit.

Invidiam tamen majorem incurrit apud militares Optimates, qui virtutem ſuam bellicam æſtimari volunt ex lauto menſarum in Caſtris apparatu, & ſatellitio quod (non raro impenſis miſerorum agricolarum) circumducere ſolent numeroſum, ignaviam vero ſuam excuſant pernicitate Tartarorum, quam miles (inquiunt) gravioris armaturæ conſequi non poteſt. Chmielecium ſecutus eſt menſe

VVolſcius Mariſcallus Poloniæ viator perpetuus moritur.

Martio Nicolaus Wolski Mariſchallus Regni, octuagenarius viator etiam in extrema ſenecta perpetuus, & nullo non anno in Italia vel Germania peregrinus. Nec multo poſt menſe Aprili deceſſerat Martinus Szyskowski Epiſcopus Cracovienſis, ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto anno, vir ingenio ſagaciſſimo, & quamvis utraque aure ſurdus, ad miraculum tamen nullus eo in publicis Regis & Reipublicæ negotiis curioſior, ac nullus ſolertior in curanda re privata & propinquorum,

Andreas Lipski Martino Szyskowski in Epiſcopatu Cracovienſi ſufficitur.

ubique magnificentia & munificentia ſingulari ſervata. Ei ſucceſſit in Cracovienſi Epiſcopatu favore Reginæ Andreas Lipski, Epiſcopatu Vladiſlavienſi Matthiæ Łubienski Epiſcopo Poſnanienſi relicto. Peſtis autem præterito ex bello Pruſſico allata, hoc anno acerbius in tota pene Polonia invaluit, propter quam & Comitia ad menſem Octobrem Varſaviam indicta, transferri debuerunt ad initium

Sigiſmundus Rex Poloniæ Tikocinum recedit propter peſtem.

anni proximi, & Rex cum Regina ac filiis ad locum tutiorem Osieczkum ſecedere coactus, eo quoque eadem labe paulo poſt irrepente, Tykocinum tranſivit, ibique manſit, donec frigora hyemis gelidioris illam vim tabificam reſtrinxerant.

Annus

Annus Chriſti, 1631.

A.C.1631.

Comitia Poloniæ Varſaviæ 1631.

AD finem itaque menſis Ianuarii Anni Milleſimi, Sexceneſimi Trigeſimi Primi, demum redierat Rex Varſaviam, morbo articulari identidem recurrente debilitatus. Eo tamen negotia publica nunquam intermittebat, & Comitiis menſe Februario inchoatis, quantumvis languens præſidebat continuè. In quibus præcipuè de eliberanda fide publica pro conquiſitis pecuniis ad ſolvendum æs Caſtrenſe obligata, & de retentis Cæſariano militi ſtipendiis ſolvendis tractabatur. Ac concoi dibus Ordinum ſtudiis, collecta Fumalis ad hoc fuit decreta. Querelas quoque publicas in diverſis Comitiis anteactis agitatas, & eouſque dilatas Rex ſopivit tali ſatisfactione. Diploma ſuper libera genti iſti Electione Regis Anno 1607.in Comitiis Rokoſſianis datum, quo palam omnibus innoteſceret in Volumen legum publicarum inſeri fecit, idque lege publica iterum approbavit. Legem ſancivit, ne bona Nobilium terreſtria nuncupata, alius quam Nobilis & æqualiter juri & pœnæ cum aliis Nobilibus ſubjacens (nempe qui non ſit Regii ſanguinis nomine iſto honoris cauſa ſuppreſſo) emptionis, hypothecæ, ſeu alio quovis titulo acquirere poſſit, & Zywiecenſem Comitatum quem Regina emerat, cuivis Nobili redimere liceret: Interim autem illa poſſeſſio nonniſi per Præfectum Nobilem ex gente Polona adminiſtranda eſſet. Pro Epiſcopatu verò Varmienſi (licet hæc quæſtio ſopita jam fuiſſe videbatur) aliam legem tulit, ut in poſterum dignitates ſimiles nonniſi Regnicolis Nobilibus æqualitate juris & pœnæ Nobilis Ordinis gaudentibus conferri deberent, & Diplomate ſuo ad Archivum Regni tradito cavit, quod ejus filius Ioannes Albertus Princeps Epiſcopus Varmienſis, Regno huic fidem ſuam cum ad ætatem maturiorem & Sacerdotio idoneam perveniret jurejurando obligaturus eſſet. Compoſitionem demum controverſiarum Eccleſiaſticorum cum Ordine Equeſtri arbitri utrinque deſignati tractandam ſuſceperant, & nonnulla pro conſervanda pace Diſſidentibus in Religione ac pro conſtitutione melioris monetæ fuerant decreta.

Sigiſmundus III Rex Poloniæ iterum ratam facit libertatem Poloniæ Electionis Regiæ.

Sigiſmundus III Rex Poloniæ cavet lege ne perſonæ ſanguinis Regii bona juris Nobilis vel dignitates Regni acquirant.

Atque ita Comitia placide finita, tranquillitatem Regno reſtituerant. Sed mox ſucceſſit fatalis tempeſtas, quæ gravius Regiam domum totumque Regnum concuſſit. Regina Conſtantia in ſolemnitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti fatigata circa Proceſſionem ſacram, quam pedes Religionis cauſa ultra mille paſſus fervente ſole corpulentior comitabatur, concepit inflammationem, eamque Medici imperiti balneo frigido magis auxerunt. Nec adverterunt ejus incrementa, donec repentè inter quietem nocturnam nulla famularum tanti diſcriminis conſcia, Heroicam illam Principem extinxit. Decima die menſis Iulii primum in aurora Vrſula Meierin fideliſſima ejus alumna, dum explorat quomodo Hera dormiret, mortuam invenit. Ac exprimi verbis non poteſt, quantum ea morte Sigiſmundus Rex fuit conſternatus, alioquin in adverſis immotus, & ſibi ſemper conſtans. Immo Regnicolas quoque univerſos non minus ille caſus contriſtavit: licet enim nonnulli offenderentur, quod defuncta iſta Regina res Auſtriacas curaverit impenſius, inde ſperans atque parans ad futuras rerum in Polonia viciſſitudines filiis ſuis præſidia, omnes tamen condolebant Regis ætati provectæ, & afflictæ valetudini, quam ſola illius Reginæ viventis diligentia ſublevabat. Pompa funebri ad tempus commodum dilata, ejus corpus depoſitum fuit in Arce Varſavienſi incluſum Sarcophago, cui lamina argentea affixa hanc inſcriptionem præferebat.

Conſtantia Poloniæ Regina moritur 1631, 10 Iulii.

Epitaphium Conſtantiæ Reginæ Poloniæ.

A.C. 1631.

D. O. M.

CONSTANTIA

Ferdinandi Primi, Imperatoris Optimi

NEPTIS,

Caroli Archiducis Auſtriæ & Mariæ Ducis Boiorum

FILIA,

Ferdinandi Secundi Cæſaris ſemper Auguſti

SOROR,

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Poloniæ & Sueciæ Regis

SIGISMVNDI TERTII CONIVNX.

Mortalitatis ſuæ exuvias ad Dei ſupremi Iudicis adventum hic depoſuit, Ioannem Caſimirum, Ioannem Albertum, Carolum Ferdinandum, Alexandrum Carolum, Annam Catharinam, lectiſſimos terris Principes fœcunda boni publici MATER reliquit.

Cœlo autem fœcunditatis ſuæ partem filium & filiam infantes conſecravit.

Multis illa decora, quâ Proſapiæ, quâ generis, quâ propinquitate, quâ affinitatis nominibus.

Sed eminentiſſima ob incredibilem erga ſuperos Divoſque obſervantiam inopino mortis caſu

Regina Regnum,

Conjunx Regem,

Mater Principes,

Totam Chriſtianitatem Piiſſima Princeps in mœrorem traxit.

Varſaviæ x Iulii, Anno Reparatæ ſalutis M. DC. XXXI.

Ætatis XLIV. Conjugii XXVI.

Zbaraſciorum ultimus Caſtellanus Cracovienſis moritur.

Reginæ obitus multis primi Ordinis viris fatalem diem indixiſſe videbatur. Non pauci enim ſub hoc tempus Senatores primarii vitam deſeruerunt. Ex præcipuis paucos poſt dies morte repentina inter quietem nocturnam deceſſerat (iniquior illi Reginæ & Auſtriacis) Georgius Dux Zbaráwski, Caſtellanus Cracovienſis, ultimus Zbaraſciorum nulla prole relicta: nam licet incontinentius vixerit, ab uxore tamen ſibi ſortienda adeo abhorruit, ut etiam plurimos nobiliores familiares ſibi à propoſito conjugalis vitæ averterit, & fratrem ſuum juniorem Chri-

Chriſtopherum uxorem ducere non promiſerit, orbumque fleverit defunctum, hæreditare ampliſſima ad ſobrinos tranſmiſſa. Menſe verò Septembre Andreas Lipski Epiſcopus Cracovienſis, idem naturæ debirum perſolvit: vir in legibus Polonicis exerciratiſſimus, & dicendi facultate audacius promptus, vehemens, ſed moribus æquò durioribus tam in æquales quam in domeſticos, magiſque in propinquos, quibus ex ingenti peculio (noningenta Polonica aureorum ſeu florenorum millia numeratæ pecuniæ præter ſupellectilem prerioſam, & tot hortea plena reliquit) quod exactiori rei familiaris cura corraſerat, vix ſeſquiunciam aſſignavit. Monimenrum tamen ſibi ſuiſque inſigne fecit Collegium Sacerdotum & Præpoſituram in Chotecz, in quo Præpoſitus ex ejus genere perpetuo ſuccederet; ac donavit decem millia florenorum, de quorum cenſu annuo Epiſcopi Camenecenſis cura aliqui captivi ex ſervitute Tartarica redimerentur.

Lipſcii Epiſcopi Cracovienſis defuncti ingens peculium.

Aliorum vero tunc mortuorum nomina longum eſſet recenſere, & luctum quo eo tempore Aula ſquallebat: ſuffecerit adnotaſſe, quod torpebant tunc omnia negotia publica, Rege inter gemirus conrinuos vix ſui compote, & ex infirmitate corporis ſolita, talique mœrote aucta plerumque decumbente.

Sigiſmundus III Rex Poloniæ mœrore ex morte Reginæ & morbo conſumitur.

Delegati tamen ex Comitiis tractarunt Poſnaniæ cum Cæſarianis, qui nuper cum Arnhemio in Pruſſia iſti Reipublicæ militarunt, de ſtipendiis debitis ipſis ſolvendis, & poſt longas controverſias quingenra millia aureorum ſeu florenorum ipſis numerarunr.

Cæſarianis auxiliaribus in Pruſſia ſtipendia ſolvuntur.

In Gallia ſub initium Anni hujus novæ conſpirationes de Rege exauthotando, ac in Monaſterio includendo fuerant detectæ, quibus deprehenſis Regis frater earum conſcius Aureliam primum, & ibi non ſatis rebus ſuis fidens, poſtea Nancium ad Ducem Lotharyngiæ conceſſerat.

Galliæ Rex conſpirationem in ſe factam deprehendit.

Regina verò mater ſumma tanti arcani arbitra ſubſiſtere fuit juſſa Campiegni, cum facultate tamen liberè prodeundi in publicum quo vellet, aſſiſtente ſibi præſidio Regio, dummodo non veniret ad Aulam Regiam niſi vocata. Procerum multi talis criminis ſocii fugam arripuerant, alii in cuſtodiam fuerunt abducti, plurimi ab officiis remoti, & Præfecti diverſarum Civitatum in locum conſtiturorum à Duce Aurelianenſi, novi ſuffecti, ſicq; diſſiparæ conticuerant illæ technæ.

Aurelianenſis Dux in Lotaryngiam profugit.

Reginæ quoque matris & fratris Regii cum Rege reconciliatio ab eo ſolo pendebat, ut eorum aſſeclæ damnati ex illa cauſa ad pœnas læſæ majeſtatis, à Parlamento Pariſienſi abſolverentur, & rem promovente Duce Lotharyngiæ, in brevi feliciter ſucceſſura expectabatur. Sed vix audita præteriris ſæculis metamorphoſis inrervenit, quæ domum illam Regiam magis conturbavit: Regina mater nihilo placatior, immo majoribus iris ex illa detenrione conceptis, locum eis exercendis aptiorem quæſivit, & ex oppido Campiegienſi clam cuſtodes à Rege oadinatos, ſive quod illi tantæ majeſtati manus injicere non auderent, in Hannoniam ditionem Flandriæ Hiſpanicam tranſiit, excepta ibi in primo limine Avennis à Marchione de Aytona, & mox ab Adminiſtratrice Belgii, quæ certior de hoc facta Regio cultu Bruxellas eam conduci curavit.

Galliæ Regina profugit in Belgium.

Galliæ Regina Bruxellis excipitur ſplendide.

Atque eò etiam frater Regis Dux Aurelianenſis non multo poſt venerat, ibique longum tempus degens, varia conſilia contra fratrem Regem agitavit, ut ſingula locis ſuis adnotabimus.

Aurelianenſis Dux venit in Belgium ad matrem.

Licet autem Hiſpani propter adventum in Belgium talium hoſpitum incurſionem Gallorum in Arteſiam timerent, & ad illa confinia cuſtodienda majorem partem militiarum convertiſſent, tamen & contra Hollandos numeroſum exercitum congregarant, qui Duce Ioanne Naſſovio, Hollandorum Ducem Henricum Auranium in Flandriam cum viginti quinque armatorum millibus Hollandicis ingreſſum, & Brugas oppugnare volentem, re infecta rerrocedere coëgit.

Henricus Auranius in Flandriam ducens re infecta recedere cogitur.

 Inde

A.C. 1631. Inde verò Antverpiam converſus, ſub Imperio Marchionis Sancrucis ſummi tunc ibi militaris Hiſpanici Præfecti, contra alias molitiones Hollandorum tota æſtate diligentius excubavit. Inſtruxerat etiam Antverpiæ magnum numerum navium, quibus cum multis militaribus inſignioribus Tribunis impoſitus, verſus Bergomſonam curſum dixerit, ut ibi aliquod propugnaculum Hollandicum interciperet. Sed triſtem expeditio illa exitum habuit; ſolvens enim Antverpia claſſis iſta, primum à præſidio Lilloo, denſis tormentorum jaculis excepta, multum damni accepit, & Safftinga progrediens ad locum deſtinatum, cum Hollandi re prævisâ dolia alveorum indicia è locis ſuis extracta in deviis poſuiſſent, in arenoſa deflexit, ac priuſquam maris refluentis æſtu aquæ intumuiſſent, ab Hollandis ad hoc intentis ab omni parte accurrentibus circumventa, tota periit, ſolus Naſſovius cum Ballanzenio & paucis comitibus opera cujuſdam ruſtici alveorum gnari effugerat. Cæteri omnes partim cæſi, partim aquis immerſi, plures vivi in poteſtatem victorum venerunt, ac unà naves bellicæ mediocres quinquaginta, pontones decem grandiores, & plurima navigia minora cum ormentis æneis centum quadraginta, ac apparatu copioſo. Captivi præcipui fuerunt Dux Bornevillius, Princeps de Chymay, Comes Hockſtratenſis Dulhenius Vicarius Naſſovii, & alii militares Præfecti non pauci. Nautæ plures quam bis mille, inter quos reperti transfugæ ab Hollandis, graviores pœnas ſubierunt. Hiſpani vero arrepta ea cauſa contra Sancrucium, quem ſibi in illa Præfectura prælatum fuiſſe ægrè ferebant, eum Magiſtratu abdicarant, & in Hiſpaniam tranſire fecerant, ut ibi facti hujuſmodi redderet rationem. Atque hæc ſingulariora ex geſtis illarum Regionum excerpſiſſe ſufficiat hoc anno.

Hollandi claſſem Hiſpanorum Bergonſonam tendendem, in arenoſa impellunt & diſſipant.

Imp. ſubſcribit conditionibus pacis Chieraſci conſcriptis pro Mantua, Sabaudia, & Rhætia.

In Imperio memorabilia plura hoc anno evenerunt: & inprimis Italica pars occurrit, cujus conditiones Hieraſci tota hyeme diſputatas, tandem Imperator approbavit ex formula priore quibuſdam correctis, & aliis adjectis tali forma.

Inveſtitura Duci Carolo juxta priorem tranſactionem daretur. Militum Cæſareorum & Hiſpanicorum ſex mille pedites, & mille equites ante decurſum menſis Iulii ex Italia abirent. Pro locis verò adhuc retentis mille trecenti pedites, & centum equites relinqui poſſent.

Quo certior ſit locorum tam in Rhætia quam in Sabaudia & Mantua reſtitutio, obſides Gallaſius ex parte Imperatoris Pontifici Romano, & Torraſius ex parte Regis Galliæ Duci Sabaudo traderentur ante vigeſimam Auguſti: munitiones utrinque in locis occupatis novæ demoliendæ eſſent ad ſextam & decimam, ad ultimum vigeſima Auguſti, & ſimul loca illa occupata reſtituerentur, vel etiam reſtitutio hæc diverſo tempore fieret: nempe ut Galli Bricaraſiam, tranſitus autem Rhætiæ à parte Imperatoris die vigeſima Auguſti: & iterum Suſa & Anegliana illinc, Portum vero & Carnetum iſthinc vigeſima ſexta ejuſdem menſis; & tandem Pinarola ab uno & Mantuo ab altero in ſtatum priſtinum reſtituerentur.

Rhæti Mantuæ præſidiariis Cæſarianis qui ultimo ex Italia excederent; concederent tranſitum abſque ſumptibus, dummodo nonniſi trinæ cohortes ſimul incedentes tranſirent.

Captivi utrinque ultima die Iunii libere dimitterentur.

Ac alia quæ Chieraſci fuerant concordata Gallaſius adimpleret, juxta facultatem ſibi datam à Duce Feriæ Gubernatore Mediolanenſi.

Is enim ſucceſſerat in illo regimine poſt diſceſſum in Belgium Marchionis Sanctæ Crucis. Atque omnia iſta tempore præſtituto, fideliter utræque partes impleverant, & Carolus Nivernenſis Dux novus Mantuæ iverat Viennam, ibique Diploma pro Principatu Mantuano & Montferratenſi obtinuerat ab Imperatore

Carolum Nivernenſem inveſtit Imp. ad Ducatum Mantuanum.

petatore. Tamen Galli poſtquam reſtituta Mantua & Rhæticis locis ab Imperialibus, ipſi quoque ex vi pactorum reſtituerant Pinatolum & Suſam, eoſdem tranſitus Rhæticos relictos, præſertim Staigam poſt breve intervallum (eo quod Dux Ferienſis legiones Germanicas non dimitteret, ac iterum Rhætis immineret) tum & omnia loca in Sabaudia dimiſſa iterum occuparant certis conditionibus Duce Sabaudiæ juvene (Emmanuël ſenex interim obierat) connivente, ſeu quod ipſorum opera veteres cum Genuenſibus pro Zucharello controverſias vindicare vellet. Illi verò magis hoc ſpectabant, ut ita Hiſpanos metu belli alicujus in Italia novi ſuſpenſos, à cura Germanicarum & belgicarum rerum, ac à juvando Ducis Aurelianenſis propoſito diſtinerent. Sed qualicunque modo, tunc Mars ex Italia pulſus, omnem ſuum furorem convertit in Germaniam, ubi Guſtavus Rex Suecus in dies majora incrementa ſumebat, tota hyme nil intermiſſo bellico opere, quo reliqua loca in Megapolitano ſeu Michelburgenſi Principatu expugnabat, ut Melchinum, Demminum, Lotium, nec multo poſt Gripſualdam vi cepit. Colberga quoque poſtquam obſidionem quinque menſium ſuſtinuiſſet, deſtituta commeatu, & quod in ultimis finibus Pomeraniæ maritimis ſita, nullum ſubſidium Cæſarianum ſperare poſſet, initio Martii hujus anni, eidem Guſtavo deditionem fecit, omneſque illæ cis marinæ Provinciæ Pomeranica, Michelburgenſis, Marchia nova pro ejus exercitu alendo (perſuaſum habuerunt quod non ut hoſtis, ſed uti eorum defenſor adveniſſet) pecuniam & neceſſariam annonam conferebant, vectigalibus etiam præcipuis ad ipſius uſum converſis. His acceſſerunt auxilia diverſorum Principum; Galliæ Regis imprimis, qui fœdus ad hoc conſiliis ſuis ſancivit, opibuſque ſuſtentavit; ut melius liquebit ex tegulis ejuſdem fœderis, quas Legati Galliæ cum Sueticis Conſiliariis Berouualdi in nova Marchia, multis difficultatibus ſuperatis menſe Martio hujus anni conſcripſerunt tali ſenſu.

A.C. 1631.

Galli poſtquam reſtituerant per pacta quæ poſſidebant, iterum occupant Suſam & Pinarolum.

Guſtavus Suecus reliqua loca Michelburgi & Pomeraniæ capit.

Colberga deditionem facit Suecis.

Galliæ Rex conciliat fœdus pro reſtitutione Germaniæ in priſtinum ſtatum.

Sit fœdus inter Galliæ & Sueciæ Reges pro defenſione ſuorum communium amicorum, ſecuritate etiam maris Baltici & Oceani, libertate commerciorum, nec non reſtitutione oppreſſorum Imperii Romani Ordinum, & ut propugnacula quæ exſtructa ſunt in portubus & littoribus alterutrius maris Germanici, & Baltici, vel in Rhætia demoliantur, ac in eum ſtatum reducantur, in quo proxime ante hoc bellum Germanicum fuerunt.

Et quoniam adverſa pars à juſta illatarum injuriarum reparatione in hunc uſque diem ſit aliena, factaſque hactenus circa iſta interceſſiones rejecerit, idcirco communium amicorum ſalus armata manu vindicetur, ac in eum finem Rex Sueciæ triginta millia peditum, & ſex millia equitum ſuo ſumptu in Germania habebit.

Rex Galliæ quadringenta millia talerorum Imperialium quotannis contribuito, ejuſdem ſummæ mediam partem 15 Maii, alteram 15 Novembris Pariſiis, vel Amſtelodami in Batavia, prout Regi Sueciæ commodius acciderit, ejus miniſtris ad hoc deputatis numerabit.

Conſcriptio militum & nautarum, exportatio navium ac rerum bellicarum in mutuis territoriis liberæ ſunto, hoſtibus denegentur.

Si Deo placuerit felices Regi progreſſus concedere, in negotio Religionis non aliter ſe geret in locis occupatis, quam ſecundum leges Imperii, & in locis in quibus exercitium Catholicæ Religionis Romanæ reperiretur, id integrum maneat.

Ad hoc fœdus quicunque alii Principes vel ſtatus ſive in Germania, ſive extra eam accedere voluerint, admittantur, idque debite caveatur, ut qui admiſſi fuerint nec clam nec palam ſuo vel alieno nomine adverſæ parti faveant, aut Regibus præfatis, vel communi cauſæ noceant, quin potius ſinguli ad hoc bellum ſumptus contribuant, quantos cujuſque vires permiſerint, & rationes requirunt, ſeu quod peculiari conventione paciſcetur.

 Cum

A.C. 1631. *Cum Duce Bavariæ & Liga Catholica in Imperio Romano amicitia ſervetur, vel ſaltem neutrarum partium eſſe permittantur, ſi illi reciprocum præſtiterint.*

Quod ſi per Dei gratiam occaſio tractandæ pacis ſe offerat, ex communi Fœderatorum conſilio tractetur, nec ullus Fœderatorum ſine altero quid ſtatuito pacemve inito.

Hoc Fœdus quinque annos durato, à data nimirum præſenti ad primam diem Martii anni 1636. intra quod tempus niſi pax ſecura obtineatur, ex communi rurſus Fœderatorum conſilio prorogetur.

Angliæ Regis Legatus deprecatur Imper. pro Palatino nec aliud reſponſum niſi quod & Ratisbonæ obtinet.

Angliæ Rex ſubſidia Sueco Regi mittit.

Ad hoc itaque fœdus plurimi concurrentes, magna ſubſidia Sueco ſubminiſtrabant, & Rex Angliæ, poſtquam miſſo iterum Viennam Legato ſuo Roberto Auſtratero in negotio reſtituendi palatinatus aliud reſponſum non obtinuit, niſi quod Ratisbonæ acceperat, nempe ut primum Palatinus deprecaretur Imperatorem, & demum aliquam ditionis Palatinalis partem quæ eſſet in poteſtate Gubernatricis Belgicæ pro ſuis alimentis expectaret, collectos in Anglia Milites cum Marchione Hamelthonio ad hoc bellum tranſmiſit: mari vecti iſti Stralſundam appulerant, & inde ad caſtra Suetica per Marchiam novam tranſierunt.

Lipſienſis Principum Diſſidentium Conventus 153 decreta.

Multo autem plus auxit animos vireſque Sueco Lipſienſis Conventus, in quo Diſſidentes in Religione convocati ab Electore Saxoniæ, poſt multas querelas contra executionem pro reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum ab Imperatore nuper inſtitutam, & inſolentias militum, vi tributa ingentia in diverſorum Principum ditionibus extorquentium, hoſpitiaque ſumentium, Decretum fecerant initio Aprilis, quod amicè de reſtitutione bonorum illorum tractare vellent, loco & tempore à Catholicis ad hoc deſignando. Executionem autem decreti Imperialis uti in dubio præſcriptionis concordiæ Paſſavienſis, Anno Chriſti 1552, in Comitiis Auguſtæ 1555 declaratæ, & approbatæ, (hac nonniſi Eccleſias directè Imperio Imperatorique ſubjectas comprehendi volebant Diſſidentes, non autem eas quæ in ditionibus ſingularium Principum ſeu Magiſtratuum conſiſterent, & iſtis interjectis quaſi intermediis Patronis ſuis ad Imperium demum pertinerent) niſi cognitione Comitiali & interpretatione ejuſdem concordiæ præmiſſa non admitterent: Injurias milites Cæſaræi & Ligæ Catholicæ ne amplius cuipiam facerent, alioquin Electoribus & Principibus liceret ſubditos ſuos ab eis ſecundum Conſtitutiones Imperii defendere, ad quod militem ſinguli in ſuis locis conſcriberent, & alter alteri juxta condictum in Receſſu Comitiali, Anno Chriſti 1555, in neceſſitate ſubveniret, & tamen in fide Imperatoris ſe perſeverare obteſtabantur. Expreſſe quoque in literis ab illo Conventu ad Imperatorem & Ligam Catholicam datis, addita fuit obteſtatio, quod extremum illud pro reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum executionis remedium, niſi amica compoſitione ſopiretur, ac militares licentiæ refrenarentur, interitum Imperio adducturum eſſet, & accidere poſſet ut tandem Principes exteri ſe tali negotio immiſcerent. nempe & propria arma inſtruenda & externa (non obſcurè digitum intendebant in Guſtavum Suecum in Germania jam præſentem) advocanda ſtatuerant, quibus copias Imperatoris unà cum executionis Eccleſiaſticæ rigore è ſuis finibus exterminarent.

Lipſienſes fœderati arma ſumunt.

Nec abduci potuerunt à tali propoſito dehortationibus Imperatoris ſatisfactionem æquam offerentis, vel deterreri exemplo inferioris Saxoniæ, quæ ex eiſdem cauſis ſumptis armis, unà cum Rege Dano ſuccubuerat, ſed certatim omnes æque Principes atque Civitates militem ſtatim a Conventu illo ſoluto conſcribebant, & demum Sueco ſe conjunxerant in ulteriori tantæ ſeceſſionis continuatione, & feliciori ipſius ab initio progreſſu.

Ad quem ut revertamur, moverat exercitum Tillius, relicto apud Magdeburgum

gum Pappenhemio in novam Marchiam, ut Succum tempeſtive priuſquam tali fœderi conjugeretur reprimeret, & ejecerat præſidium ipſius ex Arce Feldsbergenſi, Brandeburgumque novum die nona Martii aperta vi ceperat, cæſis omnibus præſidiariis Suecis, ac Tribuno Kniphuſio, & præcipuis Ordinum ductoribus vivis ibi captis una cum ſignis militaribus novem, & multo bellico inſtrumento. Sed cum inter paludinoſa glacie jam liqueſcente ulterius progredi non poſſet, vel diutius donec aquæ ex nivibus ſolutis intumeſcentes decreſcerent otioſe ibi hærendum ipſi eſſet, pluris æſtimavit ut Magdeburgum rediret, oppugnationemque illam urgeret. Cujus exitus ex ſubſequenti cujuſdam teſtis oculati relatione melius patebit. *Eo die* (octavo Maji dicit ille) *ſub meridiem tubicinem Comes Tillius in Vrbem ablegavit, ut aliqui ex Civitate ad tractandam pacem venirent, æqua media proponenda fore innuens. His motus Adminiſtrator & Senatus, quoſdam ad audiendas illas conditiones amandare decreverant. Interea Pappenhemius ex nova Vrbe prope Albim, ubi foſſa aquis carebat irruptionem tentavit, ſed ab erumpentibus Magdeburgenſibus fuit rejectus. Poſtquam vero decretum eſſet, ut poſtero die Tillii tubicen cum non iniqua declaratione dimitteretur, nihilominus Falckembergius cum cæteris Præfectis quod ex crebra copiarum hinc inde traductione moliri aliquid Cæſarianos ſuſpicarentur, in vallo omnem noctem conſumpſerunt. Illuceſcente autem die cum nil amplius periculi timendum ſibi arbitrarentur, utque pars altera Civium & militum domum abirent conceſſiſſent, & officia gerentes quoque quos ordo excubandi non tangebat, ad quietem ſe compoſuiſſent, Falckembergio interim in Curiam ad amandandum tubicinem ſe conferente, Pappenhemius circa horam ſeptimam, cum exercitui Tefſeram propoſuiſſet* Ieſus Maria *cum candido circum brachium ligamento, irruptionem, ad quam etiam equites equis deſcendere juſſerat, tanto fervore tentavit, ut in verticem valli ſtatim penetrarit. Tamen Falkembergio è Curia advolante, eum inſigni jactura retrocedere eſt coactus. Poſtquam autem portæ Cæſariani inſultarent, & Falkembergius illis ſeſe opponens pila bombardæ trajectus fuiſſet, militibus quoque & Civibus pulvis nitratus ob crebras exploſiones deficeret, coortentem inde confuſionem Cæſariani obſervantes, reliquis ut ſimul ab aliis partibus oppugnationem tentarent, ſigna dedere. Qui quidem facile in duobus locis in facientes, vallo ibi præſidiis ob rumorem de Vrbe jam capta nudato, poſt ſexaginta ſaltem virorum eædem propoſitum aſſequebantur. Inde cives in Vrbem rejecti, licet in locis quibuſdam Cæſarianis ſe magna virtute opponerent, ita ut eos iterum ad urbem novam retrocedere coegerint, tandem tamen ſupervenientibus pluribus copiis, numero ſuperati & tormentis etiam à vallo in urbem directis petiti, ad ædes ſuas refugiebant, alii cadebant pugnando. Quidam in vallo vitam deprecabantur à militibus, quod tamen non ab omnibus potuit obtineri. Vallones enim nemini fere parcentes, nulla ſexus aut ætatis habita ratione in obvios quoſque ſæviebant. Reſeratis interim portis poſtquam Equitatus cum Croatis introiiſſet, majores eades edebantur. Hoc miſerando Vrbis ſtatu, flammæ (incertum an ab oppugnatoribus, an à Civibus deſperantibus injecta) diverſis locis erumpebant, quæ exiguo temporis ſpatio tanta incrementa ſumpſerunt, ut milites à direptionibus per eas avocati, Vrbe præter aliquas legiones ad cuſtodiendum vallum deſtinatas, iterum excedere cogerentur. Adminiſtrator acceptis in crure & capite vulneribus, captus in Pappenhemii Caſtra fuit abductus, & unà Amſterrodius, Vſlerus, Bojus cum aliis Præfectis. Illi etiam qui in Albi inſulam inter pontem ſitam cuſtodiebant, licet initio Cæſarianos oppugnationem aggredientes fortiter non paucis cæſis exceperint, tamen Vrbe capta poſtquam ſibi de ſalute cautum fuſſet loco eeſſerunt. Incendia accedente ex improviſo venti vehementia tanto impetu obvia quæque corripuere, ut intra ante*

A.C.1631.

Tillius in novam Marchiam tranſit.

Brandeburgum novum Tillius capit.

Magdeburga calamitoſa expugnatio.

A.C. 1631. *ante decimam meridianam & decimam nocturnam univerſam Vrbem cum majoribus ſex inſignis ſtructuræ templis in cineres redegerint: exceptis ſaltem 139 ædibus, quarum pleraque ſunt ſita in littore piſcatorum, pauca autem ad templum primarium, quod ſolum cum S. Mariæ templo à Monachis & militibus ægre ſervato illæſum permiſit.* Hæc ille.

Atque talem vaſtitatem pertulit illa Civitas, gloriari ſolita originis antiquitate, & integritate Virginali, quæ tunc adeo fuit vitiata ferro, igne, & direptione quatriduana, ut nihil ſalvum in ea remanſerit, & cæſorum, flammis abſumptorum, inter minas & latebras ſuffocatorum ſciri non potuerat numerus. Sola cadavera in profluentem Albim dejecta, ſexies mille numerabantur, & ex Civibus nonniſi quadringenti vivi evaſerunt.

Francofurtum ad Oderam Suecus Rex capit & incendio deformat.

Prope ſimilem ſortem Francofurtum quoque ad Oderam tunc ſubiit. Suecus enim poſtquam Tillius ex nova Marchia abierat, locis ibi quæ ille occuparat recuperatis, reliqua Marchiæ circa Oderam oppida expugnavit, & Francofurtum quod Comes Schavenbergius, Tiſenbachius, ac Monte cuculi cum ſeptem millibus Cæſarianorum cuſtodiebant, ineunte Aprili adveniens, ſumma vi oppugnavit: poſt acriores vero quatuor dierum continuos conflictus partim vallo pulſis Cæſarianis ſuperato, partim machinis pyrobolaribus (petardæ vulgo appellantur) porta Gubenenſi proſtrata, in illam Civitatem irrupit, omneſque ibi Cæſarianos pedites concidit, equitibus ſolis cum ſuis Ducibus fuga verſus Glogoviam elapſis. Incendium quoque nocte inſequenti fortuito obortum, illis oppidanis terrorem auxerat, ſed nonniſi viginti domus abſumpſit, & à direptione ſuos cohiberi juſſerat Rex Suecus; qui ibi præſidio relicto, Lansbergam petiit, & illud quoque oppidum uno & altero conflictu Cæſarianis cum Gratzio Tribuno, à mœnium cuſtodia repulſis, deditione cepit. Kroſſnam etiam ad Oderam Sileſiæ oppidum probe munitum ejus præſidiarii Francofurto erumpentes interceperant, & ipſemet cum meliori parte copiarum Albim verſus movens, munitiora quæque in illo itinere loca in ſuam poteſtatem redegit; Spindaviam, Berlinum prope, ubi Electorem Brandeburgicum viſitarat, ſimulata oppugnatione, & comminatione, quod eam niſi ſponte dimiſſo Electorali præſidio ſibi dederetur, vi caperet, illo connivente obtinuit. Inde ſumma celeritate movens, Brandeburgo veteri præſidium proprium impoſuit, & circa Rattenaviam caſtris collocatis non multo poſt trajecto Albi Tangermundam, moxque Havelbergam cæſis Cæſarianis qui illa loca defendebant occupavit. Tunc flumine illo in duobus locis ponte inſtrato, partem exercitus qui aſſidue augebatur, Verdam conduxit, ibique alia caſtra poſuit; ac validiſſimis propugnaculis contra omnem majorem hoſtilem impetum munivit, omnem late circum regionem excurſionibus infeſtam reddens. Nec uſquam Cæſariani juſtum exercitum oppoſuerunt, quo in illis principiis conatus ipſius reprimeretur, ſed binas tantum ſeu ternas legiones contra eum ſubmittebat aliquando Tillius, quæ eò facilius vincebantur. Ipſe autem Tillius poſt captum Magdeburgum in Vinmarienſi, Coburgenſi, Altenburgenſi, Allenſleibiæ ditionibus, & demum in Haſſia copias ſuas diſtribuerat, ut ibi diſſiparet fœderis Lipſienſis militares delectus, à quibus majus periculum rebus Imperatoris imminere, & eis tempeſtive oppreſſis hoſtis iſte externus ex Germania non difficilius quam Rex Danus nuper expelli poſſe videbatur. Vnde eodem fine & alius exercitus Cæſareus viginti millium armatorum ex Italia poſt pacem ibi cum Duce Mantuano concluſam reverſus, in Alſatia, Suevia, & Franconia cum Comite Furſtenbergio Præfecto manſit. Vbi primum Memminga obſidione cincta cam ad renunriandum fœderi Lipſienſi, & ſuſcipiendum præſidium Cæſareum, alendumque ſumptibus propriis coëgit, ac 50000, talerorum Imperialium loco pœnæ ab ea

Landsbergam capit Suecus.

Spindaviam Elector Brandeburgicus tradit Sueco.

Guſtavus Suecus auget ſuas copias & caſtra ponit apud Albim ad Verdam.

Tillius à Magdeburgo in Saxoniam copias ducit.

Tillius dum prius vult edomare fœdus Lipſienſe Sueci vires auget.

Imperatoris copiæ ex Italia redeuntes ducuntur contra Socios fœderis Lipſienſis.

Similiter & Campidonum, ad exemplum Memingenſium præſidium ſexcentorum Cæſareorum militum ſuſcepit, & 80000 talerorum lytro direptionem redemit. Inde in Principatum Vvirtembergicum, ubi pro eodem fœdere Lipſienſi ſedecim millia armatorum colligebantur, Furſtenbergius tranſivit, & Adminiſtratorem illius ditionis Lipſienſi decreto renuntiare fecit, eumque obligavit, quod in fide Cæſaris permaneret, ac ſuo exercitu dimiſſo, certo numero Cæſarianorum militum in ſua ditione hoſpitia & alimenta aſſignaret. Vlmenſes quoque ac circulum Franconiæ ad abnegandum Lipſienſe fœdus, & ſuſcipienda alendaque præſidia Cæſarea adegit: totamque æſtatem exercitus Cæſarei in diverſas partes diſperſi, circa cohibendum fœdus illud Lipſienſe conſumpſerunt exiguo fructu. Nam nihilominus pleræque Provinciæ & Civitates in illo fœdere perſiſtebant, ac Conventus Hamburgi ac Dresnæ celebrarunt, in quibus de eo promovendo conſultarunt, ſtrictioribuſque vinculis ſe invicem colligarunt ad mutuam defenſionem. Et licet Catholica Liga in Dinkelſpiel congregata, pro tractanda plena concordia Conventum Francofurti inſtituiſſet ad initium Auguſti, ramen illius fœderis diſſidentium ſocii omnes, totis viribus apparatum bellicum (eo quod Catholici quoque in illo ſuo Conventu Dunkelſpilenſi ſuis copiis ſupplementa conſcribi decreviſſent) conquirere non deſiſtebant. Ac Francofurti Conventu illo re infecta ſoluto, ideo quod Delegati Cæſaris media pacis nonniſi conſentanea edictis Imperialibus pro executione reſtitutionis bonorum Eccleſiarum ſexta Martii 1629, promulgatis, proponi vellent, & Catholici pactioni Paſſavienſi Anno Chriſti 1552, & Auguſtanæ 1555, inſiſterent, ejus ſenſum clarum (Diſſidentes provocabant ad interpretationem Paſſavienſis concordiæ, cujus verborum contextum perplexum eſſe dicebant, præſertim quoad bona Eccleſiarum Catholicarum non directe ſubjectarum Imperatori, ſed in ditionibus Principum, ſeu ſub jure patrocinii Dominorum loci cujuſque conſiſtentium poſt illam concordiam Catholicis adempta) dubia interpretatione corrumpi non permittentes, majores diffidentiæ utrinque exarſerunt, & fœderati ſpe amicæ compoſitionis deſperata arma jam inſtructa habentes, palam de accerſendo ad ſuas partes Sueco deliberationes agitabant. Tillius vero cœptum de eis in ordinem redigendis conſilium priuſquam Sueco conjungerentur, tanto majori fervore perficiendum decrevit, & in Saxoniam, ubi præcipuum illius fœderis robur erat, una cum Furſtenbergio ex Suevia accerſito ſigna convertit. Primum autem nomine Cæſaris per Nuntios ſuos requiſierat ab Electore Saxoniæ, ut renuntiaret illi fœderi, exauthoraret ſuum militem, & Cæſareo aſſignaret hoſpitia in ſuis ditionibus, ac commeatum ſuppeditaret, niſi mallet pro hoſte haberi. Et cum iſte reſpondiſſet, ſe in fide & obedientia Cæſari ſæpius probata permanere, & à ſe plura quam Conſtitutiones Imperii jurejurando Cæſaris firmatæ requirant exigi non poſſe, immo gratiam ac remunerationem pro tam amplis erga Cæſarem meritis ſibi deberi, ille poſtpoſita tali obteſtatione, in Saxoniam ſuis copiis progredi juſſis, Merſeburgum, Veiſentelſium, Friburgum, ac plura illius tractus oppida, licet ſponte deditionem fecerint, diripi à militibus, & incendio vaſtari permiſit. Naumburgo, Pegaviæ præſidia ſua impoſuit, à Lipſienſibus poſtulavit ut commeatum ſibi præſtarent; quem poſtquam in magna copia acceperat, imperavit, ut præſidium Cæſareum in Civitatem admitterent, alioquin eandem fortunam quam nuper Magdeburgenſes ſenſerant, experturi eſſent: tandemque cum omnia ad expugnandam illam civitatem præparaſſet, reluctantes Cives, verum exemplo tam formidoloſo perculſos coëgit, ut initio Septembris Electorale præſidium dimiſerint, & Cæſareum receperint. Sed hoc magis acceleravit periculum, quod Tillius prævenire voluerat, dubioſque adhuc fœdera-

Memmingam Furſtenbergius fœderi Lipſienſi renuntiare cogit.

Campidonum præſidium Cæſareum ſuſcepit.

Vvirtembergica ditio cogitur renuntiare fœderi Lipſienſi.

Francofurti Conventus Diſſidentium cum Catholica.

Francofurti à Conventu majores diffidentiæ exortæ.

Tillius perſequitur fœderatos Lipſienſes priuſquam Sueco conjungerentur.

Tillius requirit ut Sax. Elector renuntiaret fœderi Lipſien. niſi vellet haberi pro hoſte.

Saxon. Elect. reſponſum Tillio.

Tillius in ditionem Elect. Saxon. ducit exercitum.

Lipſia ſuſcipit præſidium Tillii.

Tillius volens prævenire periculum conjunctionis cum Sueco Elect. Saxon. acceleravit.

A.C. 1631.

Saxon. Brandeburg. Electorum congreſſus cum Sueco Diebenæ.

Saxon. Elect. init fœdus cum Rege Sueco.

Lipſienſe prælium Tillii cum Sueco Rege 7 Septembris 1631.

Tillius profligatur apud Lipſiam.

deratos impulit, ut ſocietatis cum Sueco conciliationem maturarint. Elector enim Saxoniæ reliquæ dirioni ſuæ idem quod jam Lipſiæ evenerat metuens, conſilium quod diutius aſpernabarur de conjungendis pro deſenſione ſua cum illo Rege armis ſuſcepir, & una cum Electore Brandeburgico eum Diebenæ (apud Vittembergam Rex Suecus rranſmiſſo Albi eò tranſierat) conveniens,prima Septembris hujus Anni Chriſti, 1631, conditiones mutui fœderis cum ipſo ſtabilivit. Moxque eventus docuit quanrum attulerit diſpendii, irritaſſe fœderatos Lipſienſes, & non prius repreſſiſſe externum illum hoſtem, cum quo potentiæ domeſticæ iſtorum, tantum virium acceſſit, quod ſtatim conjuncti hoc modo exercitus Suetici, & fœderati, Cæſarianis quibus ſinguli fuiſſent impares, porentia longe præſtiterunt. Primum in prælio ſeptima Septembris die à Lipſia uno milliari, inter pagos Breitenſeldium ac Podeluiſium commiſſo, in quo poſt acerrimum urrinque certamen quinque horis conrinuatum, Tillius ſuccubuir. Nec dubie ab ipſo principio pugnæ victoria ad Suecum inclinabat, cornu enim ſiniſtrum Tillii ventum runc ab Occidente flantem præripere volens, longius à corpore exercitus proceſſerat, & exceptum à Sueticis pedibus equitatui immiſtis (tali arte pugnabant illi) totum turbatum nullam utilem operam præſtitit. Tillius vero cum ipſemet à fronte ſelectiores turmas contra infirmiorem aciem hoſtilem, in qua Saxonicæ legiones ſtabanr, convertiſſet, diſſiparat quidem illam, ſed dum ibi ſui debellarum putanres, alii fugientes Saxonicos inſequuntur, alii occupant tormenra, alii currus diripiunt, diſtractis ita Ordinibus, impetum mox ſupervenienrium fortiorum ſubſidiorum Sueticotum ſuſtinere non valuit. Dextræ alæ Tillianæ legiones pedeſtres, quæ ex veteranis conſtabant, ab ipſomet Guſtavo Rege Sueco impugnatæ diutius reſtiterunt; verum iſtæ quoque cum nulla ſubſidia haberent, fuerunr profligatæ paucis fuga elapſis.

Prælio in Lipſienſi cæſorum numerus.

Cæſi ibi feruntur ex Cæſarianis novem mille, ex Saxonicis bis mille, ex Sueticis ſeptingenti, & præcipui ex iſtis Ordinum Ductores Teufel (nuper ex captivitate Polonica dimiſſus) Hallius, Callebach, Corvillus, Bantuffius: ex Cæſarianis vero Adolphus Dux Holſatiæ Otto Baro à Scheumberg, Ottmar ab Ervite, Bongardus Grotte perierunt, plures vivi capri, una cum centum ſignis militaribus & viginti quatuor majoribus tormenris bellicis æneis, ac omnia impedimenta & apparatus Caſtrenſis prædæ victorum ceſſerunt.

Tillius accepto vulnere è pugna evaſit.

Lipſia ejicitur præſidium Imperatoris.

Tillius duo vulnera accepit in brachio, quo ictus à ſuo capite avertebat, & ereprus è pugna Halam evaſit, moxque lectica ſe portari fecit Halberſtadium, indeque Alefeldium Viſurgim verſus, reliquias exercirus ſui ex fuga colligendo. Suecus autem Rex illam victoriam proſequens, relicto apud Lipſiam Electore Saxoniæ, cui præſidium ejus loci Cæſarianum poſtridie deditionem fecerat, Merſeburgum duxir, ibique Cæſarianos prope quinque mille ex fuga congregatos iterum profligavit.

Saxoniæ Electori ſortitione cedit Boemia oppugnanda.

Suecus Rex Erfordiam capit.

Suecus Rex in Franconiam tranſiens Herbipolim capit.

Bamberga redimit direptionem.

Inde progrediens, Halam undecima Septembris, & ſequenti die arcem Mauritii ad dedirionem coëgit plurimis Cæſarianorum ſub ipſius ſigna concedentibus,ut intra paucos dies ad ſexaginta millia armatorum exercirus ejus excreverit. Nec mulrum moratus ſortitione facta, ut Elector Saxoniæ cum ſuo exetcitu in Regno Boëmiæ ſedem belli figeret,Cæſarique ea parre reſtaurandi vires commoditatem adimeret, ipſe Erfordiam ivit, eâque Civitate in poteſtatem ſuam decima octava Septembris redacta, ſumma celeritate per ſylvam Thuringicam, in Franconiam penerravit, obvia quæque lare incendentibus ſuis legionibus complectens, Herbipolim uſque, quæ ſtatim imperrata libertate exercitii Catholicæ Religionis, & ſoluto direptionis lyrro deditionem fecit. Arx ejus cum aliquantum reſtiriſſet ſpe ſubſidiorum à Tillio ſibi mittendorum, (in Haſſia adventu Altringeri & Fugeri cum copiis Bavaricis, viginti quatuor millia armatorum

A.C.1631.

rum intetim congregarat) eis fruſtra expectatis vi fuit expugnata. Hoc territi Bambergenſes, & Collegium illius Eccleſiæ Pontificialis, ſoluto lytro gravi, & tributis in menſes ſingulos promiſſis, hoſtilia redemerunt. Norimbergenſes ſimiliter, & tota Franconia intra unum menſem Suetica præſidia ſuſcepit. Nec mora, Rex Sueciæ relicto Guſtavo Horn pro defendenda illa Provincia, ipſemet Hanoviam, quam interim ejus excurſores interceperant contendit, & Mæni ripis inſiſtens, plurima ejus oræ Oppida, partim deſerta à præſidiis Ligæ Catholicæ, partim oppugnatione oſtentata intercepit. Francofurtenſibus quoque ad tam inſperatam vim minus paratis ſubjectionem facile perſuaſit tali lege, ut ipſi fidelitatem jurarint, & in ea Civitate Suecis commorari liceret, præſidiumque Sueticum Sachſenhuſii reciperetur. Paucis autem diebus circa tractatus cum Langraviis Haſſiæ & Comitibus Veteraviæ, de ratione belli continuandi Francofurti inſumptis, Moguntiam iter inſtituit, & cum tranſitus Rheni Hiſpani inſediſſent, apud Gernshemium eorum cuſtodiis fuſis, ac Oppenhemio quoque ejectis, plura Oppida Palatinatus cepit, viaque ſibi ferro aperta Moguntiam pervenit. Duo millia Hiſpanorum Elector ille (ipſemet è periculo ſe ſubripiens, Coloniam conceſſerat) pro præſidio ejus loci reliquerat, qui initio fortiter reſiſtebant: verum cum hoſtis omnes aditus ad Civitatem intercluſiſſet, & vineis propius actis, ejus mœnibus imminetet, obtenta abeundi cum ſuis armis & impedimentis ſecuritate, deditionem fecerunt tredecima Decembris. Cives vero octuaginta millibus talerorum Imperialium redemerunt direptionem, & octuaginta tormenta bellica ænea cum centum viginti cadis pulveris nitrati, ac magna copia omnis inſtrumenti Caſtrenſis ibidem inventa ceſſerunt victori. Nec minorem felicitatem experiebantur Regis illius Legati in occupandis aliis locis Germaniæ. Bernardus Dux Vinmarienſis in Palatinatu Rheni Menhemium interceperat, alii Duces ipſius Heilbronam pulſo præſidio Lotaryngico, & plura oppida vicina, Vilhelmus Haſſiæ Landgravius Mindam, Amenoburgum, & diverſa oppida ad Viſutgim, ac pæne totum Epiſcopatum Padebornenſem, Bannerus Alberſtadium, Magdeburgum, alii Roſtochium, & Viſmariam, & reliquas Michelburgenſium Ducum ditiones; Vormatiam quoque, Spiram præſidia Lotaryngica paulo poſt Suecis reliquerunt: & majori parte milites Oppidorum ſeu Arcium Cæſarianarum cuſtodes deditione facta, concedebant ad partes Sueci, ut in dies numerus ejus exercitus creſceret, & quocunque arma ipſius progrederentur, nonniſi victricia redirent. Elector quoque Saxoniæ in Boëmiam movens, Pragam, Egeram, & plura inſigniora Oppida pulſis Cæſarianis, & ad Limburgum profligatis occupavit, ac Luſatiam recuperavit. Et priuſquam ulteriores belli iſtius progreſſus recenſeamus, memorabile quod in Italia ſub finem anni hujus evenit, attingemus.

Norimberga præſidium Sueticum ſuſcipit.

Francofurtum ad Mænum deditur Sueco.

Hiſpanos apud Gernſhemium Suecus profligat.

Moguntiam ad deditionem cogit Suecus.

Sueci Regis Duces militares felices ubiqueprogreſſus faciunt.

Imp. milites tranſeunt ſub ſigna Sueci.

Saxoniæ Elector Pragam, Egeram capit.

Die quinta Decembris, Mons Veſuvius Neapoli vicinus horrendum incendium concepit, à quo concuſſa circumjacens terra, & Oppida præſertim Civitas Neapolitana adeo tremuit, ut nullum ædificium aliquam ruinam exinde non ſenſerit. Mons autem ille primum viſus eſt evomuiſſe atras nubes, quæ totum aërem obtenebrarunt: deinde inter erumpentes immenſos flammarum globos, tonitrua & fulgura formidoloſo plane ruituri mundi ſpeciem præferentia, audiebantur. Septima vero Decembris, flamma quæ illum montem pluribus locis perforaverat, inſtar torrentis ad radies montis procurrens, innumeros homines & pecudes rapuit, ac domicilia obvia quaque combuſſit, & alia parte in mare influens, illud commotum inſolita tempeſtate defluere fecit, ut per aliquot horas naves Neapoli in ſicco hærerent. Lapides ingentis magnitudinis è faucibus montis ejecti, multos qui tempeſtive fuga ſibi non proſpexerant interemerunt, & cinis decidens inſtar nivis, uno palmo in terra, altus tetro ſætore omnia compleverat. Nonoque demum Decembris die incendium illud totum evanuit.

Veſuvii montis apud Neapolim incendium.

Eodem

A.C. 1632.

Florentia Ducis Coſmi uxor offendit Florentinos exhauſto erario Ducis pro Imperatore.

Eodem Anno ſub finem Octobris obierat Paſſaviæ Magdalena uxor Ducis Magni Hetruriæ Coſmi, Ferdinandi II, Imperatoris ſoror. Offenderat illa Florentinos, eò quod ærarium ibi Ducale exhauſiſſet in mittendis Imperatori ſubſidiis, & evitans inde enata in ſe odia, transferre voluerat domicilium ſuum in Auſtriam; ſed priuſquam ſalutaſſet Imperatorem, in itinere repentina morte interiit.

Annus Chriſti, 1632.

VT autem belli Suecogermanici in Annum Chriſti Milleſimum, Sexcenteſimum, Trigeſimum ſecundum continuati ſeriem proſequamur, Suecus Rex poſtquam Moguntiam ceperat, eamque novis munitionibus firmarat, extructo ad Rheni & Mæni confluentem propugnaculo, omnem circum regionem illam & Palatinatum, in ſuam poteſtatem redigebat. Crucenacum cum Hiſpani fortius defenderent, tandem vi expugnavit, ibique Arcem quæ amiſſo Oppido reſiſtere diutius non poterat, deditione obtinuit. In Alſatiam quoque ejus copiæ profectæ, apud Argentinam tranſmiſſo Rheno, multa damna ditionibus ibi Auſtriacis dederunt. Cum vero Tillius recollectis viribus in Franconiam movens, recepiſſet Bambergam, & mox ad famam adventantis contra ſe Suetici exercitus ex Palatinatu ſuperiori, ea relicta verſus Bavariam recederet, Rex Suecus convocatis ad ſe ad duodecimam Martii hujus anni, Hornii & Banneri legionibus, eum perſequi decrevit, ejuſque inſiſtens veſtigiis ad Verdam Danubii delatus, eam primum quo tranſitum Danubii liberum haberet, oppugnari fecit ſub finem Martii. Ad defendendum illum locum reliquerat Tillius præſidium quingentorum equitum, & mille ducentorum peditum, præter magnum numerum ſelectorum agricolarum cum Rudolpho Duce Saxolavenburgico, quem Sueci è munitionibus in monte Oppido adjacenti extructis, jaculis bombardarum crebris petentes intra Oppidum mox compulerant, deinde per aliquot dies oppugnatione ſumma vi continuata adegerunt, ut deſperata defenſione & ſubſidiis, cum equitatu beneficio noctis per pontem Danubium ſuperarit: pedites vero proximo diluculo idem remedium ſalutis quærentes, plures à Suecis in fuga ſunt cæſi. Rex Suecus præſidio ibi firmo relicto, & ponte (jaculis in fugientes Tillianos exploſis fuerat debilitatus) reparato, magna feſtinatione ad inſequendum Tillium Danubium tranſiit: compertoque quod una cum Duce Bavariæ ad Raynam caſtra poſuiſſet, ipſe quoque uno inde milliari Northemii conſedit. Hinc vero cum ad Licum fluvium veniſſet, & Bavarici adverſam tenentes ripam ipſi tranſitum impedirent, eminus jaculis tormentorum utrinque fuit certatum, & quinta Aprilis Bavari majori vi operas Suecorum ad conjungendum pontem, ac propugnaculo ad inſtar dimidiatæ lunæ in altero littore firmandum, beneficio tenebrarum noctis, & aëris nubiloſi propere excitatas, disjicere contendentes, magna accepta clade fuerunt rejecti. Tillius in femore à pila tormenti ſauciatus, ex eo vulnere Ingolſtadii obiit ultima Aprilis, & alter Dux belli Bavaricus Altinger grave vulnus in capite accepit, alii circiter mille, inter quos plurimi Ordinum ductores occubuerunt, ex Sueticis nonniſi viginti deſideratis. Bavariæ Dux cum videret hoſtiles copias ad invadenda caſtra ſua per pontem illum traduci, præmiſſis celeriter impedimentis Ingolſtadium abiit. Rex autem Suecus Raynæ præſidio relicto, ſtatim altero die verſus Auguſtam Vindelicorum exercitum duxit, & Lichuſii ſubſiſtens, cum Civibus tracta-

Crucenacum deditur Sueco Regi.

Suecus Rex perſequitur Tillium in Bavariam.

Donaverda potitur Rex Suecus.

Tillius pila tormenti vulneratus moritur Ingolſtadii.

Bavariæ Dux profligatur à Rege Sueco.

Auguſta Vindelicorum deditur Sueco Regi.

A. C. 1632.

tractavit (interim Bavariæ Dux habuit tempus ut Ratisbonam quæ jam de recipiendo Sueco tractabat prævenerit, ſuoque præſidio munierit) ut non expectata oppugnatione, Bavaricum præſidium dimiſerint. Ipſemet vero quatuordecima Aprilis, una cum Friderico Palatino Boëmiæ Rege, qui interim Haga Comitis ad ejus caſtra venerat, pompa celebri Civitatem ingreſſus, Sacramentum fidelitatis à Civibus recepit, Catholicos Magiſtratu movit, totam Civitatem arbitratu ſuo ordinavit, munivitque præſidio ſuo trium legionum peditum, & unius equitum.

Fridericus Palatinus venit Aga Comitis ad caſtra Sueci Regis.

Nec multum ibi moratus, tam ampla ſibi porta patente ad occupandam totam Bavariam, diverſas legiones in diverſa ejus loca dimiſit, & ipſemet cum robore præcipuo Ingolſtadium obſederat. Sed cum videret eam Civitatem contra diuturniorem oppugnationem optime eſſe inſtructam, & non tantum momenti importare, ut circa eam longioris temporis jactura facienda eſſet, in meditullium Bavariæ Landshutam conceſſit, omnique illi Regioni, ac Epiſcopatus Friſingenſis ditioni tributa imperavit.

Ingolſtadium Suecus Rex oppugnat irrito eventu.

Ac Monachium converſus, illud quoque ſeptima Maii deditione obtinuit, ac à Civibus illis ducenta millia Talerorum Imperialium lytri loco accepit, & armamentarium omne, in quo præcipue tormenta ænea bellica centum quadraginta numerabantur Auguſtam transferri juſſit: Deinde Memmingam occupavit, præſidioque ſuo munivit.

Monachium Suecus Rex capit ac gravi ære mulctat.

Alii verò Duces ipſius Landsbergam, Fuſſenam, Mundelhemium totamque illam Provinciam Lindaviam uſque, alii Lichtenaviam, Pappenhemium, omniaque loca circum Licum; alii circa Danubium infra Vlmam jacentia Oppida Donaverdam uſque ſubegerant. Eccleſiaſtici vero, præſertim Electores, in tanta rerum perturbatione Coloniam confugerant, & implorabant patrocinium Regis Galliæ, eoque ſequeſtro ut neutrarum partium eſſe permitterentur tractarunt Bervaldii cum Delegatis Sueticis: Sed magis ad lucrandum tempus, donec Imperiales partes vires reſumerent;

Electores Eccleſiaſtici neutralitatem tractant cum Sueco.

præter Treverenſem qui illius Regis tutelæ ſuas ditiones commiſerat, cum iſtæ viciniores Galliæ, & à ſubſidiis Imperialibus remotiores, nullo alio remedio à tam repentina vi hoſtili ſervari potuiſſent, circumſtrepentibus undique victricibus armis Sueticis:

Treverenſis Elector patrocinio Regis Galliæ ſe ſubmittit.

Quæ in alia quoque parte Germaniæ Pappenhemium à Stada & à tractu Bremenſi diſcedere, ac Varburgum cum pluribus ad Viſurgim Oppidis deſerere coëgerant, & quoquò ſe verterent, Cæſarianos conſiſtere non ſinebant. Atque ita bellum illud à fœdere Lipſienſi intempeſtive damnato incitatum, impetu ſumpto ex prælio apud Lipſiam Tilliano, in tam brevi tempore (quod alicui ocioſè tantam terrarum intercapidinem peragranti vix ſuffeciſſet) totam Germaniam pervaſit, & Sueco Regi parere fecit: Omninoque ille totum negotium eòuſque confeciſſet, niſi ipſi meliora (fatali Domus Auſtriacæ ſorte) conſilia defuiſſent.

Sueci progreſſibus conſilia bona deſunt.

Et quidem ſtatim à principio bellum illud offenderat in eo, quod olim Annibalem poſt pugnam Cannenſem uti victoria neſciſſe probavit. Rex enim Suecus fulmen iſtius belli poſt pugnam Lipſienſem omne ſuum robur (ut ſuccideret inprimis nervos Ligæ Catholicæ) converterat contra Germaniam, quam (præter Bavariam & paucos Epiſcopatus) à quocunque divexari Auſtriacis fortè magis expediret, eaque ab aliquo hoſte occupata, ipſorum viribus in reliquo integris, quandoque liberari poſſet. Caput verò rei Vienna & hæreditariæ Provinciæ Auſtriacæ, à quibus plena victoria pendebat, & quæ facilius obtineri poterant, ac ſi de induſtria cladis Lipſianæ damnis reparandis ſervarentur, illæſæ manſerunt. Seu quod illa belli pars ceſſerat Electori Saxoniæ, cujus Miniſtris ſatis præſtitiſſe rati, quod Pragam ac pauca in Sileſia & Boëmiæ oppida intercepiſſent, ultra, (fortè quod eſſent viribus debiliores) non proceſſerunt. Sperarat etiam Suecus, quod novus Prin-

A.C. 1632.

Ragocius Tranſilvaniæ Princeps non vult immiſceri bello Germanico.

ceps tranſilvaniæ Ragocius aliquas turbas in Vngaria, & circa Viennam (uti eum per ſuos Nuntios ſolicitabat) commoturus eſſet; ſed ille recens Principatum adeptus, (præſertim cum domi haberet gravem æmulam Gabori Bethlemi viduam, & fratrem ejuſdem Iſthuanum Bethlemum rebus novandis idoneum) maluit Imperio ſuo ſtabiliendo invigilare, quam alienis difficultatibus immiſceri. Sed quicquid ſit de conſiliis fœderatorum, Imperator hoc modo circa Viennam ſecurus, tempus recolligendi vires habuit; ad quod certatim non ſolum Rex Hiſpanus ac Romanus Pontifex, ſed alii quoque Principes ipſius ſubditi opulentiores, magnam pecuniæ vim conferebant. Summum autem imperium bellicum commiſerat Imperator Valnſtenio Principi Fridlandiæ, quod ipſe memor injuriæ in abrogato ſibi nuper eodem officio illatæ recuſavit primum, præter curam conſcribendi exercitus: demum tamen illud ſuſcepit, ſpecioſioribus promiſſis ac conditionibus illectus, quarum præcipuæ erant.

Imp. circum Viennam ſecurus, tempus habuit inſtaurandi vires.

Valnſtenius recuſat munus Præfecti militaris.

Valnſtenio ſpecioſa promittuntur ut ſuſcipiat Præfecturam militarem.

Vt ipſe Fridlandinus non ſolum Imperatoris, ſed & Regis Hiſpaniæ ac totius Domus Auſtriacæ ſupremus belli Dux eſſet, cum poteſtate plena, & nec Imperator, nec Rex Vngariæ ad exercitum veniret, quo Dux ſolus in exercitu obſequium promptius haberet. Ius ipſius in Ducatum Megapolitanum circa tractatum pacis generalis firmaretur. De expenſis & remuneratione in hæreditaria aliqua Auſtriacæ Domus Provincia ipſi caveretur: & ex Provinciis Imperii occupandis, aliqua inſignior honorarii loco ipſi cederet. Iudicium de bonis poſt rebelles fiſco applicandis penes ipſum eſſet, & nonniſi ipſius arbitrio in bene meritos eadem bona diſtribuerentur. Sumptus belli tempeſtive ſubminiſtrarentur, & receptacula militi etiam in ditionibus Imperatoris hæreditariis ad mandatum ipſius paterent.

Valnſtenius Znaymæ conſcribit exercitum.

Valnſtenius Pragam recuperat de manu Saxonis.

Saxoniæ Elector: tractatibus pacis diſtinet Valnſtenius.

Bavariæ Dux Valnſtenio conjungitur apud Egram.

Iſtis itaque conſtitutis Valnſtenius Znaymæ in Moravia ſtativa pro colligendo exercitu & bellico apparatu conquirendo ſumpſerat, & tranſacta hyeme, primo vere movens in Boëmiam cum quinquaginta millibus armatorum, obvia quæque in poteſtatem ſuam redegit. Pragam ut advenerat, mœniaque Civitatis minoris à monte albo admotis machinis bellicis viginti quatere cœperat, ineunte Maio Saxonici defenſione deſperata, deditionem fecerunt, totamque Boëmiam ſtatim deſeruerunt, præter Egram, quam etiam vix inchoata oppugnatione, Holkio Valnſtenii Legato ceſſerunt. Nec uſquam Elector Saxoniæ laborantibus ſuis ſubvenire potuit, intentus magis ad pacis tractatus, quos Valnſtenius ad lucrandum tempus novis identidem conditionibus propoſitis de induſtria trahebat, & demum inducias ad duos menſes fecerat, quo ſecurior ab iſta parte, omnes vires contra Suecum Regem converteret. Vnde rebus in Boëmia tali modo ſtabilitis, primis diebus Iunii apud Egram conjunctus Duci Bavariæ, Sulzbachum tranſivit, ibique ſubſiſtens toto Iunio, progreſſus hoſtis obſervavit.

Norimbergam prope conſiſtunt Suecus Rex & Cæſariani Duces.

Cum verò Rex Suecus hoc intellecto, veritus ne Palatinatus ſuperior peteretur, Auguſtam ac loca in Bavaria intercepta reliquiſſet, Guſtavo Horn cum parte exercitus cuſtodienda, & ipſe cum reliquis copiis Norimbergam, ad intercipiendum alicubi hoſtem tranſiiſſet: Valnſtenius quoque ac Bavariæ Dux initio Iulii eò contendit, ac apud Sreinum tranſmiſſo Rednitio fluvio, in proximo ex adverſo illius Vrbis caſtra poſuit: ubi toto menſe Iulio nil memorabile utrinq; ſucceſſit, præter excurſiones Marte æquali hinc inde commiſſas, maxime circa præripiendum alter alteri commeatum, quem Frindlandinus, cum Equitatu, præſertim Polonorum ac Croatorum levis armaturæ prævaleret, copioſiorem habuit. Medio etiam menſe Auguſto, cum Regi Sueco Bernardus Dux Vinmarienſis, ac Bannerus numeroſiores copias ex præſidiis Franconiæ, & circa Rhenum collectas adduxiſſet, ut propè ſexaginta millia armatorum in ejus exercitu numerarentur,

oppu-

A.C. 1632.

oppugnavit quidem ille Caſtra Cæſariana, ſed munitiora ſitu loci editioris dumetis obſiti invenit, Valnſteniumque primos illos impetus cunctando frangere volentem, ſeu æquiorem ad pugnam (ne unius ejuſque difficilis prælii aleæ ſummam rei permitteret) commoditatem expectantem, (nempe quod Suecus numero virorum ac equorum recens ſibi conductorum præſtaret, Cæſarianos autem longior in caſtris ſtatio, defectuſque pabuli debilitaſſet, ſeu quod Valſtenius Ducem Bavariæ, cum quo alternis hebdomadis per vices imperium bellicum exercebat, conſortem alicujus victoriæ habere nollet) ad prælium elicere non potuit, præter quod paucæ illius cohortes ſub finem Auguſti tota die excurrebant ad velitandum, & ſub veſperam ejus diei inſiſtentes Sueticis, cum longius à ſuis caſtris receſſiſſent, coactæ inierunt iniquiori Marte prælium, quod tandem nox diremit, deſideratis in eo ex parte Cæſarianorum prope mille, inter quos fuerunt non pauci Ordinum ductores, & ex inſignioribus Tribunis Maria Caraffa, Coronomontanus, ac Iacobus Fuggerus; ex parte Sueticorum prope ſexcenti cum ſuis Præfectis occubuerant, & captivi utrinque æquali numero multi facti.

Suecus Rex elicere non poteſt ad prælium Cæſarianos.

Cæſarianorum cum Sueticis conflictus præ caſtris.

Ad extremum ambo illi exercitus, nullo alio inſigniori certamine rentato, (præter ſpem cum omnes ſuſpenſis animis, à tali eorum congreſſu ſummæ rei diſcrimen expectarint) in diverſa receſſerunt. Primumque Rex Suecus, ut Norimbergæ præſidio octo millium armatorum gravatæ parceret, ac ſuos copioſiore commeatu reficeret, ſolutis quæ apud Furthum tenebat caſtris, Neoſtadium ad Aiſcham abierat, & quarto poſt die 22 Septembris Valſtenius Forchemium conceſſit, Lauffa & plurimis in proximo Norimbergenſibus pagis crudelius expilatis. Nec amplius iſto anno infeſtæ illæ acies uſpiam congreſſuræ videbantur, autumno jam ingruente, & præſertim quod fuerint diſpertitæ in longinqua.

Suecus Rex Norimbergæ relicto præſidio caſtra ſolvit.

Valnſtenius à Norimberga ſolutis caſtris diſcedit.

Valnſtenius magnam partem copiarum ſuarum dimiſerat cum ſupremo vigiliarum Præfecto Galaſſio ac Holkio verſus Boëmiam & Saxoniam, & Dux Bavariæ apud Coburgum, cujus Oppido capto arcem Frindlandinus irrito conatu oppugnabat, plures legiones ſuas ſeparaverat à Cæſarianis Ratiſbonam itinere ſuo converſo. Rex vero Suecus Ducem Vinmarienſem cum decem millibus Kizingam, alioſque Duces alio ablegaverat, & ipſemet iverat in Bavariam, ut recuperaret Rainam, quam interim Bavarici interceperant.

Bavariæ Dux relinquit Valnſtenium & Ratiſbonam abit.

Verum fatalis neceſſitas, mox utrumque in unum locum pugnamque compulit. ut enim Valnſtenius videns quod apud Coburgum, & illius tractus. loca à præſidiis Sueticis bene cuſtodita, parum proficere poſſet, omnes copias apud Veidam convenire juſſerat, eaſque conduxerat in Saxoniam præſidiis parte vacuam, Suecus Rex ſtatim Auguſta, Rayna, Donaverda totoque illo continenti, ut commeantibus hinc inde ſuis ſecurus pateret, præſidiis firmioribus munito, Norimbergam rediit, & ſumma feſtinatione intendum rarus, ne ſibi ac auxiliis ſuis ex Suecia & Pomerania venientibus tranſitus Albis, ſi occuparetur ab hoſte Saxonia intercluderetur, & Elector Saxoniæ conſtrictus obſidione Dreſdæ ad partes Imperatoris recederet, eò properavit, magniſque itineribus, iis tantum copiis quas præſto habebat, accito ſolo ad ſe Bernardo Vinmarienſi Duce per ſylvam Turingicam Erfordiam conductis, (in illa Civitate hærebat Regina ejus uxor) ibique ineunte Novembre luſtratis, movit verſus Lipſiam.

Valnſtenius Coburga relicta in Saxoniam abit.

Suecus Rex proſequitur Valnſtenium in Saxoniam.

Hanc enim Valnſtenius interim ad deditionem coëgerat, & ejus Præfecti Gallaſius, ac Holkius plura ibi Oppida Electoralia vi occupaverant, graviſſimo lytro à Friberga pro redimenda direptione Civitatis, & ſepulchri Electoralis ibi ſiti accepto, totamque illam oram Dreſdam uſque ſubegerant, nemine pene obſiſtente; cum Electorales copiæ in longinquo Sileſiæ circa Glogoviam (feliciores ibi ſucceſſus habebant) cum Arnhemio abeſſent, & viribus longè impares eſſent Cæſarianis.

Lipſiam Valnſtenius cogit ad deditionem.

 Vnde

A.C.1632.

Naumburgum Suecus Rex capit & munit.

Vnde iſti ipſam quoque Dreſdam Electoris ſedem facilè obtinuiſſent, niſi celerius ſubveniſſet Rex Suecus. Qui primo adventu pulſis Cæſarianis Naumburgum cepit, ibique decima Novembris caſtra ſua poſuit, & per exploratores comperto, quod Valnſtenius Lipſia relicta ad duo milliaria Venſenfèlſium, ac inde obviam ſibi veniret, ipſe quoque quarta decima Novembris, necdum finitis apud Naumburgum caſtrorum ſuorum munitionibus, proceſſit ad pagum Churſitz quindecima die Novembris ſtylo novo, & inſtructa acie hoſtilibus agminibus ſe conſpiciendum præbuit. Subſtiterat autem Valnſtenius apud Lutzenam, ut ibi Pappenhemium à Merſburgo cum ſelectiori equitatu accerſitum expectaret: ſed Rex

Guſtavi Sueci Regis apud Lutzenam cum Valnſtenio prælium.

Suecus de hoc per exploratores admonitus, ut præveniret adventum Pappenhemii, primo diluculo inſequentis diei in aciem prodiit, & tantiſper expectato donec nebuloſum aërem Sol oriens diſcuſſiſſet, pugnam inchoavit. Hujus itaque initio potiſſimum robur Sueticum dum ad congreſſum foſſas binas quas Valnſtenius, ut loco loricæ aciei ſuæ eſſent, beneficio noctis præcedentis duci, ac ſclopetariis compleri fecerat, præter ſpem ſuperare cogeretur, magnam cladem accepit, demumque poſt longam luctam vi (ſeu ſtudio ut ibi intercluderetur permittentibus Cæſarianis) perrumpens, acerrimo conflictu inito, profligarat quidem frontem hoſtilem, verum cum ſubſidia recipere & pugnando defatigatum propter illas foſſas retrocedere difficile poſſet, ab accurrentibus majori numero

Guſtavus Rex Suecus occiſus.

Cæſarianorum auxiliis rejectum concidit, ejus tota ferè Prætoria Finorum flava dicta, ac cærulea Vinchelii legione cæſa: ibidemque ipſemet quoque Rex Suecus duobus lethalibus vulneribus (incertum à quo, ſeù à tali qui ibidem ſimul perierat, aut à familiariori ſuo cui de hoc gloriari non licuit) pugnando acceptis occubuit. Franciſcus Albertus Dux Saxoniæ Laoburgicus, qui paulo ante à Cæſarianis partibus ad eum defecerat, individuus ipſius comes in iſto prælio illæſus manſit, idemque primus Valnſtenio (iſti fuit familiarior, & priuſquam tranſiſſet ad Suecum, & poſt illam pugnam) de cæde ejus nuntiarat; & inter cadavera cæſorum non agnitum, cum lixæ ſpoliaſſent, ac diverſi diverſa ex ejus armis & veſtibus circumferrent, hora antemeridiana increbuerat rumor

Bernardus Vinmarienſis Dux continuat pugnam cæſo Rege Sueco.

de morte ipſius. Nil tamen propterea fuit remiſſum ex fervore dimicandi, & Bernardo Duce Vinmarienſe à ſiniſtris, qua nullæ erant foſſæ, in dextram hoſtilem alam irruente, dextra quoque Suetica vires reſumpſit, fortuitoque curruum nitrato pulvere onuſtorum propè molas verſatiles incendio turbatis Cæſarianorum ordinibus, tota iſtorum acies inclinare cæpit, plurimis ex ea in fugam dilabentibus. Demum vero Pappenhemius cum ſuo Equitatu ſerius à Merſburgo adveniens, non paucis ex fuga revocatis prælium inſtauraverat, quod iſto quo-

Pappenhemius in pugna Lutzinenſi periit.

que pila tormenti mox percuſſo, & ſaucio (in itinere priuſquam Lipſiam perveniſſet obiit ex illo vulnere) è pugna elato, ad noctem duravit. Et ita Mars dubius perpetuo inquirendum reliquit, Sueciſne tum ceſſerit victoria, qui locum certaminis, (primi Cæſariani aciem deſeruerant) ac tormenta bellica, impedi-

Lutzinenſi in pugna cæſorum à parte Cæſarianorum major numerus.

mentaque hoſtis obtinuerunt, & pauciores (nempe cæſi Sueci ter mille, & Cæſariani ſex mille, inter quos Ordinum ductores plurimi & pauci evaſerunt non ſaucii) perierunt, ſed amiſerunt Regem: uti futura belli iſtius ſeries docebit, quiſnam exinde majora damna, ac victoriæ ſymbola tulerit. Tunc autem Viennæ, & in omnibus partium Auſtriacarum locis, ac ſi Rege illo ſublato iam fuiſſet debellatum, ſpecioſiores triumphi agebantur. Sueci vero diſſipatis tunc

Lipſiam Suetici recipiunt pulſis Cæſarianis.

copiis Cæſarianis, intercepta ab iſtis in Saxonia loca, recuperabant. Lipſiam (quo Valnſtenius ſtatim à pugna nocte intempeſta cum paucis Comitibus confugerat, & timens ne ibi obſideretur, poſtridie exiguis laceriſque exercitus ſui reliquiis recollectis abierat in Boëmiam) tertio poſt die pulſo Cæſariano præſidio,

& mox

& mox Chemnitziam, Zvikaviam, & Altenburgum receperunt. Quin immo in omni ferè parte viribus ſuperiores, Cæſarianos vincebant. In Alſatia Guſtavus Horn Benfeldiam, Seleſtadium, Molshemium, Colmariam, Hagenoam, ac plura illius oræ Oppida vi ad deditionem ſub hoc tempus coëgit, & aliæ Sueticæ copiæ cum Bannero & Chriſtiano Comite Palatino in Bavaria ac Suevia, è multis locis præſidia Cæſarea ejecerunt, aliæ Hiſpanos Franchentalio Palatinatus Rheni Oppido munitiſſimo, ſub finem Novembris excedere fecerunt, & Heidelbergam gravi obſidione premebant. Colonienſem quoque ditionem, quæ indifferentium partium conditiones acceptas, erecto novo propugnaculo Tuitii, rejiciebat, Baudiſius incurſionibus divexavit, & Laritium, Andernachium, ac in Montenſi Comitatu Siburgam cum pluribus ibidem vicinis Oppidis vi cepit, Tuitiumque expugnavit, ut Elector Colonienſis aliquot Hiſpanorum millia à Gubernatrice Belgii pro defenſione ſuæ ditionis recipere debuerit. Dux Vinmarienſis cum ſuis copiis à Lutzinenſi conflictu in Franconiam reverſus, iterum Bambergam & Cronachium ad ſuum obſequium revocarat. Kniphuſius cum parte copiarum ad retinendos tranſitus Viſurgis deſtinatus, unà cum Georgio Duce Luneburgenſi circa Rintelam & Hameliam Cæſarianis multa damna dederunt: & Saxonicæ copiæ, quæ poſt pugnam Lutzinenſem tertio demum die ad Grimmam Sueticis ſeſe conjuncturæ advenerant, iterum cum Arnhemio ſuo Duce redeuntes in Luſatiam & Sileſiam, omnem illam regionem (Vratiſlavienſes ad ſpeciem indifferentes, connivebant ut iidem Saxonici occuparint & ſpoliarint Cathedralem Eccleſiam, & omnia templa Inſulæ S. Ioannis, ibique ſtationem ſibi contra Cæſarianos munierint) præter Niſſam obtinuerunt, donec Fridlandinus novo conſcripto milite, vires ſuas inſtauravit in annum ſubſequentem, ut tunc attingemus.

A.C. 1632. *Valnſtenius in Boëmiam lacerum reducit exercitum.* *Suetici Duces caſo ſuo Rege nil remittunt ex cura belli Germanici.* *Franchentalio Sueci ejiciunt Hiſpanum præſidium.* *Tuitium Colonienſium propugnaculum Baudiſius expugnat.* *Bambergam recipit Vinmarienſis Dux.* *Vratiſlavienſem Inſulam Epiſcopalem devaſtant Saxonici.*

Sub hoc tempus paucos poſt dies à nece Sueci Regis Fridericus Elector Palatinus tantæ ſcenæ inſtructor obierat Moguntiæ ſub finem Novembris, cujus loco Ludovicus Philippus Comes Palatinus ejus frater Adminiſtrationem Palatinatus pro ipſius filiis ſuſcepit: Leopoldus etiam Archidux deceſſerat Tyroli menſe Septembre, relictis duobus filiis maſculis ex Claudia Medicea.

Fridericus Palatinus Elector moritur. *Leopoldus Archidux moritur.*

In Hiſpania vero ſub idem tempus idem naturæ debitum ſolverat Princeps Hiſpaniæ Carolus, juvenis animo acri, & Imperio pari, ac propterea Regi fratri ſuſpectus. Vnde ad omnes ejus geſtus diligentiores cuſtodiæ adhibebantur, & rumor ferebat, veneno fuiſſe extinctum, potius morbo venereo.

Carolus Regis Hiſpaniæ germanus moritur.

Hollandi ea opportunitate, quod Hiſpani in mittendis Imperatori & pro retinendo Palatinatu inferiori auxiliis, diſtrahebantur, rem ſuam curare non neglexerunt. Et quo eas partes quas aggrediendas decreverant imparatiores invenirent, prope Caletum permittente Rege Galliæ, militem conſcribebant, ut nonniſi Gravelingam ſeu illi oræ vicinius aliquod propugnaculum petituri viderentur.

Vnde Hiſpani omne ſuum robur militare eo conduxerant, quamvis Henricus Montenſis Comes Præfectus Geldriæ monuerit, ut ab iſta potius parte periculum præcaverent, uti evenit. Ille enim magna celeritate converſis copiis ſuis ad Neomagum, eas ibi luſtratas Venloam duxerunt, eamque deditione ceperunt, poſt brevem oppugnationem: ac paulo poſt Rurhemundam apud quam Caſimirus Naſſovius, dum propius mœnia Oppidi locum vineis erigendis deſignat, ictu bombardæ percuſſus occubuit. Alia quoque vicina ibidem Oppida facili negotio Hollandi occupabant, cum Comes Montenſis non habens exercitum quem hoſti opponeret, inde abiiſſet, & alia ſubſidia in tam brevi tempore ex Flandria eò convenire non poſſent. Omnem vero culpam Hiſpani in Montenſem Comitem

Hollandi Venloam deditione capiunt.

A.C.1632.

Henricus Comes Montenſis odiis Hiſpanorum exagitatus deficit ad Hollandos.

rejiciebant, & contentionibus hinc inde, ac ſimultatibus gravioribus exortis, iſte metuens ne eis (uti multis aliis ibidem obvenerat) opprimeretur, defecerat ad Hollandos. At Princeps Henricus Auraicus Hollandorum Dux tanto majori rei bene gerendæ fiducia, quod alios quoque Belgas ad defectionem propendere ſperaret, verſus Brabantiam cum omni exercitu proceſſit, ac initio menſis Iunii Trajectum ad Moſam obſedit.

Trajectum ad Moſam obſident Hollandi.

Pappenhemius ſubvenire non poteſt Trajecto.

Nec potuerunt Hiſpani ſubvenire obſeſſis, prius quam ille totam Civitatem aggeribus & propugnaculis circumdediſſet. Eas autem operas poſt quam perfecerat, & undique circumcluſerat Civitatem, ut ad eam nuſpiam pateret aditus, ipſi cum Gonzalo de Cordoua ſuo Duce eo conducti potius ſpectarunt quam impedierunt oppugnationem, nulla impreſſione facta contra caſtra Hollandica, præter quod ſub initium menſis Auguſti cum parte Cæſarianarum copiarum à Viſurgi ex Saxonia inferiore per Veſtphaliam magnis emenſis itineribus Pappenhemius adveniens, contra ſtationem Vilhelmi Naſſovii irruptionem fecerat: & cum Hiſpani ſub idem tempus, uti condictum erat (fortè quod cum Pappenhemio Cordoua non bene conſentiret, & gloriam illam ipſi invideret) ab altera parte aſſilire hoſtem neglexiſſent, ille cum magna clade ſuorum rejectus, iterum in Germaniam redierat ad Lutzinenſem pugnam, ibique (ut attigimus ſupra) perierat. Præſidiarii tamen illius Civitatis, qui erant duo millia quingenti præter Oppidanos, eruptionibus continuis, & cruentis ſæpius utrinque pugnis, diutius diſtinuerint conatus Auranii: demum verò cum iſte ingenti labore vineas propius vallum Civitatis perduxiſſet, ac pontem expugnatorium, pluteoſque apud portam Vimeringenſem, dejectis defenſorum munitionibus, inſtruxiſſet, jamque per cuniculos intraſſet ſubtus mœnia Civitatis, illi ſubſidiis deſperatis deditionem fecerunt, conditionibus ſatis honeſtis. Hollandi enim præter morem ſuum omnibus incolis Civitatis liberum uſum Religionis Catholicæ permiſerunt: Magiſtratus mutarunt quidem, ſed loco amotorum ſubrogarunt Catholicos, Clero & locis piis Catholicis omnes libertates & Privilegia, tum & Leodienſi Epiſcopo Domino illius territorii, jura ſua uti ſub Rege Hiſpano erant, ſervanda fore caverunt, templaque omnia reliquerunt Catholicorum poteſtati, duobus tantum pro uſu Religionis ſuæ diverſæ aſſignatis. Nimirum ut hoc exemplo aliæ Civitates Belgii, quæ tunc concitatæ defectione Comitis Bergenſis nutare videbantur, (præſertim Leodium) ad eorum ſocietatem allicerentur.

Tra-ectum ad Moſam deditionem facit Hollandis.

Hollandi permittunt liberum uſum Religionis Catholicæ Trajecti.

Inde Hollandici Lemburgum ac multa Oppida vicina in poteſtatem ſuam redegerunt, & revertens in Hollandiam Vilhelmus Naſſovius, Orſoiam ad Rhenum intercepit, Rinberchæ obſidione in annum ſubſequentem dilata.

Aurelianenſis Dux contra fratrem Galliæ Regem arma ſumit.

Galliæ Regis copiæ in Lotaryngiam ducuntur.

Aurelianenſis copiæ profligantur.

In Gallia fraterna Regiæ domus odia, quæ ad aliquam concordiam reduci potuiſſe alias attigimus, hoc anno in apertum bellum proruperunt. Aurelianenſis enim Dux frater Regis Galliæ, cum matrem ſequutus in Belgium, ſub Hiſpanorum patrocinium conceſſiſſet, audaciora conſilia nempe ut fratrem Regem vi aperta aggrederetur, ibi concepit. Ad quod Rex Galliæ intentus, copias ſuas quas in Alſatiam in auxilium fœderatis Germaniæ deſtinaverat, contra Lotaringiæ Ducem, qui Aurelianenſis Ducis partes fovere videbatur, converti juſſit, & intra paucos dies illum Ducem adegit, ut præſidia Gallica reciperet Clermontii, Aſteriſæ, ac exauthorato ſuo milite caverit, quod contra eundem Regem nil hoſtile moliri vellet. Contra Aurelianenſem autem qui in Galliam tranſierat cum exercitu in Belgio conquiſito, & in Linguadocenſi totaque Narbonenſi regione, pertracto in ſuas partes Duce Montmorantio illius Provinciæ Præfecto, ſedem belli inſtituerat, expeditus à Rege Mariſchal della Forze, illius copias conductas à Dilbeuffio diſſipavit, & alias in quibus ipſemmet Aurelianenſis cum Montmorantio

præ-

præerat, prope caſtellum de Ari prælio commiſſo Mariſchal-Schembergius profligavit, Montmorantiumque cepit.

A.C. 1632. Montmorantius partium Aurelianenſis ca, tus.

Atque tota Gallia, quæ ſpecioſo commento (quaſi non Regia perſona ſed Cardinalis Richelius conſiliorum ipſius arbiter ab Aurelianenſi peteretur) ad novandas res tunc erecta, poſt unicum illud prælium conquievit; & magis ab exemplo Ducis Montmorantii, qui à Parlamento Toloſſano criminis læſæ Majeſtatis propterea damnatus, ſub finem Octobris ibidem Toloſæ in ipſo virilis ætatis flore, nempe anno ætatis trigeſimo quinto, capitis ſupplicio interiit, plurimique nobiliores ejus ſocii eandem pœnam ſubierunt. Aurelianenſis vero cum in poteſtatem Regis poſt illum conflictum veniſſet, & ſubſcripſiſſet conditiones reconciliationis, ſive offenſus inexpectato Montmorantii caſu, ſive quod non ſatis fideret Regi, eluſis cuſtodiis iterum in Belgium evaſerat, ibique cum matre Regina degens ad multum tempus, fraternis odiis nutriendis indulſit. Cæterum Rex Galliæ nil remiſit propterea ex cura rerum Germanicarum & expediterat cum valido exercitu Mariſchallum Deſiati in Alſatiam, ac in Electoratum Treverenſem, in quo licet neutrarum partium eſſet (nimirum ut ita ſervaretur ab incommodis iſtius belli) Hiſpani hoc poſtpoſito, plura loca præſidiis ſuis muniebant. Vnde Galli quoque eo converſis armis ſuis diverſa certamina circa præoccupandos ſervandoſque Moſellæ tranſitus cum eis commiſerunt, & non paucis ditionis illius locis propria præſidia impoſuerunt.

Montmorantius Dux capite plectitur.

Aurelianenſis Dux eluſis cuſtodiis iterum in Belgium tranſit.

Galliæ Regis copia in Germaniam tranſeunt.

In Italia quoque Caſalium Montisferrati præſidia militaria numeroſiora introduci, ac circa Pinarolum in Sabaudia plures munitiones excitari curabat ille Rex, quo Hiſpanorum conſilia atque vires, novi alicujus ibi inſtaurandi belli ſuſpicionibus, à Germanico bello diſtraherentur. Aliud verò ex rebus Italicis hoc anno adnotandum nil occurrit, præter concertationes ſtudiorum pro Hiſpanis contra Gallos, & pro Gallis contra Hiſpanos contendentium, aliis Hiſpano, aliis Gallo juſtiores belli cauſas tribuentibus.

Galliæ Rex Caſalium & Pinarolum novis præſidiis firmat.

Quod malum etiam Romanam Curiam eouſque invaſerat, ut purpurati Patres partium Hiſpanicarum prope novum ſchiſma excitarint, dum Summum Pontificem virum animo cauto, nec ad rumores flecti facili, media conſiſtentem via, ad damnandum Gallum, & pro auxiliis Hiſpanicis, ærarium Eccleſiæ totum (miſerat interim Imperatori ducenta millia nummorum aureorum) evacuandum pertrahere conantur. Scripto enim obnuntiationem conceptam, quaſi ipſi Pontifici imputandum foret, ſi quid detrimenti ex illo bello Fides Catholica acciperet, in publico Conſiſtorio Cardinales Borgia, Vbaldinus præſentarant, & in vulgus ſparſerant. Pontifex tamen illam audaciam (quamvis multi ſuaſerint renovandum in ea ſeveritatis Vrbani VI exemplum) moderatius tulit poſt brevem indignationem, relicta authoribus pœna erroris angore cujuſque conſcientiæ, ex quo Cardinalis Ludoviſius intra paucos poſt menſes & Vbaldinus vix altero anno inter ſolicitas deprecationes completo obierat.

Romæ Card. Hiſpano Regi addicti, Pontificem pro auxiliis ei dandis importunius ſollicitant.

Vrbani VIII P P. æquanimitas inſignis.

In Polonia hoc anno Rex Sigiſmundus poſt mortem Reginæ uxoris inter gemitus lugubres, etiam morbo articulari conflictatus, eum ope cauteriorum à quibus eouſque abhorruerat aliquantum convaluiſſet, ne malum idem recurrens conſilium ordinandæ rei ſuæ privatæ turbaret, Comitia Generalia Ordinibus Regni ad menſem Martium Varſaviæ indixit. In quibus potiſſimum de aſſignando à Repub. pro alimentis filiorum Regiorum ex ſecunda uxore cenſu decenti tractari fecit, ac obtinuit ut poſſeſſiones ac Præfecturæ Reginæ defunctæ tam in Polonia quam in Lithuania dotales inter illos dividerentur, eorumque uſui ſervirent, ſed aliquo ipſorum è vita decedente, eædem Præfecturæ iterum inter Nobiles indigenas Regni diſtribuerentur. Permiſſum quoque fuit ut Princi-

Comitia Pol. Varſav. 1632.

Sigiſmundus III Regis Poloniæ filiis proviſio à Republica datur.

Ioannes Albertus Polon. Princeps renuntiatur Epiſcopus Cracovienſis.

 pem

A.C. 1632.

pem Ioannem Albertum Epiſcopatum Varmienſem in Epiſcopatu Cracovienſi (nam neque talia beneficia inſcia Republ. conferre poteſt Rex filiis ſuis) Andreæ Lipski nuper defuncto ſufficeret. Et viciſſim Principes donationes propter nuptias Reginæ defunctæ factas Reipubl. condonarant, ac Rex gratificaturus Ordinibus renuntiarat juri euſque Regali ſignandæ monetæ, quo ſincerior in poſterum nullo inde captato lucro cuderetur. Nimium enim depravarant monetam Monetales Regii enormia lucra ex ea detrahentes, & in tantum arte tali expilarant Rempublicam, quod cum initio iſtius Regis nummi conſtarent ex argento juſtæ probitatis, poſtea veteribus in novos recuſis, & in dies vilioribus divulgatis, ad extremum nonniſi æneï, ſeu ex ære majori parte, ac exiguo immiſto argento confuſi in toto Regno numerarentur. Voluerat etiam tum Rex de deſignando ſibi ſucceſſore explorare Ordinum Regni voluntates: ſed iſtis pro libertate Electionis Regis conſervanda anxiis, & ad omnes cautiones circumſpectis, nihil non dubium in hujuſmodi materia proponi potuit. Nempe quod hæreret præ oculis formidoloſum exemplum Regni Boëmiæ, ad quod liberum per Electionem liberam acceſſiti Auſtriaci, ut ibi pedem fixerunt, nunquam licuit Boëmiæ eam libertatem exercere, cum regnans alter alteri, vivens viventi, ex arbitrio ſuo ſucceſſionem Regni traderet, & illi privati occaſione Sedis Regiæ vocationis, quæ eſt unica & certiſſima inſtaurandarum libertatum cujuſque gentis Ratio, tandem in miſeram ſervitutem regnantium ſubinde hæreditarium titulum uſurpantium conceſſerunt, ſimilique artificio Vngari quoque irretiti tenentur. Immo & Imperium Roman. eodem modo dum Imper. vivens ſucceſſorem ſibi Regem Rom. deſignat, in eadem familia continuatum, jam pæne pro hæreditario habetur.

Sigiſmund. III Rex Poloniæ reſignat Reip. jus ſignandæ monetæ.

Moneta Pol. ſub Sigiſm. Rege adulteratur.

Poloni in deſignanda Regi viventi ſucceſſore, exemplo Imp. Boëmiæ & Vngariæ terrentur.

Non multum autem duravit Sigiſmundi Regis ſarta valetudo, nam altero menſe poſt finita Comitia, dum pompam funebrem Reginæ defunctæ apparat, & ad eam expediendam Cracoviam tranſire diſponit, experturus pro tali itinere vires ſuas ad villam Opacza duobus milliaribus Varſavia diſtantem hilaris profectus, concepit gravem catarrhum, quo natura jam ad reſiſtendum debili oppreſſis, decima poſt die ultima Aprilis deceſſit, anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto, Regni quadrageſimo quinto. Princeps omnibus pietatis & regnandi virtutibus conſummatus, vultu Majeſtate pleno, & toto habitu corporis venerando, tamque in adverſis quam in proſperis ſibi ſemper ſimilis, amans recti, maximeque cultus Divini, propoſiti tenax, niſi hoc ipſi magna rerum jactura ſæpe conſtitiſſet. Aderant decumbenti filii ex ſecunda uxore Conſtantia, Caſimirus, Ioannes Albertus, Carolus, Alexander, ac filia Catharina. Vladiſlaus primogenitus ex prima uxore Anna germana ſecundæ cum forte degeret, ac tam cito adſciri non poſſet, vix ſpirantem invenit, ejus tamen manu impoſitam capiti ſuo Coronam Regni Sueciæ accepit. Atque tot filiorum manibus elatum & ſtipatum funus, in habitu Regali publico conſpectui expoſitum jacuit in palatio ad quartum diem, & demum incluſum loculo, appoſitum buſto Reginæ defunctæ, aſſervabatur ad juſta exequiarum, poſtquam eligeretur Rex novus celebranda: mos enim eſt iſti genti, non humare defunctum Regem, niſi alio electo, proximo poſt funus die coronando.

Sigiſmun. III Rex Poloniæ moritur ultima Aprilis 1632.

Poloni non humant defunctum Regem niſi prius eligant alium.

Statim autem accurrit Varſaviam Ioannes Wæzyk Archiepiſcopus Gneſnenſis, cui incumbit ſubite vices dirigendorum conſiliorum publicorum deficiente Rege, & ſacris expiatis pro anima defuncti, cum Senatoribus qui in Aula aderant, ſeu ex vicinia ad tam triſtem famam confluxerant, deliberatione inſtituta de providenda ſecuritate Interregni, publicari fecit ſub nominis ſui titulo edictum, quo Regis mortem omnibus Ordinibus Regni denun-

Archiepiſcopus Gneſnenſis denuntiat obitum Regis.

A.C. 1632.

Iudicia Regni Pol. non vacant niſi poſt denuntiationem Primatis de morte Regis.

denuntiavit: & hoc propter ſubſellia Iudicum Terrarum, iſti enim juſtitium non indicunt ex rumore ſolo de morte Principis,ſed demum accepta Primatis Regni denuntiatione. Immo Tribunal Iudicum Generale Regni, quod tum Lublini conſiſtebat, & viginti quatuor milliaribus Varſavia diſtans, altero die de morte Regis certam notitiam habuerat, etiam in carceres detrudi fecit annuntiatores privatos talis mortis, ac judicia ſua continuavit ad octavum poſt diem, donec accepit ſignificatorias Archiepiſcopi. Eodem edicto Archiepiſcopus præfinierat diem tertium Iunii Conventibus agendis in ſingulis terris, & vigeſimum ſeprimum ejuſdem menſis, quo Nuntii ex illis ſingularibus Conventibus deſtinati, Varſaviæ congregarentur, ibique de loco & die Electionis novi Regis deſignando deliberarent, ac providerent interim ſecuritatem ab hoſte externo confiniis Regni, tum & modum conſervandæ domi pacis publicæ, normamque ſervandæ in conſiliis publicis concordiæ præſcriberent. Invaſerat autem omnes ingens timor, & opinabantur maturiores quique turbulentiſſimum futurum fuiſſe illud Interregnum, inde quod juxta veterem querelam, anterioribus ſæculis ſuccedere ſemper ſolerent deteriora, & poſt præcedentia Interregna tam gravibus diſſidiorum fluctibus agitata, tanto turbulentius futurum iſtud ſperabatur, quod ſub eo non tam occulti diſcordiarum Civilium ſtimuli invenirentur, & novandarum rerum occaſio adeſſet adeo ſpecioſa. Et cum primis à parte Guſtavi Sueci Regis, qui inter felicitates tot victoriarum in Germania partarum fortunam ad omnia auſa ſua obſequentem habere, & Poloniam ſi tum invaſiſſet, majorem applaudentium ſuis conatibus, quam reſiſtentium in ea numerum repertūrus fuiſſe credebatur. Sed ut vel exinde tantum conſtet, Deum ſolum dare Regna & ſervare,vana fuerunt indicia hujuſmodi, nam & tranquillitatem intus & foris totum iſtud Regnum eo tempore talem ſenſit, qua meliorem ſub pacatiſſimo Rege deſiderare non poſſet,& Guſtavus nulla affectati iſtius Regni prodidit indicia. Incertum an quod diſtineretur rebus Germanicis, ſeu vero proximius, quod in hac gente cauſæ ſuæ fautores quos ſperarat nuſquam vidit. Immo palam apparebat eam tum mentem omnibus Polonis unam fuiſſe,ut à nullo magis nomine quam à Guſtaviano in eligendo Rege abhorrerent, cum in pleriſque majoris Poloniæ Conventibus (nempe ubi ſunt frequentiores & propterea Guſtavo ſperabantur fore addictiores hæretici) publicæ acclamationes audirentur, hoſtem Patriæ futurum qui Guſtavum Regem Poloniæ nominaret; & in Conventu Sadcenſi Palatinatus Sieradienſis, cum Palatinus illius loci Ioannes Báránowski (ab Electore Brandeburgico Duce Pruſſiæ, cujus ſororis Viduæ Gaborii Bethlem Tranſilvaniæ Principis nuptias ambiebat forte ſubornatus) in dicenda ſententia tentaſſet explorare de hoc animos Nobilium, introducto ſermone de libertate Regem externum eligendi, aſperiori reſponſo & fremitu univerſorum exceptus, & prope manibus petitus fuit, niſi propere ex illo conſeſſu erupiſſet.

Polonia Ordines convocantur Varſaviam ad indicendam Electionem Regis.

Interregnum poſt Sigiſmun. III fuit pacatiſſimum.

Guſtavum Suecum qui nominaret Pol. Regem hoſtis patriæ habetur.

Adveniente Convocationis Generalis die; Archiepiſcopus Gneſnenſis Regni Primas pro more ſolenni ſacrificio pro invocatione gratię Sancti Spiritus in Templo Sancti Ioannis Varſaviæ celebrato, Senatum habuit in Arce Regia loco Comitiorum Generalium conſueto, in quo primum Mariſchalli Supremi edictorum circa ſervandum in eo Conventu pacificæ converſationis ordinem articuli fuerunt examinati ac approbati. Nuntii quoque Terrarum, in ſuo conclavi ſolito eodem die de eligendo ſibi Mariſchallo deliberarunt, & cum ea vice perveniſſet ordo ad Lithuanos, ut ex ea gente eligeretur Mariſchallus, ſuffragiis collatis elegerunt Ducem Chriſtopherum Radziwil Præfectum militarem Lithuaniæ, Religionis quidem adverſæ, & à cujus authoritate omnes diſſidentes in Religione

Polon. Conventus Varſaviæ pro indicanda Electione Regis ſeries.

Radziwil Chriſtophorus eligitur Mareſchallus Nuntiorum.

A.C.1632. ligione pendebant, ſed tali functioni eo aptiorem, quod pro comparanda ſibi majori exiſtimatione ac gloria, in promovendis Religionum partibus de ſuo fervore remiſſurus, reliquoſque diſſidentes ad communem concordiam tracturus ſperaretur › uti & ſucceſſit, licet ab initio factio illa Religionum adverſarum acriores contentiones excitarit. Sed ut ordine ſingulariora illius Convocationis acta attingamus, inſequenti poſt electum Ordinis Equeſtris Mariſchallum die, Senatores præſentibus in eodem conſeſſu omnibus Terrarum Nuntiis ſententias dixerunt, & in primis Archiepiſcopus Gneſnenſis oratione gravi ac pathetica Ordines ad concordiam in expediendis ejuſdem Convocationis conſiliis hortabatur.

Polonus quilibet Nobilis habet jus ſuffragii in eligendo Rege.

Hæc vero in eo conſiſtebant, ut durante Interregno provideretur domi & foris ſecuritas publica, & aſſignaretur locus ac tempus quo omnes Nobiles (ſinguli nobiles genere æque Senatores ſeu Magiſtratus officiavé gerentes, ac privatam ducentes vitam, qui volunt venire ad Electionem, & viri iſto ſuo jure, habent jus dandi ſuffragium in eligendo Rege) ad ferenda ſuffragia pro eligendo novo Rege convenirent. Nec poterat quicquam in illo congreſſu de aliis negotiis quantumvis univerſam Rempublicam concernentibus decerni, præter quod convenerat inter Ordines, ut præparationis nomine pro Conventu Generali Electionis futuro; omnia quæ afficerent Rempublicam, tunc examinarentur, eorumque remedia ſcripto concepta, mitterentur ad ſingulos Terrarum Conventus, & demum ſi ibi placerent, reciperentur ab univerſis in proximo Electionis Conventu. Vnde ad hæc, dum propriæ iſtius Convocationis deliberationes trahuntur, connotanda tam ex Senatorio quam ex Equæſtri Ordine, certo numero uſu rerum præſtantiores fuerunt deſtinati, qui ſeorſum à multitudine continuatis ſuis ceſſionibus, conſiliiſque mutuo collatis, plurimas legum novellarum formulas conſcripſerant. Alii etiam inſtituto cum Pontificibus colloquio, laborarunt circa invenienda media, quibus querimoniæ Equeſtrium contra Sacerdotalem Ordinem à multo tempore opponi ſolitæ, nec unquam ſopitæ componerentur. Præcipue quod fundos Equeſtri Ordini addictos, ac muneri gerendæ militiæ obnoxios coëmerent pro Eccleſiis, decimarum exactione & litibus pro eis in foro contentioſo introductis, Nobiles nimium gravarent, ſcripturas ſuas privatas ſeu Libros Beneficiorum & Retaxationum nuncupatos in judiciis pro legitimis documentis, cauſæque controverſæ probationibus haberi vellent: Cauſas in eorum judiciis cum Nobilibus vertentes ad Curiam Romanam per appellationes devolvi, & ita eis protrahendis litigantes ſumptibus nimium gravari permitterent. Sed Epiſcopis jura ſua ferventer propugnantibus, & multa ad Sedem Apoſtolicam, ac alia ad Congregationem ſeu Synodum Eccleſiaſtici Ordinis in Polonia univerſi, quæ prærogativas longo uſu ſibi quæſitas ſe inſcio imminui ægre ſentiret rejicientibus, omnia ad Conventum Electionis indefinita manſerunt. Sola controverſia cum Diſſidentibus in Religione differri non potuit, ut qui potiſſimas ſecuritatis ſuæ rationes ab edictis pacis Interregnorum præteritorum ducentes, in præſentis quoque Interregni edicto pacis (*Kaptur* dicitur ſeu velum capitis lugubre vulgo uſitatum) eam ſibi caveri poſtulabant. Et quidem non contenti veteri forma verborum ſub Interregno poſt Auguſtum Regem, & poſtea poſt Henricum Gallum, demumque poſt Stephanum in ſimilibus edictis uſitata. *Pacem inter Diſſidentes de Religione tuebimur.* inſuper expreſſe in omnibus Civitatibus Regni, æque Nobilibus atque plebejis publicum uſum bæreſeon quarumcunque (nullam excludere volebant) concedi, Principum mandata, ac Iudicum decreta, actaque publica tali exercitio contraria reſcindi, pœnas ſeveriores contra violatores eorum libertatis interponi, ad magiſtratus in Civi-

Conventus ille nihil decernit ſed tantum examinari permittit cauſas publicas.

Diſſidentes in Religione controverſiam ſuam volunt decidi.

A.C. 1632.

Civitatibus Regiis æque hæreticos atque Catholicos aſſumi, in Aula Regia certa officia, quæ nonniſi aliquis ex Religione ipſorum habere poſſet inſtitui, eaque omnia (in eorum libello tunc publicè præſentato viginti articulis comprehenſa) circa inaugurationem novi Regis lege publica ſtabiliri volebant, non parcentes & minis, quæ ſub hoc tempus, Diſſidentium in Germania fœdere, ac Guſtavo Rege Sueco prope fines Poloniæ in Pomerania, Marchia, Sileſia victrices exercitus tenente, tuto contemni non poſſe videbantur. Mox tamen de illo fervore ſuo remiſerunt, cum opera Epiſcoporum omnibus Senatoribus ac Nuntiis tam Catholicis quam hæreticis in Aula Archiepiſcopi ad talem cauſam, uti communem, conſilio communi tractandam congregatis, audita eorum, propoſitione, Catholici uno ore conclamaſſent, ſe nulla ratione permiſſuros dilatari licentiam hæreſeon in præjudicium avitæ in hoc Regno Religionis Catholicæ. Exploſæque ſtatim fuerunt cunctæ illæ novitates, & negotium datum certis perſonis ex utroque ordine deſignatis, ut nonniſi exercitii Religionum in cujuſque Nobilis propria ſede ſecuritatem, eorumque perſonarum a pœnis quibuſvis propterea legibus Regni antiquis ſancitis immunitatem concernentia examinarent, referrentque in communi omnium Ordinum congreſſu circa conſcriptionem edicti pacis Interregni approbanda. Ad ſimilem cognitionem remiſſa quoque fuit Græcæ Religionis controverſia, eo difficilior quod populi Ruſſiæ Græcoſchiſmatici ab initio eum ſuo ſchiſmate ad Rempublicam accedentes, de more ac privilegiis ſuis ſartis integriſque ſervandis à Republica caveri fecerant, ac cum multis quæſtelis obteſtabantur, quod violarentur etiam jura gentium, ſi publica fides ſibi data una cum poſſeſſione tam antiqua ab adverſariis (unitis Romanis denominatis) recens in hoc Regnum introductis turbaretur. E contra pro unitis militabant juſtiores cauſæ, ut qui Eccleſiæ Romanæ reconciliati, rem Catholicam in ſua gente promoverent, eamque Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectam, & propterea Turcarum dolis, cum periculo totius Regni obnoxiam, revocarent ad ſocietatem Romano-Catholicorum vere Chriſtianam. Propter quod jam à temporibus Regis Vladiſlai Iagellonis unitas hujuſmodi tractari cœperat, eique ille idem Rex, ac deinde ejus filius Rex Caſimirus exoratus à filio ſuo S. Caſimiro decretis ſuis omnes Eccleſias in Lithuania & Ruſſia Græcoſchiſmaticas, una cum ſuis Epiſcopis addixerat, licet talia decreta obſiſtentibus Ruſſis Schiſmaticis, vetuſtoſque titus Religionis ſuos retinere contendentibus, uſque ad Sigiſmundum III, Regem non fuerint in uſu.

Diſſidentibus in Religione opponunt ſe non ſolum Eccleſiaſtici, ſed omnes Catholici militares.

Ruſſiæ Religionis Græcæ antiqua jura.

Dum autem iſta in ſeparatis Conventiculis agitarentur, Senatus Legationes diverſorum Principum externorum audivit. Et inprimis Electoris Brandeburgici Ducis Pruſſiæ Regni Poloniæ vectigalis, qui expoſtulabat quod ad eum Conventum non fuerit vocatus, cum tamen ad conſilia Regni, uti membrum & Civis Reipublicæ iſtius pertineret: hocque ipſum in diplomate à Sigiſmundo Rege primo Ducibus in Pruſſia anteceſſoribus ſuis conceſſo ſit expreſſum. Vnde petebat ut hujuſmodi juris ipſius ratio haberetur, & ad minus ad Electionem proximam Regis vocaretur, locuſque ipſi aſſignaretur in Senatu. Conditiones quoque Fiduciæ ſuæ (ut ajebat) graviores ſibi impoſitas, in quibuſdam punctis volebat à Republica moderari, tum & lites componi ratione confinium à Præfectura Drahimenſi cum Pomerania Ducali exortas. Deinde offerebat Reipublicę operam ſuam pro tractanda pace cum Guſtavo Rege Sueco. Eandem Legationem iidem Legati expoſuerunt apud Nuntios Terrarum ſeorſim conſidentes, & utrobique tetulerunt reſponſum, quod dubium illud, num Dux Pruſſiæ intereſſe poſſit conſiliis Reipublicæ jam ante in Conventibus Interregnorum prӕteritorum motum, nec unquam definitũ non poſſit diſſolvi, niſi in plena Reipublica, nempe

Pruſſiæ Ducis Legatio ad Ordines Regni.

Dux Pruſſiæ an habeat locum in conſiliis Regni nondum eſt definitum.

A.C. 1632. nempe præſente Rege Reipublicæ capite: & tum demum cum novus Rex inauguratus fuerit, declarationem hujuſmodi dubii requirendam fore, interim vero inſiſtendum eſſe conſuetudini uſitatæ. Rationes etiam Fiduciæ ſuæ nonniſi auditis illius Provinciæ Ordinibus, idque coram Rege novo cognoſci poſſe. Pro differentiis terminorum Pomeraniæ diſcernendis & renovandis, ſimiliter à Rege novo deſignandos fore Iudices. Pro officio ad tractandam pacem cum Sueco Rege promiſſo, quo Reſpublica tempore opportuno lubens uti vellet, gratiæ actæ. Alia Legatio à Duce Curlandiæ Friderico apud urrumque Ordinem expoſuit petitionem pro reſtitutione in gradum priſtinum ipſius fratris germani Vilhelmi, qui ob necem Magni Noldæ Nitaviæ, Anno Milleſimo, Sexcenteſimo Tredecimo, (fretus iſte Aulæ Regiæ favoribus, moleſtior fuit Duci, ac Nobiles Curlandicos ipſe quoque Curlandus ab ejus obſequio liberius divertebat) peremptì à Ducis ſtipatoribus, ſorte ſua in Ducatu Curlandiæ abdicatus, & proſcriptus fuerat decreto Regio. Quod delictum cum Ducis illius miſero decem octo annorum exilio ſatis expiatum fuiſſe appareret, & magis in gratiam ejus fratris Friderici Ducis, qui fidelem operam in bello Livonico ſæpius navarat Reipublicæ, facile conſenſerunt Ordines, ut ſpem reſtitutionis certam circa inaugurationem novi Regis decernendæ ipſi fecerint.

Curlandia Dux Vilhelmus exauthoratur propter necem Noldæ.

Curlandia Duci promittitur reſtitutio.

Adfuit Legatio & ex caſtris militum Quartianorum, qui nuntios ſuos ad danda ſuffragia in Electione Regis admitti petebant, & præcaveri, ut Rex nonus dignam meritorum ipſorum rationem haberet. Ac obtinuerunt ab utroque Ordine reſponſum, quod milites ſtipendia Reipublicæ merentes functionem ſuam naviter obire, ſub ſignis ſtare, Præfectoque militari ſuo obſequi debeant, haud dubiam mercedem & remunerationem laborum ſuorum recepturi. In quantum autem Nobilitatis ſuæ quiſque prærogativa ferendi ſuffragii in Electione Regis gaudere velit, non ex caſtris, nec in militari cenſu, ſed à tali authoramento ſolutus, ſi veniret ex tribu & Palatinatu ſuo ad Electionem, id conſequi poſſet. Fere ſimili quoque Legatione Coſacorum Zaporovianorum communitas Ordinem utrumque interpellavit, ac præterea Religionis Græcæ Schiſmaticæ immunitates ſalvas conſervari petiit. Sed quo ad ſuffragia in Electione Regis danda, ſeverius (ut decebat) reſponſum audivit, nempe quod Coſaci ex plebe collecti nullas partes habeant in conſiliis publicis, neque in Electione Regis, quæ ſoli Senatui ac Ordini Nobilium convènirent: Merita autem ipſorum ac Religionis Græcæ rationes curæ Ordinibus futuras, dummodo ipſi in fide Reipublicæ & obſequio Præfecti militiæ generalis perſiſterent.

Militibus dum ſtipendia Reipub. merentur negatur jus ſuffragii in Electione Regis.

Coſaci petunt jus ſuffragii in Electione, ſed rejiciuntur cum ſeveriori reſponſo.

Deliberabatur quoque in eiſdem ſeſſionibus circa neceſſitates defenſionis confinium Regni ab incurſionibus Tartarorum, eæq; commendabantur militari Præfecto Staniſlao Koniecpolski Palatino tunc Sendomirienſi, qui trifariam depoſito exercitu, una parte apud Skálá Podoliæ, Lucam Zolkiewski altera circa Vinniciam & Braclaviam, Nicolaum Potocki, & circa ultima Campeſtria Coſacos Zaporovianos ſtipendiarios excubare fecit; ac ſub tali proviſione nulla damna hoſtis ille Provinciis Regni hoc anno intulit.

Inter alias deliberationes, hæc quoque in Senatu introducta fuit, quod cum Rex defunctus filio ſuo Ioanni Alberto Epiſcopatum Cracovienſem vacantem poſt Andream Lipski aſſentientibus Ordinibus Regni contuliſſet, & inopinata morte præventus non ſubſcripſiſſet literas ad Cathedrale Collegium Cracovienſe, & ad Summum Pontificem Romanum in ſimilibus negotiis neceſſarias, num vacante Sede Regia Senatus ſupplere, taleſque literas dare poſſit; ac poſt multas ratiocinationes, ſtetit concors ſententia quod poſſit. Atque ex tali Senatuſconſulto Primas Regni illas literas ſcripſit, eiſque paruit Collegium Cathedrale Cra-

Cracovienſis Epiſcopatus dati à Rege defuncto expeditione pro obtinenda ſub Interregno Senatus dat literas neceſſarias.

A.C. 1632.

Cracovienſe, & ſuam Electionem de more pro perſona ejuſdem Principis expedivit. Nempe quia conſtabat jam collatam fuiſſe Principi à demortuo Rege talem dignitatem, hocque à Rege novo ratum habendum, manutenendumque fore nemo ambigebat. Alioquin vacantia beneficia tempore Interregni diſtribui à Senatu aut à Republica non poſſe peritiores ſolidioribus argumentis demonſtrabant, & adducebant exemplum Interregni poſt Regem Stephanum, ſub quo cum Epiſcopatus Luceorienſis vacaſſet, eum Senatus ac Ordines Bernardo Macieiowski non contulerunt, ſed à Rege electo Sigiſmundo conferri petierunt, electionis pactis interceſſione hujuſmodi ſua appoſita. Demum vero præfinito terminandæ illius Convocationis tempore adveniente, Senatores & Nuntii Terrarum omnes ſimul congregati, exemplar edicti pacis Interregni à Mariſchallo Nuntiorum conſcriptum, ac omnia quæ eouſque in diverſis conſultationibus fuerunt agitata examinarunt: ubi iterum circa edicti illius articulum de diſſidentibus in Religione acrior contentio exarſit. Cum enim aliquis Catholicorum dixiſſet hæreticis ea quæ legebantur non tam concedi quam diſſimulari, ac veluti per tranſennam ſtrictim, oculiſque conniventibus ſpectari, Dux Radziwil Mariſchallus Nuntiorum (medius inter Mariſchallos Senatorios ſubſellio humiliori velut Tribunitio, ut Claudius Cæſar inter duos Conſules, apud Suetonium conſederat) vehementiori Epilogo (ut erat diſertus & popularis) arguebat, tali ratione diſſidentibus nihil certum ſincerumque ſed omnia ſuſpecta & perſonata relinqui, cum tamen ejuſdem Reipublicæ Cives, æquali cum Catholicis Concivibus ſuis jure in omnibus libertatum Nobilium titulis cenſeri æſtimarique deberent. Ad talem itaque expoſtulationem plurimi Catholici certatim, alius alio gravius, ac ornatius pro cauſa Catholicæ Religionis reſpondebant, cum primis Thomas Zamoyski Cancellarius Minor Regni, cujus orationis diſertæ argumenta nervoſa concludebant: advenam & peregrinam hæreſim Fidei Catholicæ venerandæ Matrifamilias Reipublicæ iſtius, quam ipſa fœcundo partu genuit, ſinu vovit, & ad tantam rerum gloriam enutrivit, ſine gravi injuria æquari aut comparari non poſſe. Succamerarius vero Leopolienſis Alexander Trzebinski (& iſte arte dicendi ac humanioribus ſtudiis non vulgariter excultus) ſermoni ejus peritâ à Mariſchallis venia dicendi, ſubjunxit à Catholicis nil unquam perſonatum aut fucatum quid Concivibus ſuis, quantumvis Religione diverſis exhibitum fuiſſe, immo eos fraterne, & pari cum cæteris honore tractari cum libere omnibus prærogativis Nobilitatis uti permittantur, ad affinitates & commercia Civilia admittantur, nec excludantur à Dignitatibus, Magiſtratibus, officiis, conſiliis, beneficiiſque Reipublicæ participandis. Cæterum eorum hæreſim diſſimulari potius ob bonum pacis non probari, cum errorum Magiſtra à recte ſentientibus de fide Catholica probari non poſſet, nec ullo æqualitatis gradu Catholicæ fidei tam grandævæ Matrifamilias, ac almæ parenti altricique feliciſſimæ hujus Regni ſociari valeat, ab Apoſtata ignobili recens inventa, turbarumque ac diſcordiarum Civilium ſeminatrix hæreſis, à qua ipſi diſſidentes hæretici nuncupantur, nec aliter quam hæretici poſſunt vocitari. Commovebantur illi ad talem vocem, (*quòd non poſſint appellari niſi hæretici*) ſed inter hæſitandum quid reſponderent, aliam quæſtionem inchoarant. Et cum præcipue quærerentur de conditione (*excepta confœderatione*) in ſubſcriptionibus edicti pacis Interregni ab Eccleſiaſticis, ac non paucis Equeſtribus Catholicis adhibita, conceſſum fuit, ut omiſſa illa exceptione, ſubſcriberent Catholici adjuncto (*ſalvis Iuribus Eccleſiæ Catholicæ Romanæ*) atque ita acquieverunt, reliquis ſuis ac Religionis Græcæ querimoniis rejectis ad proximum Electionis Regis Conventum. Hinc quique Nuntii ſuorum Conventuum Municipalium plebiſcita pete-

Interregni tempore vacantes dignitates Reſpub. deſtribuere non poteſt.

Diſſidentium in Religione concertationes circa edictum pacis Interregni.

Catholica Religio eſt materfamilias in Regno Poloniæ.

A.C. 1632. bant approbari: ſinguli enim Palatinatus & Terræ conſcribi fecerant militem ad fortuitos ſub tale tempus caſus, & indixerant collectas agrarias in ſtipendia ipſi ſolvenda, ac ordinarant multa pro diverſitate neceſſitatum cujuſque loci circa ſervandam concordiam mutuam, & punienda quæ interim committerentur delicta. Hæc vero cum rata non ſint, niſi confirmentur in Generali Conventione, ne forte in illis ſubrepat aliquid Legibus publicis minus conſonum, ſeu alicui qui in Conventibus Municipalibus potentiorum factioni reſiſtere non poterat inferens præjudicium, variis contradictionibus in illo conſeſſu excipiebantur: præſertim Decreta Palatinatus Cracovienſis in Conventu Proſovienſi ſancita, ubi æmuli Zamoyſcii Viceecancellarii Regni Arcis Cracovienſis Præfecti ejus Iuriſdictionem in multis imminui voluerant, & ſtipendia illius Arcis præſidio ex pecunia publica dari vetabant, cum tamen Palatino Cracovienſi, qui ipſis erat acceptior pro cuſtodia Civitatis Cracoviæ ea conceſſiſſent. Poſt longas tamen altercationes, omnium Provinciarum rogationes hujuſmodi paucis ad regulam communium legum reductis, fuerunt publica authoritate roboratæ.

Provinciarum ſingularium ſcita rata non ſunt niſi probentur in Conventu Generali.

Venerat etiam in diſceptationem, num impenſæ pro alendis Principum familiis interim dum funeribus Regiis donec juſta referant aſſiſtunt, ex ærario publico eſſent ſubminiſtrandæ: ad eas enim cum Senatus cenſeret obligari ærarium publicum exemplo privatorum, quorum familiæ aluntur liberaliter, quouſque Patremfamilias defunctum humaverint, Nuncii Terrarum reclamabant, niſi prius ſuper hoc dubio omnes Ordines in Conventibus Terrarum ſingularibus conſulerentur: tandem tamen conſenſerunt, ut illas impenſas ſuppeditaret Præfectus ærarii Regni ad proximum Electionis Conventum, dummodo ad nullam aliam occaſionem inſciis Ordinibus publicam pecuniam diſpenſaret.

Regis defuncti familias ali debere publici ærarii impenſis cenſuerunt Ordines.

Nec minor fuit contentio de poteſtate Mariſchallatus ſub futura Electione Regis: ut enim officium illud judicare ſolet crimina omnia quæ in Aula Regis, ac in Conventibus Generalibus, tum & ſub tempus Electionis Regis patrarentur, Equeſtris Ordo urgebat, ut nonniſi cum adjunctis ex Senatorio & Equeſtri Ordine, ac jurejurando ſuper recte judicando de novo præſtito Mariſchalli judicia hujuſmodi durante Electionis Conventu exercerent. Sed iniquum videbatur tanti Magiſtratus jura eouſque inviolata labefactare, & multo durius vocare in dubium ejus fidem, quam ineundo officium ſuum quilibet Mariſchallus jurare conſuevit. Vicit tamen ea ſententia, ut Mariſchallus judicia ſub Electione proxima tractaturus iterum juraret, ac initio Electionis ad exercenda ſimul cum Mariſchallis eadem judicia certo numero Senatores & Equeſtres delegarentur.

Mariſchalli Iuriſdictio ſub Interregno circumſcribitur.

Deſignati quoque fuerunt ex utroque Ordine, quos Primas (præter morem vetuſtum, quem olim infringere volentes Staniſlaus Karnkowski tunc Primas, ſub diſceſſu Regis Sigiſmundi in Sueciam uſque contumeliis à propoſito deterruerat, & reſponſo dato quod non indigeret adjutoribus non permiſit adjungi ſibi Conſiliarios, ſed ex officio ſuo communicabat negotia publica aliis Senatoribus) ad conſilia in Legationibus externorum Principum, & neceſſitatibus occurrentibus publicis tractandis adhiberet.

Archiepiſcopus Gneſnenſis Primati adduntur Conſiliarii pro negotiis Interregni.

Ad extremum placuit Electionis Regis præfinire tempus ſex hebdomadarum à die 27 menſis Septembris proximi inchoandarum. Et dato negotio Præfectis ærarii publici, ac Præfecto Regio Varſavienſi, ut prope Varſaviam in campo, parenti circa villas Wola & Powaski locum congregandis ad eum actum Ordinibus deligerent, munirentque, Convocatio illa fuit dimiſſa, in ſumma omnium concordia.

Electio Regis indicitur pro 27 Septemb.

Poſt paucos vero exinde dies, denuo in ſingulis Terris Conventus habebantur, in quibus referebant Nuncii præteritæ Convocationis geſta, & juxta cujuſque

loci

Google

A.C. 1632.

Iudices eliguntur in ſingulis Provinciis.

loci conſulta ibi approbata, eligebantur Iudices, qui durante Interregno cauſas ſecuritatem publicam, & privatorum attingentes cognoſcerent, delinquenteſque ſeverius punirent; deſignabantur ibidem quæſtores pro colligendis & diſpenſandis pecuniis publicis, tunc pro defenſione cujuſque Regionis conceſſis: ſimulque inſtituebantur Tribuni, qui militi ad hoc delecto præeſſent, ac ad fortuita quæque pericula invigilarent. Atque tali proviſione continebantur in officio non pauci turbulentiores, qui ſub illud tempus ſuas veteres inimicitias vindicare voluerant, erantque omnibus æque Nobilibus atque plebeiis, præcipueque mercatoribus libere negotia ſua ac nundinas de more celebrantibus, tranquilla ſecuraque ubique omnia. Præter quod Iudices illi Terrarum poteſtatem juſto majorem, & prope Decemviralem ſive Dictatoriam ſibi uſurparant. Vnde oppreſſi non pauci ſuſpirabant ordinaria ſub Regibus judicia, & admonebant, ut in futuris Interregnis talium Iudicum Iuriſdictionem anguſtioribus terminis Ordines Regni circumſcribi procurent. Milites etiam illi Provinciales, poſſeſſiones Eccleſiaſticorum ac Regias, non minus quam ſub aliquo gravi bello divexarunt, conniventibus potentioribus, qui ex ſuis pediſequis illos manipulos collegerant, eoſque ut in comparando ſibi populari applauſu obſequentiores haberent, hac liberaliore ex alieno impendio offa ſaginari permittebant.

Interregni Iudices Dictatoriam poteſtatem ſibi arrogant.

Interregni miles inſoleſcit.

Comitia Poloniæ Electionis Regis inchoantur.

Tempore autem Electionis adveniente, concurrerant frequentes Nobiles Varſaviam: & ipſo exordii ejus die, audito ſolenni Miſſæ Sacrificio ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, pro impetrando auxilio S. Spiritus in Templo majori Varſavienſi celebrato, proceſſerunt omnes ad locum in campo proximo circa villam Wola & Powaski vallo & foſſa caſtrorum more circumductum, ubi una tantum porticus excelſa extabat, ſolo tabulato columnis ligneis ſubnixo conſtans, à lateribus pro repellendis ventorum injuriis cortinis lineis circumplicata; & pauca militaria tabernacula carbaſeis operis Perſici velis intenta.

Comitiorum Electionis ordo idem qui & Comitiorum Ordinariorum.

Sobieski Mariſſallus Nuntiorum renuntiatur.

Ordo rerum in principio idem fuit, qui & Comitiorum Ordinariorum Generalium; poſtquam enim tota Concio conſederat, Equeſtris Ordo ad eligendum ſibi Mariſchallum primum proceſſit, & poſt aliquot dierum inter plures competitores contentionem, renuntiavit Mariſchallum Iacobum Sobieski Inciſorem Regni (officium eſt miniſtri menſæ Regiæ non poſtremum) gnarum Politiæ, ac eloquio ornatiori promptum, & moribus ſedatis, eoque acceptiorem univerſis. Ac deinde conſcriptæ leges pacis ſervandæ ſub illo Electionis Conventu, non ut in Comitiis Ordinariis à Senatu ſolo, ſed ab Ordinibus omnibus fuerunt approbatæ; & deputati ex utroque Ordine, qui cum Mariſchallis Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ cauſas violatarum hujuſmodi legum cognoſcerent, jurarunt una cum Mariſchallis eadem judicia tractaturis de recte judicando.

Electionem Regis Ordines tractari nolunt, niſi prius ſuper eis quæ gravant Rempublicam decernatur.

His expeditis, Senatores dixerunt ſententias ſuas Ordine Equeſtri præſente, qui præſeferebat, quod ibidem vellet ſuas quoque ſententias audiri, ſeſſioneſque ſimul cum Senatu continuare, ne divideretur Reſpublica. Sed pleriſque aſſuetis Tribunitia in populo poteſtate gratiam Regis ac inſigniorum Procerum favorem demeteri, hacque via commoda propria augere, cum iſtæ artes præſente Senatu ſuccedere vix poſſent, Ordinariorum Comitiorum morem ſeorſum à Senatu conſultandi, ſequi magis placuit, & proxime illam Aulam Senatoriam intra eundem caſtrorum circulum, Corona ſub dio conſederant, ubi poſt breve colloquium, omnes in eo conſenſerunt, ne quicquam de Electione novi Regis, vel conditionibus ipſi proponendis tractetur, niſi prius certi quid ſtatueretur de reducendo ad meliorem ordinem legum publicarum, totiuſque regiminis ſtatu, & tollendis toties repetitis Equeſtrium contra Eccleſiaſticos querelis. Ac primo Diſſidentes in Religione ſuas introduxerunt, auctas contradictione Epiſcopi Luceo-

A.C. 1632.

Diſſidentes in Religione iterum cautiones majores ſuæ libertati requirunt.

Luceorienſis Achatii Grochowski, quam contra tranſacta in præterita Convocatione circa pacem Religionum interpoſuerat, eamque fecerat in Actis publicis conſcribi. Vnde illi vetiti ne oppoſitionibus hujuſmodi eluderentur, meliores cautiones ſecuritati ſuæ præſtari requirebant. Sed non minori ſtudio Catholici æque Eccleſiaſtici atque Equeſtres retundebant illorum conatus, & ad quindecimam diem tali diſceptatione protracta, cum nullis aliis deliberationibus locum darent, comminationeſque jactarent, Catholici ferre non valentes tantam contumaciam, reſponderunt hæreſim advenam precario degentem in hoc Regno à legitimis rerum Dominis poſſeſſoribuſque antiquis extorquere nil poſſe, ſed quicquid vel minimum ipſi conceditur à ſponte offerentibus grato animo accipere debere: quod ſi vim præferret, certo ſciret Reipublicæ ad vindicandas leges Patrias Religionemque avitam conſervandam animos ac vires non defuturas. Nec pauci ſuadebant ea quoque quæ eouſque conceſſa erant ſubtrahenda, nihilque ipſis penitus concedendum, ſed armis ad officium reducendos: jamque potentiores de conjungendis contra eos turmis ſuis militaribus (habuiſſent juſtum exercitum fere quindecim millium armatorum, cum adverſæ partis cum Duce Radziwilo Præfecto militiæ Lithuaniæ, & Raphaële Leſczynski Palatino Belzenſi, præcipuis ejus anteſignanis comitatus vix quinque millibus conſtaret) conſilia agitare cœperant; ſed maturiores, præſertim Eccleſiaſtici, veriti ne ſumptis armis Conventus Electionis Regis diſtraheretur, & aliis ad unam, aliis ad alteram, forteque pluribus turbulentis, ac æquitatem cauſæ utilitate propria metiri ſolitis ad injuſtiorem partem concedentibus, bellum Civile concitaretur diuturnum, illas controverſias pacatioribus mediis conciliabant. Princeps quoque Vladiſlaus (venerat paulo poſt inchoatum Conventum Varſaviam, ægre id ferentibus Ordinibus, licet primarii quique venienti obviam proceſſerint: unde legem poſtea fecerunt, ne ullus Principum Candidatorum Regiorum, præſens adeſſet in Electionis loco) authoritatem ſuam interpoſuit, ut poſt longas ambages formulam ſecuritatis Religionum in Convocatione antecedenti conſcriptam omnes approbarint, eo ſolo adjuncto, quod illi nullæ cujuſpiam oppoſitiones præjudicare unquam deberent. Diſſenſiones etiam Religionis Græcæ idem Princeps Vladiſlaus tali proviſione diremerat, ut Romano-Græci in certis locis Epiſcopi inſtituerentur, in aliis vero veteres Orientales Schiſmatici. Eodem Principe ſequeſtro fuerunt ſedatæ diſcordiæ (quæ etiam plurimum retardabant negotia publica) inter Iudices Interregni Palatinatus Cracovienſis, & Zamoyſcium Vicecancellarium Præfectum tunc Arcis Cracovienſis exortæ à tali principio. Iudicibus illis ad exercenda judicia ſua aſſignatus fuerat locus in Arce Cracovienſi, ſtudio æmulorum Zamoyſcii, ut nimirum hæc ſuprema decemviralis poteſtas Magiſtratum ipſius Caſtrenſem redigeret in ordinem, & ſibi ipſi cuſtodiam Arcis arrogaret.

Diſſidentes prope ad arma ſumenda concitant Catholicos.

Vladiſlai Principis Candidati ad Regnum ægre ferunt adventum Varſaviam Ordines.

Diſſidentium in Religione controverſia ſopitur.

Ruſſiæ Religionis Græcæ controverſia componuntur.

Zamoyſcius Vicecancellarius Arcem Cracovien. ad arbitrium Palatinatus Cracovienſis ſolius patere non permiſit.

Sed Zamoyſcius tempeſtive explorato tali conſilio, permittere noluit ut Arx in qua inſignia Regni depoſita cuſtodiuntur, ſub tempus Interregni adverſis caſibus obnoxium, populis paſſim ad judicia commeantibus pateret. Nempe quam fidei ſuæ concreditam, & univerſæ Reipublicæ communem, quando uni Palatinatui liberet, periculis exponere non teneretur, tanto magis quod de conſuetudine antiqua clauſam hanc Arcem ſub Interregno tenendi conſtaret. Et cum nihilominus Iudices illi arcem ad celebranda ibi judicia ſua intrare vellent, Vicarius Zamoyſcii alios qui prævenerant excluſit, alios ingreſſu prohibuit. Illi vero eundem Vicarium cum ipſius Collegis ad ſuum Tribunal, quod poſtea in Prætorio Civitatis Crocoviæ conſtituerant, vocarunt; ac criminis violati edicti pacis publicæ accuſatum, cum judicio ſe non ſiſteret, tanquam contumacem pœna infa-

Cracovienſis Arx ſub Interregno ad arbitrium ſolius Palat. Cracov. non pendet.

infamiæ damnarunt. Eam itaque controverſiam poſt longas partium, earumque adſtipulatorum concertationes, authoritas Vladiſlai Principis ita compoſuerat, ut decreta illa contra Zamoyſcii Vicarios lata, lege publica in Comitiis Generalibus proximis abrogarentur. A.C.1632.

Poſtquam autem Ordines à difficultatibus iſtis fuerunt liberati, aſſumpſerant tractanda reliqua, quæ non minus afficiebant Rempublicam, & prius quam eligeretur Rex expediri debebant. Præſertim compoſitio inter ſtatum Equeſtrem & Eccleſiaſticum; Correctio legum; reſtitutio monetæ ad meliorem qualitatem: tum & juſtitiæ diſtribuendis à Rege beneficiis muneribuſque publicis ſervandæ circumſcriptio. Ad quæ ſingula determinanda certo numero perſonæ tam ex Senatorio quam ex Equeſtri Ordine deſignatæ, ſeorſum in tentoriis proxime Aulam Senatoriam diſtentis, ſeſſiones ac deliberationes ſuas continuarunt prope ad finem Electionis exiguo fructu. Et quidem Eccleſiaſtici, ea quæ ab ipſis ſuper reſtringendis Cleri ac Eccleſiarum libertatibus deſiderabantur, ad Sedem Apoſtolicam à qua toti dependerent, remiſerant: ita ut novus Rex apud illam ſedem Equeſtris Ordinis poſtulata hujuſmodi promoveret, & quicquid ibi ſtatueretur, id ratum firmumque eſſet. Tempus etiam præſcriptionum in cauſis fundi Eccleſiæ, annorum ſexaginta præfinierant. Atque tali ratione mitigarant tum aliquantum acerbitatem livoris faſtidioſorum.

Eccleſiaſtici ſatisfaciunt querelis Equeſtrium.

Verum de monetis Regni ad juſtum pretium reducendis, nullus potuit inveniri modus durantibus bellis, & quouſque vicini circumquaque viles diſpenſarent. Futurum enim prudentiores judicabant, quod miles ſtipendia ſua trimeſtria, quadraginta florenis pro Vſſaris ſeu Equitibus gravis armaturæ, & triginta florenis pro Coſacis ſeu velitibus lege circumſcripta imminui non permitteret, & hæc in eodem numero moneta nova meliori computata, duplo plus geminataque creſcerent.

Moneta Regni reſtitutionis rationes difficiles.

Vicini quoque monetam Regni, quando melior cuderetur, facile è Regno efferrent, & ſuam vilem Regnicolis obtrudere non ceſſarent. Tum quod ſtipulationes omnes emptionum, hypothecarum, donationum in ratione præſentis vilis monetæ conſiſterent, & moroſi creditores numerum debiti ſibi in eis nominatum repeterent in moneta, quæ ſub tempus ſolutionis in uſu eſſet quantumvis meliori, vel inextricabiles propterea lites excitarent. Feliciori itaque tempori quæſtione hac reſervata, lege tantum publica cavendum cenſuerant Ordines, ut jus ſignandæ pecuniæ penes Rempublicam maneret, & nonniſi ex communi conſenſu Comitia futura ejus in meliori qualitate reſtituendæ rationes præſcriberent.

Non minus exoptabant omnes populi, ut Legum publicarum formula corrigeretur. Licet enim iſtæ habeantur optimæ, & ſumma quadam juſtitiæ æquitatiſque temperatione moderatæ, maximeque ad conſervandam ſtatus Nobilis æqualitatem comparatæ, tamen quod nunquam fuerunt (ut in Ditionibus aliis) unius alicujus Principis ſeu Legiſlatoris cura, ſub certa univerſalium ſanctionum regula traditæ, ſed nunc una, nunc altera inter longiſſima temporum intervalla à diverſis Principibus, & quàm plurimum in caſtris, dici poteſt tumultuarie inter armorum ſtrepitum rogatæ, à diverſiſque ſcriptoribus diverſe conſcriptæ, non paucæ in eis ad perfectam judiciorum inſtructionem deſiderantur, quodque deeſt ex Legibus exoticis ſuppleri non permittitur. Quæſtus ingens provenit inde cauſidicis, cum non raro repræſentent illum Iuriſconſultum Bizantinum, qui interrogatus in quadam cauſa, qualis lex eſſet Bizantinis? reſpondit qualem ego volo: nempe genus hoc hominum ſerendis tantum protelandiſque litibus induſtrium, non ſolùm ea quæ ſunt legibus præclare conſtituta,

Polona leges maxime ad conſervandam æqualitatem mutuam Nobilium comparatæ.

Polonia leges ex exoticis ſuppleri non poſſent.

A.C.1632. ſæpe turpis lucri gratia corrumpit, & depravat; verum multo magis ubi lex deficit, opinionibus quiſque propriis Iudicum ſubſellia uſque eo circumagit, ut qui verboſior, ille arbitrio ſuo cauſæ novæ legem novam affingere ſoleat. Tanto malo itaque remedia ſeſſio ad hoc ab Ordinibus deſignata ut inveniret, diutius laboravit: ſed nihil præſtitit, majorem animorum tranquillitatem maturitatemque ſententiarum tam arduo negotio requirente. Ad ultimum placuerat reſciſſo uſitato longo circuitu, agitandis terminandiſque Iudicialibus controverſiis ſaltem pauciores gradus aſſignare, & præfinire normam celerioris executionis rei judicatæ. Durior enim eſt hic conditio litigantium, cum bona ſua per multiplices proceſſus, provocationeſque ad diverſa, eaque longinqua ſubſellia judicio perſequi coguntur, & demum poſtquam litem obtinuerint, majores difficultates experiuntur in conſequenda executione ſententiæ, ideo quod jure victi, ac propterea proſcripti, iſtam pœnam (nempe ſummum juſtitiæ rigorem) parvipendant, & locorum Regii Præfecti, quibus hoc incumbit in eos non advertunt. Sed neque hoc ſucceſſit, plura enim in illa ſeſſione circa hæc utilia concluſa, deinde in communi Ordinum conſeſſu in dubium vocabantur, obſtrepentibus ad ſingula iis præcipue, quibus ea parabantur; ut oberratis, trahendiſque litibus adſuetis, & etiam Præfectis Regiis Iuriſdictionem in ſuis territoriis habentibus; nempe quibus graviores pœnæ lege nova imponendæ erant, ſi officii ſui debitum in exequenda re judicata, corripiendiſque proſcriptis negligentius implerent.

Comitia Electionis in corrigendis legibus nil præſtiterunt.

Simili temporis & operæ jactura fatigarunt ingenia ſua alii, quibus commiſſa fuerat conſultatio de poſſeſſionibus Regalibus nonniſi in bene meritos diſtribuendis. Nulla enim acutiſſimi cujuſvis ingenii ſagacitas, aut definitionum ſubtilitas exprimere ſufficeret tam infinitam rerum, temporum, perſonarum quoque & meritorum, præmiorumque diverſitatem, niſi ſinguli dum promerentur, ab ipſo diſtributore animi æquabilis dignoſcantur ac dijudicentur: ſeu cenſeantur veteri more, ex quo niſi quis fuiſſet Legatione aliqua ad exteros Principes Regis aut Reipublicæ cauſa inſigniter perfunctus, vel emeritus miles, damnumve in bello paſſus, aut Magiſtratus ſeu Miniſter Aulæ Regiæ, remunerationem à Rege petere erubeſcebat, cum hoc ſæculo omnes paſſim, ac plerumque ſeditioſiores in populo, maledicta in Conventibus ſpargere publicaque negotia turbare gnari, & quorum fama militiæ magis ex rapinis quam ex fortitudine innotuit, remunerationes hujuſmodi ſibi præ cæteris deberi contentioſe aſſeverent. Nonnulla tamen Deliberatores & iſti & alii contexuerant, quæ in Generali conſeſſu relata, paucis ſuſceptis majori parte ſunt reſciſſa, ut ſuo loco attingemus.

Beneficiorum diſtribuendorum modus præſcribi non poteſt niſi diſtribuentis æquanimitate.

Dum autem hæc in illis ſeſſionibus agerentur, univerſalis Ordinum conſeſſus audiendis Principum diverſorum Legationibus vacavit, Senatoribus, Equeſtrique Ordine (ducto vaſtiori circulo ſub dio ubi Equeſtres ſoli euſque ſubſtiterant) inſimul congregatis. Ac cum prima à Principe Vladiſlao venerant Principes, Caſimirus, Ioannes Albertus, Carolus, Alexander, unaque Legati Henricus Firley Epiſcopus Præmiſlienſis, Georgius Oſſolinski Præfectus ærarii Minor, Sigiſmundus Kázánowski, quos Epiſcopus Vladiſlavienſis Matthias Lubienski nomine Senatus, & omnium Procerum turmæ militares honoris ac officii cauſa ab Arce ad Comitia deduxerunt: Appropinquantibus aſſurrexit Archiepiſcopus Gneſnenſis cum Senatu univerſo, & ad calcem Coronæ (ubi Mariſchalli præſident, ac ingreſſus intro patet) exceptos conduxit ad ſellas in capite coronæ ſellarum Senatoriarum (tergo iſtas aſſiſtebant Equeſtres, alii pedes, alii humilioribus ſcabellis ſubnixi) præparatas, pone lævam ſellæ Archiepiſcopalis: Legati vero conſederant inter ſedes Mariſchallorum in conſueto Legatorum

Vladiſlai Principi Fratres & Legati veniunt in conceſſum Ordinum.

torum quorumcunque loco. Hinc ſilentio facto, Princeps Caſimirus modeſtiſſime lingua Polonica eſt præfatus, inquiens: A.C. 1632.

Caſimirus Princeps petit eligi Vladiſlaum Principem Poloniæ Regem.

Ego ac Fratres mei in ſinu iſtius Reipublicæ communis vobiſcum parentis nati, enutriti, eidem Almæ noſtræ Matri nonniſi feliciſſima quæque precamur, & pro ſalute ipſius vitam noſtram devovemus: Fratrem quoque noſtrum Sereniſſimum Principem Vladiſlaum eodem animo in hanc Rempublicam ſemper fuiſſe, taliſque propenſionis ſuæ experimenta clara jam dediſſe nemo inficiabitur: atq; ideo eum quem commoda & incrementa ejuſdem Reipublicæ probe curaturum certò ſcimus, ac Regni iſtius faſtigium promoveri deſideramus, hocque ab omnibus vobis Ordinibus expetimus, quibus pro ſingulari ejuſdem Sereniſſimi Fratris noſtri in ſingulos veſtrum grata beneficaq; voluntate vadeſque obſideſque noſmetipſos offerimus. Tum ejus ſermonem excipiens Epiſcopus Præmiſlienſis,diſertiori oratione expoſuit: *Quod quantumvis iſti clariſſimæ liberaq; genti Reges non dominentur ſed præſint, nec naſcantur; ſed per libera Ordinum ſuffragia eligantur, innatam tamen ei fuiſſe ſemper talem erga Regium ſanguinem obſervantiam,ut nunquam prolem ſuperſtitem Regiam in eligendo novo Rege præterierit, immo eam ſemper omnibus aliis competitoribus prætulerit; hocque longa exemplorum inductione illuſtravit.* Deinde merita & gratam memoriam Domus Iagellonicæ,ex qua per lineam maternam iſti Principes deſcendunt,enumeravit; & recentiora Sigiſmundi III Regis Patris eorundem Principum erga hanc Rempublicam amoris inſignia,fractamq; ac conſumatam in ejus curis valetudinem, morte ad extremum extinctam repræſentavit: Ipſiuſmet quoque Vladiſlai Principis laudes; recuperatam per ipſum à Moſchis Severiam, & repreſſum ad Chocimum Oſmanum Imperatorem Turcarum, atque ita glorioſe depoſita ejus ineuntis adoleſcentiæ tyrocinia memoravit. Ac demum ſubjunxit, Principis iſtius magnanimitatem liberali moderatione temperatam eſſe, nec eum ex ambitione aliqua Regnum affectare, ſed quod ingenita ipſius virtus, paternis præclare geſtis incitata, jugique bellicarum rerum ſtudio à primo juventutis flore exercitata, labores ſubterfugere neſciat, quinimo ardua quæque ſubire cupiat, ac Deo adjuvante confidat utilem operam iſti Reipublicæ ſe navare poſſe. Archiepiſcopus itaque Gneſnenſis ad utramque perorationem nomine Senatus reſpondit;

Firleius Epiſcopus Præmiſlienſis recenſet merita Vladiſlai Principis.

Ordinem iſtum Regis Sigiſmundi III inclytæ memoriæ glorioſa facinora toto orbe celeberrima, atque notiſſima, & cum primis Sereniſſimi Principis Vladiſlai in hanc Rempublicam inſignia merita diffiteri non poſſe: patrium quoque morem colendi Regiam progeniem non ignorare, cumque ſequi velle, tanto magis quod parentum virtutes in filiis agnoſcat, ſperetque iſtos veſtigia illorum imitaturos. Cæterum cum præſcriptus legibus hujus Regni Electionis Regis modus expoſcat, ut nonniſi collatis ſuffragiis unanimi conſenſu de ſufficiendo Rege Ordines decernant, iſta neceſſario præcedere debere:In eis tamen dignitatis Sereniſſimi Vladiſlai Principis,interceſſioniſque Sereniſſimorum Principum æquam rationem habendam fore. Deinde Mariſchallus Equeſtris Ordinis (iſte licet ſimul cum Senatu Legationes audiret, ſeparatim tamen ſuam ſententiam nonniſi per Mariſchallum proprium renuntiari volebat) ſimile reſponſum dedit, & omnibus conſurgentibus ad reducendos Principes, conſeſſus illo die fuit ſolutus.

Archiep. Gneſnen. reſpondet ex conſilio publico dandum fore reſponſum ſuper Electione Regis.

Mariſchallus Equeſtris ordinis ſeorſum reſpondet Legatis nomine Nuntiorum.

Poſtridie ad Ordines eodem modo ſimul conſidentes, veniens Honoratus Vicecomes Nuntius Sedis Apoſtolicæ, ac ad lævam Archiepiſcopi Gneſnenſis capto loco, Legationem ab Vrbano VIII Papa Romano expoſuit oratione languida & verboſa nimium, eoque ingrata, in qua poſtquam nonnulla præconia nominis Poloni recenſuerat, hortabatur Ordines ad placatiora in rebus Eccleſiaſticis conſilia, utque eligerent ſibi Regem Principem Vladiſlaum. Ac tulit reſponſum ab Archiepiſcopo Gneſnenſi (Cancellarii & alii Magiſtratus, quorum officii

Summi Pont. Legatus intercedit pro Electione Regis & pro Clero.

A C. 1632.

Archiep. Gneſnen. reſpondet in eligendo Rege Religionis Rom. rationem habendam fore.

eſt reddere reſponſa Legatis nomine Regnantis Regis, eo defuncto non exercent functiones ſuas, ſed Archiepiſcopus Gneſnenſis) acceptiſſimam eſſe omnibus Summi Pontificis paternam de Regno hoc ſolicitudinem, monitioneſque ſalutares. Deliberationes vero publicas, eamque præcipue, quæ Regis nominationem concernit, in hac Republica nonniſi exploratis ſingulorum voluntatibus expediri ſolere. Curaturos tamen Ordines, ut Regem eligant, qui Apoſtolicæ Sedi placeat, Catholicam Religionem defendat, quemque Chriſtiani populi hoſtis timeat, orbis admiretur.

Eodemque verborum ſenſu Mariſchallus quoque Equeſtris Ordinis reſpondit ſermone ita compto, ut omnibus præſertim externis, admirationi eſſet, quod homo militaris nil præmeditatus tam promptam & cultam eloquentiam Latinam haberet.

Sueci Regis Legato in admittendo diffi cultas exorta.

Deinde audiendi erant Legati Imperatoris, & Regis Sueciæ Guſtavi, & cum prior veniſſet Sueticus, ac Imperatorius tardiùs ſuperveniens, tum primum petiiſſet audientiam cum jam proximus dies audiendo Suetico fuiſſet datus, grave dubium occurrebat, quomodo prior Imperatorius, uti decebat, admittendus eſſet, cum Suecus jam præmonitus de audientia citra injuriam ad aliam diem rejici, vel uterque eodem die excipi non poſſet. Sed opportune accidit, quod Suecus eo die morbo podagræ correptus, ipſemet rogavit ut prorogaretur ſibi tempus: atque ita illo die Legatus Cæſaris conductus ad conſeſſum Ordinum, accepto loco inter ſediculas Mariſchallorum, Latina lingua commemoravit Auſtriacæ Domus cum Regibus Poloniæ veteres conjunctiones, ac affinitates, earumque emolumenta, quibus adductus Imperator Ferdinandus II Legationis officio Electioni præſenti aſſiſtere, Principemque Vladiſlaum arctiori ſanguinis vinculo ſibi conjunctum Ordinibus Regem eligendum commendare voluerit.

Imper. Legatus intercedit pro Electione Vladislai Principis.

Ac iſti quoq; Archiepiſcopus & poſtea Mariſchallus Equeſtris Ordinis reſpondit, quod recordationem talium neceſſitudinum, humaniſſimamque Cæſareæ Majeſtatis erga hoc Regnum voluntatem Ordines gratiſſimam habeant, uberiuſque reſponſum actu determinato ipſi ſint daturi. Aliquis ſublata voce (ſubornatus à quodam partium Auſtriacarum Procere) monuerat, ut adderetur in reſponſo, circa Electionem Regiam, poſtulationis Cæſareæ dignum reſpectum habendum fore, ſed reclamatio univerſorum ejus artificium improbavit.

Imperatori reſponſo addi eius interceſſionem rationem habendam fore Ordines non permiſerunt.

Sueci Regis Legatus auditur in conſeſſu Ordinum.

Perendie vero Suetica Legatio fuit audita, cum qua adfuit (Legatus ipſemet Steno Bielche necdum convaluerat) Vlricus quondam Syndicus Rigenſis cum alio Collega Oratore, qui in eodem loco quo & Legatus Cæſaris conſidens, cum literas fidei primùm, ut moris eſt, exhibuiſſet, in earum titulo ad Ordines additum verbum (*reſpectu*) amicis, eſſe ſuſpectam Regis Sueci amicitiam arguebat, & nonnihil animos Ordinum commoverat: tamen re perpenſa, maturiores ſtultum faſtum contemnendum judicarunt, & Orator ille repetitis longo temporum ordine principiis cultæ Polonis cum Suecis amicitiæ, eandem fato malo interruptam, cum jam inquit obicem ſors removerit (Sigiſmundum Regem innuebat, ne verbo tamen eum læſit aut nominavit) facile reconciliari poſſe, Suecorumque ſtudium ad hoc non deſore aſſerebant. Iteratiſque Orationis ſuæ argumentis perſuadere conabatur, ut Ordines dum ſui juris eſſent, & priuſquam Regem eligerent, ea omnia quæ reconciliationem hujuſmodi, pacemque tractandam impedirent tollere ſtuderent; Nempe ut non eligerent Regem ex Regis Sigiſmundi filiis, niſi prius iſti renuntiarent hæreditati Regni Sueciæ, quod unicum pro renovanda cum Regno Poloniæ pace perpetua Suecus Rex expoſcebat. Reſponditque ei Archiepiſcopus ac Mariſchallus Equeſtris, Rempublicam à pace juſta & honeſta non abhorrere, & circa Electionem Regis ea quæ è Republica futura eſſent, curare velle.

Legati ſub Electione Regis non admittuntur intrò Civitatem.

A.C. 1632.

velle. Vterque autem Legatus in villis diverſis circa villam Wola hoſpitium ſumpſerat, veteri conſuetudine præcavente, ne externis Legatis diverſoria ſub tale tempus concedantur in Civitate ſeu Electionis loco, unde facile arcana Reipublicæ penetrare, vel electionis curſum interpellare valerent. Præbebantur tamen ipſis ex publico non pauca in cibariis honoraria, & identidem Legato Cæſareo, nunc ab uno, nunc ab altero Procerum exhibebantur in Civitate lautiſſima convivia; fuitque iſte permiſſus poſt paucos dies quibus hæſit foris, transfire ad ſuburbanum Palatium Regium Iazdoviam; Suecus ſemel tantum apud Palatinum Vilnenſem cœnavit, manſitque ad finem in villa Macioris.

Imp. Legatò exhibentur lauta convivia.

Alii Legati minorum Principum, nempe Fiduciariorum Regni, degebant in Civitate; & cum ipſorum audientiæ non deberetur æqualis honor pleni conſeſſus Reipublicæ, audiebantur in ſeparatis congreſſibus Senatus ac Equeſtris Ordinis. Nec eſt quod ſingulare de illis adnotemus: Electoris enim Ducis in Pruſſia eadem fuit poſtulatio, quæ & in Conventu Convocationis antecedenti; nempe ut vocaretur ad ſimiles Conventus, & locum haberet in Senatu, oneribuſque Fiduciæ ſuæ gravioribus levaretur: & ex illiſmet cauſis fuit rejecta ad Comitia proxima, in quibus Rex novus præſideret. Curlandicis quoque ſpes fuit facta reſtitutionis in gradum priſtinum Ducis Vilhelmi proſcripti: ſed ad Equeſtrem Ordinem cum ſua Legatione tranſeuntibus Pruſſicis, jam ipſum circulum illius conſeſſus introeuntibus accidit, quod diverſi Equeſtres (præſertim Martino Tulibowski Iudice Breſtenſi infenſore illi Duci alios concitante) acclamationibus urgebant denegandam audientiam Legatis Ducis, qui jure ambiguo ob contradictiones interpoſitas Pruſſiam obtineret, & qui conſcius conſiliorum Guſtavi Regis Sueci, eundem in Pruſſiam adduxerit, armis, pecuniis, commeatuque juverit. Vnde Legati retrocedere coacti, multas querelas de læſa tanto contemptu dignitate Ducis apud Proceres circumferebant, ac plures Senatores non ſolum conjunctiores eidem Duci, ſed maturiores quique factum illud improbabant. Tamen non ultra verba res proceſſit, excuſante Mariſchallo Equeſtri, & cauſam rejiciente in adventum intempeſtivum Legatorum antequam accirentur, & priuſquam commotio illa ſedari potuiſſet. Dantiſcæ Civitatis Legatis fuit conceſſum, ut æque ac Civitatis Cracoviæ, Vilnæ, Legati jus ſuffragii in Electione Regis haberent. Cumque jam pauci Comitiorum dies ſupereſſent, vitiimque ſententiis de modo Electionis concludendæ exquirendis non ſufficerent, deputavit Senatus è medio ſui Minoris Poloniæ tres, Palatinum Cracovienſem Ioannem Tarczynski, Palatinum Sendomirienſem Staniſlaum Koniecpolski, ac Thomam Zamoyski Vicecancellarium Regni: Majoris Poloniæ tres, Iacobum Zadzik Epiſcopum Culmenſem, Cancellarium Regni, Iacobum Sczawinski Palatinum Breſtenſem, Andream Opalinski Mariſchallum Regni: Lithuaniæ alios tres, Palatinum Vilnenſem Leonem Sapiha, Abraham Woina Epiſcopum Vilnenſem ac Cancellarium Lithuaniæ, Albertum Ducem Radziwil, qui una cum deſignatis ad hoc idem ex Ordine Equeſtri conſcriberent conditiones eligendo Regi proponendas, eaſque cum Legatis Vladiſlai Principis conferrent. Interim vero omnes Ordines iterum ſimul in uno circulo convenientes, omnia illa quæ ſeſſiones ſingulares cenſuerant, examinarunt: Sed ut alias attigimus, paucis receptis, plura utilia contradictionibus explodebantur, ſtudiiſque partium in diverſa diviſis, tempus inaniter trahebatur ad ultimam uſq; Comitiorum diem. Qua adveniente, alia indidit difficultas, ea enim dies licet eſſet deponendorum ſuffragiorum propria, nec differri poſſet ſine evidenti ſummæ rei periculo, multoque minus in tam anguſto tempore, tam confuſa negotiorum publicorum varietas dignoſci valeret: nihilominus iſta ante omnia terminari Ordo Equeſtris contentius poſtulabat. Sed aliquibus in hoc, ut prenſarent

Ducis Pruſſiæ Legati coram Senatu exponunt Legationem.

Ducis Pruſſiæ Legatus exprobratur conſenſus cum Sueco Rege in conſeſſu Nuntiorum.

Dantiſcæ Civitatis conceditur ſuffragium in eligendo Rege æque ut Cracoviæ ac Vilnæ.

Eligendo Regi conditiones proponendæ diſputantur per Delegatos utrinque.

A.C. 1632. ſarent quoſque inſigniores magiſque populares ſubornatis, Senatoribuſque præcipuis adnitentibus, admiſerat temperamentum tale, quod illo quidem die darentur ſuffragia, ſed non publicarentur, nec Rex nominaretur: finis vero Comitiorum proferretur ad tres dies, intra quos omnia controverſa deciderentur, pacta conventaque cum Rege nominando ſtabilirentur, firmarenturque jurejurando ipſius Legatorum, & tum demum Ordinibus ſatisfactione in ſuis deſideriis neceſſitatibuſq; publicis accepta jubentibus, Archiepiſcopus ex ſuffragiis iſto die collatis Regem nominaret ac renuntiaret. Hoc concluſo fideque invicem data præcauto, omnes in genua procumbentes, Archiepiſcopo præcinente Hymnum *Veni Creator Spiritus* dixerunt, eoque finito totus conſeſſus eſt diviſus in Palatinatus, ſingulis tam Senatoribus quam Equeſtribus ad proprios Palatinatus ſecedentibus. Solus Archiepiſcopus Gneſnenſis non ſe movit loco, eo quod iſti competat in concluſione demum omnium ſuffragiorum, explicare ſententiam ſuam, ſimulque nominare Regem: & ut retineret ſtationem circuli, quo diſſoluto, permixta multitudo, difficilius (iſtud eveniſſet certo niſi tali conſilio fuiſſet proviſum) ad ordinatum conſeſſum revocari potuiſſet. Nec multum morati Ordines diviſi hoc modo, ſuffragia ſua enuntiabant, primo Senatore cujuſque Palatinatus rogante, eaque excipiente, unanimique voce VLADISLAVM Principem Poloniæ Regem nominabant. Nullumq; veſtigium apparuit contrariarum voluntatum, (conduxerant plurimi turmas militares nomine ſuppreſſo, Principis ſtipendiis, & ex ſecretiori inſtructione Valnſtenius, quantumvis majoribus copiis tunc in Germania contra Suecum Regem indigeret, tamen expeditiores legiones cum Tribuno ſolertiori Schafgotzio diſpoſuerat in Sileſia circa confinia Poloniæ, ut exitum iſtius Electionis obſervarent) cum tamen vivente Rege Sigiſmundo Patre non pauci averſos ab eo animos præferrent. Præſertim ſuperſtite adhuc Regina Conſtantia ejus Matertera ac noverca, quæ cum impenſius favorem Procerum captaret, Caſimiro primogenito ſuo ſucceſſionem Regni comparare credebatur. Hujuſque rei non obſcura apparuerant argumenta in Comitiis Anni 1626. Turonienſibus, ubi unus ex Epiſcopis, iſque Vicecancellarius propoſuerat vocandum ad ſpem iſtius ſucceſſionis Caſimirum Principem: & licet tunc indigne id audierint Ordines, nempe quod præcipuus legum cuſtos, legem tam claram de non novanda quæſtione circa ſucceſſionem Regni Rege vivente temerandam tentaret, tamen exinde fuit opinio, quaſi Regina ſucceſſionem hujuſmodi iſti ſuo filio procuraret, eaque ſuggerente, Epiſcopus ille cauſam hanc promoveret. Atque ex tali ſuſpicione ortus rumor, etiam exiſtimationem totius Cleri perſtrinxit, ut vulgo jactaretur eum adverſari Principi Vladiſlao. Auxerat autem famam hanc, quod iſte Princeps propter valetudinem (morbo Comitiali fuit aliquando obnoxius) ex conſilio Medicorum diutius ſolebat decumbere in lecto, & nunquam jejunus veſtiri, aut in publicum prodire. Vnde ſacrificia Miſſarum Catholicarum publica frequentare non poterat, ut proinde remiſſior in colenda Religione Catholica, eoque minus acceptus eſſe videretur Eccleſiaſticis, quos malevoli commento tam inani in diffidentiam apud eundem Principem adducere contendebant. Sed nihil minus quam alienationem ab illo Principe Eccleſiaſtici cogitarant, cum cauſæ non ignari, ejus conſtantem in Religione Catholica voluntatem probe ſcirent, & nulli magis quam iſti etiam vivente Sigiſmundo Patre ejus partes tutati ſunt, ipſiuſque Electionem promoverunt.

Suffragiorum pro Rege eligendo ferendorum ordo.

Nobiles ſinguli in Palatinatibus ſuis dant ſuffragia pro Rege eligendo.

Militares turmæ aderant pro Candidato in Comitiis Electionis.

Valnſtenius in confiniis tenet exercitus, obſervat progreſſum Elect. Reg.

Vladiſlao Principi nullæ circa Electionem contradictiones opponuntur.

Eccleſiaſticos non faviſſe Vladiſlao Principi vanus rumor.

Collectis autem in Palatinatibus ſententiarum calculis, quarum autographa manibus Senatorum, & Nobilium cujuſque Palatinatus ſubſcripta Mariſchallo Ordinis Equeſtris conſignabantur, omnes ad unum conſeſſum redierunt, ut ſingularia Palatinatuum ſuffragia in commune ſimul conferrent. Primuſque Archiepiſcopus commemoravit fidem mutuo ab initio interpoſitam de non nominando Rege licet

cet ſuffragia interceſſerint, niſi ſublatis prius differentiis, quæ ſupererant inter Ordinem utrumque omnes conſentirent eum nominandum. Obſtabatque quod ſuffragium ſuum in quo concluſio rei nominatioque conſiſteret, tunc dicere non vellet, ſed prius aliorum enuntiationes eſſet auditurus. Eum vero ſequuti Epiſcopi, aliique Senatores ſinguli, VLADISLAVM Principem cum brevi enumeratione laudum ipſius Regem nominabant, & deinde Palatinatus, Ordine quo diſtincti ſunt, ſuffragia ſua reddebant, eiſque finitis iterum Archiepiſcopus declaravit, Regem nonniſi determinatione Comitiorum de voluntate omnium Statuum nominandum fore. Quod demum triduo illo elapſo, poſt protracta ad alios duos dies Comitia tredecima menſis Novembris (Sabbatho) ſucceſſit. Hac enim primum, idque ſub veſperam, poſtquam Diſſidentium in Religione & Equeſtris Ordinis contra Eccleſiaſticos querimoniis fuerat ſatisfactum, ac ad leges quaſdam ſtatum univerſi Regni concernentes, conditioneſque Pactorum cum novo Rege initorum (habentur in volumine legum publicarum) omnes conſenſiſſent, Archiepiſcopus interrogavit, placeretne jam nominare Regem, factiſque acclamationibus fauſtis, Principes juniores fratres cum Legatis VLADISLAI Principis venerunt in medium Ordinum, ac Legati ſoli genibus flexis jusjurandum ſuper pactis à Rege nominando VLADISLAO Principe obſervandis ipſius nomine præſtiterunt verbis conceptis, quæ Cancellarii Poloniæ & Lithuaniæ prælegebant. Tum Archiepiſcopus nominavit Regem, uſus præfatione talis argumenti: *Quod etiam Prophetis adeò formidoloſum fuit, cum juberentur juſſa Divina populis annuntiare, ut ſubterfugerint tantam functionem, alii migrantes in longinqua à facie Domini, alii excuſantes ſuam imbecillitatem, linguamque balbutientem, A, A Domine puer ſum & neſcio loqui:* tanto magis ſe longe infirmiorem, fragilitatiſque ſuæ conſcium trepidare, cum pronuntiare debeat hoc Dei decretum, quod ante ſæcula Rex præſens iſti genti eſt deſignatus. Omnino enim (inquit) ſolius Dei, per quem Reges regnant opus eſt cenſendum, cùm tanta animorum ingentis populorum multitudinis varietas, in unam voluntatem eligendi ſibi Regem coierit, hocque non tanquam conſenſum humanarum mentium, ſed uti oraculum Divina virtute præſenti Congregationi afflatum, ſibi ſit pronuntiandum. Sed quoniam ex officio ſuo ad hoc obligaretur, non merito ſuo ſe metiens, verum obtemperans inſtinctui Dei, qui infirma mundi eligit quo fortia confundat, & humiliores ſæpius magnorum arcanorum ſuorum Miniſtros adhibet, auxilioque ſuo confirmat: eo adjuvante in ejuſque nomine (inquit) *Nomino Regem Poloniæ; & Magnum Ducem Lithuaniæ* VLADISLAVM *Principem Sueciæ Regem, Sigiſmundi III Poloniæ Regis recens defuncti filium primogenitum: precorque cæleſtem Regem, ut hunc quem à ſæculis Regem genti iſti providit, gratia ſua in tanto munere ſuſtinendo adjuvet, hancque Electionem iſti Reipublicæ fauſtam fortunatamque, & cum primis Religioni Catholicæ ſalutarem eſſe velit.*

A. C. 1632.

Senatores in ſuo conſeſſu enuntiant ſuffragia pro Electione Regis.

Renuntiatio Regis differtur donec publica negotia definiantur.

Archiepiſcopus Gneſnenſis nominat Regem Vladiſlaum IV.

Ad ultimum Mariſchallos compellans monuit, ut nominationem hanc ex officio ſuo publicarent; qui confeſtim aſſurrexerunt ſimul omnes in loco ſeſſionis ſuæ, & Mariſchallus Regni Major omnium nomine altiori voce promulgavit, *Regem* VLADISLAVM *Electum concordibus ſententiis & ab Archiepiſcopo Gneſnenſi Regni Primate nominatum eſſe, ipſumque pro Rege vero legitimeque Electo ac nominato ab omnibus recognoſci debere.* Hocque dicto, Archiepiſcopus Hymnum gratiarum recitavit, toto illo cætu hilari cantu proſequente, tormentorumque ac bombardarum tonitruis undequaque reſonantibus. Totum enim vallum Civitatis, ac campos late circumjacentes oppleverant agmina militaria, edendiſque talibus lætitiæ ſignis in profundam noctem læta vacarunt.

Mariſchalli denuntiant nominatum fuiſſe Regem omnium conſenſu Vladiſlaum.

Inſequenti die qui fuit Dominicus 14 Novembr. Electus Rex ad Templum primarium

A.C. 1632.

Vladiſlaus Rex recipit decretum Electionis ſuæ ab Archiepiſcopo & jurat.

marium S. Ioannis Baptiſtæ Varſaviæ, cum frequenti Senatorum Nobiliumq; Comitatu deſcendit, peractoque ab Archiepiſcopo ſolenni ſacrificio, acceſſit ad Altare majus: ubi cum Georgius Oſſolinski Præfectus Theſauri Minor, commiſſam ſibi gratiarum actionem pro Rege Electo perorare vellet, & Cancellarii Regni functionem hanc muneris ſui propriam concedere ipſi nollent, lis illa fuit compoſita tali modo, ut ille ante inchoatum actum tradendi decreti Electionis, uti privari adhuc Principis privarus miniſter, ſermonem ſuum expedierit. Rex vero Electus genibus nixus, jusjurandum ea forma qua illud Legati ipſius in conſeſſu Comitiorum præſtiterant, Cancellariis Regni & Lithuaniæ præloquentibus, clara voce enuntiavit.

Archiepiſcopus Gneſnenſis obteſtatur contra clauſulam juramenti Regii de Diſſidentibus nil præjudicare Catholica Religioni.

Et cum iterum aſſurrexiſſet, Archiepiſcopus primò obnuntiabat quod Iuribus Religionis Catholicæ nulla ratione jurejurando tali derogaretur, præſertim articulo ejus (*Pacem inter Diſſidentes de Religione ſervabo*) viciſſimque opponente Raphaële Leſczynski Palatino Belzenſe nomine Diſſidentium, ne jura ipſorum in dubium vocarentur, reſpondit ſe ſcire quod pax hæreticis indulgeretur, ſed de jure legeque publica qua confirmaretur neſcire: Eoque dicto Regem Electum affatus admonuit, quod eam ob cauſam ei ad Altare Dei ſtanti Regnum traderetur, ut ſciat Regnum Catholicum à Religione Catholica ſibi deferri, hocque ipſo ad ejus denfenſionem ſe obligari: Simulque tradidit ipſi decretum Electionis in charta pargamenea conſcriptum, omnium Procerum Nobiliumque qui Electioni aderant præcipuorum ſubſcriptionibus & ſigillis munitum. Mariſchalli autem obverſi à ſummis gradibus adyti Templi ad populum, indicto ſilentio, renuntiatunt Decretum Electionis Regi legitime Electo nominatoque fuiſſe traditum, & Archiepiſcopo præcinente Hymnum *Te Deum laudamus* univerſi adſtantes ſono confuſo cantarunt, fruſtra arte meliori cantare contendente choro Regio Muſicorum.

Mariſchalli ante Regem nondum coronatum ſceptra demiſſa tenent.

Redeuntem è Templo Regem proxime antecedentes de more Mariſchalli ſceptra officii ſui demiſſa tenebant, non ſublevabant, eo quod priuſquam Rex coronaretur, ſceptrique inſigne ſolenniter acceperit, ipſi à Mariſchallis ſceptra præferri mos antiquus vetaret. Tandemque poſtridie Senatus in Palatio Regio congregatus, Legatis externorum Principum reſponſa dedit, & ſubſcripſit Acta Electionis, in quibus Conventus Terrarum ſingulares ad decimam quintam Decembris, & Comitia coronandi Regis ad trigeſimam Ianuarii proximi indicebantur.

Coronando Regi dies præſtituitur 30 Ianuarii.

Illud quoque erit obſervatione non indignum, quod Rex Electus ad iſtos Conventus Terrarum ſingulares non miſerat, ut ſolet Rex regnans inſtructiones aut Nuncios ſuos (præter literas privatas in negotiis fratrum ſuorum juniorum ac pompæ funebris Patris ſui) eò quod Electus Rex non poteſt exercere functiones Regias antequam coronetur. Nec diſtribuit beneficia aut officia, niſi aliqua in futurum promittat, ut iſte libetalirer plurima plurimis promiſerat. Vnde & Cancellarii nil ſigillant, & demum poſtquam ſigilla Regis defuncti circa ejus funeris celebritatem confregerint, à coronato Rege novo, nova accipiunt. Literæ autem ab Electo Rege præſertim officioſæ ad Principes exteros, interim ſcribuntur cum titulo Rex Electus, ac ſigillo quo ille utebatur ante Electionem ſuam ſignantur.

Electus Rex non poteſt diſtribuere beneficia, nec uti ſigillo Regio.

Annus

Annus Chriſti, 1633.

A.C. 1633.

Sigiſmun. III Regis Pol. funus adducitur Cracoviam.

ANni Chriſti, Milleſimi, Sexcenteſimi, trigeſimi tertii, Ianuario menſe, Rex Electus febri detentus Varſaviæ, cum ad præfinitum Comitiorum tempus Cracoviam tranſire non poſſet, præmiſerat ſolum funera Patris Regis Sigiſmundi & Reginæ, quæ comitantibus junioribus Principibus Cracoviam conducta ad ſuburbanum Palatium Regium Lobzoviam divertunt, inde ad pompam funebrem conducenda. Et die Coronationi, ac ſubſequenti Comitiis inchoandis præſtituto adveniente, licet non pauci dubitarint, poſſentne abſente, & nec dum Coronato Rege haberi Comitia, tamen Archiepiſcopus Gneſnenſis ne dilaberentur Senatores, ac Nuncii Terrarum, qui frequentes convenerant, ſolenne Sacrificium pro eis inchoandis celebravit in Templo Pontificali Cracovienſi ac inde ad Curiam Arcis Senatoriam tranſiens, cum Senatoribus & Nunciis colloquio facto, examinandis ac definiendis illis negotiis, quæ circa Electionis Actum imperfecta manſerant, trahere tempus illud placuit, æque in Senatorio ordine atque in Equeſtri, apud quem ex more vetuſto, ut ille qui Mariſſalli munere in proximis Comitiis functus fuiſſet, in ſubſequentibus quoque Comitiis, donec novus Mariſſallus eligeretur, idem præſideret, Iacobus Sobieski Inciſor Regni, qui in Electione proxima officium Mariſſalli geſſit, hæc quoque initia dirigebat. Iamque ſeſſiones ſuas inchoarant, cum ſupervenientes diverſi prodromi annunciarunt, Regem haud dubie intra triduum affuturum: unde omnes intermiſſo conventu, ei obviam properarunt.

Comitia Cracoviæ ad coronandum Regem inchoantur, licet Rex nondum advenerat.

Vladiſlaus Rex venit Cracoviam ſalutatur.

Veneratque Rex die B. Mariæ Virgini dicato 2 Febr. à Villa *Promnik*, ubi pernoctarat in prædio Celarii, & cum ſplendido militarium turmarum apparatu, ac magno Senatorum Procerumque numero progrediens, in campo ibi proximo Magiſtratuum Suburbanorum Caſimiriæ & Clepardiæ, ac prope templum Divo Floriano ſacrum, Academiæ Cracovienſis Salutationem audivit; Portam Civitatis primam Florianeam dictam ſubeunti, Magiſtratus Vrbis Cracoviæ claves civitatis præſentavit; & poſtquam inter feſtivos tubarum & tympanorum clangores, tormentorumque ac bombardarum ſonitus arcus triumphales in introitu & exitu fori magni Civitatis affabre conſtructos, emblematiſque exquiſitioribus ornatos ſubierat, atque ad Arcem aſcenderat, Thomas Zamoyski Vicecancell. Regni, tunc ejus Arcis Præfectus (iſtius cohortes pedites diſpoſitæ in Vallo ſummo Arcis, tenebant paſſum vexillum Prætorium litera M. inſignitum Maximiliani Archiducis Auſtriæ apud Byczina à patre ejus capti) claves quoque Arcis ipſi tradidit, ornata oratione laudibus ejus memoratis. Inde vero Baſilicam proximam Pontificalem introeuntem apud Aram D. Staniſlai Regni Patroni, Collegium illius Eccleſiæ gratulatione, Petro Gembicki Decano tunc ejuſdem Baſilicæ perorante excepit, Hymnumque Ambroſianum pro gratiarum actione Deo cantari fecit. Altero die quieti dato & præparationi funebri, quartus Februarii inciderat in feriam 6, ceſſit juſtis exſolvendis Regi Sigiſmundo III & Reginæ Conſtantiæ Auſtriacæ ejus uxori. Et quidem oportuiſſet ſervare conſuetudinem veteri uſu receptam, ut primum coronaretur Rex, ſed ne funeſtum illum ſpectaculum interrumperet poſtmodum negotia Comitialia potius præmittendum fuit.

Maximiliani Archid. ſigna capta eriguntur.

Sigiſm. III Regis funus.

Funera itaque illa Regia ex Palatio Lobſovienſi in Suburbium Clepardienſe tranſlata, poſtquam in hortis Montelupianis celebritatem hanc expectarant, inde proceſſit pompa lugubris, præeuntibus longo ordine Monachorum, Sacerdotumque agminibus; ipſa feretra auro textis periſtromatis, coroniſque, ſceptris, ac aliis inſignüs Regiis ſuperpoſi-

A.C. 1633. tis operta, antecedebant Epiſcopi, Vladiſlavienſis, Poſnanienſis, Plocenſis, Præmiſlienſis, Culmenſis, Chelmenſis, Kijovienſis, Camenecenſis, unà cum Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Nuncio Apoſtolico agmen claudentibus:

Græcis negatur præcedentia à Capitulo Cracov.

Aderant & Epiſcopi Græci ex Ruſſia Eccleſiæ Romanæ ſociati, quos Collegium Baſilicæ Cracovienſis Pontificalis, uſque Nuncio Apoſtolico deprecante ægre permiſit Epiſcopis Regni Senatoribus in inceſſu proxime conjungi, cum locum non alteri niſi ſibi deberi contentius affirmans. Abbatibus vero nulla ratione concedere voluit, ut primo loco incederent, ſed permiſti Ordini Collegiali, vel prout quiſque haberet locum in illo Collegio, ut Tinecenſis, Claræ Tumbæ Abbates habent, ac Præpoſitus Miechovienſis. Retrò feretra ſequebantur Principes filii Regii cum turba Senatorum ac Nobilium, & à lateribus ſtipatores Regii obverſis ſariſſis, ac Equites vexilla omnium Provinciarum ferenres, in quibus Regni ſingularumque ejus Dynaſtiarum inſignia opere phrygio artificioſe intexta cernebantur. Rex cum Reginula ſorore ſua opperiebatur in domo Ioannis Foxii Archidiaconi Cracovienſis, ibique demum conjunxit ſe huic comitarui, & ad finem parentalibus ſacris interfuit, in magno Procerum, Nobilium, Legatorumque Principum externorum concurſu.

Vladiſlaus Rex antequam coronetur, viſitat ex more locum martyrii S. Staniſlai.

His ita peractis poſtridie Rex Religionis cerimoniam (omnibus Regibus priuſquam coronantur uſitatam) ut conficeret, Rheda vectus ad locum Martyrii S. Sraniſlai in Rupella, vulgari nomine *Skalká* dictum (ubi nimirum ille Sanctus dum ſacra perageret, à Rege Boleſlao Audace Caſimiri ex Monaſterio Cluniacenſi ad Regnum aſſumpti filio, Anno Chriſti 1079, 8 Idus Maii fuit occiſus) inde pedes ad aliam Ædem ejuſdem Sancti in Arce Regia ſitam ivit,

Vladiſlaus Rex Sacram Euchariſtiam ſumit apud ſepulchrum S. Staniſlai.

ibique in craſtino ejuſdem diei ſummo mane apud Sepulchrum illius Sancti præſente Nuncio Apoſtolico (ex manibus Archiepiſcop. Gneſnen. ſacram Euchariſtiam ſumpſit. Proxima vero deinde die 6 Februarii (Dominica) in illa eadem Pontificali Baſilica peragebatur ritus Coronandi Regis conſuetus, ex præſcripto

Vladiſlaus Rex coronatur 16 Febr. 1633.

libri Pontificalis Romani. Nec circa eum aliud ſingulare accidit, præter quod cum ad Archiepiſcopum Gneſnenſem tractare Divina pertineret, Gneſnenſis Eccleſiæ Canonici præferri ſe Cracovienſibus in eo volebant, ut aſſiſterent ad talem

Gneſnen. cum Crac. Capit. de loco controverſia judicio legittimo ſervatur.

functionem ſuo Archiepiſcopo, ne ab eo uti membra à ſuo capite divellerentur: Cracovienſes vero in propria Eccleſia non alteri quam ſibi primas partes deberi, omnemque tractationem Divinorum nemini alteri incumbere aſſerebant. Neque conſtabat de conſuetudine in iſtis ab antiquo (annis 45 præceſſerat alia ſimilis Cerimonia) obſervara, aliterque non potuit dirimi tunc illa lis, niſi ut permiſti (plures eorum habebant dignitates in utraque Eccleſia) miniſtrarent Archiepiſcopo, jure cujuſque ſalvo, & judicis definitioni reſervato.

Diſſidentes in Religione querelas ſuas iterant & quieſcunt moniti.

Diſſidentes quoque in Religione commoverat, quod Archiepiſcopo ſtantem jam ad altare Regem iniriaturus monuerat, ſolam Catholicam Romanam fidem Regia in Polonia ſceptra tenere, eaque Regibus dare, & propterea Reges ad altare Catholicum ſacro oleo perungi, ut memores accepti ibi muneris & honoris fidem Catholicam defendere & propagare debeant: Inſuper obteſtabatur, quod ea quæ ſub Interregno & circa Electionem Regiam hæreticis pro bono pacis conceſſa fuiſſent; vim legis perpetuæ habere non poſſint: illi vero hoc audito oppoſuerant ſuas querelas, quas continuatione ſacrorum interruptas, poſtea in conſeſſu Nunciorum Terrarum iterarunr. Poſtquam fuit coronatus Rex, altero die jurarunt

Vladislao Regi jurant Senatores & Magiſtratus fidelitatem.

ipſi fidelitatem inprimis Archiepiſcopus Gneſnenſis, dein Senatores qui aderant. Circa quod movebatur etiam quæſtio, quali formula illi qui ſemel jurarunt Regi & Reipublicæ iterum deberent jurare, ne videretur in dubium vocari primum eorum jusjurandum. Nec apparebant veſtigia tantæ rei ex anteriori-

A.C. 1633.

Iurisjurandi novo Regi formula diſputatur.

rioribus Interregnis: verum conſiderata formula jusjurandi hujuſmodi, illa verba quibus regnanti Regi nomine expreſſo fides obligatur, ad ſingularem Regis cujuſque perſonam referri, iſtiſque ſublatis, in nomen alterius ſuccedentis ea ſola repetenda eſſe nemo ambigebat. Iurarant itaque omnes omiſſis ex communi formula verbis, quæ Reipublicæ & muneris Senatorii recte adminiſtrandi finem ſonabant, eiſque duntaxat expreſſis, quæ perſonam Regis noviter Regnum capeſſentis ſpectarent. Qua norma & Magiſtratus Iudiceſque omnium Terrarum priuſquam Iudicia ſua finitis Comitiis exercerent, jurarunt. Ac deinde Principes quoque Regis fratres (diligentius hoc requirebant Ordines) ſed aliis conceptis verbis, nempe quod fideles eſſent Regi & Reipublicæ quandiu poſſeſſiones ſeu beneficia aliqua in hoc regno retinerent. Solus Princeps Carolus Ferdinandus Epiſcopus Vratiſlavienſis liber fuit à tali ſponſione, eo quod nil tum obtineret in Regno, unde Regi & Reipublicæ obligaretur.

Regis fratres Principes jurant fidelitatem Reipub. quandiu poſſidebunt beneficia in Regno.

Cracovia Magiſtratus jurat fidelitatem Regi.

Illo eodem poſt ſuſceptam Coronam poſtero die, Rex ad forum Civitatis Cracovienſis deſcendit, & in Theatro ante palatium Prætorium contra plateam ***Brácka*** extructo, ſuperboq; apparatu ornato conſiſtens, ſubjectionis jusjurandum, ac ſimul honoraria munifica à Conſulibus & Senatu Civitatis accepit. Ibidemque creavit Equites aliquot auratos, inter quos cum plures admitterentur plebeii, ac militiæ ignari, nobiles genere eum honorem vilem habuerunt.

Vladiſlaus Rex creat Equites.

Comitiorum Crac. 1633. ſeries.

Diſſidentium in Religione contentiones ſedantur.

Interim Nunciorum Ordo elegerat ſibi Mariſallum Nicolaum Comitem de Oſtrorog, ac agebantur Comitia more conſueto. Ac in principio diſtinebantur querimoniis Diſſidentium in Religione, præcipue de obteſtatione Archiepiſcopi in coronando Rege, & de formula jusjurandi Regii, quaſi immutata verbis ***fidem Catholicam***, addito ***Romanam***, cum tamen verbum illud intelligentiam ſententiæ non mutaret, Catholico nomine nonniſi Romanam Eccleſiam communi intelligendi uſu deſignante. Vnde cum diutius tam inaniter contenderent, aſperiori reprehenſione, quod dubia, in re nil dubia quærerent, minaſque jactarent, reprimi debuerunt. Et inter illas concertationes in ea verba Ioannes Zebrzydowski Enſifer Regni proruperat, quouſque Diſſidentes de Religione intra limites Civilis concordiæ pacati viverent, tolerandos fuiſſe, at ubi tam aperte abuterentur patientia Reipublicæ, ſeveriori animadverſione coërcendos eſſe. Quievetuntque illi exinde, præter Græcos Schiſmaticos, qui circa Religionem ſuam tranſactorum in Conventu Electionis diverſas conditiones ampliari, & ne defectu conſenſus Sedis Apoſtolicæ Romanæ ad quem eorum adverſarii dicti ***Vniti*** rationes ſuas omnes referebant, in dubium aliquando vocarentur, firmioribus cautionibus provideri volebant, nec ceſſarunt ſolicitare Ordines, donec obtinuerunt diploma, in quo Rex promiſit eorum omnia poſtulata, juxta partitionem Epiſcopatuum Græci ritus in illo Conventu Electionis factam; in Comitiis proximis generalibus determinanda, conſenſumque Sedis Rom. ad hoc interim obtinendum fore. Aliis vero negotiis ſingulatim in communi Ordinum conſeſſu dignoſcendis cum tempus non ſuppeteret, eorum cura in diverſos ex Senatu & Ordine Equeſtri ſelectos fuit diſtributa; nempe ut alii controverſias ſtatus Equeſtris cum Eccleſiaſticis tractatent; alii de moneta meliori reſtituenda deliberarent; alii rationes ærarii publici excuterent; alii Academiæ Cracov. cum Religioſis Societ. IESV (iſti privilegii à Regibus & Republica illi Academiæ dati interpretationem, quæ à Republica petenda erat, in Romana Curia ſophiſticam emendicarant, ex qua Cracoviæ novas ſuas ſcholas Academicis æmulas erigere nitebantur, ſed Comitia ea rejecta declararunt, jus tenendi ſcholas publicas ſoli Academiæ ***privative quoad alios***, ſervire) cauſam

Ruſſia Græci ritus datur cautio de ſervandis ipſis promiſſis libertatibus.

Conſtitutiones de Repub. diſtribuuntur diverſis Senatoribus examinandæ.

Qq 2 com-

A.C. 1633. componerent; alii bello Moſchico & confiniis contra Tartaros muniendis neceſſaria providerent. Rex ipſe cum Senatu, quamvis viribus adhuc infirmis & tali labori non aſſuetis, Iudicia naviter exercebat, ſeſſionibus ad ſeram veſperam ſæpe protractis. Licet autem hujuſmodi publici actus priſtinam Reipublicæ faciem præferrent, longe tamen iſta immutata apparebat: Regis defuncti majeſtas ac gravior in rebus gerendis modus deſiderabatur ubique. Et cum Rex novus valetudinis cauſa ex præſcripto Medicorum jejunus lecto levari ac veſtiri non ſoleret, ibique in privato Miſſam Catholicam audiret, ac demum prodiret in publicum tardius, mos auguſtior Regis defuncti, qui ſacrificio ſacro quotidie ſtata hora matutina in loco Palatii ſui publico, & diebus Feſtis in Templo celebriori proximo religioſe aſſiſtere, tum etiam epulum adſtante Aula tota cum pompoſo Apparitorum ac Dapiferorum miniſterio frequentius ſumere conſueverat, intermitti cœpit. Acceſſus ad colloquium Regis iſtius novi difficilior parebat: cumque in lecto cubans, familiariores tantum admitteret, pleraque negoria etiam graviora per eos tractari oportebat; illi vero via communi ad aures Regias intercluſa, ſummam rerum hoc modo ad ſe ſuumque quæſtum trahebant.

Reipub. facies ſub initiis Vladiſlai IV.

Vladiſlaus IV Rex liberalis.

Et quod maxime animos hominum offendit, cum idem Rex natura munificus alicui beneficium petenti promiſiſſet, illi ſi iſtud prius aliis precio pacti erant, ſecretis criminationibus & exquiſitioribus artibus Regis animum expugnabant, ut ſæpe promiſſum mutato conſilio alteri, & quandoque idem pluribus conferret: vulgus vero cauſæ ignarum nonniſi Regi adſcribebat, & dicteriis carpebat incertitudinem pollicitorum. Nihilominus iſtis quantumvis haberentur incerta, non pauci corrupti Rempublicam deſerebant, eoque nonnulla quæ ad pacta Electionis pertinebant Reipublicæ utilia, tunc fuerunt intermiſſa, populariori quoque ne ſpe gratiæ ſibi injecta excideret, ab eis quæ diſplicerent Regi promovendis declinante.

Pruſſiæ Dux per Legatum præſtat Iusjurandum novo Regi exemplo novo.

Tali rerum ſtatu Elector quoque Brandeburgicus Dux Pruſſiæ adjutus, obtinuerat quod petebat, (illæ quæſtiones quas moverat in Conventibus Interregni de loco habendo in Senatu, & in Electione Regis, ſilentio fuerunt præteritæ) ut jusjurandum fidelitatis pro Ducatu Pruſſiæ redderet Regi per Procuratorem ſuum. Licet enim Senatus concordibus ſententiis cenſuiſſet illud jusjurandum teneri Ducem præſentem ipſummet præſtare, maxime ut fidem ſuam Reipublicæ in bello Suetico non ſatis probatam confirmaret; nec introduceret exemplum novum, talem obligationem quam ejus majores ipſimet præſentes ſemper implebant, per procuratorem adimplendi, tamen cum ille privatis delinitionibus favorem Regis ſibi devinxiſſet, primarii Senatores quorum intererat, non contradixerunt, ut finitis Comitiis illud jusjurandum Rex ab ejus Legato reciperit: Pomeraniæ quoque Dux pro Ducatu Bitomiæ & Lemburgi idem jusjurandum præſtarat, poſt Comitia per procuratorem, ſed in diplomate ejus fiduciæ ita fuit cautum, ac mox redierat illa fiducia ad Regem mortuo Duce.

Pomeraniæ Dux per Legatum jurat fidelitatem Regi.

Ioan. Alberto Principi Pol. defertur Dignitas Cardinalitia.

Sub tempus Comitiorum attulerat à Summo Pontifice Benrivolius Pileum Cardinalitium Principi Ioanni Alberto: qui etiam tum primum obtinuerat plenum aſſenſum Ordinum (circumſcriptum conditionibus durioribus & cautione, ne filii Regis obtinerent in poſterum dignitates Senatorias) ſuper Epiſcopatu Cracov. ſibi collato, & inita poſſeſſione Epiſcopatus uſitato Epiſcopis ritu, intra paucos poſt dies, aliam pompam duxit pro recipiendo illo inſigni Dignitatis Cardinalitiæ apud Altare majus Baſilicæ Arcis Cracovienſis.

Hiſpani Regis Legatus venit Cracov. cum officio congratulationis.

Eodem tempore advenerat Cracoviam Regis Hiſpaniæ Legatus, qui ſolummodo officia congratulationis tractavit, nec ullam publicam audientiam habuit.

Nun-

A.C. 1633.

Imp. Legatus privatim expedit ſuam Legationem.

Nuncius etiam Imperatoris privatim tantum auditus, nonniſi ſalutationes tractavit, & exquirebat, ſi quo modo ex Polonia res Domus Auſtriacæ juvari poſſent. Sed cum bellum Moſchoviticum premeret, & ſtatus Regni Sueciæ à morte Guſtavi Regis apud Lutzenam cæſi turbatus ad novas ſpes animum Regis erigeret, illo omnibus conſiliis viribuſque converſis, nil interim pro Impetatore præter vota fauſta præſtari potuit.

Petrus Gembicki Legatus ad Imp. à Rege Vladiſlao.

Moſchi non expectato fine induciarum, confinia Lituania invadunt.

Expedierat tamen Rex finitis Comitiis Petrum Gembicki renunciatum interim Secretarium Majorem Regni ad Imperatorem, offerens ſe ſequeſtrum (ingrata fuit pacis mentio bellum præjudicatum contentius apparantibus) ad tractandam pacem Imperii. Ipſe vero Varſaviam rediens, inſtrumentum omne Caſtrenſe pro bello contra Moſchos, qui nec dum finitis induciis, vel quod eas morte Sigiſmundi Regis finiſſe judicarent, Smolenſcum obſidione cinxerant, & excurſionibus confinia Lithuaniæ, immanius populabantur, conquiri juſſit. Ac Menſe Maio Vilnam veniens, poſt paucam ibi moram, dum exercitus Orſam conveniſſet,initio Septembris Smolenſcum verſus conceſſit,ubi jam Moſchi Duce Michaële Boriſzewicz Sehin, & Simone Waſilewicz Prozorowski, illam Civitatem coanguſtarant, circumquaque excitatis caſtellis, vineiſque ductis, ut nullus ad eam pateret aditus. Muri quoque magnam partem cum duobus propugnaculis prope portam Michalovienſem cuniculis actis,& machinarum ingentium vi (Amſtelrodamo ex Hollandia conduxerant Moſchi tormenta, octuaginta pondo pyrobolarium pilarum capacia) Sehinus cum Germanico peditatu oppugnatione inde inſtituta dejecerat. Et licet obſeſſi non ſegnius defenſionem promovendo, irruptiones hoſtis ſæpius repreſſiſſent, novumque vallum retro munitiones veteres à vi machinarum cuniculorumque collapſas (Staniſlaus Woiewodzki vir ſtrenuus præerat tunc illi Civitati, & ſumma induſtria arteque Polonis prælio pugnare adſuetis pene ignota euſque omnibus oppugnatorum conatibus obviabat) excitaſſent, tamen ab iſtis longa (octo Menſium) obſidione, ac crebris cum hoſte conflictibus numero imminutis, & ad extremam commeatus nitratique pulveris inopiam reductis, obſidio illa diutius tollerari non potuiſſet. Vnde Rex acceleran-dum ratus priuſquam ad deditionem cogerentur, præmiſerat eò Ducem Chriſtophorum Radziwil militiæ Lituanicæ Præfectum (majorem Præfecturam & Palatinatum Vilnenſem obtinuerat iſte Dux ſub id tempus poſt defunctum Leonem Sapiha Vilnæ Nonis Iulii) qui variis excurſionibus hoſtem interim diſtinuit. Et cum Rex adveniens jam in morte Pokrowii dicto in proſpectu Civitatis ab adverſa Boriſthenis fluvii ripa, caſtra ſua fixiſſet, ab ea parte munitiones hoſtiles Radzivilius invaſit, feliciterque expugnavit, ut via illa patefacta, altero die Rex in Civitatem intraverit. In eam vero novo præſidio introducto, cum nihilominus hoſtis alias circum Civitatem ſtationes & munitiones ſuas retineret, eas expugnari juſſit: præcipuumque erat ab ea parte fluminis propugnaculum Kniazii Prozorowski, quo converſus Martinus Kazanowski Palatinus Podoliæ Præfectus Minor copiarum Polonicarum cum Equites contra hoſtem in vallo & foſſa conſiſtentem emiſiſſet, prope trecentis amiſſis (rejiciebat culpam in ſubſidia quæ uti diſpoſuerat tempeſtive ſubvenire laborantibus neglexerant) retrocedere fuit coactus.

Moſchi ſumma vi oppugnant Smolenſcum.

Vladiſlaus IV in auxilium venit Smolenſco.

Radzivil Palat. Vilnen. primus diſrumpit Moſchorum munitiones circa Smolenſcum.

Kazanovium Palat. Podolia rejiciunt Moſchi à ſua munitione.

Prozorovius deſerit ſuam munitionem, & ad caſtra Sehini tranſit.

Interim Dux Radziwil alia propugnacula proxima mœnibus Civitatis ad ripam Boriſthenis hoſti ademit, ac illud quod Kazanovius oppugnarat nuper, Prozorovius priuſquam aliis intermediis captis intercluderetur à tranſitu ad Sehini Caſtra nocte S. Michaëlis Archangeli diem feſtum antecedente deſervit, Sehinoque ſe conjunxit. Qui etiam poſt paucos dies, cum videret Regem Boriſthene trajecto, omnem exercitum contra ſuas ſtationes conducere, relictis tormentis majo-

A.C. 1633.

Sehinus Moſchorum Ductor à mœnibus Smolenſci recedit ad ſua caſtra.

Vladislaus IV Rex caſtra Sehini obſidet.

majoribus, cum copioſo apparatu bellico ſub mœnibus Civitatis, ad Caſtra ſua uno milliari inde diſſita, quæ ad talem caſum ac pro reponendo commeatu provide munierat, receſſit. Sed eò quoque Rex, relicto Alexandro Corvino Gaśiowski Palat. Smolenſcenſi pro cuſtodia Smolenſci, ſtatim movit ut hoſtem adigeret ad confligendum prælio, vel ibi hærentem obſideret, ac ad extremam commeatus penuriam reduceret, uti ſucceſſit.

Ille enim confiſus multitudini copiarum ſuarum, nempe quod haberet triginta millia Equitum Moſchorum, decem millia Coſacorum Dunenſium peditum, ac ſex millia ſtipendiariorum Germanorum cum Duce veterano Alexandro Leſlæjo Anglo, initio cum adhuc poterat, ad remotiora tutioraque Moſchoviæ loca recedere neglexit, ac in illis ſuis Caſtris ſubſiſtere maluit, ut ibi rei bene gerendæ ſeu pugnæ commoditatem quæreret, (ſub finem Octobris collatis ſignis conflixerat cum Regiis Marte non iniquo) vel quod potiſſimum ſpectabat, ut Poloni pertæſi longiorum in campeſtribus ſtationibus laborum, frigorumque hyemis ingruentis, ac conſtricti defectu pabulorum equorum, in hyberna recederent, ipſe vero receptis, inſuper novis quæ expectabat à Moſchua ſubſidiis, obſidionem Smolenſci tanto majori fervore inſtauraret. Nec unquam ſperarat ſibi ſuoque Equitatui tam potenti à manu dimidio minore circumcludendos fore omnes Boriſthenis ripæ quam tenebat, tam late patentes tranſitus, nihilque minus expectabat, quam quod Poloni integris quinque Menſibus inter ſævas hyemis in illa regione aſperioris tempeſtates, nunquam intermiſerint operas impugnationis Caſtrorum ipſius, præſertim circa lignationes, quas per multos cruentos conflictus, eis penitus ademerant. Et quidem ipſimet quoque in ſumma penuria rei frumentariæ conſtituti, propter quam (à primo adventu repererant in illo tractu magnam copiam paſtionis equorum, omniumque cibariorum, ſed inſolens caſtra ſequentium turba, quæ in annos ſuffeciſſent, intra paucos dies aſſumpſit, ac non pauca præſertim pecora abduxit in Lithuaniam) dilabebantur plurimi, & equi majori parte interierant: Nihilominus majoribus animis quam viribus premere hoſtem non ceſſarunt. Rex quoque Vladiſlaus ubique præſens (morabatur in caſa ligneola anguſta, milites vero in tuguriolis vilibus, & plerumque ſub dio gelido in excubiis agendis) omnia pene militaria munia ipſemet obibat; ac non raro luſtrabat vigilias nocturnas, quas hoſtis aliquoties ſummiſſo peditatu ſelectiori Germanico fallere tentarat. Miſerat etiam Kazanovium Palatinum Podoliæ, Præfectum militarem, obviam copiis in auxilium obſeſſo Sehino à Moſchua Vrbe venientibus, quas ille ultra Drohobuſium, priuſquam congregarentur manipulatim adhuc incedentes in locis diverſis ex inopinato præventas facile diſperſit. Hocque intellecto Sehinus, cum jam ad tantas anguſtias redactus eſſet, ut ne pedem quidem alicui ex ipſius Caſtris efferre liceret, ac in ſextum obſidionis Menſem tantæ multitudini exiguus commeatus ſupereſſet, adnitentibus maxime ſtipendiariis Germanicis, qui ſine lare & foco continua dimicationum pericula ſubire, & inedia (Moſchis faciliora toleratu illa incommoda erant, aëri nativo, & pauco legumine eoque crudo veſci adſuetis) conſumi cogerentur, deditionem tractavit ineunte menſe Martio Anni proximi, eamque fecit, ut tunc adnotabimus.

Poloni tota hyeme caſtra Moſchorum oppugnant.

Polonicus exercitus patitur commeatus penuriam.

Vladislaus IV Rex munia militaria ipſemet obit.

Kazanovius Palat. Podol. auxilia Moſchica diſſipat.

Sehinus cum ſuis Moſchis deditionem facit Regi Vladiſlao.

Moſchi à Turcis petunt auxilia contra Polonos.

Dum autem Rex Vladiſlaus hoc modo Moſchos perſequitur, iſti miſerant Legatos Conſtantinopolim ad Turcam pro auxiliis impetrandis quæ ipſe ſpecioſis inductus promiſſis, nempe ut omnes impenſas belli Moſchi ſuppeditarent, & certas Provincias Tartaricas circa mare Caſpium controverſas ſibi cederent, liberaliter promiſit. Et quantumvis recens à Chocimenſi expeditione pacis diuturnæ cum Regno Poloniæ fœdus jurejurando interpoſito firmaſſet, eo tamen

A. C. 1633.

Abazi Baſſa à Turca mittitur cum exercitu in Poloniam advertendum bellum à Moſchis.

Tartari populantur Podoliam.

Koniecpolſcius inſequitur Tartaros in Moldaviam & prædam excutit.

tamen neglecto (nam ille omnia fœdera utilitati propriæ duntaxat accommodat) Abazi Baſſæ commiſit, ut collectis Tartaris, ac Turcis Danubium infra Budam accollentibus, Palatiniſque Moldaviæ utriuſque adſcitis, in Poloniam moveret, quo Rex Vladiſlaus à bello Moſchico averteretur, aut viribus diſtractus, majores ibi progreſſus non faceret. Nec multum moratus ille Baſſa, ultimis diebus Iunii primum Tartaros præmiſit, qui Tyra fluvio infra Chocimum apud Villam Rinczug tranſmiſſo, tanta celeritate omnem circa Cameneciam ad ſex milliaria patentem oram percurrerunt, populationibuſque vaſtarunt, ut famam adventus ſui prævenerint, eodemque die cum præda in Moldaviam receſſerant. Mox tamen Præfectus militiæ Regni Staniſlaus Koniecpolski (paulò ante fuerat renuntiatus Caſtellanus Cracovienſis) Baro ubi tunc morabatur accurrens, cum fuga jàm eos fuiſſe elapſos averüſſet, inſequendos decrevit, & aſſumptis bis mille quingentis equitibus Quartianis in Moldaviam irruens in loco Saſowyrog pene media Moldavia eos ſecuros deprehendit die 4 Iulii, ac vix commiſſa pugna in fugam converſos diſperſit, & omnem prædam recepit, paucis cæſis & quinque inſignioribus inter quos erat gener Cantimiri Murza captis; oppreſſiſſetque univerſos, ni unus Moldavus ex ejuſmet Præfecti generalis famulatu, quaſi exploratum, ut erat ejus officii, excurrens, eos equis paſcendis intentos admonuiſſet periculi impendentis. Vt vero increbuit quod Abazi Baſſa tranſmitteret Danubium cum numeroſis copiis, ac multo apparatu bellico, Koniecpolſcius Præfectus militaris cum non haberet exercitum juſtum quem tali hoſti opponeret, nec alium militem in tam arcto tempore inconſultò Rege ac Senatu conſcribere poſſet, inſigniores quoſque Proceres ac Koſacos ad ſua Caſtra invitavit, & comperto quod Turcæ jam in proximo adeſſent, Cameneciamque rectà peterent, ipſe quoque in monte illi Civitati, quà Tyram ac Chocimum ſpectat, imminente conſedit, vallo & foſſa circumdatis, munitiſque ſuis Caſtris, ex quibus majorem vim propulſaret, nec committeret ſummam rei uni prælio, in quo hoſtis numero copiatum (triginta millia Turcarum & quindecim Tartarorum millia erant, & decem millia ex Moldavis Valachiſque collecta: Poloni vero nonniſi ter mille ſtipendiarii Quartiani, ac auxiliares diverſorum Procerum ſelectiores octies mille circiter, præter innumeram turbam agendis rapinis habiliorem) longe præſtaret.

Koniecpolſcius Caſtra ponit apud Cameneciam.

Abazi Baſſa profligatur.

Tartari irruunt in aciem Polonicam & agre rejiciuntur.

Moldavi & Valachi detrectant pugnam cum Chriſtianis.

Venerat itaque Abazi Baſſa die Sabbati vigeſima ſecunda Octobris in proſpectum aciei Polonicæ præ caſtris inſtructæ, & fuit primum exceptus denſis jaculis tormentorum ex inſidiis in proximo ad hoc arte, ut dignoſci non poſſent, inter foſſas congeſtoſque ceſpites inſtructis. Cumque ad eas exturbandas viamque ſibi ad Polonicam aciem aperiendam præcipuum ſuum robur ille convertiſſet, majori clade accepta, quingentiſque ex ſuis deſideratis, obvertit ſigna verſus rivulum Mukſza, & inde qua nullæ impediebant inſidiæ deſcendens, ad aciem Polonicam pervenit, eiq; ſuam oppoſuit in dextro cornu Tartaris, in ſiniſtro Valachis, Moldaviſque: Turcis vero in fronte ubi ipſemet præerat collocatis. Hinc dato aliquanto excurſionibus ſpatio ut Polonos ad pugnam eliceret, cum iſti ſub ſignis præter paucos ad ſingularia certamina procurrentes, immoti ſtarent, Tartaros Turcis permiſtos ad levam, & Moldavos in dextram eorum alam irruere juſſit, ipſemet frontem invaſurus, ſi illis proſpere ſucceſſiſſet. Et quidem Tartari perruperant deſtinatam ſibi partem, quam Maximilianus Brzozowski Vicarius Palatini Ruſſiæ male cuſtodierat, ni accurrens Chriſtophorus Wichrowski, & mox auxiliares aliæ cohortes, impetum eorum repreſſiſſent, jaculaque bombardarum à vallo Caſtrorum emiſſa fugientes longius abegiſſent. At Moldavi Valachique à Turcis qui illis inſtabant, renitenteſq; frameis vibratis ad pugnandum impellebant contra ſtationem Ducis Ianuſſii Wiſniowiecki adducti, vix tentato conflictu, (ſtudio Chriſtiani

A C. 1633.

Abazi Baſſa recedit in Moldaviam.

cum Chriſtianis pro Ethnicis pugnare nolentes) terga verterunt. Vnde Baſſa extremam Martis aleam experiri metuens, receptui cani fecit, ac concito greſſu, in feram noctem iter trium milliarium continuavit, uſque dum ad ſua Caſtra in adverſo Tyræ fluvii Moldavico litore ex oppoſito villæ *Rinczug* ſubſiſtentia evaſiſſet.

Studzienica oppugnatur à Baſſa & vaſtatur.

Nec rediit amplius; ſed poſtquam Pagum *Studzienica* in ripa Tyræ non procul à ſuis Caſtris ſitum, defenſumque à ſola ruſticana plebe bombardis & nitrato pulvere minus inſtructa, integro triduo oppugnaſſet, & demum amiſſis ex ſuis prope mille incendio vaſtaſſet, ad Danubium rediit, ibique exercitum dimiſit. Poloniçum quoque exercitum in Caſtris ſuis apud Cameneciam Præfectus Koniecpolſcius continuit, ac ab inſequendo hoſte deſtitit, ne ſibi imputaretur, ſi quid adverſi, ut fert belli fortuna, inde ſucceſſiſſet, & quod Proceres nonnulli qui ibidem aderant, illam violari à Baſſa fœderis, irruptione cum infeſtis ſignis in Regnum injuriam, tantiſper diſſimulandam, ſeu Legatione prius expoſtulationeque apud Turcam vindicandam, nec ſtatim in apertum bellum contra potentiorem hoſtem in tam difficili cum Moſchis ac Sueco decertantis Reipublicæ tempore prorumpendum eſſe cenſerent. Atque tali conſilio paulo poſt miſſus fuerat à Rege Conſtantinopolim Alexander Trzebinski Succamerarius (Prætor finium Regundorum) Leopolienſis, cujus Legationis exitus in Anno proximo apparebit.

Koniecpolſcius ab inſequendo Baſſa diſtinetur obſervatione pactorum.

Trzebinski Legatus ad Turcam mittitur.

Et ut ad Germanica tam longo intervallo intermiſſa redeamus, ibi poſt pugnam Lutzinenſem cujus ſupra mentionem fecimus, licet pax aliqua vel armorum ceſſatio (ut graviora prælia conſequi ſolet) ſperaretur, nil tamen ex ſolito fervore ſtudia Martialia remiſerunt. Fœderati enim ſocietatem ſuam, quæ poſt cæſum tunc Guſtavum Regem Suecum omne præſidium ſtabilitis ſuæ amiſiſſe videbatur, novis vinculis colligarunt acto Conventu Heilbronæ in menſe Martio hujus Anni, & altero Francofurti ad Mænum in Iunio, ubi partes iſtius fœderis quas ille Rex habuerat, Ordines Regni Sueciæ cum ſua Regina (Chriſtinam unicam filiam Guſtavi Regis ad Lutzenam occiſi interim Regis illius unicam hæredem Reginam Sueciæ renuntiarant, Stocholmiæ Comitiis celebratis, eique obedientiam jurarunt) aſſumpſerant, ac unanimi conſenſu colligati illi omnes decreverunt perſiſtere in incepto, donec libertates Germaniæ, & pax æque Religionis atque Politiæ reſtitueretur, Sueticumque Regnum pro opera ad hoc bellum collata compenſationem referret. Summa vero conſiliorum hujuſmodi rectio Alexio Oxenſternio Sueciæ Cancellario fuit commiſſo, & Imperium illius fœderis militare remanſit penes Duces vivente Rege Guſtavo inſtitutos, præcipue penes Bernardum Vinmarienſem, Guſtavum Horn, & Ioannem Bannerum, qui Legiones ſuas (remanſerant etiam Sueticæ omnes ad uſum belli in Germania, præter paucas cohortes funeri cæſi Regis ejuſque Reginæ viduæ conducendæ in Sueciam deſtinatas) mox novo delectu auxerunt, & diſtributi per totam Germaniam, ſolertiori cura belli illius rationes promovebant.

FœderatiGermaniæ cæſo Sueco novum fœdus ineunt Heilbronæ.

Chriſtina Guſtavi filia, Regina Sueciæ renuntiatur.

AlexiusOxenſtern. ſummæ conſiliorum belli Germaniæ præficitur.

Fœderis Germaniæ Duces novos delectus militum fecit.

Cæſarianas quoque copias in Lutzinenſi conflictu multum imminutas, Valnſtenius Friedlandinus Princeps Pragæ tota hyeme degens (viginti inſigniores ex Ordinum Ductoribus qui initium fugæ apud Lutzenam fecerant, in theatro publico capite truncari, ac alios infami patibulo affigi ibi juſſerat in terrorem futurorum) ſupplevit, ac in Sileſiam, ubi præcipuum robur fœderatorum Electori Saxonico & Brandeburgico conjunctorum aderat, ineunte vere conduxit.

Valnſtenius ſupplicium ſumit de militibus qui in pugna Lutzinenſi male rem greſſerant.

Et Liga Catholica ac Dux Bavariæ aliique iſtarum partium ſocii, magnos in locis ſingulis ſuis apparatus bellicos congregabant. Vnde univerſa Germania exercitibus undique plena; non unum, ſed quot Provincias, tot pæne bella triſtia, armorumque ſævos concurſus, ac Civitatum expugnationes, direptiones, agrorum populationes, hoc quoque anno ſenſit, Marte fœderatis plerumque æquiore, Menſe vero

Liga Catholica Duces ſupplent ſuas copias.

Heidelbergam recuperant Fœderati.

vero Majo Heildebergam vi recuperarunt iidem Fœderati, & ex toto Palatinatu inferiori præſidia Hiſpanica ac Bavarica ejecerunt Duce Chriſtiano Comite Palatino. Inde in Palatinatum ſuperiorem armis converſis, Neomarcam, ac plura loca vicina interceperant, & demum Caſtrum Philippi (Vdenhemium ante vocarum) Hiſpanico præſidio munitum, poſt biennalem fere obſidionem ad extremam deditionis neceſſitatem redegerunt finiente hoc Anno, quod deinde poſt paucos menſes Gallis ceſſerunt. Circa Auguſtam Vindelicorum Bavariæ Ducis copiæ recuperarant Aicham, Lansbergam, & aliqua opportuna ad conſtringendam illam Civitatem loca. Sed adveniens menſe Martio Bernardus Dux Vinmarienſis cum Guſtavo Horn, eas facile inde rejecit, Civitatemque illam contra majorem vim probe munivit. In Sueviam vero & Alſatiam, omnes fere Duces iſtius fœderis exercitibus ſuis conductis, majora damna Cæſarianis dederunt; circa Memmingam & Campidonam, quam interim Bavarici interceperant, omnia infeſta tenebat Nicolaus Bellonius Sueticus Tribunus. In Marchia Badenſi Otto Ludovicus Comes Rhenanus Cæſarianis pulſis, Rotellam, Budevillam, & alia meliora loca recepit, & inde movens, ſylveſtria quoque ejus ditionis Oppida, prælio ibi profligatis Cæſarianis in ſuam poteſtatem menſe Iulio redegit. Alius Comes Rhenanus Ioannes Philippus Briſaccum obſedit, & gravi oppugnatione diutius afflixit. Vllingam obſidens Dux Virtembergicus, venientes in ſubſidium obſeſſis menſe Auguſto Cæſarianos profligavit, & alios apud Aicham Marchio Durlacenſis. Hagenoam obſederat Chriſtianus Comes Palatinus; & cum Dux Lotharyngiæ ejus conatus interrupturus à Tabernis Alſaticis, ubi caſtra habuerat, movens, in proximo Pfaffenhovium obſediſſet, ille præſidiis in munitionibus obſidionis Hagenianæ relictis, contra ipſum cum ſelectioribus copiis proceſſit, commiſſoque prælio menſe Auguſto in agro Pfaffenhovienſi, poſt diuturnum difficileque certamen Lotharyngicos diſſipavit, plurimis ex eis etiam ab excurrente Pfaffenhoviano præſidio cæſis, tormentiſque & impedimentis eorum majori parte interceptis. Guſtavus Hornius cum ſuis legionibus Conſtantiam uſque ad Podemicum ſeu Acronium lacum ſitam proceſſerat, eamque obſidione & oppugnatione diuturna ad extremam prope (Helvetiis reclamantibus, ne eorum viciniores agri hoſpitiis militum gravarentur, ac Legato Gallico Roano Duce pro eis neutris partibus immiſcere ſe volentibus intercedente, obſidionem illam ſolverat Hornius) neceſſitatem reduxerat, in omnibuſque partibus illarum regionum iidem fœderati diffuſi, fere ubique vincebant. Et cum menſe Septembre Dux de Feria à Mediolano cum Hiſpanicis copiis partes Cæſarianas adjuturus adveniſſent, Altringio Bavaricarum copiarum Duci conjunctus in Suevia, Bibraccum pulſo præſidio Suetico ceperat: Briſaccum obſidione liberaverat; Mox tamen ad famam ipſius adventus congregatæ majori numero Fœderatorum copiæ, eum contendentem ad ferenda auxilia Caſtro Philippi repreſſerant, ac ita conſtrinxerant, ut nullibi copiam pugnæ dare valuerit: demumque ad penuriam commeatus adductus, urgentibus inſuper Autumni frigidioris imbribus, ex quibus ipſius milites majori parte tali & Hiſpani talibus incommodis non adſueti plurimi peribant, relictis præſidiis in occupatis Alſatiæ & Sueviæ locis, in Bavariam ſeceſſit, ibique diſpoſito circa Iſaram ad hyberna milite, ſub finem anni ipſemet obiit. In Veſtphalia & circa Veſerim quoque infeſta Fœderatorum arma circumferebantur: Georgius Dux Luneburgenſis cum valido exercitu Hameliam obſederat, eamque Ligæ Catholicæ copiis cum Ducibus Comite Gronsfeldio & Bonninghuſio apud Altendorpium initio Iulii ſanguinolento prælio (quinque millia ex Ligiſticis ibi ciciderant) cæſis, ad deditionem coëgerat. Cum aliis vero Legionibus Kniphuſius Oſenburgam poſt longam oppugnationem cepit, & totum illum Epiſcopatum occupavit, eique Guſta-

A.C. 1633.

Philippi caſtrum Sueci capiunt.

Fœderatorum Germaniæ felices in Suevia progreſſus.

Briſaccum obſidet Comes Rhenanus pro Fœderatis.

Lotharingiæ Ducis copiæ apud Pfaffenhovium profligantur à Fœderatis Germaniæ.

Conſtantiam obſidet Horn pro Fœderatis.

Feria Dux Mediolano cum Hiſpanicis copiis venit in Germaniam.

Feria Dux copias ſuas in Bavaria hyberna ſumit.

Feria Dux moritur.

Ligiſtici cæſi apud Altendorpium.

Oſenburgam capiunt Sueci.

A. C. 1633.

Landgravius Haſſiæ Vilhelmus Padeborn. Monaſterio Amenoburgo ejicit Ligæ præſidia.

Guſtavum, Guſtavi Regis Sueci cæſi filium nothum præfecit. Haſſiæ Landgravius Vilhelmus Padebornenſem ac Monaſterienſem Epiſcoparum, ac in brevi poſt Salinas Veſtphalicas, Lippadium, Amenoburgum pulſis Ligæ Catholicæ præſidiis in poteſtatem ſuam redegit, & circa Coloniam pro munitione Tuitii cum Baudiſio Ligæ Catholicæ Duces tota hac æſtate varianre fortuna certarunt. Atque ita per totam Germaniam bellum fervebat.

Valnſtenius Suidnicium oppugnat irrito eventu.

Vlricus Daniæ Regis filius fraude Picolomini caditur.

Valnſtenius ſimulat tractatum pacis ad lucrandum tempus.

Valnſtenius diſtrahit vires hoſtis.

Et licet Fœderatorum partes pene ubique prævalerent, nulla tamen mentio tractandæ pacis à Cæſarianis audiebatur, præter quod Valnſtenius Fridlandinus Princeps in Sileſia hærens, cum rentata expugnatione diverſorum locorum à Fœderatis occupatorum, præſertim Suidnicii nil proficeret, & prope Munſterbergam inveniſſet Electoris Saxoniæ ac Brandeburgici Suecorumque exercitus congregatos præter ſpem ſuam potentiores, ut potius fallendo tempus conſilia ipſorum diſtineret, ſimulavit tractatur pacis, ſub quibus (ur hoc quoque adnotemus) venerat ad ipſius caſtra Vlricus Holſatiæ Dux, filius ſecundogenitus Regis Daniæ, fretus fide ſecuritatis ſibi data, & deinde evocatus ad colloquium ab Octavo Picolominio Equite Melitenſi Tribuno militari Cæſariano Italo, ex inſidiis ab eodem inſtructis, jaculo bombardæ fuit occiſus. Conditionibus autem pacis in illo tractatu nunc iſtis, nunc aliis dandis, ambiguis explicandis, & induciis de menſe in menſem conſultò prolongandis, poſtquam Valnſtenius extraxerat tempus totius æſtatis, vires quoque hoſtiles feliciter diſtraxit; Holchio quem in finibus Boëmiæ circa Egeram cum aliquot Legionibus reliquerat contra Lipſiam, & Galaſſio à Litomeritia in alteram partem Saxoniæ movere juſſo, ac ſuomet toto exercitu eodem converſo, ut Arnhemius Electoralium militiarum Dux, eò præcipuum ſuum robur, relicto ad Stenaviam pro defenſione Sileſiæ ac tranſituum Odere fluvii cum octo millibus armatorum Comite ſene Turrenſe, & Tubaldio, ſumma celeritate converterit.

Valnſtenius apud Stenaviam fœderatos oppreſſit, & Duces cepit.

Et tum demum ipſemet Valnſtenius mutato curſu è medio itinere feſtinanter in Sileſiam rediit menſe Octobre, præſidiumque ibi hoſtile ad Stenaviam deſidens, quòd nihil minus quam ipſummet Valnſtenium eò tunc rediturum expectabat, & ſolum Schafgotzium qui ibi remanſerat adeſſe exiſtimabat, oppreſſit; ita quod conſtricti ab una parre à Schafgotzio, ab altera à Valnſtenianis Suetici, ne pugnare quidem potuerint, ſed traditis vexillis, ac tympanis, tormentiſque omnibus, in militiam Cæſarianam tranſire fuerint coacti. Soluſque Comes Turrenſis, ac Tubaldius cum paucis ſuis Ordinum Ductoribus ex pacto deditionis obtinuerant abeundi quo vellenr libertatem.

Valnſtenius Sileſiæ loca potiora & Francofurtum ad Oderam recuperat.

Ratisbonam oppugnat & capit Dux Vinmarienſis.

Sublato vero hoc modo iſto hoſtili præſidio Valnſtenius, facile obvia quæque Regionis illius oppida occupabat: Gorlitium, Golbergum vi expugnavit, Legnitiam, Glogoviam majorem recepit, deinde verſus Marchiam progrediens Lansbergam, Francofurtum ad Oderam à diffugientibus ad famam ſui adventus præſidiariis Sueticis derelictam cepit. Sed dum jam Pomeraniæ & Michelburgenſi ditioni imminetet, aliæ ipſum curæ exceperunt: Interim enim poſtquam Fœderatorum copiæ Ducem de Feria ac Altringium Bavaricum militiæ Ductorem, recedentem ex Alſatia ac Suevia in Bavariam perſequentes, nullibi ad prælium elicere potuerunt, Bernardus Dux Vinmarienſis ab eis ſegregatus, Donaverdam conceſſerat, ibique advocatis ex Franconia majoribus copiis, prærer omnem expectationem (Ingolſtadium videbatur porius petiturus) inſiſtens utrique Danubii ripæ celerrime Ratisbonam contendit, inchoataque ad finem Octobris oppugnatione ab eo continenti, qua Bavariam ſpectat ad portam Preprunenſem, exteriora ejus propugnacula intra paucos dies occupavit, dejectoque machinarum vi magno ſpatio mœnium, medio menſe Novembre Bavaricum præſidium, quod erat intrò duorum millium peditum, & quingentorum equitum ad deditionem coëgit. Nec

poſt

A. C. 1633.

Valnſtenius avocatur à Sileſia Ratisbonam.

poſt multos dies ſecundo Danubio progrediens Staubingam, & Dechendorfium intercepit, in Auſtriam ſuperiorem circa Onaſum plebis ibi à multo tempore propter Religionem tumultuantis defectionem adjuturus, tranſitum quærens. Eò itaque Valnſtenius avocatus, tempus dedit Saxonicis & Sueticis in Sileſia ac Marchia, ut vires recollegenint, ac Schafgotzium ibi cum parte exercitus relictum ab oppugnatione Briegæ, Inſulæ Sancti Ioannis Vratiſlaviæ, ac Opoliæ rejecerint, ſecureque hybernarint. Proximus autem annus alias rationes ducendi iſtius belli ſpectavit, quibus rantiſper ſepoſitis, Gallica ac Belgica hujus anni paucis perſtringamus.

Aurelianenſis Dux ducit uxorem Lotharyngiæ Ducis ſororem.

Galliæ Rex irritum facit matrimonium fratris ſui.

Galliæ Rex Lotharyngiæ Ducem hoſtem ſuum nuntiat.

Nancium Lotharyngiæ capit Galliæ Rex.

In Gallia cum Dux Aurelianenſis, ut ſupra attigimus, iterum poſt ſupplicium Momorantii in Belgium abiiſſet, novis ibi conſiliis ſuſceptis, majores offenſas apud Regem fratrem, & ſibi & ſuis fautoribus conciliavit: præſertim Duci Lotharyngiæ, cujus ſororem Mariam uxorem duxerat Rege fratre inconſulto. Vnde iſte indignatus, matrimonium hujuſmodi fecit à Parlamento Pariſienſi declarari irritum ex Lege illius Regni, quæ vetat filios Regum accipere uxores ſine conſenſu ſummi conſilii, ac filios ex tali matrimonio natos à ſucceſſione Regni rejicit. Et cumulatis contra Lotharyngum odiorum cauſis, inde quod exercitum numeroſum collegerat, (iſte in Alſatiam contra Suecicos & Fœderatos Germaniæ iverat, & ſuſpicionem movebat, ne ibi re bene geſta una cum Auſtriacis armis, partibus Ducis Aurelianenſis promovendis inſerviret) eum Rex ſuum eſſe hoſtem denuntiavit, ac ditionibus quas jure fiduciario à Regno Galliæ poſſidebat, publico Parlamenti decreto abdicavit. In ipſius quoque Provincias hæreditarias miſſo Mariſchallo della Forze cum valido exercitu, plura oppida munitiora ac primariam illius ditionis Civitatem Nancium, poſt longam obſidionem deditione cepit: ubi nova quoque nupta Aurelianenſis Ducis pæne inciderat in manus Regiorum, niſi tempeſtive admonita, initio illius obſidionis in Belgium ad Reginam ſponſi ſui Matrem tranſiſſet. Nec potuit Cardinalis Lotharyngiæ frater Ducis identidem commeans Pariſios reconciliationem procurando placare iras Regis, quin concitatæ majora damna illi Duci intulerint in annis proximis, ut ſuis locis attingemus.

Tunc autem Gallici illi Duces capto Nancio, iterum in Electoratum Treverenſem tranſierant, ubi diverſos cum Hiſpanis cuſtodientibus tranſitus Moſellæ ſanguinolentos conflictus variante Marte committebant ad finem hujus Anni.

Belgæ multi incidunt in ſuſpicionem conjurationis.

Ariſcoti Dux relegatur in Hiſpaniam.

Rheinbercam capiunt Hollandi.

In Belgio vero Hollandi victoriam qua anno præterito Venloa ac Trajecto ad Moſam, multiſque illius oræ Oppidis captis res ſuas auxerunt proſequentes, hoc anno Rheinbercam, quæ maximæ commodis ipſorum & navigationi liberæ Rheni obſtabat, expugnandam decreverunt. Hocque ex vero ipſis ſucceſſit in perturbato tunc Belgii Hiſpanici ſtatu, & toto ipſius regiminis ordine male cohærente poſt defectionem Henrici Comitis Bergenſis, propter quam Hiſpani Comitem Hermanum ipſius fratrem bonis omnibus ſpoliarant, eumque in carcerem detruſerant, & inſigniores quoſque meliorisque notæ Belgas ſuſpectos habebant: ac Ducem Ariſcotenſem, qui Gubernatricem Belgii monuerat de modis avertendæ majoris defectionis, capta inde conjectura quaſi conſcius eſſet alicujus conſpirationis, & ſciret ejus arcana, contra quæ remedia ſuggerebat, expedierant in Hiſpaniam ſpecie Legationis pro obtinenda declaratione ſuper propoſitis conditionibus pacis ab Hollandis, & cum ſpe recipiendorum pro tali opera præmiorum. Sed ille detentus ibi ſub cuſtodiis, miſere contabuit, ut ſuo loco dicetur. Hollandorum autem Dux Henricus Auraicus Princeps, ut obſederat Rheinbercam ineunte Maio, intra paucos dies munitionibus circum excitatis, eam undique conſtrinxit, & ejectis vi Hiſpanis è propugnaculis exterioribus, vinciſque ad foſſas Civitatis productis ac cuniculis actis, nullo à foris auxilio Hiſpanorum impedien-

A.C. 1633. pediente, nec dum finito uno ab inchoata oppugnatione menſe ad deditionem coëgit, data ſecuritate abeundi Namurcum præſidiatiis, qui ibi erant mille ſexcenti pedires, ac ducenti equites. Demum vero Hiſpanicæ milites Duces damna ſua vindicaturi, inſtrato pontibus fluvio Moſa, Inſulam S. Stephani occuparant, ut munitionibus ibi extructis, Trajecti obſidionem appararent. Verum nil aliud tentarunt, cum Autaicus quoque eo ſtatim adveniſſet, caſtraque ſua caſtris ipſorum oppoſuiſſet. Et iſte quidem introducto recenti præſidio in illam Civitatem, ac Ruremundam, & in alia vicina oppida, illi veto in eadem Inſula S. Stephani novis ſuis propugnaculis bene firmatis, in hiberna receſſerant. Obierat etiam ſub id tempus Bruxellis initio Decembris Iſabella Regia filia Hiſpana Gubernatrix Belgii Anno ætatis ſuæ ſexageſimo octavo olim Alberto Archiduci Auſtriæ nupta. Poſt cujus diſceſſum Franciſcus Mencada, Marchio de Aitona, & Marchio Fruentinus, Carolus de Columba pro Rege Hiſpaniæ adminiſtrarunt Belgium, donec veniret Ferdinandus Cardinalis illius Regis frater, qui ad hoc jam ante deſtinatus, Barcellonæ tota hac æſtate hærebat, donec conquiſiſſet apparatum bellicum, cum quo veniens in Germaniam, & Belgio, & rebus Imperatoris ſubvenit.

Hiſpani Inſulam S. Stephani prope Trajectum occupant.

Iſabella Gubernatrix Belgii moritur.

Hiſpaniæ Princeps Cardinalis Regis frater deſtinatur Adminiſtrator Belgii.

Annus Chriſti, 1634.

Iſtas enim (ut eas cum Anno Chriſti Milleſimo, Sexcenteſimo, Trigeſimo quarto proſequamur) poſt captam Ratiſbonam, cum jam hoſtis proxime immineret Auſtriæ, difficiliores fuiſſe apparebat. Ac magis vacillabant propter diſſenſiones Aulæ illius conſiliariorum & militarium Ducum, ex quibus enatæ moleſtiores diffidentiæ, Valnſtenium ac præcipuos Tribunos ipſi addictiores in ſuſpicionem initæ contra Imperatorem conſpirationis, demumque in trucidationem immanem innixos traxerunt, Stratego technarum illarum & ſcenæ fetalis Octavio Picollominio Equite Melitenſe Italo. Et quidem à multo tempore incurrerat Valnſtenius odia Cæſareorum Aulicorum, præſertim Hiſpanorum, quorum ipſe conſilia de alendo diuturno in Germania bello, palam carpere ſolebat. Sed poſt pugnam Lutzinenſem, cæſumque in ea Guſtavum Suecum Regem gravius offendit, cum elatus fiducia tanti meriti, multa circa illius belli adminiſtrationem ex propria ſententia liberius ageret, pacem authoritate ſua præſumpta (circa tractatum pacis cum Electore Saxoniæ dixiſſe fertur, etiam invitum Imperatorem ad ſuſcipiendam pacem ſe coacturum) in Imperio componendam fore præferret; mandata Imperatoris (dicebat ab ignaro rerum Imperatore data fuiſſe) exequi non curaret. Præcipuos militum obſequio ſuo largitionibus profuſis manciparet. Malevoli autem in deterius iſta omnia attolebant, ipſiuſque potentiam, niſi tempeſtive imminueretur, quandoque Domui Auſtriacæ damnoſam fore criminationibus artificioſis comprobantes, tandem Imperatori perſuaſerunt; ut de eo exauthorando, ac alio Duce militiis ſuis præficiendo cœperit cogitare.

Valnſtenius incidit in ſuſpicionem apud Imper.

Valnſtenii à victoria Lutzinenſi nimia fiducia.

Quod ille ut reſcivit, ſponte cedere Magiſtratu, nec dedecus repudiationis expectare decrevit: ac convocatis Tribunis militum Pilſnæ ad diem vigeſimam Ianuarii iſtius Anni denuntiavit, quod fractus laboribus bellicis (plerumque à prælio Lutzinenſi decumbebat in lecto ex podagra) ac pertæſus difficiliorum rationum ærarii Imperialis, ex quo nunquam tempeſtive ſtipendia impenſæque belli neceſſariæ ſubminiſtrarentur, officium illud amplius exercere non valeret, illudque deponeret. Verum ita potius accerſivit quam evitavit fatale ſuum malum, favore militari (alioquin Ducibus ſuis ſemper utili) in majores calumniatorum ſuſpicio-

Valſtenius denuntiat militiis quod Præfecturam militarem deponet.

A.C.1634.

ſuſpiciones præcipitatus. Cum enim Tribuni qui aderant concitato clamore reſpondiſſent, quod nullum alium Ducem vellent ſequi, eumque obteſtarentur, ut ad minus tantiſper illis præeſſet, donec reciperent emerita ſtipendia, quorum ſolutio mutatione hujuſmodi Magiſtratus bellici interverti poſſet, ac inſuper conſcripſiſſent formulam fœderis quod alium Ducem ſequi nollent, niſi reciperent prius emerita ſub Valnſtenio ſua ſtipendia, Corycæi qui ibi ſubauſcultabant, inde ſumpta conjectura, divulgarunt exercitum conſpiraſſe ut adhæreret Valnſtenio, quamvis ei abrogaret Magiſtratum bellicum Imperator, ſpecioſioribuſque rei exaggerationibus (ajebant Valnſtenium obſtrinxiſſe ſibi fidem & operam militum ad opprimendum Imperatorem Domumque Auſtriacam, & inire ſocietatem cum Fœderatis Germaniæ, quorum ope in uſurpando Regno Boëmiæ juvaretur) in Aula Cæſarea tali commento fidem conciliarunt: præcipue ille Octavius Piccolomini Hiſpanicus explorator, qui ſtatim Viennam per compendia viarum profectus, nocte intempeſta impetrato per ſecretam januam ingreſſu, recta ad Legatum ibi Hiſpanum Comitem Ognati divertit, eademque hora ab ipſo ad Imperatorem è ſomno ſtudioſe ad tantam novitatem excitatum deductus, affirmavit Valnſtenium conjuraſſe cum exercitu in necem Imperatoris, & legiones ab ipſo ex induſtria ſpecie hybernorum circum Viennam diſpoſitas in procinctu eſſe, ut irruant in Civitatem, Imperialemque domum opprimant, ad ſignum dandum tumultu vel incendio excitato, ab iis qui jam intro ad hoc ex ipſius emiſſariis magno numero ibi adeſſent. Vnde ſummo mane in omnibus Civitatis angulis perquirebantur Valnſteniani, & deprehenſi (neceſſariorum coëmendorum cauſa commeabant eò quotidie non pauci) inſcii prorſus ullius conſpirationis, trahebantur ad carceres, ac ad quæſtiones ſeveriores.

Militum ſtudia Valnſtenium præcipitant.

Viennæ inquiruntur Valnſteniani milites.

Piccolominius vero ad ipſummet Valnſtenium, qui in judicium ad talem accuſationem vocari, vel aperta vi coërceri non poſſe videbatur, dolo tollendum fuit deſtinatus; & acceptis mandatis Imperatoris ad Tribunos militares ne amplius parerent Valnſtenio, ſumma feſtinatione in Boëmiam reverſus, amplioribus præmiis ac promiſſis corrupit ejus Prætoriæ Legionis Centuriones, excubiarumque Præfectos Irlandos, & Scotos omnes, (iſtis fidebat Valnſtenius) præſertim Ioannem Gordon, Valterum, Leſzel, Burhlerum, ut iſti quindecima die Februarii Egeræ, primum vocatos ad cœnam Kinſchium, ac Tirskam Comites, Neumanum Equitum Magiſtrum, Illonium, in Arce inter menſas, immiſſis ex inopinato ſatellitibus trucidarint, & inde in oppidum ad hoſpitium ipſiuſmet Valnſtenii converſi, eum in cubiculo proprio nihil adverſi ſuſpicantem, & ad quietem nocte jam intempeſta ſeſe componentem occiderint. In aliis quoque Civitatibus præcipue Pragæ, Pilſnæ, ejuſdem Ducis conjunctiores (Boëmi maxime & Sileſii) fortiores quique Ordinum Ductores ac Tribuni militum, indicta cauſa ſub idem tempus necabantur: alii vincti conducebantur Viennam. Inter quos fuit Franciſcus Albertus Dux Saxoniæ Lavenburgius, ac Comes Schafgotz Sileſius. Et licet ex tot captivis per exquiſitiores quæſtiones nullum indicium elici potuerit de aliqua conjuratione, cæſorum tamen illorum ac Schafgotzii paulo poſt ex iſta cauſa capite truncati bona fiſco Cæſareo fuerunt applicata, ac in magna parte Piccolominio ejuſque adjutoribus in remunerationem talis facinoris ceſſerunt. Sublato autem Valnſtenio, Imperium univerſum militare Ferdinandus Rex Vngariæ aſſumpſit, illudque ipſemet in exercitu præſens adminiſtravit, tanto majori felicitate, quod inſtructus ingenti omnis generis apparatu bellico, ac exercitu ſexaginta millium ex veteranis non Germanis tantum ac Italis, ſed etiam Hiſpanis exercitatiſſimis à Cardinale Hiſpaniæ Regis fratre adductis

Piccolominio committitur cura opprimendi Valnſtenium.

Valnſtenius trucidatur.

Valnſtenii aſſeclæ trucidantur.

Conſpirationis Valnſtenianæ nullum indicium elici poteſt.

Schafgotz capitis ſupplicium ſubit.

Ferdinandus Rex Vngariæ Imperium militare ipſemet adminiſtrat.

A.C. 1635. ctis collectò, invenerat hoſtem viribus nimium diſtractum; ut qui pet totam Germaniam ad occupanda, præſidiiſque propriis munienda tam multa inſigniora Oppida, diſtribuerat ſuas copias.

Fœderatorum Germ. vires nimium diſtracta excipiendo majori periculo impares facta.

Vnde ad certamen in quo de ſumma rei agebatut, cum iſte viribus infirmior veniſſet, facile ſuccubuit, prælioque victus, etiam omnia fete loca illa in diverſis Germaniæ partibus intercepta amiſit. Ac primum Ratisbonam Rex Vngariæ obſederat, collocatiſque ſuis Caſtris ex adverſo pontis Danubii, Duce vero Bavariæ prope mœnia ejuſdem Civitatis à continente qua Bavatiam ſpectat, eam ab omni patte ſumma vi oppugnari fecit à medio menſe Maio, tandemque ſub finem menſis Iulii ad deditionem coëgit, poſt acetrimos ancipiteſque conflictus cum obſeſſis, qui quater mille à Duce Vinmarienſi Bernardo ibi relicti, continuis eruptionibus plurimum damni intulerunt oppugnatoribus, prope ſex millibus ex eis cæſis, demumque pulvere nitrato ac commeatu deſtituti, & auxiliis quæ Dux Vinmarienſis nimium lente comparabat deſperatis, colloquium die vigeſima quinta Iulii petierunt, obtinueruntque à Rege Ferdinando ut liberi, armati cum ſex tormentis, vexillis paſſis, cumque omnibus ſuis impedimentis abirent, ac ſecuri Norimbergam verſus deducerentur: Cives vero ut Privilegia & immunitates ſuas priſtinas retinerent, præſidiumque nonniſi Cæſareum Auſtriacum reciperent. Capta Ratisbona Rex Ferdinandus cum ſua uxore Maria ad excipiendum Cardinalem Hiſpaniarum Principem Paſſavium diverterat, ejus vero exercitus Duces nil feriati, à Ratisbona moverunt, adverſique Danubii ripis inſiſtentes, ut pervenerunt Donaverdam, eam poſt paucorum dierum oppugnationem à Præfecto Suetico deditione obtinuerunt. Inde diviſi alii in Suevia, alii in Bavaria, alii verſus Norimbergenſem tractum, varia oppida à præſidiis hoſtilibus cuſtodita intercipiebant, nemine reſiſtente. Et quidem Fœderati damna iſta ſua facile compenſaſſent, præſertim quod viceverſa copiæ Electoris Saxoniæ una cum Sueticis Banneri interim in Luſatia & Sileſia Budiſſinum, Gorlitium, Francofurtum ac Odetam, Zittaviam, Glogoviam majorem, Croſſenam vi ceperant, ac alia pluta loca in dies occupabant, apud Legnitium menſe Maio Cæſarianos cum Duce Coloredo collatis ſignis profligarunt, cæſis ex eis quaruor millibus, & ſexaginta vexillis captis cum omni apparatu bellico: ac in Boëmia Mielnicio, Linburga, multiſque aliis Oppidis occupatis, Pragam arcte obſederant: & in Alſatia Ioannes Philippus Comes Rhenanus, capta menſe Iulio Rheinfeldia, in Veſtphalia veto Georgius Dux Luneburgenſis Luna, Haſſiaci cum Sueticis Hammio, ac poſt unius fere anni obſidionem Hildeſia menſe Auguſto ad deditionem coacta, magnos progreſſus faciebant, vel ſaltim evitaſſent ſeu diſtuliſſent pericula graviora cunctatione unius vel alterius menſis, nempe proxime imminente Autumno, pro quo Princeps Hiſpaniarum Cardinalis cum potiore robore militiarum, relictis Imperialibus in Flandriam ttanſiturus erat, & primus ille impetus univerſæ potentiæ Auſtriacæ tanta cura in unum contractæ in expugnandis paucis tunc circa Danubium Sueviamque Oppidis retundi, hybernumque ſubſequens tempus juſtum exercitum tantis viribus opponendum colligendi commoditatem præſtare potuiſſet. Hocque providens Bernardus Dux Vinmarienſis, copias ſuas quas cum Guſtavo Horn conjunxerat & conduxerat in Bavariam, pluribuſque locis ibi interceptis, Altringium cum Ligiſticis legionibus apud Landſchuttam profligarat, accepto de Ratisbona ad quam ſublevandam ibat dedita Nuntio, iterum diviſerat retraxeratque ultra Bavariam, ut à longe tantum obſervaret conatus hoſtis, nec ſummam rei dubio Marti committeret. Sed iſtud ac omne pæne conſilium ipſius fatalis quædam ſors uſque adeo ſubvertit, quod Legiones illas ſuas & Hornianas dimiſ-

Ratisbonam obſidet Rex Vngariæ.

Ratisbona deditionem facit.

Ratisbonenſes jurant non tantum Imperatori; ſed Domui Auſtriacæ.

Hiſp. Princeps Card. ſororem ſuam Vngariæ Reginam viſitat Paſſaviæ.

Donaverda Sueticum præſidium pellunt Cæſariani.

Cæſariani obvia quæque capiunt circa Sueviam.

Fœderatorum felices progreſſus in Sileſia.

Hildeſia poſt unius anni obſidionem deditur Sueticis.

Altringius apud Landſchuttam cæſus à Sueticis.

Vinmarienſis Dux accepto Nuntio de capta Ratisbona à longe obſervat hoſtem.

A.C. 1634.

Vinmarienſis Dux præcipitat in anguſtias apud Nordlingam.

dimiſſas, nullo opeꝛæpretio (nempe pro liberanda ab obſidione Nordlinga cujus jactura facilior fuiſſet) non tantum revocavit ex longinquo ad confligendum cum Cæſarianis, verumetiam incaute (alioquin experientiſſimus bellator) præcipitavit in anguſtias minus exploratas, ubi nec pugnare, nec pedem referre licebat.

Octavius Aldobrandinus cæſus.

Quinta die Septembris ille Dux una cum Hornio (habebant ſex millia equitum, & 15 millia peditum) venerant in conſpectum Cæſarianorum, quorum numerus 40 millibus armatorum conſtabat, & prælio commiſſo circa convallem Ottingenſem medio milliari à Nordlinga diſtantem, eos profligarunt magna ſtrage edita, præſertim in Legionibus Italicis, quarum præcipui Tribuni Octavius Aldobrandinus Magnus prior Romanus militiæ Melitenſis, ac Silvius Piccolominus Senenſis ibidem occubuerant.

Vinmarienſis Dux & Horn profligantur à Cæſarianis.

Guſtavus Horn captus in prælio Nordlingenſi.

Vinmarienſis Dux cum ſolo equitatu evadit à pugna Nordlingenſi.

Nordlinga deditionem facit.

Germanicæ Civitates à pugna Nordlingenſi deficiunt à Fœderatis ad Imperatorem.

Victoriam vero illam ſole occidente interruptam (poſtquam eam noctem inſomnes inſtructa acie in eadem convalle ſtando exegerant) proximo diluculo proſequendô, cum ad expugnandas munitiones Caſtrorum hoſtiles per vias difficiles intra convalles immiſiſſent peditatus ſuos, omnes iſtos Cæſariani novis auxiliis ea nocte è caſtris Hiſpanorum accerſitis aucti, ab utroque latere medios ita incluſerunt, ut aciem inſtruere, vel alter alteri ſubvenire non potuerit, & ſinguli, ſeu manipulatim ægre pugnantes, vi multitudinis oppugnatorum ſuperati, cum paucis locus fugæ eſſet, cæſi perierunt: alii ſub ſigna Imperialia tranſierunt, paucis per ſylvas fuga elapſis. Guſtavus Horn, Craitzius, Schafelt præcipui Præfecti militares ſunt capti, & alii inſigniores Ordinum Ductores occiſi: Equitatus prope omnis cum Duce Vinmarienſi Bernardo evaſit cum equis ſolis quibus inſidebat, impedimenta vero & omnis apparatus Caſtrenſis prædæ victorum ceſſit, ac Nordlinga auxiliis deſperatis, poſtridie deditionem fecit. Quinimmo omnes pæne Civitates Germaniæ exinde nutare, & partes Fœderatorum deſerere cœperunt. Heidelbergam Ioannes Vert paulo poſt parvo labore pulſo Suetico præſidio recuperarat: Herbipolim alii Duces Cæſariani menſe Novembre vi ceperant; & cum Arx illius loci aliquandiu à præſidio Suetico defenſa fuiſſet, hanc quoque initio ſubſequentis Anni ad deditionem coëgerunt. Totaque Franconia, Suevia, & Palatinalis ditio præter pauca loca Galliis viciniora, ſeu præſidiis Gallicis munita intra breve tempus ad obſequium Cæſaris redierat, Elector Saxoniæ ſtatim ut intellexerat de illo conflictu Nordlingenſi, relicta obſidione Pragæ, ex Boëmia abduxit ſuos exercitus, & tractatum pacis, quem hactenus Legati Cæſaris cum ipſius Conſiliariis Lutomiritii lentis colloquiis traxerant, (nempe veritus ne tota belli moles cum pœnis læſæ Majeſtatis in ſuum caput recideret) ferventius promoveri curavit.

Saxon. Elect. poſt pugnam Nordlingenſem relinquit obſidionem Pragæ & tractat pacem.

Pragæ tractatur pax pro tota Germania.

Tamdemque Pragæ Anno ſubſequente pacem concluſit non pro ſua parte tantum, ſed pro tota Germania, idque conditionibus durioribus ordini Fœderatorum, quorum cauſæ Religionis nonniſi induciæ ad annos quadraginta fuerunt ibi conceſſæ, & reſciſſa omnis ſpes reſtitutionis in gradum priſtinum Palatinorum, præſertim quoad ditiones Electorales ipſumque Electoratum, ejus ſucceſſione hæreditaria ad lineam Bavaricam Vilhelmianam tranſlata, ac pleriſque fœderis ſociis, quos ipſemet Saxoniæ Elector in Lipſienſi, Anno Chriſti 1631, Conventu ad arma contra Imperatorem ſumenda concitarat, ab illa Amneſtia excluſis, Boëmiaque perpetuæ Auſtriacorum hæreditati addicta; Tum & Electione futura Regis Romanorum ſtabilita: prorſuſque adolevit ſub ſpecie illius pacis Pragenſis lex Majeſtatis Monarchiæ in Germania, ut ſingularius attingemus ſuo loco.

Pragenſis pacis ſub ſpecie adolevit lex Monarchiæ Auſtriacæ in Germania.

Atque tanti fuit clades illa Nordlingenſis, quod in ea omnem fructum victoria-

Rr 2 rum

A. C. 1634. rum eouſque partarum, totumque robur ſuum Fœderati perdiderunt, ut exinde nonniſi Regis Galliæ facultatibus armiſque fulciri, ac quaſi novam belli telam pro ſua defenſione ordiri debuerint annis proxime ſubſequentibus. Convocarat tamen interim Oxenſtern Cancellarius Sueciæ ſocios ſuos Francofurtum menſe Septembre, & cum eis conſulravit de modo inſtaurandi exercitum, & continuandi hoc bellum, conſcripſeratque octo millia militum ex profugis ab illa clade Nordlingenſi collectorum, quos pro præſidio illius viciniæ in locis opportunis diſpoſuit.

Hiſp. Princeps Cardinalis poſt pugnam Nordlingenſem it in Belgium.

Quod autem diximus de Principe Hiſpaniarum Cardinali in Germaniam conducto, is poſt pugnam Nordlingenſem, relicto Rege Vngariæ, Rhenum Bonnæ tranſmiſit, indeque recta Bruxellas ivit, ſpe plenus, quod recenti, eoque exercitato milite, ac apparatu pecuniario quem conduxerat copioſum, in brevi eſſet reparaturus damna ſub illud tempus in ea Provincia accepta. Trajectum enim ibi amiſſum, ſæpius etiam hoc anno repetita expeditione, nunquam recuperari potuit, & menſe Iulio ejuſdem Anni, cum Ioannes Naſſovius Geldriæ Præfectus celerius expeditiorem exercitum Hiſpanicum ad recipiendam inopinata irruptione Rhinbergam duxiſſet, amiſſis ex ſuis plurimis, qui jam foſſis penetratis vallum illius Oppidi aſcenderant, retrocedere re infecta fuit coactus. Ac omnia ibi languebant animis omnium, præſertim Nobiliorum in illa Provincia metu & diffidentia conſternatis, poſtquam in Aula Hiſpanica Ducem Ariſcotanum cuſtodiæ traditum intellexerant, & in Belgio Marchio Aitonæ, qui tunc ibi Gubernatoris vices ſuſtinebat, Ducem Bomevillum & Principem Barbanſonium capi detinerique in Arce Antverpienſi fecerat, ac Principem Eſpinoium cum Comite Henninio, niſi ocyus fuga in Galliam evaſiſſent, comprehendi juſſerat, idque ex levi conſpirationis conjectura ab ipſiuſmet Ducis Ariſcotani officioſiore obſequio deducta, ut alio loco attigimus. Quare cæteri quoque Belgæ, præſertim inſigniores quantumvis ſibi bene conſcii, inter tantas ſuſpicionum latebras nihil ſecurum ſibi reſtare querebantur, donec Rex Hiſpaniæ publico promulgato edicto declaravit, quod omnes Provinciarum Belgicarum incolas pro fidelibus ſubditis haberet, illiſque qui hactenus in fide manſiſſent omnia condonaret, præter eos, qui jam ex tali cauſa ad carcerem condemnati eſſent, ſeu fugam arripuiſſent. Princeps itaque Cardinalis veniens in Belgium, talem rerum ſtatum ibi invenit: Ac cumprimis Belgarum animis ad meliorem ſpem erectis, omnem curam ad Hollandos victorios annorum præteritorum exultantes, reprimendos convertit. Nec defuit illis primis ipſius auſpiciis blandior fortuna, ſtatim enim excurſiones eorum in Brabantia ac Geldria Equitatu quo prævalebat cohibuit, & non multo poſt præſidiarii Geldrenſes propugnaculum Senchianum, quod multis ab omni parte Civitatum Caſtellorumque præſidiis excubantibus ſecurum negligentius cuſtodiebatur, intempeſta nocte ſuperato ſcaphis Rheno, tranſituque intro illam munitionem exploratorum induſtria eluſis cuſtodiis reperto, interceperant. Quod Hollandos ſummopere turbavit, cum exinde Hiſpani Rhenum inter Veſaliam aliaque Cliviæ oppida à Neomago Hollandiaque interclusum, adempta utrobique commerciis & auxiliis mutuo ſummittendis commoditate medium tenerent, moxque Cliviam ac propinquum Neomago territorium ſuo juri cenſuique vendicarint. Vnde illi univerſas vires ſuas derelictis aliis rei bene gerendæ occaſionibus, eo convertere cogebantur, & prope biennio integro in recuperando iſto loco graviſſime laborarunt, ut infra conſtabit. Daniæ autem Rex hoc anno propagandæ ſtirpis ſuæ curis vacavit, ac filio ſuo primogenito Chriſtierno Quinto denominato, Magdalenam Sibilam Electoris Saxoniæ filiam deſponſari copularique fecit.

Hiſpani à recuperatione Rhenbergæ rejiciuntur.

Ariſcoti Dux in Hiſpania cuſtodia traditur.

Belgæ diverſi ob ſuſpicionem conjurationis capti.

Belgæ conſternati ad ſuſpiciones occultas Hiſpanorum.

Senchianum propugnaculum intercipiunt Hiſpani.

Qui-

A.C.1634.

Quibus nuptiis initio menſis Octobris iſtius Anni Coppenhagæ Daniæ Metropoli celebratis, non defiit Regiæ magnificentiæ conveniens apparatus, & ſplendor Legationum, præſertim ab Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Poloniæ, Sueciæ Regibus, cum honorariis prætioſis miſſarum.

Ex Gallicis unicum attingemus de Carolo Duce Lotaryngiæ, qui dum obfirmato animo Hiſpanicis, ac Ducis Aurelienſis partibus adhæreret, reliquum ditionis ſuæ hoc anno amiſit. Cum enim poſt captum nuper Nancium, in Italiam Mediolanum ad Cardinalem Principem Hiſpaniarum initio hujus anni, & deinde ad Imperatorem, ac Bavariæ Ducem pro auxiliis conquirendis abiiſſet, Rex Galliæ veritus ne Hiſpanica præſidia in reliquas illius ditionis Arces introducerentur, indeque confiniis Gallicis infeſta eſſent, prævenire maluit, & miſſo exercitu cum Mariſchallo della Forze, præcipuum illius oræ propugnaculum la Motte vi cepit, omneſque ejus viciniæ Arces ac ſubditos Ducis illius, cum amplius reſiſtere non valerent in ſuam poteſtatem redegit, ac in nomen ſuum Regumque Galliæ jurare fecit. Occupata autem hoc modo Lotaryngia, exercitus Gallici tanquam è ſede belli inde in Germaniam eò liberius expeditiuſque progrediebantur, ac plura loca circa Moſellam verſus Rhenum, uſque & Confluentiam ac Hermanſteinium interceperant, munierantque propriis præſidiis ad diuturniorem belli ductum, ſeu ut liberarent ſervarentque à Suecica vi illam ditionem Electoris Treverenſis, qui ſe propterea patrocinio Regis Galliæ commiſerat. Demum vero ſub finem hujus anni, etiam Philippi Caſtrum occuparunt, pactione facta cum Sueeis, qui illud nuper poſt longam obſidionem deditione ceperant, & poſt cladem Nordlingenſem viribus imminuti retinere diutius vix poterant. Reconciliatus quoque ſub id tempus fuerat ille Rex opera Pilaurentii Duci Aureliæ fratri ſuo, qui menſe Octobre iſtius anni redierat ex Belgio in Galliam, exceptuſque fuit benigne à Rege in Oppido S. Germani tunc degente. Et tamen paulo poſt, ejuſdem Ducis cum Lotarynga Matrimonium initum, facto conſilio, Pariſienſes Theologi irritum fecerunt.

Lotharingia Dux in Italiam it pro conquirendis auxiliis.

Lotharing. ditionem reliquam occupat Rex Galliæ.

Philippi Caſtrum Gallico præſidio munitur.

Et quia inter alia argumenta juſtitiæ belli ab Imperatore Regi Galliæ poſt talem irruptionem in viſcera Germaniæ hoſtilem denuntiati, hæc quoque ob Lotharyngiam ab iſto uſurpatam querela ſumetur, non oberit hic adnotare, quod Lotharyngia (Auſtraſia olim nominata) ab origine pertinebat ad Galliam, eratque in ſorte patrimonii ſtirpis Regiæ Gallicæ. Et demum Anno Chriſti 980, Lotharius Rex Galliæ dederat eam filio Imperatoris Ottonis II, jure clientelæ ſeu fiduciæ, ita ut ſub fide Regum Galliæ perſiſteret. Senſim vero Duces illius, licet Imperio Germaniæ, à quo non dependebant, ſubjectionem nullam præſtarent, tamen confiſi tanto patrocinio, ſeu rerum Gallicarum nonnunquam turbis domeſticis debilitatarum viciſſitudine uſi, etiam Regibus Galliæ obſequium ſubtrahebant. Aut cum rarius adeo ardua ſeverius requirendæ fidelitatis inde debitæ neceſſitas occurreret, Galli Reges iſta diſſimulabant: Immo nunc officiis, nunc affinitatibus deliniti, Duces illos quos nunquam diſcidium, aut hoſtilia Galliis mediraturos ſuſpicabantur, aliis inſuper in Gallico territorio poſſeſſionibus cumulabant, eorumque agnatis, ut ſunt Duces Guiſii, amplas dignitates in Regno ſuo deferebant, tanquam Regni ejuſdem nativis. Verum cauſa belli melius æſtimatur ex injuria illata, quam ſi uni Principi non de ſubdito tantum ſuo, ſed & de externo quovis, poteſtate ac dominandi jure ſibi æquali vindicare licet, alteri neſcio (ut fatear ingenue) qua ratione non liceat? Hocque Parergon cum potius ſubſequentibus inter illos Principes concertationibus inſerviat, eo nunc relicto ad noſtra domeſtica ſtylum convertamus.

Lotharingia ab antiquo pertinebat ad Galliam.

Guiſii Ducum ſtirps è familia Lotharingica.

In Polonia itaque Vladiſlaus Rex bellum contra Moſchos ſuſceptum in hunc

A.C. 1634. annum feliciter continuabat: & quantumvis præſtaret hoſtis numero copiarum, ac commoditate ad ſuſtinendam hyemis ſævitiam, in caſtris omni commeatu, ædificiiſque ligneis plurimis probe inſtructis conſiſtens, Rex tamen cum ſuo exercitu inter aſperrimas cæli injurias in oppugnatione ipſius, toto menſe Ianuario & Februario nil fervoris remittens, tandem redactum ad extremam neceſſitatem coëgit ad hujuſmodi deditionem, ut pacta ſibi ac ſuis incolumitate, libertateque abeundi quo vellet, initio menſis Martii iſtius anni univerſum apparatum bellicum ac impedimenta, præter ea quæ ſinguli milites ſuo proprio ferre poterant, poteſtati Regiæ tradiderit. Sed ut ſupra diximus, Turca interim ſolicitatus à Moſchicis Legatis ad hoc Conſtantinopoli deſidentibus, diligentius contra Polonos bellum apparabat, & toto hyberno tempore in omnibus infra Budam circa Danubium ditionibus ſuis militum delectus inſtituebat, quos primo Vere in Poloniam mitteret. Ac magis Abazy Baſſa urgebat illam expeditionem, ut ea anni antecedentis damna compenſaret, vel ſaltem obtegeret, uti etiam variis artibus præcaverat, ne eouſque Turca cladem tunc ipſi illatam ſciveri; immo crediderit optime rem geſtam fuiſſe, ob vaſtatum vicum Studzienica, quem ille (miſerat inde Abazy plures captivos, & unam formoſam puellam Præfecti militaris Generalis Poloniæ filiam fuiſſe affirmans, cum tamen iſte nullam unquam filiam habuerit) amplam potentemque Civitatem fuiſſe ajebat. Vnde & Legatum Regis Poloniæ Alexandrum Trzebinski, de quo ſupra meminimus, poſtquam tranſmiſſo Danubio pervenerat Provadiam, (eſt oppidum Bulgariæ medio itinere inter Andrinopolim & Danubium conſiſtens) idem Baſſa detinuerat, & ſeverioribus nimis adigere conabatur, ut Legationem ſuam coram ipſo exponeret, reſponſumque ibidem expectaret: ne nimirum veniens Conſtantinopolim geſta ipſius palam faceret, & duriori ut habebat in mandatis, exprobratione violatorum pactorum Imperatorem ab inferendo tali bello averteret. Cum vero Legatus ſpreta barbari inſolentia, Legationem ſibi ad Imperatorem Turcarum commiſſam non coram altero, quam coram ipſomet Imperatore ſe peracturum conſtanter aſſeveraret, & per emiſſarios ſolertiores querelam de ſua illa detentione apud Turcam interpoſuiſſet, obtinuiſſetque ſecuritatem veniendi Conſtantinopolim; tamen Baſſa Abazy eo quoque ſtatim accurrens, ita Imperatoris animum præmunierat, ut Legato conſueta honoraria denegarit, eumque ægre, & nonniſi ſemel tantum ad audientiam ſuam admiſerit, dimiſeritque (prætexebat offenſam ex pyratica Coſacorum in mari Euxino) cum denuntiatione belli, perſuaſus quod Poloni bello Moſchico impliciti facilius devinci, ignominiæque in bello ſub Chocimo ab ipſis Oſmano Imperatori illatæ vindicari poſſent; & ſi illi Moſchos ſubjugarent, aucti tanta potentia, Turcicæ Monarchiæ quandoque formidoloſi eſſent futuri. Promiſſa quoque Moſchorum liberaliora, incitabant ipſum ut bellum tale ſtatim proclamari juſſerit, apparatumque ingentem bellicum ad littus Danubii Moldavicum comportari. Et non multo poſt tranſierat Andrinopolim, ut inde ipſemet neceſſaria tanto molimini tempeſtive provideret. Interim Rex Vladiſlaus poſt exutos caſtris prope Smolenſcum Moſchos, paucis diebus præparandis itineri neceſſariis inſumptis, proſequendo victoriam, verſus Moſchuam caput illius Imperii, ſigna promoveri mandavit. Et quidem eo pergere decreverat recta, qua Drohobuſii, Viaſmæ aliorumque obviorum oppidorum infirmiora præſidia ad deditionem faciendam propendebant, faciliſque tranſitus patebat ad ipſam uſque Vrbem Moſchuam: at mutato conſilio deflectens Bialam, plus negotii in proſequendo illo itinere invenit. Moſchi enim Arcem illam cuſtodientes, editi loci ſitu munitiore confiſi, deditionem facere recuſarunt, & poſtquam unam & alteram irruptionem, cæſis non paucis ex oppugnatoribus

Turca expeditionem apparat in Poloniam pro juvandis Moſchis.

Trzebinski Legatus Provadia ab Abazy Baſſa detinetur.

Trzebinski Legatus dimittitur à Turca cum denuntiatione belli.

Vladiſlaus IV Rex Poloniæ Schino exturbato Moſchuam contendit.

Bialam oppugnant Poloni irrito eventu.

roribus rejecerant, animos & tempus addiderunt longinquioribus caſtellis, ut ſe ad defenſionem compararent, & ipſimet audaciam ſumpſerunt ad ſuſtinendam longiorem oppugnationem, quam deſerere Polonis indecorum, & continuare cum temporis jactura, præſertim in ancipiti pacis cum Turca Sueticarumque induciarum ſtatu, maxime periculoſum fuiſſet. In dies enim afferebantur Nuntii de præparationibus Turcarum ad bellum Polonicum, & ſub id tempus primum advenerat eo notitia de Legato Regio ab ipſis inhumanius à Baſſa Abazy ipſoque Turca habito, cumque denuntiatione belli dimiſſo, ac Suecos relicta rerum Germanicarum cura, omnes vires ſuas, cum in brevi finirent induciæ, in Pruſſiam converſuros. Quodque potiſſimum, miles importune repetebat ſua ſtipendia, ad quæ ſolvenda, & ad novum contra Turcas conſcribendum exercitum, Pruſſiamque contra Suecos tempeſtive præſidiis firmandam, ingens requirebatur pecunia, eaque aliter haberi non poterat, niſi in Poloniam ad celebranda Comitia Rex rediret; diſceſſu autem ſuo adminiſtrationem illius expeditionis Ducibus militiarum non ſatis inter ſe conſentientibus relinquens, certum ibi partarum victoriarum ſuarum eouſque fructum, nimis dubium fecíſſet. Quare placuit uti compendio, nec aſpernati tractationem pacis, quam Moſchi per Legatos ſuos continue prope caſtra Regia deſidentes (ſæpe cum lachrymis deprecabantur ut parceretur ſanguini Chriſtiano, cum quotidie à militibus Polonis Regionem illam longe lateque populantibus, non ſolum ex plebe, ſed etiam ex Nobilioribus illius gentis innumeri, & non raro cuncti ſimul oppidorum incolæ necarentur) ſummiſſius quam unquam alias petebant, nempe deſtituti omni ope, nullibique exercitum juſtum habentes, præter pauca in oppidis ſuis præſidia, cum quibus periculum aliquandiu differre non evitare valebant, & priuſquam à Turcis juvarentur, extrema experiri, ac de ſumma rei cum Polonis decernere debuiſſent. A.C. 1634. *Moſchi petunt inſtitui tractatum pacis.*

Inſtituto itaque apud rivum Polanowka inter Viaſmam & Drohoviſum colloquio, Delegati utrinque poſt longas difficileſque concertationes, formulam pacis talem compoſuerunt.

Vt abolita bellorum, damnorum, injuriarum mutuo illatarum memoria, Pax & Amicitia inter gentem Polonam Lithuanicamque & Moſchos coleretur. *Pacis cum Moſchis conditiones.*

Rex Poloniæ jure ad Principatum Moſchoviæ per Electionem Procerum Moſchoviæ liberam ſibi delatum, quæſito, ſe abdicaret. Moſchoſque à præſtito ſibi ſubjectionis fidelitatiſque Sacramento abſolveret. Titulo Ducis Moſchoviæ amplius non uteretur, ſed iſtum titulum Michaëli Fedorowicz Filareto Duci tunc dominanti daret, eumque pro vero Duce Moſchoviæ agnoſceret.

Authographum diploma Electionis ſuæ à Proceribus Moſchoviæ ſubſcriptum, ſigilliſque eorum obſignatum cum aliis ſcripturis illam Electionem concernentibus, eidem Michaëli Fedorowicz circa confirmationem iſtius pacis reſtitueret. Viciſſim Dux Moſchoviæ renuntiaret Regno Poloniæ Provinciam Czerniechovienſem cum Territoriis Oppidiſque Czerniechow, Siewior, Nowogrodek, & Ducatui Lithuaniæ Smolenſcenſem Provinciam cum Civitate Smolenſco, territoriiſque ac arcibus Drohobus, Biala, Roſlavia, Starodub, Trapiesko, Poczopow, Nevela, Sobieſcza, Kraſnybrod, Moroskloncza, Popowa gorá, cumque omni inſtrumento bellico quod in Arcibus iſtis tunc inveniretur, ac cum incolis ſubditiſque eorundem locorum, ita ut inde nemo habitatorum alio commigrare poſſet præter milites, mercatores & Eccleſiaſticos, quibus liberum eſſet mutare locum ſi vellent. Quodque Dux Moſchoviæ non uteretur titulo Ducis Smolenſcenſis & Czerniechovienſis: & alium ſuum titulum quo nuncupatur Dux Ruſſiarum, non extenderet ad Ruſſias ſubjectas Regno Poloniæ, uti neque Rex Poloniæ ad illas quæ Moſchoviæ ſunt propriæ.

A.C. 1634. *In Livoniam quoque, Eſtoniam, Curlandiam, Moſchoviæ Dux nullum jus prætenderet, eademque pace eas Provincias comprehenſas haberet, nec bello laceſſeret, aliiſque qui hoc tentarent per ſuas ditiones tranſitum prohiberet; & viceverſa Rex Poloniæ Moſchicas Provincias Eſtoniæ conterminas, Pleſcoviam Neogardiam, Ebocum, non uſurparet nec offenderet, aliiſque hoſtile quid illi Regioni inferre volentibus obſiſteret. Ad conſignandos Czerniechovienſis & Smolenſcenſis Provinciarum, earumque Territoriorum verſus Moſchicas ditiones protenſorum terminos, Delegati utrinque certo loco & tempore convenirent, ac jurejurando interpoſito, quod fideliter officium ſibi commiſſum completuri ſint, quicquid ex uſu longævo, teſtimoniis ſenum peritorum ſingularum Regionum, monumentiſque antiquis de hujuſmodi terminis conſtiterit, ſtatuerent, & locorum incolis perpetuo cuſtodiendum, inviolateque ſervandum ſevere præciperent.*

Regis Poloniæ hoſtes Dux Moſchoviæ nec commeatu, nec milite, nec tranſitu per ſuas ditiones juvaret, hocque idem Rex Poloniæ contra hoſtes Ducis Moſchoviæ obſervaret.

Mercatoribus utriuſque gentis commerciorum uſus ubique liber eſſet, excepta apud Polonos Cracovia ac Vilna, & apud Moſchos civitate Moſchua Ducis illius ſede.

Finitimi Provinciarum aut arcium Præfecti, læſis juſtitiam adminiſtrare tenerentur, & ſi quid gravius intervenerit, Iudices ab utraque parte eligi, quodque juſtum fuerit decernere debeant.

Captivi utrinque intra ſemeſtre liberi abſque lytro dimittantur.

Militiæ Polonicæ & Lithuanicæ ex Moſchovia quamprimum educantur, ita ut non offendant incolas Moſchos tranſeundo, dummodo à Moſchis non irritarentur.

Legati utrinque cum mittendi erunt, nonniſi cum certo perſonarum numero venirent, nec ultra duos menſes detineantur.

Vt conditiones iſtas pacis Rex Poloniæ Varſaviæ, præſente Legato Moſchico, & Moſchoviæ Dux Moſcuæ, præſentibus Legatis Polonis & Lithuanis, jurejurando ſolenni confirmaret, earumque exemplaria ſubſcriptionibus manuum & ſigillis utriuſque Principis munirentur, ac ad Principes vicinos æque Chriſtianos atque Ethnicos mitterentur.

Certam quoque pecuniæ ſummam pro impenſis belli Regi Poloniæ Moſchus circa concluſionem pactorum hujuſmodi ſolverat, ac præterea, ultro magni pretii plurimas pelles zebellinas donarat.

Severia Moſchis adempta ampla Provincia.

Atque ita Rex Vladiſlaus bellum illud difficillimum compendio forti confecit, Provinciaſque ampliſſimas (ut quæ ad centum milliaria Germanica longo, ac ad quadraginta late patent) à ducentis annis à Polonia Lithuaniaque avulſas, & pene jam perditas ac deſperatas, glorioſe recuperavit. Fama quoque belli Turcici evanuerat, cum primum pacificatio illa Moſchica fuit divulgata. Cum enim Moſchi rebus ſuis ita compoſitis, Turcicum Legatum, qui toto eo tempore pacem cum Polonis diſſuadens, promiſſamque pro auxiliis à ſuo Imperatore paratis mercedem repetens Moſchuæ hæſit, vacuum dimiſiſſent; Turca illuſionem talem ægre ferens, pacemque cum Polonis temere à ſe fractam fuiſſe dolens, ad eam reconciliandam deſtinatat Sehinum Aga ad Regem Vladiſlaum, qui tunc reverſus ex Moſchovia, Comitia ad menſem Iulium indicta Ordinibus Regni Varſaviæ celebrabat. Excuſando autem Turcicus ille Nuntius violationem pactorum, omnem culpam in Baſſam Abazy rejiciebat, eumque debitas propterea pœnas luiturum promittebat, dummodo revocarentur exercitus Regii, qui jam in procinctu ſtabant in confiniis Moldaviæ magno numero congregati, ac in dies augebantur, converſis eo ex Moſchovia univerſis copiis, multoque bellico apparatu.

Turca Legatum Moſchi vacuum dimittunt facta cum Polonis pace.

Turca mittit Sehin Aga ad Regem Poloniæ pro reconcilianda pace.

Verum Rex hoſti illi raro non fallaci minus fidendum ratus, & magis cupiens, ne in-

ne injuria tam petulanter ab eo rupti nuper fœderis inulta maneret, præſertim ſi forte apertis tam juſta belli cauſa in hoſticum viis, occaſio rei bene gerendæ daretur, (redierat interim Conſtantinopoli Legatus Regius Alexander Trzebinski, & in conſeſſu Comitiorum publico, repræſentavit ſeriem Legationis ſuæ, Turcæque nimium offenſi propenſionem ad bellum gerendum) arma tanto majori diligentia apparari juſſit, & reſponſo Sehino Aga dato, quod meliores cautiones ſervandæ in futurum mutuæ amicitiæ à Turca requireret, demumq; diligentius negotio perſpecto, ſuper hoc decernere vellet, ſolutis Comitiis (in quibus nonniſi de conquirenda in ſtipendia militum pecunia, muniendiſq; Pruſſiæ contra Suecos Arcibus agebatur) ipſemet in Podoliam ad caſtra iter inſtituit. Interim vero ad Præfectum exercitus StaniſlaumKoniecpolski apud Cameneciam caſtra habentem, aſſidue à Vezyro MurtazyBaſſa de reſarcienda pace Nuntii ac literæ commeabant; cumq; ille ac una Delegati ad hoc ex Comitiis Regni conſiliarii bellici (aderant ibi & Proceres plerique cum numeroſis militaribus turmis ad famam tanti belli congregati) conſtanter rejicerent excuſationes omnes læſæ pacis, niſi ſeverius in authorem animadverteretur: Murtazy effecit apud ſuum Imperatorem, ut Baſſam Abazy (vir fuit bellicoſus, ac multis præliis contra Perſas feliciter geſtis clarus) cui error ejuſmodi tribuebatur, fecerit ſtrangulari, hocque præſtito, omne ſuum pro læſa pace ſatisfactionis debitum adimpleviſſe videbatur. Vires etiam Polonici illius exercitus, non tam ad offendendum, quam ad repellendum hoſtem erant comparatæ: potiſſimum ejus robur ſtipendiarii milites erant pauci, & alii ex Moſchovia tardius adventantes trahebant manipulos laceros, viris, equis, armiſq; majori parte imminutos. Voluntarii militares plurimi quidem aderant, ſed ad militarem diſciplinam imperiaq; Ducis cum eſſent minus obligati, non adeo utilem operam promittebant. Inſuper turba immenſa (perpetuum malum caſtrorum Polonicorum, in quibus ſi ſint decem millia bellatorum, ad minus quinquaginta millia calonum, totidemque equorum ſupervacaneorum poſſunt numerari: honeſtas tamen in eis eſt major quam in cæteris Chriſtianorum caſtris, quia nulla ſcorta circumducunt) Caſtra ſequentium, frugeſque circum late miſerorum agricolarum abſque ulla lege conſumentium, Ordinem univerſum confundente. Ex quo circa comportationes, aſſidue cædes, ac incendia in Caſtris frequentius excitabantur, & conſiliarii bellici, licet à principio expediſſet ducere in hoſticum, ſuaſerunt continendam illam multitudinem in ſolo proprio: Tantoque facilius divulgata illa ſummiſſione Turcæ, belliq; (caſtigato Baſſa Abazy) anſa ſublata, pacem ſtabilierunt cum Sehino Aga, qui iterum à Turca miſſus ad eam præficiendam in Caſtra Polonica venerat. Obierat in illa expeditione Staniſlaus Comes de Tænczyn proſapiæ Tænczynianæ omnium Nobiliorum in hoc Regno vetuſtiſſimæ ultimus hæres; tamen ſuperſunt adhuc alii rami è communi ejuſdem generis (inſigne gerit *Topor*, nempe Aſciam, ſeu latam ſecurim pergrandem) ſtirpe nati. Rex VLADISLAVS quoque accepto Nuntio Leopoli de illa pace concluſa, (propenſior ad bellum gerendum cum Turcis ægre tulit eam pacificationem) ut redierat Varſaviam, ſub finem Novembris amiſit fratrem germanum ex noverca ac matertera ſua CONSTANTIA AVSTRIACA natu minimum Alexandrum, vix dum vigeſimum primum ætatis annum inchoantem, in quo præ cæteris fratribus, ſumma heroicarum virtutum ſpecimina emicabant. Nec multo poſt trigeſima Decembris die, exceſſerat è vivis Patavii in Italia ejuſdem Regis alter frater Ioannes Albertus Cardinalis Epiſcopus Cracovienſis, anno ætatis ſuæ vigeſimo tertio. Animi cauſa iverat ille in Italiam mutato habitu, & fixo Patavii hoſpitio, inde excurrebat ad viſendum diverſas Italiæ Civitates; morbo vero intra paucos menſes ibidem concepto interiit, magno cum dolore Regis, & majori Procerum prudentiorum, qui talem æque iſtius, atq; Alexandri Principis (hic

A.C. 1634.

Trzebinski Legationis ſuæ Turcicæ rationem reddit in Comitiis Varſaviæ.

Vladiſlaus IV Rex reſponſum dat Nuntio Turcico Sehino Agæ.

Vladiſlaus Rex it ad caſtra contra Turcam.

Murtazy Baſſa urget ut inſtaurarent pacem Poloni cum Turca.

Abazy Baſſa ſtrangulatur ob violatam pacem cum Polonis.

Polonicorum caſtrorum malum perpetuum turba ſequentium caſtra.

Poloni inſtaurant pacem cum Turca.

Tænczyniana ultimus hæres ſtirpis moritur.

Vladiſlaus IV Rex de facta pace cum Turcis accepto Nuntio Leopoli revertitur.

Alexander Poloniæ Princeps moritur.

Ioannes Albertus Cardinalis, Poloniæ Princeps, moritur Patavii.

A C. 1634. hic quoque paulo ante mortem excurrerat in Italiam viditque Summum Pontificem, Romam, Neapolim, Florentiam, Mediolanum, Venetias, ubiq; ſummo honore exceptus) peregrinationem Principibus majoris nominis, præcipue Regum filiis indignam improbabant. Funera illorum Principum deportata Cracoviam, in Templo Arcis Pontificali cultu Regio fuerunt humata. Epiſcopatum vero Cracovienſem ab illa morte Principis Ioannis Alberri vacantem, obtinuerat Iacobus Zadzik Cancellarius Regni, Culmenſi relicto Ioanni Lipski Referendario Regni.

Peregrinatio filiis Regum indecora & periculoſa.

Zadzik Epiſcopus Cracovienſis renunciatur.

Annus Chriſti, 1635.

NEc minores curæ Regem Vladiſlaum exceperunt in Anno Chriſti Milleſimo, Sexcenteſimo, Trigeſimo quinto, orbatus enim duobus fratribus, & reliquos nempe Caſimirum à morbo debilem tunc ac infirmum, Carolum Ferdinandum vero ſacris deſtinatum habens, domum ſuam ita inclinatam celeriori ſtabilimine connubiin idigere advertit. Sed quam duceret uxorem (præſertim cum accipienda eſſet, non ea quæ placeret, ſed quam cenſeret Senatus) inter multiplices propoſitiones ambiguus, animo fluctuabat. De bello quoque Suetico dum finirent ad finem menſis Iunii iſtius anni induciæ ſolicitus, tempeſtive apparatum Caſtrenſem conquiri volebat, & æque de iſto, atq; de rationibus propoſiti ſui nuptialis, ac de nonnullis aliis ſtatum Reipub. tunc afficientibus conſultaturus, Comitia Generalia Ordinibus Regni ad menſem Februarium Varſaviæ indixit. In eis vero, privatis negotiis Regiis ac publicis gravioribus ex more (inveterata corruptela) ſepoſitis, querelas ſuas Nunrii Terrarum primum examinandas introduxerant, maxime contra Eccleſiaſticos, quorum certas immunitates, cum Summus Pontifex Roman. tunc Vrbanus VIII, operante Duce Georgio Oſſolinski Legatione ſplenda apud eum nuper nomine ejuſdem Regis perfuncto, aliquantum reſtringendas permiſiſſet, illi liberaliori conceſſionis Apoſtolicæ interpretatione, pæne totas convellere nitebantur: quodque Pontifex reſcripſerat, ut tantum Monachorum & Communitatum Religioſorum loca prohiberi poſſent, ne emerent ſeu acquirerent ullo quovis titulo fundos poſſeſſioneſque (Terreſtria bona vulgo denominantur) Equeſtri Ordini adſcriptos, ipſi inhibitione hujuſmodi univerſum ſtatum Eccleſiaſticorum, ac Pontificalium Cathedrarum Collegia obligari volebant. Similiter & compoſitionem, quę ex conſulto Summi Pontificis de moderando precio Decimarum Meſſis controverſarum tantum, & nonniſi circa fundes Nobilium cum Eccleſiaſticis facienda erat, illi etiam pro Decimis uſu longævo, decretiſque Iudicum legitimorum, ſeu Regia donatione (quoad poſſeſſiones Iuris Regii) firmaris, eam requirebant. De reſcindendis quoque appellationibus ad Romanam Curiam in cauſis injuriarum pœnariis, perſonam ſtatus Sacerdotalis afficientibus, (cauſæ fundi cum Eccleſiaſticis expediuntur in Tribunali Regni) variæ quæſtiones movebantur. Tamen poſt multum ſermonem tam iſtæ, quam de Decimis Meſſium contentienes nonniſi æquabili, reſponſiſq; Summi Pontificis congruente lege fuerunt in circumſcriptæ; nempe ut illæ apud Iudices Eccleſiaſticos) Iudices ſæculares iſtius gentis nullam unquam poteſtatem temporalem ut dicitur, præterquam in cauſis fundi uſurparunt in perſones Sacerdotales) in Regno conſiſtentes terminarentur: pro Decimis vero, quæ euſque non conſueverant dari in manipulis, ſolveretur pretium ab Epiſcopo cujuſque loci moderate æſtimandum. Sed de fundis hæditariis Nobilium non permittendis addici juri Eccleſiaſtico, contentius certabatur: & cum fortius adnitentibus Nuntiis Terrarum Eccleſiaſtici reſiſtere non valerent, lex fuit ſancita, ne præſides ſubſelliorum Iudiciariorum, ac cuſtodes tabulariorum publicorum Equeſtrium, venditiones donationeſque bonorum hujuſmodi in

Vladiſlaus Rex deliberat de uxore ducenda.

Polonorum Comitia.

Oſſolinski Legatione ad Vrb. VIII. PP. perfunctus.

Vrb. VIII. PP. libertates Cleri Polon. reſtrinxit.

Polonia Ordines libertates Cleri magis coarctant.

Polonia Iudices ſæculares in perſonas Cleri nullam poteſtatem habent.

Polonia Cleri cum Laicis litigantium forum.

Polonia Ordines prohibent ne funds terrarum vendantur pro Eccleſiis.

A.C. 1635.

in Actis ſuis (alibi quam in iſtis bonorum iſtorum traditio conſignata eſſet irrita) in rem Eccleſiarum inſcribi permitterent, præter paucos caſus ibidem expreſſos, ac præter obligationes cenſus annui, quæ etiam difficilioribus conditionibus ſunt reſtrictæ. In eiſdem Comitiis adfuit Legatus Moſchoviæ Ducis Alexi Leo Hrehorowicz grandævus, in cujus præſentia Rex Vladiſlaus juravit in conditiones pacis cum illo Duce nuper apud Polánowká ſtabilitas. Et cum diploma Electionis Ducis Moſchoviæ ei à Moſchis tunc datum, ex formula pactorum eorundem ſibi reddi poſtularet, & illud fortuito (nimia incuria miniſtrorum Cancellariæ Regiæ) fuiſſet perditum, ægre, idque prius per veredarios conſulto ſuo Duce, acquievit cautioni Senatus & Ordinum de eo perdito factæ, & ſi reperiretur Duci ſuo reddendo bona fide. Singularioris autem gratiæ loco habuit, quod ipſi permiſſum fuit, ut reportarit in Moſchoviam oſſa Baſilii Suyſcii Ducis Moſchoviæ in Polonia captivi defuncti. Intetim etiam à Rege Vladiſlao miſſi Legati Alexander Piaſeczinski Caſtellanus Camenecenſis, ac Caſimirus Leo Sapiha Palatinides Vilnenſis (cujus opibus & ſplendore præcipue magnificentia illius Legationis conſtabat) Moſchuæ à Duce illo jusjurandum ad confirmationem eorundem pactorum menſe Martio iſtiuſmet anni receperunt, ac plene coaluit pax inter iſtas Dynaſtias: præter quod limites earum à Smolenſco & Severia per diſtributores mutuos condicto in formula horum pactorum modo & tempore, reſtabant aſſignandi. Atque iſtis expediendis, & ſanciendis aliis paucis legibus publicis, collectiſque agrariis pro bello Pruſſico indicendis, vix ſuffecit Comitiorum tempus. Eis vero demum finitis in frequenti ſatis (licet jam Archiepiſcopus Gneſnenſis, & nonnulli Senatores abiiſſent) conſeſſu Senatus, inſtituta fuit deliberatio de Regis propoſito accipiendi uxorem filiam Friderici Comitis Palatini Rheni Electoris Imperii nuper exauthorati, ad quam ille maxime applicarat animum, & pæne obligarat fidem ſuam de ea deſponſanda, petitis receptiſque per ſecretiores paranymphos, præſertim Regis Angliæ puellæ illius avunculi promiſſis. Rogati itaque Senatores ſententias, aliqui cenſebant in Regno Catholico Regis Catholici thoro ſociari non poſſe hæreticam, ut erat illa Virgo: Alii vero judicabant inſiſtendum conſuetudini uſu receptæ, recurrendi, in ſimilibus dubiis ad Summum Pontificem Romanum, qui poteſt & ſolet permittere perſonam Catholicam hæreticæ copulari, exigente utilitate Regnorum publica, (Rex Angliæ promittebat auxilia pro recuperatione Sueciæ) dummodo non deſit ſpes converſionis hæreticæ ad Fidem Catholicam, & abſit periculum ne Catholica pervertatur; ad quod adducebant diverſa & nova & vetera exempla, præſertim Catherinæ Valeſiæ Henrico Borbonio Regi tunc Navarræ, & Magdalenæ filiæ Vilhelmi Ducis Bavariæ Volſango Vilhelmo Principi Neoburgico, recentiuſque Mariæ ſororis Galliæ Regis Carolo Angliæ Regi deſponſatæ, tum & domeſticum olim Alexandri Regis, cui nupſerat Ducis Moſchoviæ filia Helena Græcoſchiſmatica: ac ſuadebant indulgendum eſſe aliquid in deligenda uxore propenſioni honeſti amoris, quam violenta aut ſeveriori cenſura coarctaſſe, etiam patribus in filiis plerumq; infeliciter ſucceſſit; Dynaſtas vero ac Dynaſtias non rato inter ſe commiſit, funeſtiſq; turbis implicuit, nec paucas perdidit Regiarum clariorumque Proſapiarum ſtirpes; (propter hanc ſententiam ego vapulavi ſermonibus obloquutorum) Ad extremum in eo omnes conſenſerunt, ut Rex miſerit Ioannem Zawadzki Præfectum Swiecenſem in Angliam, & Agam Comitis in Hollandiam, ubi illa Virgo cum matre Palatina Vidua degebat, ad explorandam ipſius voluntatem de ſuſcipienda Fide Catholica Romana, qua cognita, Rex cum Senatu decerneret, quamnam ſententiam ſequeretur.

Moſchoviæ Ducis Legatus confirmationem pacis recipit.

Suiſcii Ducis oſſa reportantur in Moſchoviam.

Piaſeczynski & Sapiha Legati in Moſchoviam.

Vladiſlaus Rex conſulit Senatum de ducenda uxore filia Palatini Rheni.

Catholicus quando poſſit ducere uxorem hæreticam.

Vxore in ducenda indulgendum propenſioni amoris honeſti.

Zawadzki Legatus in Angliam mittitur.

Finitis autem Comitiis, magna feſtinatione in omnibus Provinciis Regni miles conſcribebatur, & conquirebantur apparatus bellici, conducebanturque in Pruſſiam,

Vladiſlaus Rex apparatur ad bellum in Pruſſiam contra Suecos.

A.C. 1635. ſiam, quo Rex Vladiſlaus quoq; Varſavia medio menſe Iunio tranſivit,& Toruniæ commoratus, donec Aulicæ ſuæ cohortes confluxiſſent, eis collectis luſtratiſque, finito induciarum cum Suecis tempore, ad caſtra quæ prope Quidzinum Staniſlaus Koniecpolski Præfectus militaris locaverat, cum magno Procerum Comitatu advenit. Sueci etiam Mariæburgam, Dirſaviam,*à Duce Pruſſiæ ſequeſtro ex pacto induciarum pręteritarum ſibi redditam,novis præſidiis muniebant,ſummoq; fervore utrinque bellum apparabatur. Sed ſtatim Legati diverſorum Principum, præſertim Claudius Memmius de Avo Galliæ Regis, ac Duglaius Comes Angliæ Regis Legatus,tum & Hollandorum Duciſque Pruſſiæ Oratores interceſſerunt ut arma cohiberentur ad paucos dies,quibus durantibus,maxime connitentibus Proceribus Polonis effecerunt, ut Rex licet magis propenderet ad bellum (Cæſaris Legatis importune ſuadebat bellum,quo Sueci à rebus Germanicis revocarentur) permiſerit haberi colloquium de pace. Ad hoc itaque induciis brevibus proclamatis, Delegati ex Comitiis Regni Poloniæ, quorum Princeps fuit Iacobus Zadzik Archicancellarius Regni Poloniæ deſignatus Epiſcopus Cracovienſis, & ex parte Suecorum Pontus de Garde, Ioannes Vrangel Præfectus militiæ Sueticæ, Oxenſterna junior, & Abrahamius Vdenhofius, convenientes Stumdorfii, poſt longas eaſque moleſtiores de prærogativis ac titulis ſui cujuſque Regis, tum & de literis fidei ac mandati diſceptationes, tandem pacem tractarunt. Et quidem propoſitum omnibus erat univerſas inter hæc Regna controverſias ſopire,ſolidamque in perpetuum pacem ſtabilire: Sed cum Rex Vladiſlaus cum ſuis germanis fratribus, uti Sueci requirebant titulo Regis Sueciæ, & jure hæreditariæ ſucceſſionis in Regno Sueciæ ſeſe abdicare (licet hoc circa ſuam inaugurationem Polonis ſyngrapha ſecretiori caverat) omnino nollet, nonniſi induciæ ad annos viginti ſex,nempe ad undecimam menſis Iulii diem, Anno Chriſti 1661. fuerunt ſtabilitæ, conditionibus iſtis præcipue.

Galliæ Regis Legatus inducias obtinet pro tractanda pace cum Suecis.

Ferd. II Imp. Legatus diſſuadet pacem cum Suecis.

Delegati ad pacem tractandam inter Polonos & Suecos.

Vladiſlaus Rex juri ſuo ad Regnum Sueciæ renuntiare non vult.

Pacis Polonorum cum Suecis conditiones.

Quod Rex Vladiſlaus ac ejus ſucceſſores Reges Poloniæ, totumque Regnum Poloniæ, & Magnus Ducatus Lithuaniæ cum Provinciis, Principibuſque ſibi ſubjectis nil hoſtile moliri debeant durantibus iſtis induciis contra Chriſtianam Reginam Regnumque Sueciæ, & ejus Provincias ac Civitates, & nulla claſſe armata uſuri, neque eam aliis quibuſcunque ſubminiſtraturi ſint contra illud Regnum. Atque Ordines Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ fidejuberent, neque ipſummet Regem Vladiſlaum, neque ipſius germanos fratres violaturos eaſdem inducias, & Dux Pruſſiæ atque Curlandiæ, Civitaſque Gedanenſis, præcavere teneantur, ne ex ipſorum portubus ulla claſſis prodeat in damnum Regni Sueciæ. Quod viciſſim Regina & Regnum Sueciæ nil hoſtile terra marique contra Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Lithuaniæ, eiſq; ſubjectas ditiones tentatura ſit, durantibus eiſdem induciis.

Quod Elbingam, Mariæburgum, Dirſaviam, Bransbergam, Pilaviam, omniaque loca occupata in Pruſſia poſt confirmationem horum pactorum Regina Sueciæ reſtituat Regno Poloniæ, & circa reſtitutionem omnis ſuppellex Templorum Catholicorum ac tormenta, omneque inſtrumentum bellicum quod tempore occupationis alicubi fuit, & circa reſtitutionem invenietur, ſimiliter & actorum publicorum Archivia in locis ſuis relinquenda ſint.

In Livonia autem quicquid utraque pars ſub induciis præteritis poſſedit, id ſub iſtis quoque induciis poſſideat.

Quod Rex Poloniæ condonaret omnes offenſas illis qui ſecuti fuerunt partes Sueticas, actioneſque juridiciales contra eos propterea forte inſtitutæ aboleantur. Et Civitas Elbingenſis retineat ſalvas ſuas immunitates, & Privilegia antiqua, (rejectis illis quas forte obtinuit à Guſtavo Rege Sueciæ) ac jus libertatis religionis Evangelicæ, relicto tamen Templo majori ſeu Parochiali pro uſu Religionis Catholicæ; & præſtito jurejurando fidelitatis Regi Regnoque Poloniæ. Si

Si quiſpiam ex Civitatibus, ſeu locis reſtitutis alio migrare, & bona ſua divendere velit, ei ſit liberum triennio durante. A.C.1635.

Exules Sueci in Patriam redire poſſint, à Regina Sueciæ literis ſecuritatis, impetratis. Durantibus iſtis induciis agi debeat de pace perpetua, & ſi ſemel & iterum non ſucceſſerit talis tractatus, nihilominus induciæ eadem integra maneant & ſerventur. Commercia mutua inter Civitates populoſque iſtorum Regnorum ſint libera, ac etiam navigatio Fluvii Dunæ ad portum Rigenſem ſecura præſtetur, tum & vectigalium ibidem exigendorum modus qui fuit ante hoc bellum retineatur.

Pro injuriis circa confinia inter populos iſtorum Regnorum obvenientibus utrinque deligantur Iudices, qui eas dirimant.

Pacta hæc decreto Comitiorum Generalium Regni Poloniæ confirmentur, ac à Rege Vladiſlao, & Chriſtiana Regina, Adminiſtratoribuſque Regni Sueciæ ſubſcribantur, ac eorum exemplaria prototypa cuique partium conſignentur. Actum Stumdorfii, die 12 menſis Septembris, Anno Chriſti 1635.

Atque ita reſtitutionis Livoniæ, ac uſus tituli Regis Sueciæ, ſucceſſioniſque hæreditariæ in Regno Sueciæ negotio ad aliam tractationem ſepoſito, reſtituta Elbinga, lociſque Pruſſiæ in ſtatum priſtinum, coaluit tunc pax inter Polonos & Suecos, ac ad eam publica authoritate comprobandam indixerat Rex Vladiſlaus duarum hebdomadarum Comitia Varſaviæ ad diem vigeſimam primam Novembris iſtius Anni Chriſti 1635. In quibus citra ullam controverſiam pacta hæc cum Suecis Ordines Regni Poloniæ rata habuerunt, ac lege publica firmarunt: viciſſimque Sueci bona fide præſtiterunt quæ pepigerant, & pacificatio hujuſmodi integre ante finem hujus anni fuerat completa. In iſtis Comitiis Archicancellariatum dimiſſum à Iacobo Zadzik facto Epiſcopo Cracovienſe, contulerat Rex Thomæ Zamoyski, ab iſto vero dimiſſum Minorem Cancellariatum Petro Gæmbicki Secretario Majori, qui finitis Comitiis obtinuerat quoque Epiſcoparum Præmiſlienſem, relictum ab Andrea Szoldrski promoto ad Poſnanienſem in locum Henrici Firley tunc defuncti.

Livoniæ reſtitutio ad alios tractatus rejecta.

Pruſſia loca intercepta à Suecis reſtituuntur Polonis.

Poloniæ Ordines approbant factas inducias cum Suecis.

Zamoyſcius renunciatur Archicancellarius Regni.

In iiſdem Comitiis, Rex Vladiſlaus iterum proponi fecerat in Senatu, ut deliberaretur de ſuo matrimonio, quod cum aliqua (non nominabat quam cuperet) ex indigenis Regni iſtius, ſi cum filia Palatini Rheni non ſuccederet, ſe contrahere velle ſignificabat; ſeu quia re ipſa ita ſentiret, ſive quod veriſimilius, ut inter tenaciores æqualitatis mutuæ, ne prærogativa affinitatis Regalis alter præſtaret, metu incuſſo, omnes ad præferendam nativæ externam Palatinam impelleret.

Vladiſlaus Rex conſulit iterum Senatum de ducenda uxore.

Verum collatis ſententiis apparuit æque ab iſta atque ab illa ſtudia Procerum eſſe longe aliena: Palatinæ enim multo plures quam in Comitiis præteritis adverſabantur, & difficiliora impedimenta accumulabant non Religionis (ſpe converſionis non contenti, requirebant ut te prius vera profiteretur Fidem Catholicam Romanam) diverſæ tantum, ſed etiam amicitiarum ſocietatumque transmarinarum, quæ cum vicinis Regnum Poloniæ committere, parum autem in periculis juvare valerent.

Palatini Rheni filiæ adverſantur multi, ne ſit uxor Regis.

Nativæ autem potentiores reclamabant, cum unuſquiſque timet ſeu invidet ne felicitas nuptiarum Regiarum æmulo ſuo obtingat, ejuſque facultates tam ſublimis propinquitatis acceſſione præ cæteris augeantur. Alii tamen indignum cenſebant, ſi tam excelſa Regii thalami decora tantis laboribus, tam copioſo profuſo ſanguine, totque glorioſis victoriis Polonis comparata, excluſis iſtorum natis, tradantur alienigenis, & forte nomini Polono iniquioribus. Ac adducebant in exemplum affinitates ſtirpis Regiæ cum Proceribus Polonis initas, ut cum Elizabetha Pilecia Vincentii Granovii vidua Anni Chriſti 1416, & Sophia Andreæ

Vladiſlao Regi multi ſuadent ut ducat uxorem nativam.

A.C. 1635. Ducis Kijovienſis ex ſorore Vitoudi filia Anni Chriſti 1422, Matrimonium Regis Vladiſlai Iagello, ac aliud Regis Auguſti cum Barbara Radziwiliana, tum & Batoriæ Griſelidæ à Stephano Rege datæ in conjugium Ioanni Samoyski, quæ dempra invidentia genti iſti innata, nullum præjudicium cuipiam, nullumque incommodum Reipublicæ attulerant. Nec ſurdis auribus iſta accipiebantur, niſi Auſtriacis addictiores omnia perturbaſſent; tantum enim illi egerant, quod alienarant prorſus non ſolum à Palatina, ſed etiam à nativa animum Regis ſub Comitiis hiſce, & aſſiduiſſime inſuſurrantes ſecreto nunc has, nunc alias cauſas, à quovis nubendi propoſito eum divertebant, donec ad Auſtriacam (quam eouſque averſari videbatur) ducendam uxorem inclinaret, ut ſuo loco dicetur.

Auſtriacorum fautores conſilia Vladiſlai Regis de ducenda uxore alia quam Auſtriaca turbant.

Nihil autem aliud in iſtis Comitiis evenit ſingularius, præter quod collectæ agrariæ ac fumales pro exolvendis militi ſtipendiis fuerant decretæ. Et hoc expedito Rex cum Aulico ſuo Comitatu redierat in Pruſſiam, receperatque ibi jusjurandum fidelitatis ab Elbinga & aliis Civitatibus à Suecis recuperatis; indeque conceſſerat in Lithuaniam feriaturus ab impenſis profuſioribus, ad quas totum ærarium ſuum exhauſerat, ſucciderat que ejus nervos, ac inſuper debita contraxerat immenſa. Sed ut ad externa tranſeamus.

Vladiſlaus Rex recipit Elbingam.

In Germania à pugna Nordlingenſi magna rerum viciſſitudo eſt ſubſecuta, pleræque enim Civitates illa clade prorſus obrutas deſperataſque eſſe Fœderatorum vires exiſtimantes, eos paſſim deſerebant. Bellica quoque fortuna Cæſarianos propitia concomitabatur, & quoquo ſe vertebant, pæne ubique victoriam reportabant. Auguſtam Vindelicorum longa obſidione ad extremam commeatus inopiam redactam, ſub finem Martii iſtius Anni recuperarunt, data ſecuritate præſidio Suetico, quod mille ducentis viris conſtabat, abeundi Norimbergam. Capta autem Civitate, Magiſtratus Auguſto Lutheranus in cuſtodiis fuit detentus, donec nonaginta millia nummorum argenteorum Imperialem mulctæ loco perſolvit. Tormenta quoque egregii operis duodecim, quæ Monachio Rex Suecus abduxerat, iterum Monachium Dux Bavariæ reduci fecit. Nec multo poſt Coburgum Domus Saxonicæ munitiſſimum Oppidum ad deditionem coëgerunt. Dolus quoque ipſis ſatis favit, nam initio ejuſdem Anni Philippi caſtrum, quod Galli à Suecis per pactionem acceptum male cuſtodiebant, Gaſpar Bambergerus Tribunus militum Cæſareus, immiſſis in habitu ruſticano intro quinquaginta ſelectioribus ex ſuis militibus, & ſigno ab eis accepto, nocte intempeſta vallo foſſiſque ſuperatis invaſit, præſidiarios Galloſque partim trucidari, partim captivos Heilbronam conduci fecit.

Ferd. II Imper. recuperat Germaniam à pugna Nerdlingenſi.

Auguſta Vindelicorum redit ad obſequium Imper.

Auguſtæ Magiſtratus Lutheranus pœnas luit.

Coburgam recuperant Cæſariani.

Philippi caſtrum recuperant aſtu.

Et mox Spiram ad obſequium Cæſaris revocavit: licet iſtam Galli & Sueci conjuncta manu, obſidione quindecim dierum acri, iterum tunc recuperarant, eamque pulſis Cæſarianis, proprio præſidio munierant. Simili aſtu, licet ex cauſa longe diverſa, Hiſpani ex præſidiis Lucemburgenſibus collectis tribus millibus militum veteranorum, eiſque à Theonville ſecundi aquis Moſellæ Treverim nocte ſub finem menſis Martii hujus Anni devectis, Civitatis illius nil hoſtile expectantis inde, (nempe à Catholicis & potius ad defenſionem ipſius, ex pacto veteri Ducum Lucemburgenſium obligatis) portas ex oſtris ſive machina pyrobolari Petarda vulgo dicta effregerunt, Civitatemque in ſuam poteſtatem redegerunt, cæſis prope ducentis præſidiariis, quos ex Gallis ille Elector conſcripſerat; quin & ipſummet Electorem captivum fecerunt, abduxeruntque Bruxellas; demumque ad Imperatorem ad diuturniorem detentionem amandarunt ſub cuſtodiis, oneratum ſuſpicionibus quaſi Gallis conſentiret; cum tamen ille Gallicum præſidium acceſſierit nonniſi contra vim

Spiram iterum capiunt Galli.

Treverem Elector captus ab Hiſpanis.

Sueco-

Succorum, quam ſub præſidiis Hiſpanicis ſeu Cæſareis (ut evenit aliis Epiſcopis locisque Germaniæ, præſertim Moguntino, & Philippi caſtro) evitare nequiviſſet. Adeo non licuit tunc uti provido conſilio, ut quis ſalvaret ſe in illa rempeſtare ab hoſte externo, niſi ab amicis majori calamitate obrui voluiſſet. Cæterum in tanto armorum ſtrepitu, tractationis quoque pacis mentio audiebatur, qua nihil optabilius nihilque convenientius ad reſtituendam tranquillitatem totius Germaniæ obveniſſet, ſi ea legitime, & uti univerſos belli illius ſocios concernebat, ita cum univerſis inſtituta, æquabilique controverſiarum mutuarum moderatione ponderata fuiſſet. Sed magis libuit uti compendio, & omiſſis omnibus aliis, tractare pacem tantum cum Electore Saxoniæ, cujus ſolius potentia rationibus Domus Auſtriacæ, magis obſiſtere, & ejus authoritate reliqui omnes ad pacifica conſilia flecti, aut armis conjunctis compelli, ſeu etiam contemni poſſe videbantur. A.C. 1635. *Pax Germaniæ tractatur cum Electore Saxoniæ.*

Convenerant itaque primum Lutomeritii ac Pirnæ, deinde initio iſtius Anni 1635, Pragæ Delegati Cæſarei & Saxonici, ac poſt multimodas diſceptationes, randem die 30 Maii ejuſdem Anni conſcripſerunt conditiones pacis Germaniæ, ſeu verius quoddam fœdus Imperatoris cum Electore Saxoniæ, qui tali conditione paciſcebatur pro reliquis Germaniæ Ordinibus, ſi eidem fœderi ſubſcriberent, ut apparet expreſſum in ejus exemplari Typis Germanica lingua divulgaro: cujus articulorum ſingulariorum ſenſum genuinum ſummatim brevitati conſulendo, & quod non habetur ratum, nec ſit duraturum hic referre ſufficiet, ut ſequitur:

Eccleſias ſeu bona Eccleſiarum Catholicarum mediatarum, ut vocantur, (ſupra alio loco diximus mediatas Eccleſias dici, quæ ſub ditione alicujus ſingularis Domini exiſtentes, demum hoc intermedio pertinent ad Imperium, immediatas vero quæ directe ſine jure Patroni aut patrocinio alicujus ſingularis Principis ſeu Dominatus, Imperatori & Imperio ſubſunt) *quæ Diſſidentes in Religione ante concordiam Paſſavienſem A. C.* 1552, *occuparunt, eadem uti poſſident, ita poſſiderent virtute illius concordiæ, quæ de talibus ſolummodo Eccleſiis & bonis eſt intelligenda.* *Pacis Pragæ concluſæ conditiones.*

Eccleſiæ vero ſeu bona Eccleſiarum immediatarum, quæ ſive ante ſive poſt Paſſavienſem illam concordiam, & etiam mediata, quæ poſt eandem concordiam uſurparunt Diſſidentes, eadem uti poſſederunt ad diem 12 *Novembris, Anno Chriſti* 1627, *ita præſentis pacis vigore ad annos ſubſequentes quadraginta poſſiderent iidem Diſſidentes, & interim à* 12 *Novembris prædicta, ſi quid ex hujuſmodi bonis fuerit per Catholicos ablatum, ipſis reſtituatur, exceptis illis bonis, pro quibus ante eandem* 12 *Novembris* 1627, *lis mota, & in Iudicio Cameræ Imperialis Spiræ introducta fuiſſet. Similiter & Catholici quæ ad* 12 *Novembris* 1627, *habuerunt, quiete retineant, & ſi quid ablatum eis fuerit, integre reſtituatur.*

Politicus ſtatus etiam Electionum, poſtulationum, menſium Papalium, in eiſdem Eccleſiis ſeu bonis, idem qui fuit ad 12 *Novembris* 1627, *utrinque ſervetur, & uſus ſeſſionis ac dandi ſententiam, ratione earundem Eccleſiarum, in Conventibus Provincialibus continuetur.*

In Conventibus vero Imperialibus hæc ſeſſio interim intermittatur.

Vſus Religionis utrinque liber ſit, & ſi Catholicis in uſu Religionis Catholicæ ſeu bonorum, aut viceverſa Diſſidentibus aliquid præjudicii fieret, id via communi apud judicium Imperatoris Aulicum, vel in Camera Imperiali Spirenſi jure vindicetur.

Durantibus iſtis quadraginta annis, priuſquam elabatur decennium, inſtituatur per Delegatos utrinq; tractatus de pace univerſali ac perpetua, ſtatuque earundem Eccleſiarum; quæ ſi perfici non poterit, tota controverſia hæc remaneat in eo gradu, in quo fuit ad 12 *Novem.* 1627, *cum integro Imperatoris jure moderandi eandem controverſiam.*

A.C.1635. *Magdeburgenſem Archidiœceſim Auguſtus Electoris Saxoniæ filius teneat, & Chriſtiano Vilhelmo Marchioni Brandeburgico annua duodecim millia nummorum argenteorum Imperialium dum vivit ſolvat.*

Quatuor Præfecturas ejuſdem Archidiœceſis Querfurtum, Guttherboth, Dama, & Borcha, jure fiduciæ ſeu feudi Elector Saxoniæ perpetuo poſſideat.

Leopoldus Vilhelmus Archid. filius Imperatoris Epiſcopatum Alberſtadenſem teneat.

Donavardam Dux Bavariæ liberam Imperio relinquat, quando ipſi impenſæ bellicæ reſtituentur.

Civitates Imperii quæ interim cum Imperatore ſeu ejus Ducibus belli, pacta aliqua inierint, eiſdem gaudeant, alioquin pacis iſtius beneficio utantur. Sed Boëmiæ Regnum uti & aliæ hæreditariæ ditiones Domus Auſtriacæ ab ea excluſæ cenſeantur. Sileſia tamen peculiare reſponſum ab Imperatore ſuper hoc dabitur, & Luſatia in pactis ſeorſim ab Imperatore cum Electore Saxoniæ factis, contineatur.

De reformanda Camera Imperiali ejuſq; viſitationibus, Reviſionibus, & inſtituendis in ea aſſeſſoribus Catholicis & Religionis Diſſidentium perſonis in pari numero, (inter multa verba hoc unicum concluditur) *in Conventu generali utriuſq; ſtatus Germaniæ agetur, interim ſervetur norma eadem Iudicia Cameræ Imperialis exercendi uſitata.*

Similiter & de Iudicii Aulici Imperatoris poteſtate circumſcribenda in Comitiis generalibus agetur: Interim procuratores & Agentes Principum in Aula Imperatoris degentes ratione diverſæ ſuæ Religionis nulla moleſtia afficiantur, nec ullam cauſam introductam in Iudicio Cameræ Imp. ad ſuum Iudicium Aulicum advocabit Imperator.

Iudicium Imperatoris de damnatione abdicationeque Friderici Palatini Rheni, & translatione ejus Electoratus ad lineam Vilhelmianam Ducis Bavariæ, ratum firmumque ſit; viduæ tamen ejuſdem Frederici dos, de qua conſtabit reſtituetur, & filiis ipſius ſi humiliter deprecati fuerint Imperatorem, pro alimentis aliqua portio ditionis Palatinalis concedetur.

Principum Brunſvicenſium & Luneburgenſium hæredes, Iulii Tillii ſucceſſoribus, quadraginta millia nummorum argenteorum ſeu talerorum Imper. intra octo annos ſolvant, itaque ita ſi iſti paci ſubſcripſerint, Volfenbutela & Nienberga ipſis reſtituatur.

Duci Megapolitano ſi eandem pacem approbaverit ignoſcit Imperator, eumque in priſtinum ſtatum ſuum reſtituet.

Elector Brandeburgicus ſi hanc pacem ratam habuerit, Pomeraniam jure fiduciario obtinebit.

Pacta iſta nil derogare debeant aliis pactis cum Rege Daniæ ab Imper. nuper initis.

Reſtituantur omnia Oppida, Arces, loca per fœderatos Auguſtanæ confeſſionis huic paci aſſentientes, perſonis Imperialium partium ad adventum in Germaniam Guſtavi Sueci Regis ablata, etiam Duci Lotharyngiæ, citra compenſationem tamen fructuum perceptorum & damnorum illatorum. Et ſi qua loca in manibus Regis Galliæ vel Suecorum adhuc fuerint, ad ea recuperanda, ſuiſque Dominis legitimis reſtituenda, omnes qui hac pace gaudere voluerint, ſuas vires & auxilia conferre tenebuntur. Viceverſa quæcunque per Duces perſonaſque partium Imperatoris ablata fuerint fœderatis, eiſdem reſtituantur.

Bonorum tamen Eccleſiaſticorum reſtitutio alteri articulo iſtius pacis ſupra poſito, diſpoſitioni relinquatur.

Philippi Caſtrum remaneat in poteſtate Imperatoris pro uſu Imperii.

Captivi utrinque partium quæ huic paci ſubſcripſerint, intra unum Menſem liberi dimittantur.

Omnibus qui hanc pacem receperint, intra decem ab ejus publicatione dies quarumcunque offenſarum præteritarum conceditur Amneſtia. A qua tamen res Palatina & Boemica ſint excluſa, ac quadam perſona in ſecretioribus literis Imperatoris Electori Saxoniæ nominata. *Vt*

Vt pax iſta perficiatur & conſervetur, Imperator retinebit exercitum, & Elector Saxoniæ, ac omnes alii Principes ſuas copias tenebuntur iſti exercitui conjungere ut ſit unus exercitus, qui vocetur exercitus Imperatoris & Imperii Romani, cujus tamen pars committetur curæ Electoris Saxoniæ, reliquo autem præerit filius Imperatoris Rex Vngariæ: convertendus autem erit contra eos, qui huic paci contradicere, vel ablata ſuis Dominis reſtituere, novaſque turbas in Imperio ciere voluerint. A.C.1635.

Exercitus iſtius Præfecti & perſonæ omnes ultra conſuetum Sacramentum militare, ſingulare jusjurandum fidelitatis præſtare Imperatori tenebuntur.

Militares leges ſecundum conſuetudinem Imperii conſcribentur, ut obſervetur diſciplina militaris, & in collectis, hoſpitiis, hyberniſque diſtribuendis ſervetur æqualitatis ratio, ad quod invigilabunt Delegati ab Imperatore dandi.

Imperator indicet Comitia Generalia, in quibus ſingula quæ concernunt rectam adminiſtrationem belli providebuntur: Et in poſterum nullus Regnicolarum collectas pro militaribus ſtipendiis tribuere tenebitur, niſi quæ fuerint communi omnium Ordinum Imperii conceſſu conceſſæ.

Poſt concluſionem & publicationem iſtius pacis omnia fœdera, ſocietates, earumque jusjurandum ſint abolita. Et Imperator cum vicinis Dynaſtis, qui nil hoſtile contra Imperium tentarunt, pacem & amicitiam colet, ac ſingulos Principes & ſtatus Germaniæ amore & benevolentia complectetur. Omneſque tam Catholici quam Diſſidentes in Religione tenebuntur hanc pacem ſervare, & Imparatorem in ea manutenenda juvare; alioquin ſi quis eidem paci contradicere, & ad eam impugnandam arma ſumere præſumpſerit, ſeu à ſuo incœpto deſiſtere noluerit monitus, ſevere juxta Conſtitutiones Imperii puniatur.

Aliorum negotiorum dubiorum quæ hic non ſunt definita, petatur declaratio ex Conſtitutionibus & conſuetudinibus Imperii, quæ ſi præſenti paci contrariæ fuerint in aliquo puncto, ei tamen neque per modum declarationis aut exceptionis limitationiſve, neque alia quacunque ratione obſtare debent.

Ad extremum tam Imperator quam Elector Saxoniæ præcavebunt, ne ulla cum quopiam ſimiles concordiæ in poſterum tractentur, niſi in Comitiis Imperii, quod vero hæc facta ſit, urgens extorſit neceſſitas. Iſtius pacis unum exemplar Imperatori, alterum Electori Moguntino, tertium Electori Saxoniæ dabitur. Actum Pragæ, die 30 *Maii, Anno Chriſti* 1635.

Aliorum ſingulatium Imperatoris ſeu Domus Auſtriacæ cum Electore Saxoniæ pactorum tunc conventorum in præmiſſis fit mentio, & in eis perhibetur fuiſſe ſtabilita Electio Regis Romanorum filii Imperatoris, ac adoptio iſtarum familiarum ad mutuam in hæreditatibus ſuis ſucceſſionem: ſed quicquid ſit de iſtis, haud dubie ibi non deſunt arctiora vincula, quibus Auſtriacæ Domui Elector Saxoniæ cum ſua proſapia perpetuo obligatur.

Pacis conditiones peculiares Saxoniæ Electoris.

Iſta autem pacificatio Pragenſis, magis concitavit incendium in Germania bellicum quam reſtrinxit: exhorruerunt enim omnes ad tantam novitatem, quod contra morem receptum patrium, ſine Comitiis Generalibus, vel aliquo Conventu Germaniæ Ordinum legitimo, unus ſolus Elector Saxoniæ pro omnibus talia præſumpſerit, in quibus cumprimis beneficium Paſſavienſis concordiæ ejus interpretatione Diſſidentibus in Religione prorſus adimitur, & nonniſi breves annorum quadraginta induciæ conceduntur: Imperatori ſtabilitur poteſtas Monarchica uſurpata in abdicando Friderico Palatino, & transferendo ejus Electoratu ad Duces Bavariæ, cauſa ejus non cognita, nec ſervata ulla judicii norma in Conſtitutionibus Imperialibus ad hoc præſcripta; ac in mancipanda libera Boëmia contra omne fas in jus ſuum hæreditarium: plurimi innoxii bonis ſuis ſpoliati, ab omni reſtitutionis & Amneſtiæ ſpe excluduntur, ac in deſperationem adducuntur; Dynaſtis

Pax Pragenſis magis concitavit diffidentiam Germanorum.

Pax Pragenſis dat breves inducias Fœderatis & Imperatori perpetuam Monarchiam.

naſtis

A. C. 1635. naſtis nominis magni externis, qui toties pro componendis hiſce Germaniæ motibus, authoritatem ſuam graviſſime interpoſuerunt, opes ſuas ingentes, vitam vireſque exercituum immenſorum pro conſervanda libertate Germaniæ avita invitati, ſuppliciterque (etiam ab ipſomet Electore Saxoniæ) exorati expoſuerunt, bellum indicitur, milites conſcribuntur, armantur; tributa pro eorum ſtipendiis imperantur, hoſpitia, hyberna aſſignatur, ut ibi non tam pax dari, quam claſſicum longe graviores belli cani videatur. Conſuli poteſt de his *Iuſtus Aſterius in ſuo libro de hac pace Pariſiis Typis impreſſo.* Sed tamen pleræque Civitates Imperiales hujuſmodi pacificationem Pragenſem ſuſceperunt, ſufficere ſibi ratæ, ſi ejus præſidio à præſenti calamitate ſervarentur, nepotibus autem integram relinquerent curam propugnandarum ſuarum immunitatum, ſi poſt quadraginta induciarum annos majori neceſſitate urgebuntur. Ac tanto plures ad obſequium Cæſaris redibant, cum filius Imperatoris Rex Vngariæ cum fortiori exercitu ex Vngaris & Croatis aucto, in Germaniam veniret: Norimberga ſtatim duos ex ſuo Senatu obviam ipſi miſit ſubjectionem offerendo, ac pacem illam Pragenſem recipiendo.

Ferd. III, Rex Vngariæ in Germaniam vadit cum exercitu novo.

Norimberga reconciliatur Cæſari.

Vlma redit ad obſequium Cæſaris.

Vormatia ejicit Sueticum præſidium.

Francofurtum ad Mænum ejicit præſidium Sueticum.

Simili ratione & Vlma miſſis ſuis Nuntiis ad eundem Regem Vngariæ, reconciliationem obtinuit, ac Bernardi Ducis Vinmarienſis præſidium, quod euſque excurſionibus ex ea Civitate ſuis multum negotii Cæſarianis faceſſebat, dimiſit. Eadem pace illectæ aliæ quoque Civitates, quæ diligentius cuſtodiebantur à præſidiis Sueticis, in iſtis ejiciendis plurimum Cæſarianos Duces juverunt. Vormatia ad adventum Comitis Matthiæ Galaſſii cum copiis, tumultuari cœpit contra præſidiarios ſuos Sueticos, eoſque coëgit, ut accepta ſecuritate abeundi reliquerint initio Iulii illam Civitatem liberam Imperialium poteſtati. Francofurtenſes ad Mænum acceptis literis Electoris Saxoniæ invitantis ad amplectendam illam pacem, ſtatim effecerunt, ut Ioannes Vicethumius Præfectus præſidii illius loci Suetici, exceſſerit è Civitate: & licet iſte mutato conſilio Suburbium in adverſa Mæni ripa Saxenhuſium dictum occuparit, & excitatis propugnaculis munierit, tamen ipſi acceerſitis cum Vilhelmo Lamboio auxiliis Cæſarianis, eum fortiter diuturna licet oppugnatione ab ultimis diebus Iulii ad vigeſimam Auguſti protracta, inde quoque exturbarunt.

Peſtis ingens in Germania etiam Aulam Vngariæ Regis turbat.

Bavariæ Dux Elector ducit uxorem filiam Imper.

Tabernas Alſatiæ recuperant Cæſariani.

Franchentalium recuperant Cæſariani.

Moguntiam obſidione longa edomant Cæſariani.

Cæterum Regis Vngariæ caſtra quæ circa Heilbronam collocata hærebant, peſtis contagioſa multum turbavit, ut primarii militares Præfecti & Aulici, etiam familiariores Regis in diverſa loca, ne tanto plures lues illa corriperet, dimitti dividique debuerint. Vnde ille Rex nulla alia re præclare ibi geſta, menſe Octobre redierat cum pauco Comitatu Viennam: ubi interim quindecima Iulii, deſponſari fecerat Imperator Ferdinandus filiam ſuam natu majorem Mariam Maximiliano Bavariæ Electori & Duci, ac totum eum menſem in apparandis nuptialibus epulis, ludis, venationibus, ſpectaculis inſumpſit. Duces vero ejus bellici alii Tabernas in Alſatia & Franchentalium in Palatinatu recuperarunt, alii Sueticos præſidiarios circa Moguntiam ita conſtrinxerunt, ut propugnaculum denominatum Guſtavianum, quod apud confluentem Mænum & Rhenum Guſtavus Rex extruxerat, deſeruerint, & Moguntiam ipſam poſt longam obſidionem, quam Bernardus Dux Vinmarienſis ſubminiſtrato ſæpius obſeſſis commeatu ac auxiliis, multum diſtinuerat, ſub finem menſis Decembris iſtius Anni ad deditionem coëgerant. Iſtis vero Regionibus ab hoſte liberatis, Cæſariani in Veſtphaliam & Saxoniam diffuſi, ibi quoque ex multis locis & ex Monaſterienſi Epiſcopatu præſidia hoſtilia ejecerunt. Ab alia parte Hiſpani ut Gallicas vires diſtraherent, claſſem potentem in mari Tyrrheno inſtruxerant, cum qua Marchio Sancrucius Neapoli ſolvens, primo & iterum naufragium paſſus, quinque millia militum, & ſeptem triremes amiſerat, reliquaſq; laceras Neapolim reduxerat: ſed tertio repetito curſu, felici-

A.C. 1635.

Sancrucius cum claſſe Hiſpanica invadit inſulas Marſiliæ.

Pacis Hiſpaniæ cum Gallis ruptæ initia.

Valentiam obſident Galli.

feliciter pervenit ad Inſulas S. Margaritæ & S. Honorati, Marſiliæ vicinas Galliſque ad ram inſperatam incurſionem minus præparatis inde ejectis, eas propriis præſidiis munivit, ac principium fecit rumpendi vetuſti fœderis quo Hiſpaniæ & Galliæ Regna colligata ab invadendis ſuis confiniis invicem abſtinebant, licet interdum pro ſociis, (immo ut hoc liceret utrique parti caurum erat expreſſe in tractatu pacis Vervinſi Anno Chriſti 1598,) mutuas armorum æmulationes bellaque contentioſa duxerint. Quale ſub hoc tempus fervebat quoque in Itali, ubi Sabaudiæ Dux cum Parmenſi Duce conjunctis armis, Galliciſque auxiliis accerſitis, Hiſpanos ex Mediolanenſi Ducatu territoria ſua militum hoſpitiis divexantes ut reprimerent, Valentiam obſederant: demum tamen per diuturnos ſanguinolentoſque conflictus, ſub finem Septembris à Marchione Celada, Carolo Columna, & Philippo Spinola Hiſpanicis Ducibus ſuperati, eam obſidionem irrito eventu deſeruerunt.

Annus Chriſti, 1636.

Hermenſteinum deditur Electori Colonienſi.

Magdeburgum deditur Electori Saxoniæ.

Germania tota pene redit ad obſequium Cæſaris.

Galli profligant Coloredum & capiunt.

Eadem felicitate Marteque propitio uſæ ſunt partes Imperatoris conſequenti Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, Trigeſimo Sexto, licet enim Fœderati tota hac hyeme inſtauratis aliquantum ſuis viribus, multum negotii in pleriſque locis faceſſerint Cæſarianis, tamen iſti poſt brevem colluctationem, plerumque victoriam obtinebant, & facta comparatione ſuperiores erant. Confluentiam menſe Aprili Galliæ præſidiarii, videntes ſe undique circumdari, & ab auxiliis excludi, ſponte deſeruerunt: & Hermenſtenii obſidione Cæſarianorum coanguſtati, diutius quidem fortiter reſtiterunt, ſed tandem eum quoque locum non multo poſt coacti ſunt tradere in manus Electoris Colonienſis, cum pacto ut eum Electori Treverenſi reſtitueret. Elector Saxoniæ Magdeburgam poſt longam obſidionem & acerrimam oppugnationem, tandem menſe Iulio deditione obtinuit, & inde conjunctæ cum Cæſarianis ejus copiæ in Marchiam Brandeburgenſem, ac in Pomeraniam inferiorem tranſeuntes, Havelberga, Gartzio, Ratenavia, Brandeburgo veteri, Stargardia, pluribuſque munitioribus oppidis illarum Provinciarum hoſtilia præſidia exturbarunt, totaque Germania in Cæſaris poteſtatem redacta fuit, præter Alſatiam ubi Mariſchallus *della Forze* cum Gallico exercitu menſe Martio Coloredum Tribunum Cæſareum circa Rauonam prælio acri commiſſo profligarat, ipſum Coloredum cum quadraginta Ductoribus Ordinum, & duodecim militaribus ſignis cepit, reliquamque multitudinem partim internecione delevit, partim diſſipavit.

Tabernas Alſatiæ iterum capit Dux Vinmarienſis.

Hiſpani ex Flandria bellum Gallis denuntiant.

Nec multo poſt Bernardus Dux Vinmarienſis Tabernas Alſatiæ, quas nuper Cæſariani recuperarant, iterum obſidione cinxit, & oppugnatione vehementi diutius continuata, menſe Iulio ad deditionem coëgit, & deinde Blamontum, ac Rambervillam inſignia in finibus Burgundiæ & Lotharyngiæ oppida vi cepit. Quæ tamen jactura levior fuiſſet, & facile compenſari potuiſſet, poſtquam ex viſceribus Germaniæ hoſtis expulſus, in extremis tantum ejus confiniis ægte ſubſiſtebat, dummodo victoria illa (natura ſemper iſta eſt inſolens) ad componendam aliquam pacem honeſtam, & non ad ferenda concitandaque nova bella uti placuiſſet. Sed ſtatim Adminiſtrator Belgii Princeps Hiſpaniarum Cardinalis denuntiarat bellum Regi Galliæ per Heroldum ſuum, publicarique fecit initio Iulii hujus Anni 1636, Bruxellis edictum tali ſenſu:

Etſi Galliarum Rex contra jus & æquitatem in Imperii Romani hinc inde ditionibus ac propriis Catholicæ Hiſpaniarum Majeſtatis Provinciis exitioſa valde bella monuiſſet,

A.C. 1636.

ac pertinaciter etiam nunc continuaſſet, hoſtibuſq́; tam Cæſareæ quam Regiæ Hiſpaniarum Majeſtatem & ſubditis rebellibus ſuppetias veniſſet, necnon Suecica agmina in Imperium allexiſſet, quorum robore munitas aliquot Alſatiæ Vrbes partim pretio redemiſſet, partim etiam vi expugnaſſet, & præſidia ſua diverſis aliquot Oppidis in hæreditariis regionibus Sereniſſimæ Archiducalis Domus Auſtriæ, nullo reſpectu habito Ligæ Catholicæ, quippe quæ ſolum pro aris & focis arma corripuerat, vi adhibita impoſuiſſet; ac propterea in fœdifragorum hujuſmodi attentatorum averſionem urgentes cauſæ fuiſſent, cur bellum tunc Regi Galliæ denuntiari publicè potuiſſet, tamen ne innocentium forte ſanguis profunderetur, ſedulo intermiſſum eſſe. Verum cum in propatulo ſit, Regem denuo hoſtilitates ſerere, miſſiſq́; ſuis exercitibus late omnia depopulantibus Belgii Catholici Provinciis, Mediolanenſi Ducatui, Feudis Imperialibus in Italia, ut & hodie Burgundiæ Comitatui violatis directè Neutralitatis legibus, contra publicam & interpoſitam fidem expreſſamq́; Principis Condæi promiſſionem ruinam machinari; ac exinde à parte Catholicorum haud difficulter colligatur, maximam eam diſſimulationem, & nutritam in dies tot tantarumq́; injuriarum patientiam, aliud non promovere, niſi quod per hæc ipſa furori Gallorum Confœderatorumq́; ſtimulus addatur, proinde ex ſpeciali ad hoc mandato Cæſareo conventum eſſe utriuſq́; Majeſtatis exercitus erectis ſignis in Galliam expedire, eo fine, ut Regi tolerabiles ſecuræ pacis ſuſcipiendæ conditiones perſuadeantur, ejuſq́; obſtacula tempeſtivius removeantur, tum & in teſtificationem quantum utraq́; Majeſtas petitionem ſibi à Regina Chriſtianiſſimi Regis matre factam curaret. Notum igitur fieri publicis his literis, patrocinium ſimul & defenſionem promitti omnibus Galliæ Regni incolis, qui vel per ſeipſos, vel per ſuos negotium hoc ad executionem perduci voluerint: necnon ordinari, ut cum Nobilibus & Equitibus velut & Civitatibus, manicipiiſque, quibus hoc arriſerit, certa neutralitas ac fœdus percutiatur, quatenus omne ſubſidium, ac ſuppetias denegaverint, iis quibus publica Chriſtiani Orbis ac hominum ſalus minime cordi eſt. Concluſum inſuper eſſe, arma citius non deponenda fore, niſi Regina Chriſtianiſſimi Regis mater placata prius, rejectiq́; ob indignas cauſas Principes ac Proceres è ditionibus ſuis reſtituti fuerint, necnon indubitata pacis ſtabiliendæ indicia ac ſigna, quæ tamen majori cautione nitantur, quam ab iis qui tranſacta Ratisbonenſia ac alibi pacta irruperunt, proficiſci poteſt, affulſerint. Præterea hac ipſa expeditione aliud non queri, niſi ut (Deo eventum ſecundante) Religio Romana Catholica conſervetur & dilatetur, pax aurea Europæ reſtituatur, indigne oppreſſi liberentur, efficiaturq́; quo quilibet ad ſtatum felicitatis ac tranquillitatis priorem redeat.

Auſtriaca Domus bellum Gallis denuntiat.

Polonos Coſacos Imper. conducit & immittit in Galliam.

Poloni à parte Imper. circa Verdunum hoſtiliter graſſantur.

Poloni revocantur ex ſervitio Imper.

Simile edictum denuntiationis belli Galliæ Regi promulgari fecerat Briſaci 6. Idus Septembris ejuſdem anni Chriſti 1636. Ferdinandus III Rex Vngariæ nomine Imperatoris & Domus Auſtriacæ. Iamque ad hoc Imperator accito ex Polonia equitatu levioris armaturæ ſex millium, poſt pacem in Pruſſia cum Suecis concluſam exauthoratorum, cum Duce Paulo Noskowski Præfecto Łomzenſi, ac Ioanne Gromadzki, eos ad incurſiones in Gallia faciendas expediverat: Qui velociori curſu (ut omnem Nuntium de ſe prævenerint) in Picardiam delati, circa Monſtruelam in obvia quæque internecionibus, flammis, prædiſque agendis ſævierunt, & circa Verdunum vigeſima Maji Comitis Soiſſonii Legionem obviam ſibi factam profligarunt. Sub finem tamen ejuſdem menſis maturarant reditum in Poloniam, eo quod ſtipendia promiſſa ab Imperatore ipſis non ſolverentur, & quia ſevioribus comminationibus revocabantur à Proceribus Poloniæ, qui talem ipſorum expeditionem contra Gallos Regno Poloniæ veteri amicitiæ vinculo conjunctos, temere ſuſceptam ſeverius improbabant.

Hiſpani ex Belgio excurrunt in Galliam.

Ab alia vero parte Adminiſtrator Belgii poſt illam denuntiationem belli Galliæ Regi factam, expedierat in territoria Gallica ſuos exercitus, qui ibi Ciapellam, Corbium, Caſtelletum parvo negotio, incuſſo metu præſidiis Gallicis ad tam inopinatam

A.C. 1636.

Hiſpani Belgici capiunt multa oppida in Picardia.

Galli obſident Dolam in Burgundia Comitatu.

natam impreſſionem minus paratis occuparunt: ac Dorlantium licet irrito eventu, oppugnarant. Galli quoq; in Burgundiam Auſtriacis ſubditam irruerunt, & Dolam ejus Provinciæ Metropolim Duce Condeo Principe obſederant, oppugnaruntque diutius, donec à Carolo Lotharyngiæ Duce cum Hiſpanicis ſubſidiis adveniente ſunt repulſi. Atque ita bello Germanico, quod præſtabat finiti prius, & poſt tantas victorias facile ſopiri poterat, aliud bellum importuna illa denuntiatione eſt additum, tantò difficilius & crudelius, quod Galli, qui eouſque pro defendendis juvandiſque ſuis ſociis auxilia nonnunquam languida ſubminiſtrabant, exinde proprium defenſivum bellum gerere coacti, omnes ſuas ad illud vires exercuerunt, majorique contentione pro ſuis injutiis finibuſque vindicandis certarunt, ut ſubſequentia tempora docebunt.

Comitia Germaniæ indicit Imper. Ratisbonæ.

Comitiorum Ratisb. deliberationes.

Imperator vero interim felicioribus illis armorum ſuorum ſucceſſibus uti maluit ad levandum animum ſuum cura, qua maxime ſolicitabatur de filio ſuo Ferdinando Vngariæ Rege ad Imperialem dignitatem inaugurando; ac indixerat propterea Comitia Ordinibus Germaniæ Ratisbonæ, quo medio menſe Auguſto ipſemet venerat, expectavitq; tantiſper donec eodem venerant Electores quoque Moguntinus & Colonienſis ac Bavaricus: Saxoniæ autem & Brandeburgi Legati tantum comparaverant. Quibus præſentibus medio menſe Septembre propoſita fuerunt capita deliberationum Comitialium: Præcipuum de eligendo Rege Romanorum, & de perficienda Germaniæ pace: hæcq; in ſeſſionibus publicis tractabantur, ſed remiſſæ nimium, & nemo audebat palam contradicere Imperatoris voluntati, cum appareret Electores Catholicos ad omnia ipſi connivere. Elector vero Saxoniæ iſta omnia condixerat circa tractationem pacis Pragenſis, ex ejuſque conditionibus jam Lnſatiam quoque ab Imperatore ſolenni ritu menſe Aprili ſibi traditam receperat: Ac Elector Brandeburgi magis proſpiciebat ſecuritati ſucceſſionis ſuæ hæreditariæ in Provincia Pometaniæ, cujus Dux Boguſlaus (ultimus ex proſapia Regum Poloniæ) decrepitus, morbo lethali tunc decumbebat, & paulo poſt menſe Martio obierat: ne nimirum in ea adeunda præpediretur, ſi forte contradictione ſua offendiſſet apud Imperatorem. Muſſitabant tamen plerique; ac querebantur taciti, quod præter morem antiquum, non in pleno Electorum numero, juxta præſcriptum Bullæ Aureæ, immo quaſi ſtudioſe excluſo, ac ſub cuſtodiis retento, priuſque damnato quam judicato Electore Treverenſi, eligeretur Rex Romanorum, apparebantque exempla vetera, in quibus præſertim Regis Romanorum (in Imperatoris Electione ſufficit quod major pars Electorum conſentiat) ſpreto quod unus aliquis Elector abſuiſſet ſeu diſſenſiſſet, Electio facta irrita habebatur; præſertim Contadi III inaugaratio Anno Chriſti 1139, Confluentiæ inconſultis omnibus Principibus celebrata, & propterea impugnata: & Philippi Sueci, qui Electus Rex Romanorum à ſuis fautoribus, abſentibus & contemptis aliis Electorale jus habentibus, abdicatus fuit ea dignitate Anno Chriſti 1198, ab Innocentio III Papa Rom. Tum & Maximiliani I ad cujus Electionem Anno Chriſti 1486, inſtitutam cum Vladiſlaus Rex Boëmiæ non fuiſſet vocatus, eam tamdiu oppugnavit, donec placatus cautione Comitiorum Anno Chriſti 1489, Francofurti celebratorum, eam ratam habuit: Ac etiam Ferdinandi I Regis Romanorum, Anno Chriſti 1531, Coloniæ renuntiati abſente Ioanne Friderico Electore Saxoniæ, qui eum ob hanc cauſam diutius pro Rege Romanorum agnoſcere noluit, donec Anno Chriſti 1544, in Comitiis Spiræ allectus ſpe ſucceſſionis in Ducatu Cliven. ſibi tunc à Carolo V Imp. ſtabilitæ, illam renuntiationem Regis Romanorum confirmarat. Hocque præcavendo à principio Comitiorum voluerat Imperator, ut Elector ille Treverenſis judicaretur & exauthoraretur, quo alius ipſi interim ſufficeretur, adeſſeq; poſſet Electioni Regis Romanorum in eiſdem Comitiis. Verum Electores tam difficilem

Boguſlaus Dux Pomeraniæ moritur.

Treverenſe Electore carcerato Electio Regis Rom. dubia.

A.C. 1636. difficilem Cenſoriam poteſtatem aſſumere recuſabant; præſertim contra Electorem Eccleſiaſticum, cujus perſonam primum apud Summum Pontificem Romanum accuſari,ejuſque mandato capi judicarique decuiſſet.Nec ſatis juſta ipſius abdicationis Electoratu cauſa eſſe videbatur ea,quòd Hiſpanis non eſſet ſtrictius colligatus, vel quod in illa perturbatione totius Germaniæ ſub adventu Regis Sueci in præſidio ſuorum locorum potius Gallos habebat,à quibus defendi poterat quam Hiſpanos,qui alia quoq; loca,præſertim Moguntiam ſervare non potuerunt,immo ei periculum acceſſierunt. Dubiumque erat cui magis fidendum eſſet in rationibus Imperii,Galliſné qui ejus libertatem in priſtinum ſtatum reſtitui vellent,an talibus qui illud in hæreditariam ſucceſſionem mancipare contendunt? Atque ita omiſſa tam perplexa ambiguaque diſquiſitione, quantumvis abſente illo Electore libuit Electionem Regis Romanorum celebraſſe medio menſe Decembre, in qua ritu conſueto renuntiatus Rex Romanorum Ferdinandus III filius Imperatoris Ferdinandi II inſignia & Coronam Imperii vigeſima prima Decembris accepit, ſacra tantæ inaugurationis operante Archiepiſcopo Moguntino. Nec multo poſt ejus quoque uxor (ne alio loco iſta iterare cogamur) Imperatricis titulos unctionemque ſolennem obtinuit menſe Ianuario Anni ſubſequentis.

Treverenſem Electorem nolunt judicare alii Electores ſine Papa.

Ferdin. III eligitur Rex. Rom. & coronatur 21. Decembris.

Ferdin. III uxor Imperatrix coronatur.

Nihilq; aliud in illis Comitiis fuit concluſum, quamvis etiam externorum Principum Legati,inter quos eminebat Dux Georgius Oſſolinski Palatinus Sendomirienſis (nuper ſponte ſua idem Ferdinandus Imperator contulerat ipſi dignitatem & titulum Principis Imperii Romani) à Rege Poloniæ miſſus, diligentius urgerent, ut ſolidum quid pro avertendis diuturnioribus in Germania motibus ſtatueretur.Imperator enim præferebat tranquillitati Germaniæ abunde proviſum fuiſſe pace Pragenſi,illiuſque formulam ab omnibus probari ſervarique volebat, ac nonniſi collectas pecuniarias pro bello contra externos hoſtes, nempe Gallos & Suecos promovendo ab Ordinibus Germaniæ decerni poſtulabat.Conceſſerat tamen jam ante inchoata iſta Comitia ad multiplices Summi Pontificis Vrbani VIII perſuaſiones,ut haberetur univerſalis cum omnibus Principibus Chriſtianis pacis tractatio Coloniæ Agrippinæ, ad quam Summus Pontifex miſerat Cardinalem Ginettum,& Imperator deſtinarat Epiſcopo Herbipolenſem Erneſtum Fruberum, & Ferdinandum Currzium, Hiſpaniæ vero Rex Ducem de Alcala,& Rex Galliæ Mariſchallum de Pieze, Poloniæ autem Rex Gaſparum Dinoff Palatinum Sieradiæ, Iacobum Sobieski Palatinum Belzenſem,adjuncto ipſis Secretario talis Legationis Iacobo Maximiliano Fredro, Succamerario Præmiſlienſe.

Oſſolinski Legatione fungitur in Comitiis Ratisb.

Oſſolinski creatur Princeps Imperii.

Coloniæ Agrip. inſtituitur Conventus ad tractandam pacem.

Eodem Anno initio Octobris Maximiliano Electori Duci Bavariæ, natus fuit filius Ferdinandus Maria denominatus, ſeni annorum pluſquam ſexaginta.

In Italia poſtquam Hiſpani liberaverant ab obſidione Gallorum Valentiam,totas ſuas vires converterant in ditiones Ducis Parmenſis, quo cum Gallica auxilia intercluſa Pado ac ditionibus Genuenſium penetrare non poſſent, illi Parmenſia præſidia ibi excubantia nimium infirma nullo negotio ſuperabant. Rottofredum cæſis fere ſexingentis Parmenſibus qui reſiſtere voluerant, ceperant, & mox Fiorenſolam, Buſettum, Campum Remotum, Monticellam,Rivaltam,aliaque vicina loca deditione occuparunt,ac ad redimendas ingenti lytro direptiones coëgerunt. Moxque Placentiam ubi Dux ipſemet cum uxore degebat obſederant,ac occupata prope confluentem Trebiam Padi Inſula, indeque tormenta in Arcem illius Civitatis directa explodentes,ad extremas anguſtias illum Ducem redegerant,ut ægre obtinuerit breves inducias, quibus durantibus, dimiſſo ſtatim præſidio Gallico quod Placentiæ habebat,Regi Hiſpano fuit reconciliatus, ſequeſtro Duce Florentiæ,cujus ſororem ex Magdalena Auſtriaca natam uxorem habebat.

Hiſpani Ducatum Parmenſem hoſtiliter invadunt.

Placentiam obſident Hiſpani.

Parmenſis Dux reconciliatur Hiſpanis.

In Belgio hoc Anno nil incidit memoratu dignum,præter quod Leodium Ebu-

ronum

ronum avaritia militaris calamitatibus minus expectatis involvit. Cum enim illa Civitas Ioanni Verth Præfecto Bavaricarum copiarum, multam pecuniam & annonam iteratis multoties vicibus ſolviſſet, & demum fatigata plebs Vrbana tam frequentibus gravibuſque expenſis tumultuari cœpiſſet, Verthius pagos ſuburbanos plures hoſtiliter invadebat ac vaſtabat, ac quaſi obſeſſam Civitatem tenebat. Cumque iſta vim vi repelleret, inſimulatus fuit defectionis ad Gallos ejus Magiſtratus, præcipue Conſul Ruellius, quem unus ex Cæſarianis Comes Verſuſius invitatum ad cœnam crudeliter mactari fecit. Hocque plebs Civitatis illius commota, facto tumultu eundem Verſuſium comprehenſum cum ſuis aſſeclis trucidavit, & longo tempore in inquirendis aliis authoribus cædis illius Conſulis, turbiſque ciendis perſeveravit, donec Cardinalis Adminiſtrator Belgii necem Verſuſio illatam probavit, ac alios ſi qui homicidii in illo Conſule perpetrati invenirentur rei, puniendos fore promiſit.

A.C. 1636.

Leodium in Belgio calamitates patitur à milite Cæſariano.

Leodienſis conſul Ruellius cæſus.

Verſuſius author cædis Ruelli trucidatur.

Hollandi vero toto hoc tempore ex quo Senchianum propugnaculum Hiſpani aſtu ſurripuerant, omnes ſuas vires in eo recuperando implicuerunt, ut nullam aliam impreſſionem, niſi eo recuperato tentare potuerint, cum potius alicujus Provinciæ jacturam pati, quam ibi hoſtem vicino Neomago ac Friſiis ſemper imminentem timere, rationibus ipſorum expedierit. Poſt diuturnos itaque ſanguinolentoſque conflictus, difficillimamque oppugnationem, tandem conſtrinxerant præſidium illius loci Hiſpanicum, ut initio menſis Maji iſtius Anni deditionem fecerit, propugnaculumque illud cum omni apparatu bellico eorum poteſtati reddiderit. Cliviam tamen ea occaſione intercepti Senchiani propugnaculi occupatam ac munitam Hiſpani retinuerunt.

Senchianum propugnaculum recuperant Hollandi.

Sub idem tempus gravis commotio rerum expectabatur in Vngaria ex diſſenſionibus inter Iſthuanum Bethlem, Gaboris Bethlem nuper Principis Tranſilvaniæ fratrem germanum, & Ragocium Tranſilvaniæ Principem exortis; quæ tamen amicorum utrinque cura fuerunt ſopitæ, tanto facilius quod Bethlemus non poſſet habere auxilia à Turcis bello Perſico impeditis. Tunc enim ſuſceperat celebrem expeditionem contra Perſas Amurathes Turcarum Imperator, & ipſemet ad eam iverat cum trecentorum millium exercitu ex Europa, Aſia, Syria, Arabiaque collecto, ac cum perveniſſet ad minorem Armeniam, ubi inter iſtos Monarchas pro finibus hoſtiliter certatur, facile fugavit numero longe inferiorem Perſicum exercitum, eoque pulſo recepit Rouanum Civitatem prope Mare Caſpium ſitam cum Oppidis & Provinciis ei ſubjectis. Sed ut primum redierat Conſtantinopolim, iterum Perſa occuparat illa loca: unde Turca ſtatim iteratam contra illum ſuum hoſtem expeditionem apparabat.

Ragocium Principem Tranſilvaniæ infeſtat Gaborius.

Amurat. Turcarum Imp. it contra Perſam.

Rouanum recuperant Turca à Perſis.

Polonica autem quod attinet toto hoc anno Vladiſlaus Rex quieti & venationibus vacavit in Lithuania, quo aſſidue commeabant ad eum diverſi Imperatoris Ferdinandi II Miniſtri, & præſertim quidam Sacerdos Magnus denominatus ex Ordine Capucinorum, ſolicitando, ut ipſius filiam duceret uxorem: tantumq; egit ille Monachus, ac ſuaſionibus ſpecioſiſq; promiſſis effecit, ut Rex Vladiſlaus ne tam blanda delinimenta prorſus aſpernari videretur, ſeu quo affinitatem tantam non repulſa manifeſta rejiceret, verum aliquo excuſationis honeſtæ titulo effugeret, propoſuerit difficiliores conditiones, quas Imperatorem nulla ratione probaturum, ſuſcepturumq; judicabat: præcipue Ducatum Opoliæ & Ratiboriæ in Sileſia, ſeu aliquam Provinciam hæreditario jure ſuis filiis ex iſto matrimonio naſcituris addiceret: dotem Annæ Reginæ ſuæ Matris, ac alteram Reginæ Conſtantiæ eouſq; non ſolutam, una cum dote Sponſæ ſuæ futuræ numerari, necnon mutuatam ipſi à Rege Sigiſm. Reginaque Conſtantia pecuniam ſtatim ſolvi faceret. Quas tamen conditiones, aliaſq; non minus ingratas cum Imperator ſine cunctatione ulla

Vladiſlaus Rex conditiones proponit de ducenda uxore Auſtriaca.

(dum-

A.C. 1636. (dummodo Rex ad perficiendum talc matrimonium alliceretur, eo vero ſtabilito promiſſam ſatisfactionem, novum aliquod excuſaret dubium, ut poſtmodum evenit) ratas habuiſſet, earumque ſyngrapham manu ipſius ſubſcriptam Monachus ille exhibuiſſet Regi, iſte nil amplius opponere potuit, ſed ad Comitia Regni Generalia tantæ deliberationis concluſionem rejecit.

Finitima Ruſſię ſub hoc tempus ab incurſione Tartarorum erant libera. Sed Staniſlaus Danielowicz Pallatinides Ruſſiæ juvenili ardore glorioiæ ſibi comparandæ propriis ſtipendiis collecta aliquanta manu una cum ſuis Corſunenſibus Coſacis prodierat in Campeſtria, ut Tartaros ſibi latitantes repentino adventu, opprimeret. Hæc male ſucceſſiſſet illum auſum: Sed poſitis Caſtris ductilibus Coſacorum præſidio bene munitis, cum ille ſpreto Veteranorum conſilio, ut proxime caſtra ſua eliceret hoſtem ibiq; ſecure pugnaret, ubi Vinci non potuiſſet præceſſerat longius in campos remotiores cum ſolo equitatu, ubi præter ſpem majori Tartarorum numero erumpente, ab eis repente circumfuſis ne arma quidem ad pugnam expedire valuit, ſed ſtatim comprehenſus devenit in captivitatem Cantimiri Murſa qui contemptum centum millium Talerorum oblato ſibi lytro cum propria manu occidit, ut vindicaret cædem filii ſui & cladem acceptam in A.C. 1629. ſub expeditione ſua in Ruſſiam ab exercitu Staniſlai Lubomirski Palatini Ruſſiæ, & Chmielecii prope Burſtinovo. Cujus corpus magna impenſa opera Pallatini Moldaviæ recuperatum Iacobus Sobieski cum ſua uxore defuncti ejuſdem germana & divitis hæreditatis ſucceſſore, ſumptu Magnifico Zolkievium reduci, ubique ſepeliri curavit.

Annus Chriſti, 1637.

Vladiſlaus Rex indicit Comitia Ord. Regni Polon. 1637.

Vladiſlai Regis propoſitum deducenda uxore Nivernenſi Duciſſa.

INdixerat itaque Rex Vladiſlaus Comitia Varſaviæ Ordinibus Regni ad menſem Martium, Anno Chriſti Milleſimo, Sexcenteſimo, Trigeſimo ſeptimo, & interim præſeferebat, quod ab Auſtriaca ducenda uxore alienus eſſet; & ſi filiam Palatini Ordinis Regni prorſus rejiciendam eſſe cenſerent, potius Caroli Gonzagæ Mantuani Ducis filiam Ludovicam Mariam, Nivernenſis Ducatus in Gallia hæredem ducere vellet: ac ad Ioannem Záwádzki, quem pro exploranda filiæ Palatini Rheni ad amplectendam Fidem Catholicam animi propenſione miſerat, ſcribi fecit ut in Galliam diverteret, ibiq; iſtam Nivernenſem Principem videret, ſive quod re ipſa ita ſentiret, ſive ut ſimularet ſuum propoſitum, ſuſpenſoſque Polonos teneret, ne commoverenrur (ut ſemper conſueverunt) tali cum Auſtriacis affinitate, & in Conventibus ſingularum Provinciarum ſuſpiciones de ea concitarent, venirentque ad Comitia Generalia ad contradictiones parati. Immo etiam in Comitiali Senatus conſeſſu hoc juvit, ut Senatores in ſuis ſententiis non multum laborarint in ſuadendo hanc ne an aliam Rex acciperet thori conſortem, præter filiam Palatini Rheni, de qua omnis mentio fuit prorſus exploſa: poſtquam Ioannes Záwádzki redierat ex ſua Legatione, & retulerat de obfirmata illius Virginis contra Fidem Catholicam Romanam voluntate, ſimulque allata effigie Duciſſæ Nivernenſis ſpeciem eximiæ venuſtatis Virginalis præferenre, plurima de ipſius heroica Principe dignis dotibus prædicaret. Cum enim iſtius formam Rex coram ſuis familiarioribus ſæpius laudaret, plerique opinabantur ad eam ipſum propendere, nolebantque fruſtra obloqui alteri, quam credebant à Rege volente poſtponendam fore. Alioquin obverſabantur ante oculos formidoloſa exempla Vngariæ & Boëmiæ liberrimorum Regnorum, aliarumque inſignium Provinciarum ab Auſtriacis ſimilibus affinitatibus in ſervitutem hæreditariam compulſatum, propter quæ Poloni præſertim magis ſoliciti de ſalute Patriæ, ſemper ipſorum conſanguinitates evitandas eſſe cenſebant. Vnde recenter Anno Chriſti

Poloni prorſus obſiſtunt ne hæreticam Rex ducat uxorem.

Vladiſlaus Rex celat ſuum conſilium de ducenda Auſtriaca.

Poloni ſemper Auſtriacas affinitates evitarunt.

A.C. 1638.

Chriſti 1592. Sigiſmundum III Regem, ut vel vi à matrimonio cum Anna Auſtriaca avocarent, (unus ex Pontificibus impudenter dixerat eum conſentiente Repub. utramq; Auſtriacam ſibi copulaſſe) Conventum Andreoviæ celebrarant, & cum præventi Regis in perficiendis tunc illis nuptiis celeritate, nihil effeciſſent, in proximis tum Comitiis Generalibus Regni inquiſitionem ſeveriorem inſtituerunt, in qua Rex ille pactorum cum Auſtriacis propterea initorum ſtrictam cogebatur reddere rationem, & non niſi poſt ambiguas de retinendo ſuo ſtatu concertationes, reconciliatus fuit Regni Ordinibus. Contra ſecundam verò ejuſdem Regis cum Conſtantia itidem Auſtriaca conjunctionem, non tantum ob ſuſpectam tam arctam amicitiam Auſtriacam, ſed etiam quod gens Polona natura inceſtas nuptias averſaretur (ex Pontificibus primarius dixerat ex veteri Iudaica lege cum cognatis à latere invicem conjunctis non fuiſſe prohibitas nuptias; eaſque ſuccedere feliciter Auſtriacis: ſed ſi Iudaiſmo inſiſtamus, deveniendum erit ad abſurda multarum Polygamiæ uxorum, ſimulque ancillarum, & Auſtriacorum incrementa provenerunt, ex nuptiis legitimis, propter inceſtas autem defectiones Provinciarum bellaque difficilia) interpellarunt Summum Pontificem Romanum tunc Clementem VIII, ut noluerit eas permittere. Præceſſerant obnuntiationes (initium Rokoſſii) Conventus Belzenſis, propter quas in Comitiis A. C. 1605. Rex noluit introducere iſtam quæſtionem in deliberationem Senatus, niſi ſolutis Comitiis, poſtquam potior Senatorum pars cum Zamoyſcio Cancellario abierat. Succeſſit deinde propter eas graviſſima Reipublicæ iſtius commotio *Rokoſſ* dicta. Ac poſtmodum intra paucos Reginæ illius annos invaſerunt hoc Regnum calamitates plures, quam in mille annis poſſent numerari: ut ſeceſſio militaris à bello Moſchico, clades Stephani Potocki in Moldavia cum jactura Moldaviæ, clades Cicorienſis Zolkievii in eadem Moldavia, tum expeditio contra Turcam Oſmanum Chocimenſis, & poſt eam militares rapinæ, damna Livoniæ, Pruſſiæ, fames, peſtes crudeliores, ut non vanè populi voces in primo adventu ejuſdem Conſtantiæ Reginæ Cracoviam, infauſtas hujuſmodi nuptias futuras fuiſſe præſagierint. Atque talia ſilentio prætereiebantur, dum unuſquiſque putaret Regis ſtudium ad Nivernenſem inclinare. Ac licet Pontifices in ſuis ſententiis (fortè quod jam mentem Regis perſenſiſſent) nonniſi Auſtriacam laudibus celebrarint, major tamen pars Senatus applaudebat rumori de adamata Nivernenſi, & permittebat Electionem arbitrio Regis, qui tunc auditis Senatorum ſententiis, ſuper eis ſe deliberaturum reſpondit. Finitis vero Comitiis ſtatim deſignaverat Legatos ad accipiendam conducendamque Auſtriacam: ac præmiſerat Maximilianum Przerebski Caſtellanum Sieradienſem Viennam, ut primo requireret ab Imperatore cautionem pro adimplendis pactis talis matrimonii ab Imperatore defuncto (obierat interim Ferdin. II Imper.) per Monachum Magnum ſtabilitis: ſed ille poſt breve de iſtis colloquium, cum Imper. pacta Patris ſui ſe rata habere non poſſe reſpondiſſet, ulteriori de ejus diſceptatione Legatis Regiis qui Viennam paulo poſt venturi erant, relicta, (forte quod ita inſtructus fuiſſet) ſponſaliorum nomine Regis cum Sponſa Regia ſtipulationem fecit, ut Legati (præcipui erant Ioannes Lipski Epiſcopus Culmenſis, Gaſpar Dinoff Palatinus Sieradienſis, eoſque poſt triduum ſubſequutus eſt Princeps Caſimirus Regis germanus, & Dux Georgius Oſſolinski Palatinus Sendomirienſis, qui eam in finibus Poloniæ ſalutaret) Viennam venientes cum Comitatu inſignium Procerum Polonorum ſplendido, apparatuque ambitioſo, nil amplius haberent quid agerent, niſi ut agnoſcerent, ſalutarentque Regis ſui Sponſam. Sed Imperator dato reſponſo, quod prohiberetur Auſtriacæ Familiæ fœdere Provincias ejus hæreditarias alienare, ne videretur prorſus fruſtraſſe ſpem Regis, tanta illa, totque dotum ac de-

Auſtriacorum incrementa ex nuptiis legitimis non ex diſpenſatis.

Polonia calamitates à nuptiis Regis diſpenſatis.

Vladiſlaus Rex mittit Legatos ad conducendam Sponſam Viennam.

Legati Regis Vladiſlai Viennam veniunt cum Comitatu ſplendido.

Ferdin. III. conditiones dotales à Rege Vladiſlao datas irritas facit.

A.C. 1637.

Polonia Reginæ dotis nomine obligatur Vittengavia.

bitorum nomina, unica eaque nimium tenui obligatione concluſit, ac pro eis uſum fructum poſſeſſionis Vittengavienſis in funeſta illa confuſione rerum Boëmicarum, poſt Roſenbergium Nobilem Boëmum fiſco Auſtriaco applicatæ (Viennæ vicinæ ne alia poſſeſſio Poloniæ confinis, ejus juri adſcribi videretur) Regi Reginæque addixit. Dum autem hæc agerentur Viennæ, Rex Vladiſlaus expedierat ad Regem Angliæ Andream Rey Præfectum Libuſenſem, qui mutationem illam conſilii Regii de filia Palatini Rheni excuſaret, eò quod iſti uti à Fide Catholica multum alienæ Senatus Regni Poloniæ totus Catholicus contradiceret, & Rex lege publica teneatur, ne accipiat uxorem niſi conſentiente Senatu. Quod nimium ægrè ferens Rex ille, venientem hunc Londinum diutius ad audientiam ſuam admittere noluit, illique perſuaderi curabat, ut tantiſper expectaret, donec Regem ſuum (quaſi adhuc flecti poſſet) per literas conſuleret. Sed cum Legatus (ut erat vir ſolers & arcanorum Regiorum conſcius) mandata ſibi data de expedienda ocyus Legatione præterire non poſſe, ſemel & iterum reſpondiſſet, urgeretque potius miſſionem, tandem eum audivit indignabundus, minimeque ſimulans offenſam, æquè ex repulſa filiæ Palatini, atque propter colligationem in arctiorem Polonorum cum Domo Auſtriaca, quam etiam omnes fœderis Germaniæ ſocii ſuſpectum habuerunt.

Rey Andreas Legatus in Angliam.

Angliæ Rex indignè ſuſcipit Legatum Regis Vladiſlai.

Angliæ Rex ægrè fert repulſam filiæ Palatini.

Sub idem tempus in Pruſſia cum Rex Vladiſlaus in littore Pucenſi Civitatem portumque de ſuo nomine vocatum *Vladiſlavia* fundari curaſſet, comparaſſetque claſſem, quæ contra hoſtiles ex illo mari excurſiones excubaret, pro ea alenda jure ſuo Regio moreque in omnibus aliis Regnis Dynaſtiiſq; uſitato, moderatum quoddam tributum ab advenis mercatoribus ad littora Regni ſui, præcipuè Daniſcam commeantibus exigi voluerat. Cujus inſtituti præceſſerat exemplum ſub Sigiſmundo Auguſto Rege Poloniæ: hocq; Nobilium Provinciarum Pruſſiæ (immo & Civitatum præter Gedanum) Ordines ſummopere expetebant. Gedanenſes verò ad omnes occaſiones contradictionibus dilatandi ſuas libertates intenti, & præſertim Magiſtratus in illa Civitate gerentes, ad quos opimiora lucra ex iſtis maritimis derivantur, ſtatim querelas moleſtiores concitarunt, quod iſta privilegiis ipſorum adverſarentur: Nec aliam defenſionem cauſæ ſuæ adducebant, præter quod Caſimirus Rex Poloniæ in Anno Chriſti 1472, cum illam Civitatem ejectis Ordinis Teutonici Magiſtris pro Republica Polona recepiſſet, Magiſtratui cuſtodiam maris commiſerat. Sed qui cuſtodiam maris alteri committit, dominatum ejus habere debuit, illumq; potius ſtabilire quam alienare cenſendus eſt, cum ſubditis ſuis fideliter cuſtodiendum commiſit. Et cum idem Rex concedit ut Magiſtratus pro uſu Civitatis certum genus tributi *Zulag* dictum, exigere poſſit à ſuis Civibus jure Regio, utique non privato jure ſuo proprio, neque omnia quæ libuerit tributa Magiſtratui exigenda conceſſit; & commodans Dominus miniſtro poteſtatis ſuæ partem, ea tota ſeipſum non exuit. Hacque poteſtate poſtmodum Sigiſmundus Primus Rex in eadem Civitate aliud tributum Maritimum *Phfalgeldt* dictum conſtituit, illudque Auguſtus Rex, ac iterum Stephanus Rex citra omnem querelam auxit; nec dum tamen univerſam poteſtatem illam evanuiſſe æſtimandum eſt, præſertim ita volentibus Pruſſiæ Ordinibus, & eo magis pro advenis, quos immunitas Gedanenſi Civitati data immunes non facit. Quæ paucis hic ſignaſſe ſufficiat, cum ad annos proximè ſubſequentes pertineant longiora circa hæc jurgia enata in conſequenti Anno Chriſti 1638.

Vladiſl. Rex claſſem comparat ad cuſtodiam maris Baltici.

Gedanenſes obſiſtunt Regis propoſito de tenenda claſſe.

Gedanenſium frigida defenſiones.

Poloniæ Reges ſemper habuerunt Dominium maris Baltici ex ſuis littoribus.

Poloniæ Reges ſtatuebant tributa maritima.

Hoc eodem anno licet fortuna exituque triſtiori Coſaci pro retinendis libertatibus ſuis laborarunt: Cum enim diverſi Proceres Regni Poloniæ in dirionibus Kijovienſibus Coſacorum præcipuis ſedibus multas poſſeſſiones partim emptione, partim liberalitate Regis acquiſiviſſent, cenſus eatum ut augerent, licen-

Coſaci tollere volunt Proceres Poloni.

A.C. 1637.

licentiam Coſacorum quæ tali ipſorum propoſito obſtare videbatur, refrenari oportere apud Regem Senatumque prædicabant. Itaque Summus Præfectus militaris Staniſlaus Koniecpolski Caſtellanus Cracovienſis impenſis publicis propugnaculum Hudak denominatum apud confluentem Samaræ ac Boriſthenis loco ad eos coërcendos maximè opportuno extrui munirique fecit: & ne impediretur tale opus à Coſacis, (ab initio iſti oppreſſerunt ibi præſidium ducentorum Germanorum peditum Regiorum cum ſuo Præfecto Mariano, omneſque operarios diruerunt) eo maximam copiarum partem ad hyberna transire fecit. Cumque ad iſtarum adventum Coſaci vires quoque ſuas colligere cœpiſſent, & Duce ſuo Sáwá Konowicz ejuſque conſiliario Theodoro Onuſzkievicio ſibi ſuſpecto in tumultu apud oppidum Borowicá occiſo, quibuſdam factioſis, quo à proditoribus eſſent tutiores, Magiſtratus abrogaſſent, ille tanto citius contra ipſos promoveri juſſit, negotio dato Nicolao Potocki Minori militari Præfecto Palatino Braclavienſi, ut quamprimum eos antequam plures congregarentur adoriretur. Qui celeritate uſus, dum adhuc ipſi de novis Magiſtratibus ſibi ſufficiendis diſſentirent, & tumultuariè quendam Paulucum Ducem inexpertum pro illa expeditione ſibi elegiſſent, ultra Corſunium in campis inter oppida Moſzni & Cumeychi convenientes deprehendit, & priuſquam currus præ caſtris (Thabor vocant) loco munitionis junxiſſent, pedeſtres eorum (equites paucos eoſque viles habebant) phalanges, dum earum præcipuum robur cum peditatu Regio acri congreſſu decertaret, cohorteſque Germanicas (cæſo Præfecto eorum Morello Gallo) & ipſiuſmet Potocii Prætoriam Vngaricam jam profligaſſet, immiſſo quo prævalebat equitatu facile diſſipavit. Cumque à pugna Borovitiam receſſiſſent, eos ibi obſedit, commeatuque ad obſidionem longiorem ſuſtinendam deſtitutos coëgit, ut Ducem ſuum Paulucum cum aliis quatuor Anteſignanis, captivum ipſi tradiderint, fide accepta à ſequeſtro talis deditionis Adamo Kiśiel Succamerario Czerniechovienſi, quod iſtis captivis omnis culpa à Rege condonaretur. Sed nil profuit illa fides, ut in Comitiis Regni proximis Anno Chriſti 1638 videbimus.

Hudak Arx conſtruitur ad comprimendos Coſacos.

Coſaci præſidium Hudaci & Ducem ſuum ſibi ſuſpectum trucidant.

Potocius Præfectus militaris profligat Coſacos apud Kumeychi.

Paulucus Coſacorum Dux deditione captus.

Initio ejuſdem Anni 1637 Coſaci Moſchoviæ *Tanas* Arcem vulgò *Azak* ſeu *Ozow* dictam, apud oſtium fluvii Tanais in Paludem Mæotim, ac inde in Pontum Euxinum defluentis ſitam, expugnarant; præſidiumque Turcicum ibi excubans trucidarant. Quod Turca acerbius tulit, cum ea Arx fines Imperii ſui terminaret, eos cuſtodiret, & Tartaros Tauricanos & Petiercios in officio contineret, cohiberetque Moſchorum Coſacorum excurſiones in illud mare. Vnde ad eam recuperandam ſtatim juſſerat exercitum claſſemque comparari; ſed has ejus curas turbarunt motus Tartarorum Tauricanorum exorti menſe Aprili hujus Anni ex tali cauſa. Cantimir Murza bellator famoſus, eoque ſemper inviſus Sultanis ſeu Principibus illius gentis, ne iſtis ſubeſſet, tranſtulerat ſuum domicilium in campos *Budziaki* vocitatos prope Białogrodum, (Moncaſtrum Cromero) Tehiniam, Kiliam, ſeu Achiliam, ac Moldaviæ Terras, ſitos.

Tanas arcem Coſaci Moſchi capiunt.

Tanas fluvii ſitus.

Cantimir Murza cum ſuis Tartaris ſedem ſibi capit in Budziaki.

Quo ſenſim alii quoque Tartarici Duces Arak Murza, Salamas Murza, ac fortiores quique qui cum ipſo militare conſueverant, cum ſuis familiis commigrarunt, & in diem numeroſa Tartarorum agmina ex Taurica in pleriſque locis arida, & pro tanto populo (multiplicati ſunt nimium) anguſta, ad ſpatioſa, fertiliſſimaque illa Moldaviæ latifundia tranſibant, aſſidueque colonias ſuas, fineſque illorum camporum, protrudendo ab eis veteres habitatores Moldavos, dilatabant in tantum, quod verendum fuiſſet ne totam Moldaviam ſi ibi diutiús firmiuſque ſubſtitiſſent occuparent.

A.C. 1637.

Poloniæ Regni cum Turcis pacta cavent ne Tartari habitent in campis Budziaki.

Tartarorum Cham movet contra Cantimirum eumque profligat.

Tartari Dobrucenſes à clade Varnenſi Vladiſlai Regis.

Cantimir Murzam facit ſtrangulari Turca.

Tartarorum Cham reducit Tartaros in Tauricam ex campis Budziaki.

Tartari deficere volunt à ſuo Chamo & Turca ad Polonos.

Ac licet Reges Poloniæ in pactis cum Turca ſuis hoc præcaverint, ne in illis campis *Budziaki* Tartari habitarent, (cum inde facile in proxima Poloniæ territoria excurrere, ſuique adventus omnem famam prævenire poſſent) ac Legati Regii Conſtantinopoli aſſiduè urgerent, ut iſtæ novæ coloniæ inde pellerentur, tamen Turca ſine ſuo conſenſu ea fieri affirmans, ad omnia connivebat: nempe quod ibi degentes Tartaros dum non dependerent ab Imperio ſui Chami, obſequentiores & expeditiores haberet ad irruptiones in Vngariam, Tranſilvaniam, Poloniam, faciendas. Cham itaque hoc modo potentiam ſuam imminui, ſuaſque Terras Tauricanas habitatoribus deſtitui ægrè ferens, collectis copiis, contra Cantimirum ad eos campos contendit, occurenteſq; ſibi Cantimirianas turmas (erant viginti millia equitum) profligavit, ſeptem millibus ex eis cæſis, & Cantimirum qui ab eo conflictu tranſmiſſo apud Kiliam (Achillea Cromero) Danubio ſeceſſerat, ad campos (ibi quoque Tartari ſumpſerunt ſibi ſedem à cæde Varnenſi Vladiſlai Regis) Dobruecenſes perſequebatur: donec Turcarum Imperator Amurates ut ſedaret tantam tempeſtatem, ſimulata tantiſper contra Chamum offenſa, Cantimirum ad ſe vocatum (cui ſuccenſebat ideò quod nuper juſſus ad bellum Perſicum cum ſuis Tartaris ire recuſarat) ſtrangulari juſſit: hocque Chamo per ſuum Cauſium nuntiari juſſit, & ut Tartaros ſuos revocaret in Tauricam permiſit. Atque ita Cham re ex voto ſuo uti cedebat geſta, redierat in Tauricam, eoque omnem plebem Tartaricam ex illis campis *Budziaki* remeare coëgerat, relictis paucorum circa Bialogrodiam Pagorũ veteribus incolis. Præcipui tamen Murzę (iſti ſunt Duces bellici ſeu Nobiliores in illa gente) ſocii Cantimiri, cum & Turcis qui Cantimirum deceperant blandis promiſſis non fiderent, & Chamum ſibi offenſum timerent, confugerant ad Præfectum ſupremum militiæ, alioſq; Proceres Poloniæ illorum confinium cuſtodes, offerendo defectionem à Chamo & à Turcis, & ſubjectionem Regno Poloniæ, dummodo ipſis ſedes aliqua aſſignaretur, ſeu ſi perſiſterent incolere illos campos *Budziaki*, contra Turcas Chamumq; auxilia eis darentur. Quæ petitio in alia ordinatiori Reipublicæ non ingrata fuiſſet, & attuliſſet commoda ingentia, ſed hic oſcitantia ſemper conſilia, tunc uſq; obtorpuerant.

Turcarum ars in puniendis Tartaris ſeditioſis.

Caſimirus Poloniæ Princeps conducit Viennam Sponſam Regi fratri.

Cecilia Regina Poloniæ coronatur.

Et non multò Baſſa Siliſtriæ veniens Bialogrodum, illis Murzis permiſit ut remanerent in illis campis, dummodo quieti viverent; & cum jam ſecuri eſſent, tredecim ex ipſis inſigniores una nocte necari curavit; Chamo quoq; illi Turca mox Principatum abrogarat, & in ejus locum ſubrogarat Sultanum Sangerei, filium Caſigeri quondam Principis Tartarorum viri bellicoſi, qui in Vngaria in obſidione Iaurini & Agriæ multa damna Chriſtianis intulerat. Nunc ut ad SponſamRegis Vladiſlai redeamus, eam Princeps Caſimirus cum Legatis Regiis Vienna Auſtriæ ſub finem menſis Auguſti ab Imperatore dimiſſam, aſſociatam à vidua Claudia Medicea Leopoldi Archid. olim uxore, rectà Varſaviam menſe Septembre conduxit, ibiq; ab Archiepiſcopo Gneſnenſe Ioanne Wæzyk ſolenni ritu deſponſata Regi, coronataque fuit inſigniis Regiis, quæ Præfectus ærarii Cracovia (non ſine querelis Ordinum Regni, quod alibi quam Cracoviæ Regina coronaretur) adferri curarat. Nec magna celebritate illæ nuptiæ peragebantur, deerat pompa aliis Regibus uſitata, Senatoreſque aderant pauci. Munera tamen eximii pretii novæ Reginæ plurima miſerant Proceres ferè omnes, ac Civitates, Societateſque inſigniores.

Statim autem Rex Vladiſlaus indixerat, Comitia Generalia Ordinibus Regni Varſaviæ ad finem menſis Martii Anni ſubſequentis, 1638. in quibus potiſſimum de donatione propter nuptias novæ Reginæ à Republica facienda tractaretur. Ad quæ priuſquam tranſeamus memoranda ſunt externa.

Et primum Germanica uti viciniora, in quibus præcipuum primum occurrit mors

mors Ferdinandi II Imperatoris, qui poſtquam effecerat in Comitiis Ratisbonenſibus, ut filius ejus Ferdinandus III, eligeretur, coronaretutque Romanorum Rex, & ejus uxor eadem Imperatoria Corona initio menſis Ianuarii iſtius Anni Chriſti 1637 inſigniretur, Viennam rediit; ibique longo ſtomachi (provocatione quotidianæ, ut ab obeſitate alleviaretur vomitionis debilitati) vitio conſumptus, die 15 menſis Februarii (quo Valnſtenium Egeræ ante triennium mactari fecerat) placidè animam exhalavit: Princeps moribus manſuetis, Religioſoque magis otio natus, & nunquam ad aliquam expeditionem bellicam, niſi ſemel ad infauſtam recuperationem Caniſiæ ipſemet ivit, ſed per miniſtros arma ſemper tractavit; nullus tamen dici poteſt illo fortunacior in bellis gerendis, ſi ea finire voluiſſet: ſed dum uno alteroque necdum finito, (inexorabilis in reſtituendo Palatinatu infiniti belli perpetua anſa) alia inſuper provocat, omnia tot victoriarum ſuarum emolumenta amiſit, poſteriſque ſuis graviora bella, & non eandem felicitatem relinquens, eorum rem in difficillimum periculorum longorum diſcrimen adduxit. Ab ejus enim morte fortuna Auſtriaca nutare incœpit, ſub pondere graviorum periculorum paulo poſt enatorum, præſertim ab illa denuntiatione belli Gallis, qui molem omnem potentiæ Auſtriacorum in ſe undique converti videntes, ad eam avertendam plutibus eorum ditionum partibus infeſta arma intulerunt, & in Germaniam majora auxilia miſerunt. Hiſque Subnixi Sueci, cum jam Garzium, Lansbergam, Vſedomiam, Volyniam, Volgaſtum, Damnitium, omniaque in Marchia & Pometania loca meliora ſub iſtud tempus amiſiſſent, & nonniſi Stetinum paucaque matitima præſidia (vanum eſt ſingula recenſere, cum ſæpius nunc ab iſto, nunc ab alio fuerint quæſita & amiſſa) manu lubrica retinerent, mox recuperarunt, ac in Saxoniam Boëmiamque reverſi, totam Germaniam ad inſtaurandam fœderis ſui potentiam animarunt. Bernardus quoque Dux Vinmarienſis, ſubſidiis à Rege Galliæ majoribus acceptis in Alſatia Molbergam, Endingam, multaque loca circa Kencingam cepit: in Burgundia captis aliquot Oppidis, Provinciales Lotharyngicaſque copias circa Veſuntium menſe Iunio profligavit: inde ad Rhenum progrediens circa vicum Rhenovienſem caſtris poſitis, Verthio Bavaricarum copiarum Duci, Cæſarianiſque multum negotii faceſſiit. Galli vero interim inſulas S. Margarethæ, & S. Honorati Marſiliæ littoribus vicinas, ſimiliter & Capellam, Corbiam, Caſtelletum, aliaque Picardiæ oppida Hiſpanicis præſidiis inde ejectis recuperarunt. Et in Burgundiæ Comitatu Dux Longavillanus oppidum S. Amour, ejuſque Arcem acri oppugnatione cum diverſis vicinis Caſtellis in ſuam poteſtatem redegit: Demumque menſe Septembre Blacteranum quoque cum Arce vi cepit. Alius vero exercitus Gallorum cum Mariſchallo Caſtilonio in Ducatu Lucemburgenſi Dunvillerium inſigne Oppidum poſt longam oppugnationem occupavit: tertiuſque eorum exercitus cum Cardinali Valetta & Mariſchallo de Forze ac Duce Candalano multa damna Hiſpanis dedit, Chimaco & diverſis circa Aveſnas in Hannonia oppidis expugnatis, cæſiſque ex Cardinalis Hiſpani Gubernatoris Belgii circa Maubegam ineunte Octobre exercitu plurimis, impedimentiſque cum apparatu Caſtrenſi ablatis. Cumque Hiſpani illas denuntiationes belli ratas habentes, ipſi quoque ſuperatis montibus Pyrenæis primum capto S. Ioan. de Luz prope Baionam, in agros Galliæ Narbonenſis conduxiſſent numeroſos exercitus Duce Comite Sorbelone, ibique Leucatam oppugnarent ſub finem Septembris hujus Anni, totumque illud Territorium Narbonæ vicinum populationibus divexarent. Galli ad inſperatam illam irruptionem non proviſi, tumultuarie tamen ex Provincialibus Nobilibus illius viciniæ fortem pugnatorum manum Ducis Hallerini, & Archiepiſcopi Burdegalenſis opera collegerunt, qua non tantum oppidum illud Leucatenſe

A.C. 1637. Ferdinandus II Imperator moritur 15 Febr. 1637.

Ferdinandi II. Imperatoris felicitas in bellis.

Galli majori conatu bellum contra Auſtriacos promovent.

Sueci auxiliis Gallicis reſtaurant ſuas vires.

Bernardus Dux Vinmarienſis in Alſatia & Burgundia multa loca capit.

Galli recuperant Inſulas Marſiliæ.

S. Amour Burgundiæ Comitatum Galli capiunt.

Galli circa Aveſnas hoſtiliter graſſantur, ac Hiſpanos profligant.

Leucatam in Gallia Hiſpani obſident.

Leucatam Galli liberant caduntque Hiſpanos.

A.C. 1637. tenſe ab obſidione liberarunt; ſed etiam caſtris exuerunt Hiſpanos, omneque inſtrumentum bellicum cum impedimentis eis ademerunt, prope quatuor millibus ex eis cæſis, aliiſque vivis captis, ut pauciſſimi fuga ad montes Pyreneos elaſi, ex illa expeditione evaſerint. Hæcque commotio à parte Hiſpanorum facta, quaſi novi belli initium inter iſtas gentes fecit, ut in conſequentibus annis conſtabit.

Galli in Montisferrato Hiſpanos profligant.

In Italia quoque Gallica præſidia Montisferrati & Pedemontana fuerunt aucta, & cum illis Criquius Mariſchallus Martinum Aragonium cum Mediolanenſibus militiis Cunicam Oppidum à Gallis occupatum oppugnare volentem, ſub finem Septembris hujus Anni profligavit, duobus millibus ex ejus exercitu cæſis, plurimiſq; vivis una cum quindecim ſignis militaribus captis. Auxit autem materiam iſtius belli Italici, mors Victorii Allobrogum Ducis medio menſe Octobre defuncti, relictis duobus filiis maſculis immaturis, uno annorum ſex, altero annorum quatuor, quibus teſtamento dedit tutorem uxorem ſuam Regis Galliæ ſororem germanam, fratres autem ſuos Principem Thomam, & Mauritium Cardinalem ab hac tutoria excluſit. At quanta bella ex tali cauſa promanarint, ſubſequentium temporum ſeries docebit. Paulo ante mortem iſtius Principis menſe Septembre, deceſſerat etiam Carolus Dux Mantuæ & Nivernenſis, relicto unico ex filio ſuo Nepote octenni, cujus hæreditatis adminiſtrationem fœminea quoque poteſtas, nimirum Mater tam teneri Principis obtinuit, ſub tutela Imperatricis Leonoræ Ferdinandi II Imp. vidua, tum & Regis Galliæ, & Reipub. Venetæ teſtamento Ducis defuncti eidem pupillo & viduæ præſcripta.

Sabaudiæ Dux Victorius moritur.

Mantuæ Dux Carolus moritur.

Bredam obſidens Hollandi.

Hoc eodem Anno Hollandi poſtquam recuperarunt propugnaculum Senchianum è manibus Hiſpanicis, collecto exercitu Bredam Brabantiæ, quam ante duodecim annos amiſerant, obſederunt medio menſe Iunio, ductiſque circum foſſis, operis ac aggeribus eam ita concluſerunt, ut veniens Adminiſtrator Belgii Cardinalis cum numeroſis ſuis copiis, nulla ratione potuerit ſubvenire obſeſſis: ſed ut avocaret ad defendenda propria hoſtes, aut damna ſua aliunde compenſaret, Venloam obſedit: ſtatimque ab initio inchoatæ oppugnationis populus illius Civitatis tumultuari cœpit, ut Præfectus ibi Hollandorum militaris Brederodius de deditione tractare fuerit coactus, eamque concluſit ſub finem Auguſti, accepta ſecuritate abeundi cum ſuis militibus nonningentis Gravium. Similemque deditionem paulo poſt medio menſe Septembre fecit præſidium Hollandicum Ruremundæ.

Venloam Hiſpani deditione capiunt.

Ruremunda deditur Hiſpanis.

Cæterum Auraniæ Princeps Henricus Hollandorum Dux, obſidionem Bredæ nihilominus ſtrenuè continuavit, & vi ſumma expugnatis propugnaculis exterioribus, inter ſanguinolentos conflictus cum erumpentibus obſeſſis frequenter commiſſis, mortemque ab utraque parte fortiorum quorumque militum, vineis & alveis actis, eiſque aqua foſſatum Civitatem cingentium demiſſa, & cuniculis ſubter mœnia productis, tandem medio menſe Octobre effecit, ut propugnatores deſperatis auxiliis & defenſione, deditionem tractarint, conditionibus tamen honeſtis: inter quas præcipuæ erant, quod oppidanis æquè Romano Catholicis atque Reformatis privilegia immunitateſque à tributis dandis, militibuſque hoſpitio recipiendis ſeu alendis veteres, ac quibus gaudebant ante Anno Chriſti 1590. 1625. dum adhuc eſſent in poteſtate Ordinum Hollandiæ, integrè conſervarentur: ſinguliſque qui vellent intra quadriennium, venditis ſuis bonis, aliò liceret commigrare, vel etiam iterum reverti. Militibus verò præſidiariis permiſſum fuit (erant mille octingenti ſuperſtites ſani præter ægrotos) cum ſuis impedimentis, armiſque ac vexillis paſſis, tympaniſque ſonantibus Mechliniam tranſire, ægris verò tam diu donec convaleſcerent Bredæ ſubſiſtere.

Bredam capiunt Hollandi.

Pau-

Paulò poſt tamen ſub finem menſis Novembris illa Romano Catholicis promiſſa ſecuritas ex levi ſuſpicione, quod nocte januis obſeratis Feſtivitatem S. Catherinæ magno numero congregati celebrarent, fuerat violata, ſolenniteſque hujuſmodi ſacrorum prohibitæ, & eorum plerique ex Civitate ſunt expulſi.

A. C. 1637.

Bredæ promiſſa Catholicis ſecuritas violatur.

Nec diſpari fortunæ favore uſi ſunt Hollandi in mari quoque hoc anno, nam eorum claſſiarii ex Mari Athlantico profecti verſus Indias Orientales, ſuperato Capite viridi cum tenuiſſent littus Guineæ, (eſt alia Guinea nova dicta ſub Polo Antarctico, nec dum ſatis explorata) quæ eſt obverſa tergo Africæ, præſertim Libiæ interiori ad meridiem, abundatque præcipue elephantorum, eboris, aurique, tum & oryzæ, hordei, ovium, avium, piſcium copia, Propugnaculum ibi Hiſpanorum *Mina* vocitatum terra marique obſederunt, primoque cum Nigretis (ita vocantur populi Regionis illius à fluvio Nigrite, arenas nigras volvente, qui eam præterlabitur, Nilo magnitudinis eluvione, piſciumque genere ſimilis, in Æthyopicumque mare exoneratur, & quod ſint nigerrimi) occurrentibus ad littora, acerrime conflixerunt, eoſque ægre ac amiſſis prope quadraginta ex ſuis ad ſylveſtria abegerunt. Deinde triduo continuata oppugnatione, illius propugnaculi præſidiarios Hiſpanos (erant ducenti) ad deditionem coëgerunt, data ipſis fide, ut ſecuri ad Inſulam S. Thomæ præſidiis Hiſpanicis munitam, navigiis tranſportarentur, relicto omni apparatu bellico qui ibi habebatur copioſus.

Minam Guineæ propugnaculum capiunt Hollandi.

Atque ita Hollandi acquiſierunt uſum commerciorum totius illius Regionis, occupato ejus littore, quod univerſum hoc unico propugnaculo Hiſpani ab Anno Chriſti 1520, in ſua poteſtate continuerunt.

Cæterum in Polonia anno præterito acciderat, quod Staniſlaus Daniłowicz Palatinides Ruſſiæ comparandæ ſibi gloriæ militaris cauſa, parvam manum militarium propriis ſtipendiis conductorum, & Coſacorum Præfecturæ ſuæ Corſuni (circiter octingenti erant) eduxerat ultra illorum confinium colonias in deſerta campeſtria, contra Tartaros eò pabulatum prodire ſolitos, non vana ſpe conſequendæ alicujus victoriæ, ſi audaciæ conſilium ſolidius adjunxiſſet. Sed cum juvenili fiducia incaute incederet, poſtpoſitoque veteranorum judicio à caſtris ſuis cuſtodita peditum Coſacorum munitis cum ſolo equitatu longius proceſſiſſet, nec exploratores, aut ullam notitiam de hoſte haberet, repente à Tartaris ex illis campis majori numero concurrentibus circumventus, ut nec pugnare poſſet, abductus fuit in captivitatem ad Cantimirum Murſa, qui ulturus filium ſuum in A. C. 1629, apud Burſtinowo cæſum ſub expeditione Palatini tunc Ruſſiæ Staniſlai Lubomirski, ut ſuo loco adnotavimus, perſuaſus iſtum eſſe filium ipſius, ut pote denominatum Palatinidem Ruſſiæ, cum manu propria interfecit, ſpreto lytro centum millium Talerorum, quod pro ipſius liberatione offerebatur: cadaver ejus curari ac Iaſſios conduci fecerat Palatinus Moldaviæ, illudque hoc anno honorifice remiſerat Zolkieviam: hæreditas vero ampliſſima iſtius juvenis majori parte materna, obtigerat ſororinis Sobieſciis, & paterna eiſdem unà cum aliis cognatis, nempe Martino Firlejo, ac Koniecpolſciis.

Annus Chriſti, 1638.

VErum Annus Chriſti, Milleſimus, Sexcenteſimus, Trigeſimus octavus, iiſdem Hollandis minus feliciter ſucceſſit: cum enim initio menſis Iunii ad Calloum propugnaculum Flandriæ in adverſa Antverpiæ ripa conſiſtens, ſummo ſilentio venientes, illud nonniſi à quadraginta mili-

Hollandi apud Calloum cladem accipiunt.

 mili-

A.C. 1638. militibus cuſtoditum facile intercepiſſent, priuſquam operas ad perſiſtendum ibi neceſſarias exruere potuerunt, ab Hiſpanis, Flandriſque Antverpia, Mechlinia, aliiſque vicinioribus locis magna multitudine celeritateque concurrentibus fuerunt oppreſſi, cæſi mille ducenti una cum filio Vilhelmi Naſſovii (patruelis Henrici) iſtius expeditionis Duce, capti pluſquam bis mille, & in aquis vicini ibi lacus plurimi demerſi, ut è ſex millibus peditum, & ducentis Equitibus; vix tertia pars evaſerit ſalva, impedimentis omnibus cum octuaginta navigiis in poteſtate Hiſpanorum relictis. Ex Hiſpanicis tamen non pauci quoque Ordinum Ductores, una cum ſexcentes gregariis militibus ibidem perierant.

Hiſpani Hollandicos circa Voum invadunt.

Geldriam Hollandi irrito eventu obſident.

Sub finem autem menſis Iulii Hiſpani ulturi illam itruptionem, prope mille ducenti Antverpia nocte emiſſi Bergopſomam cum iviſſent, in ſtationem equitatus Hollandici prope propugnaculum Vou incidentes, pluſquam mille equos ipſis ademerunt; nec paucis cæſis, aliquot Ordinum Ductores captivos abduxerunt, deſideratis tamen ex ſuis prope quadringentis. Et demum Hollandi in fine Auguſti, cum obſidione Geldriam Civitatem cinxiſſent, eam quoque irritam deſerere ſunt coacti: ab obſeſſis enim demiſſo lacu, aquiſque inde late circumſtagnantibus præpediti, quominus caſtra ſua undique prope munite poſſent, ad adventum Lamboy cum exercitu in auxilium obſeſſis, non tentato prælio inde receſſerunt, aliquot tormentis quæ in itinere nimium limoſo hæſerant, hoſti relictis: nihilque aliud hoc anno inſigne egerunt.

Hollandi Dunchercanas naves expugnant.

At ſubſequenti Anno Chriſti 1639, ſub finem menſis Februarii eorum Navarchi claſſem Dunchercanam profligarunt, captis ex ea duabus navibus, ac tribus in arenoſa compulſis, ibique demerſis, aliiſque tormentorum ictibus multum laceratis, & ex claſſiariis prope mille cæſis.

Hollandorum cum Hiſpanis pugna navalis celebris.

Et iterum iidem Hollandici memorabilem (ſimilem prorſus illi quam olim Anno Chriſti 1588, habuerunt Angli cum claſſe Hiſpani Regis Philippi II, apud Caletum) commiſerunt pugnam cum alia triginta ſex majoribus bellicis, & viginti quinque minoribus navibus conſtante claſſe Dunchercam ex Hiſpania contendente; quam primo ſub finem Septembris, per biduanum prope Doveram conflictum ad littora Angliæ compulerunt. Cumque tunc capta una hoſtili navi, & in ſuis navigiis paſſo damno aliquo, deficienre pulvere nittato Caletum receſſiſſent, accitis deinde majori numero ſuis ſociis, navibuſque re tormentaria melius inſtructis, eam circa portum Angliæ Dyneſium hærentem tanto fervore circa finem Octobris oppugnarunt, ut nonniſi ſeptem naves cum Prætoria, ac Architalaſſo Antonio de Oquenda perforatæ Dunchercam, ac aliæ decem ad portus Anglicos evaſerint: undecim magnæ naves, & minores aliquot cum mille quingentis militibus, naucleriſque captivæ Amſterodamum ſunt conductæ, reliquæ vero partim exuſtæ, partim demerſæ una cum plurimis nobilioribus Hiſpanis perierunt. Sed latius iſta recenſere pertinebit ad annorum conſequentium ſcriptores, iidemque revelare poterunt arcanum emiſſionis, ſuſceptæque expeditionis illius claſſis, (Flandria ea tunc non indigebat) ſive pro invadenda Elſpurga propugnaculo Sueciæ, mare Germanicum cuſtodiente, ad avertendum eo bellum ex Germania, ſive ad juvandum Danum contra Hollandos, quibus multæ cum illo Rege fuerunt, tunc contentiones de tributo novo mercatoribus anguſtias Zunt Danicas tranſeuntibus impoſito. Vel quod veriſimilius, cum in Catalonia propter hoſpitia militum à bello cum Gallis propter incurſionem prope Bajonam ad S. Ioan. de Luz, deinde ad Leucatam provocatis introducto populi tumultuari inciperent, externum militem

tem ad eos in officio continendos ex Flandria majori numero adducere,& ejus loco Hiſpanos eadem claſſe conductos in præſidiis Flandriæ ſufficere, conſiliarii Hiſpaniæ Regis voluerunt. A.C. 1638.

In Comitiis vero Generalibus Ordinum Regni Poloniæ ſub finem Martii iſtius Anni Chriſti 1638, inchoatis, potiſſimum (alia habentur in volumine legum publico) de donatione propter nuptias Reginæ novæ facienda agebatur, quod negotium variæ perplexitates de Præfecturis Regiorum bonorum in uſum-fructum eidem Reginæ dandis, diu multumque remorabantur, & Comitiorum tempus præſcriptum ſex hebdomadarum, traxerunt ultra ad decem dies, obſervantiores enim legum publicarum volebant, ut non aliæ, nec cum majori cenſu Præfecturæ iſti donationi addicerentur, niſi eæ quas jam pro ſimilibus donationibus Reſpublica deſtinarat, & in quibus nihil hæreditarii juris uſurpari valeret. Vicit tamen omnem difficultatem ſedulitas Regiorum, qui tali occaſione Reginæ gratiam ſibi conciliantes, præſertim poſtquam pleriqne Nuntiorum pertæſi ſolito longioris moræ, non expectato fine ad propria abierant, liberaliorem donationis iſtius legem conſcribi curarunt: cum cautione tamen quod nonniſi in vita ſua, & quoſque degeret in Polonia Regina, ea gauderet. In eiſdem Comitiis de tributo maritimo apud portum Gedanenſem inſtituendo diſceptabatur, concordique voluntate omnes Ordines, etiam Provinciarum Pruſſiæ ſtatibus conſentientibus decreverunt, ut inſtitueretur exigente Reipublicæ neceſſitate, in qua alia quoque Regna tali ſubſidio atque prærogativa libere utuntur: Ac delegarunt ad illud æſtimandum ordinandumque, tam ex Senatu quam ex Equeſtri ſtatu viros primarios. Quod Gedanenſes impotentius accipientes, plebem Urbanam (plane invitam, & quæ palam obteſtabatur quod Regis mandatis parere mallet) ad tumultuandum pro defenſione (ut ajebant) jurium ſuorum concitabant, militem externum ſtatim conduxerunt, vana oſtentatione, cum à parte Regia nulla vis pararetur, nullus prorſus exercitus conſcriberetur, adeſſentque remedia quibus Rex abſque armorum ſtrepitu jus ſuum tam perſpicuum retineret.

Polonorum Comitia Varſavia 1638.

Poloniæ Reginæ donatio propter nuptias facta.

Poloniæ Ordines conſtituunt tributum maritimum apud Gedanum.

Gedanenſes tumultuantur propter novum tributum.

Hinc deinde ſumpto argumento, ſtudioſiores partium ſtylo certarunt: diverſæque diſputationes circa iſta ſcriptis & typis divulgabantur: ſed à partibus Regiis eruditiores, elegantiores, ſolertioreſque, præſertim Danielis Cruſii, cui defenſores Gedanenſium non reſpondiſſe, ſed veluti anſeres rauci, canoro olori obſtrepuiſſe videbantur: Et inſuper nimium denudarunt heros ſuos, propalam factis ipſorum arcanis, quæ clare teſtantur, eos quicquid habent libertatum, nonniſi a Regibus Poloniæ obtinuiſſe, & quod non obtinuerunt, temere uſurpare certe non poſſe. Verum ſingularius iſta diſcutere, & quomodo largitionibus ſopita conquieverunt recenſere, proximi temporis ſcriptoribus incumbet.

Gedanenſes nonniſi à Regibus Polonis habent libertates.

Ac horum quidem cauſæ nuſquam defuerunt fautores, ſed Coſacis nemo opitulari voluit, & Paulucus eorum Dux una cum ſociis, de quibus ſupra diximus, nec quicquam fidem ſibi ab Adamo Kiſiel Succamerario Ciernicchovienſi ſalutis datam implorando, ſub eiſdem Comitiis capitis ſupplicium tulit, & omnes immunitates una cum oppido Techtimirow iſti ſocietati à Regibus Poloniæ conceſſæ, abrogatæ fuerunt: negotio dato Præfectis bellicis ut aliam expeditionem contra ipſos ſuſciperent, reliquiſque qui talia Comitiorum decreto reſiſterent extirparis, novam normam militiæ Coſacæ ordinarent. Vnde ipſi majori cura in Anno iſto ſecuritati ſuæ providerunt: & cum ille idem Præfectus militaris Nicolaus Porocki contra ipſos moviſſet, ipſi quoque poſt magnas clades Duce Oſtrazino & Skidano apud oppidum Holtew & Lubnia Staniſlao

Coſacorum Dux Paulucus capite plectitur.

Coſacos ad tollendos expeditio decernitur.

Porocki

A.C. 1638. Potocki Ductori tunc patris Regii exercitus illatas, ultra Boriſthenem juxta fluvium Starcza, aſſumpto ſibi alio Duce Demetrio Timoſſewic Hunia denominato, caſtra poſuerunt, eaque vallo foſſaque ac curribus circum diſpoſitis ita munierunt, quod toto menſe Iulio & Auguſto oppugnati, omnes inſultus oppugnatorum repreſſerunt, & excurſionibus ſuis multa damna illis dederunt, pedites Germanos, qui ipſorum caſtris proxime imminebant, facta in eorum ſtationem irruptione, tormentiſque inde ablatis fere omnes trucidarunt, ex equitatu haſtato ſeu Vſſarorum Polonico, qui juſſus (nimium incaute) à Præfecto militiæ, in eorum caſta bene munita irruere conabatur, fortiorem quemque bombardarum jaculis proſtraverunt, ut plures ibi nobiles veteranique milites (meus nepos Petrus Remigiani Piaſecki in illa pugna equo ſuo globo bombardæ trajecto, ægre evaſit extremum periculum) quam in toto bello nuper Pruſſico perierint. Nec ad illos tractatus deditionis elici potuerunt, nullumque ex ſuis Anteſignanis dedere voluerunt, propter fidem Pauluco non ſervatam. Tandem tamen cum Præfectus militiæ, in proximis Comitiis reſtituendas illis fore ſuas priſtinas libertates ſpopondiſſet, promiſerunt quod interim Tribuno a Rege ſibi dando parere, militiamque ſuam nonniſi arbitrio illius, ac in numero ſex millium à Republica dudum præſcripto exercere vellent. Sed neque tunc ipſis promiſſa ſervabantur; nam cum accepta itineris ſecuritate, ſolutis caſtris manipulatim ad propria (præcipuum eorum robut prope duodecim millium cum Filonino & Oſtrazino Tribunis ſeceſſerat inde in Moſchoviam, & aliqui ad Tartaros) dilabeṫentur, plurimi eorum à milite Regio trucidabantur, Privilegia ipſorum in ambiguis Comitiorum deliberationibus manſerunt; quodque magis Tribunus ſeu Commiſſarius illis à Rege nunc unus, nunc alter datus ſtipendia ipſis defraudabat, ſerviliterque eos tractando, nonniſi quæſtum querebat ex ipſorum obſequio, & nil protſus ſpectavit, quam averrit ſæpius incurſiones Tartaricas Coſacis illudentibus novitati conſiliorum ipſius; præſertim cum anno C. 1640, menſe Februario Tartari excurrentes, omne Territorium Pereſlaviæ, Corſuni, ac ditiones Viſniowiecii præſidio Coſacorum poſt illud bellum deſtirutas devaſtarunt, & Koniecpolſcius Dux cum militiis ſtipendiariis eò accurrens, non potuit aſſequi eos abeuntes cum triginta millibus captivis ac præda ingenti. Nullumque penitus operæpretium provenit ex illa metamorphoſi; prætet lucra privatorum & damna Reipub. ingentia, majoraque videbit ætas futura, cum iterum Coſaci injurioſa tractatione ad tumultus concitabuntur, & Reſpubl. loco præſidii Coſacorum vigilis ac gratuiti, pro cuſtodia propugnaculi Hudaci, & contra Tartaros alere tenebitur tardigradum ſtipendiarium, quod ipſi multis querelis accolarum, & tributis agrariis conſtabit.

Coſaci multa damna dant Regis copiis.

Coſaci accepta ſecuritate reſtitutionis ſuorum privilegiorum obſequium promittunt.

Sub iiſdem Comitiis expedierat Rex Vladiſlaus ad Regem Perſarum Nuncium ſuum Theophilum Szemberg, qui facto itinere per ditiones Moſchoviæ, qua cum Armenia majori Perſiæ ſubjecta confinant, pervenerat in Perſidem, & honorifice ſuſceptus ab illo Rege, lauteque habirus, ſtabilierat cum ipſo ſocietatem belli contra Turcam, multoſque inſignes Moſchos ibi tunc captivos liberaverat; ſed dum rediret, tranſgreſſus jam prope Aſtracanum Moſchicum, continenti circa littus maris Caſpii, (ſi navi trajeciſſet illud mare, periculum evaſiſſet) in illo angulo confinium intermedio habitato, à quadam Barbaria nullum Dominum agnoſcente, cum unus ex ejus comitatu inſolentius vectigalis illius tranſitus cuſtodibus ſe oppoſuiſſet, & interpres à Rege Perſiæ datus, ad vicinum Oppidum pro hoſpitio parando præiviſſet, nec ullus ſciret idioma loci, ut excuſaret errorem, concurrens multitudo barbarorum ad jurgium, occidit & Szembergum, & omnes ejus familiares, inter quos etiam periit Dyoniſius Sacerdos

A.C.1638.

cerdos Carmelita; direptaque fuit pretioſa ejus ſupellex, partim à Rege Perſiæ dono miſſa Regi Vladiſlao, partim comparata. Atque ita evanuit omnis fructus illius Legationis.

Zamoyſcius Cancellarius obiit.

Oſſolinio datur officium Vicecancellarii.

Ioannes VVezyk Primas Reg. moritur.

Lipski obtinet Archiepiſcop. Gneſnenſem.

Lubienskiſuccedit in Archiepiſcopatum Gneſnenſem.

Paulo ante hæc Comitia, obierat Thomas Zamoyski, Supremus Regni Cancellarius, die 5 menſis Ianuarii, ætatis annorum quadraginta quatuor, quem Magiſtratum capeſſente de more Petro Gembicki Vicecancellario Regni, iſtius officium contulit Rex Duci Georgio Oſſolinski, Palatino tunc Sendomirienſi, viro excelſi animi ac ingenii, & quantumvis ſublimis faſtigii honore digno. Nec multo poſt eadem Comitia Ioannes Wæzyk Archiepiſc. Gneſnenſis, ſexageſimo tertio ætatis ſuæ anno deceſſerat, inter ſpem & expectationem dignitatis Cardinalitiæ ab Vrbano VIII, Papa ſibi promiſſæ, vir tanto par honori, ingenio acri, & liberali, ac literis artibuſque Politicis plurimum præſtans, eoque in moderando ſtatu publico ſolertiſſimus. In ejus locum favore Reginæ ſucceſſit Ioannes Lipski Epiſcopus Culmenſis frugalior, quo cæteræ virtutes præſertim in tali dignitate, quæ eſt popularitatis hoſpitalitatiſque perpetua officina, facile obſcurantur. Nec multo poſt, nempe A. C. 1641, undecima Maji dolore viſcerum extinctus, dedit locum in eadem Sede Primatiali Matthiæ Łubienski Epiſcopo Vladiſlavienſis ſeptuagenario. Iſti vero in Vladiſlavienſi ſuffectus fuit Nicolaus Albertus Gniewoſz de Olexow, Legationibus ad Imperatorem, Ferdinandum II, & ad ad Ludovicum XIII, Galliæ Regem, tum & munere Secretarii Magni ac Cancellari Reginæ egregie perfunctus.

Caſimirus Princeps Poloniæ Galliæ detentus ſub cuſtodiis.

Caſimirus Princeps Polonia liberatur ex cuſtodiis Gallicis.

Dum autem in Polonia hæc aguntur, Caſimirus Princeps Regis germanus eodem anno 1638, animi cauſa iverat Genuam, indeque transfretabat in Hiſpaniam, ut eam viſeret: ſed cum Marſiliam prænavigaret, deſcendiſſetque in illud littus Gallicum ad refocilandum à tædio ex æſtu marino debilitatas vires, tali labori non aſſuetas, die 9 Maji à præfecto Arcis ibi maritimæ dictæ *Tour de Bouc*, & Oppidi Martegues, cum ſuo Comitatu fuit detentus, abductuſque ad arcem Salona, & deinde Citeronem, ibi ſub cuſtodiis (& quidem ſtrictis quibus ipſemet ſtipendia ſolvere cogebatur) prope biennio hæſit. Nec potuit inde liberari interceſſione Summi Pontificis Romani, neque deprecatoris (Galli objiciebant quod militaverit Imperatori in Germania contra Regem Galliæ, & irruptionem Polonorum in Picardiam nuper factam) literis Regis Vladiſlai, donec miſſus eo Legatus Chriſtophorus Gaſiowski, Palatinus Smolenſci, facta cautione nomine Regio, & Ordinum Regni Poloniæ, quod ea injuria, non eſſet ulla occaſione vindicanda, eum demum in A. C. 1640, reduxit in Poloniam. Non multo poſt A.C. 1643, ſub finem Septembris Loretum, & inde Romam veniens idem Princeps Caſimirus, ſeceſſerat ad agendam vitam quietam in Religione Societatis IESV & quidem (in quo maxime offendit) Rege fratre inconſulto. Sed biennio probationis de more illius Religionis finito, cum perſeverantiam in illo ſtatu profiteri vellet, Innocentius X, Papa non permiſit, utque ſpecioſiori titulo propoſitum illud commutaret, eum in A. C. 1646, Cardinalium Romanæ Eccleſiæ renuntiavit. Rex autem Vladiſlaus expeditis Comitiis, cum aſſidue conflictaretur cum morbis calculi, podagræ, debilitatiſque, ventriculi, perſuaſus à Medicis excurrerat ad Thermas Badenſes ultra Viennam prope Neoſtadium, aſſociatus a Regina, Reginula ſua ſorore, & ſelectiorum familiarium ſuorum comitatu, in quo etiam aderant nonnulli Senatores primarii cum uxoribus: valetudinemque ibi (ſive beneficio illarum aquarum, ſive quod tantiſper uſus fuiſſet moderatiori victu, & abſtinuiſſet à nocuis) recuperarat. Et in reditu Imperatorem (qui interim Pragæ cum Electore Saxoniæ de rebus Imperii conſilia agi-

Vladiſlaus Rex it ad Thermas Badenſes.

A.C. 1638. agitavit) Nikielsburgi in Moravia habuit obvium, biduoque colloquiis, conviviis, laxamentiſque ibi inſumptis, (magnificentiam epularum toto ex tempore tanto hoſpiti ejuſque Comitatui ab Imperatore exhibitarum, profuſioremque in remunerandis miniſtris Imperatoriis Regiam munificentiam, cujus æſtimatio triplo impenſas illas Imperatoris ſuperavit, alii deſcribent) menſe Octobre redierat Varſaviam.

Vladiſlaus Rex fit obvius Fer. III Imperatori.

Curlandia feudum datur Ketlero Vilnæ à Vladiſlao Regi. 1639.

Nec multo poſt conceſſerat in Lithuaniam, totoque ſubſequenti A.C. 1639, ibi manſit, nihilque aliud notatu dignum tunc egit, præter quod Vilnæ ſolenni ritu tradiderat ſucceſſionem Fiduciariam Provinciæ Curlandiæ (multæ querelæ audiebantur in proximis Comitiis, propterea quod non in Comitiis Regni, nec prævio decreto Ordinum, illa Fiducia fuerit tradita) Vilhelmi Ketleri Ducis olim Curlandiæ filio.

Vladiſlao Regi naſcitur filius 1 April A. 1640.

Neoburgicus ducit uxorem Vladiſlai ſororem.

Idem Rex Vladiſlaus poſt diuturnum ſterilitatis metum tandem ad meliores ſpes (ad ultimum irritas) fuit erectus conceptu Reginæ, ex quo in ſubſequenti A.C. 1640, ſuſcepit filium 1 Aprilis die Dominico Palmarum in aurora in lucem editum, Sigiſmundum Caſimirium denominatum. Et paulo poſt A.C. 1642, Varſaviæ in magno Procerum concurſu celebravit nuptias ſororis ſuæ Annæ Catherinæ, collocatæ in matrimonium Principi Palatino Rheni Neoburgico Philippo Vilhelmo, Volffgangi Vilhelmi filio primogenito, eamque abeuntem Cracoviam uſque fuit comitatus. Verum ingens pretii gaza (non erraret qui eam æſtimaret duobus millionibus Talerorum Imperialium ſeu Germanicorum) aſportata cum ea fuit in pecunia ac ſuppellectili aurea, argentea, mundoque omnis generis precioſiſſimo, qualis ex alia quantumvis locupletiori Dynaſtia efferri non permitteretur: idque pro conjugio ad ultimum ſterili. Secundo vero partu Poloniæ Regina ediderat fœminam, A.C. 1643, menſe Ianuario poſt paucos dies extinctam: & demum A. C. 1644, Vilnæ circa tertium partum abortivum obierat 24 Martii, cum omnium opinione Regi marito ſuperſtes futura fuiſſe crederetur. Tuncque primum Vladiſlaus Rex uberioribus lachrymis ac lugubri habitu probavit ſuum teneriorem in eam amorem, ac apparatu ſumptuoſo ejus funus conduxit Cracoviam, condique fecerat in Pontificali Arcis illius Templo. Et cum ad illam pompam funebrem plurimi, iique primarii Senatores conveniſſent, inſtituto conſilio rogavit eorum ſententias, ſi qua ratione juvare poſſet Ferdinandum III, Imperatorem contra molitiones Georgii Rakocii Tranſilvaniæ Principis, qui ſub hoc tempus ſumptis armis, Caſſoviam & diverſa alia munitoria Regii juris in Vngaria loca in nomen ſuum occupabat, pleriſque Proceribus ab obſequio Imperatoris ad ejus partes concedentibus, prætexta cauſa quaſi eorum libertates violarentur, tanto magis ſi Imperator, uti decreverat, filium ſuum primogenitum Ferdinandum IV, faceret inaugurari in Regem Vngariæ, quaſi hæreditariæ ſucceſſionis jure, neglecta prærogativa liberæ Electionis, nec expectato concordi Ordinum illius gentis conſenſu.

Vladiſlai Regis uxor moritur. 1644.

Vladiſlaus Rex tractat de juvando Imperatore in Vngaria.

Ac plerique Senatores ut Regis propenſioni obſecundarent, dicebant illam tempeſtatem poſſe confiniis Poloniæ, præſertim Cracoviæ adferre periculum, & ad eam comprimendam, uti contra communem hoſtem cum Imperatore conjungenda eſſe arma: ſed vicit ſententia aliorum, qui ſuaſerunt, ne Reſpubl. dum non laceſſitur, implicaretur bello alieno, exemplo majorum, qui à ſæculo pluſquam 100 annorum, licet viderint varias bellorum viciſſitudines in illo Regno, eis tamen ſeſe immiſcere noluerint; tanto magis cum eſſent Civilia, ſi quidem in pactis iſtorum Regnorum mutuis expreſſe cavetur, ne unum in alterius facta ſeſe ingerat non vocatum. Vnde Rex deſtiterat à propoſito colligendi militem, qui magno numero pro juvando in Vngaria Imperatore congregari cœperat, & jam aliquæ

aliquæ turmæ eò præceſſerant: ſed miſſo Staniſlao Skárſzewski Secretario ſuo ad Rakocium, ac inde ad Eſterhaſium Palat. Vngariæ, demumq; ad Imperatorem Viennam, cum eis egit, ut ſepoſitis armis querelas ſuas & Ordinum Vngariæ pacifica tractatione (vel ſe ſequeſtro) dirimi ſinerent: repetitaque Legatione ad Rakocium per Chriſtopherum Miroſzewski Secretarium ſuum, hoc idem diligentius urgendo pæne effecerat, niſi Conſiliarii Imperatoris tunc judicaſſent rem indignam fore, ſi Imperator cum ſuis ſubditis pacem tractaret. Atq; cum tali reſponſo Rakocii quoque ac Procerum Civitatumque Hugariæ Legatos dimiſerat Rex, & commoratus Cracoviæ, auditaq; ibidem Legatione Ducis Moſchoviæ ſuper dubiis confinium Severiæ componendis, ad finem menſis Auguſti redierat Varſaviam. A.C.1638. *Moſci Legati pro confiniis Severia* 1644.

Eodem autem anno ſub finem Ianuarii Staniſlaus Koniecpolski Summus Dux militaris obtinuerat inſignem victoriam de Tartaris, qui rati quod hyberno tempore in illis confiniis excubiæ non haberentur, & exercitus ad ſtativa longinquiora inde dimiſſus tam facile revocari non poſſet, præter ſuum morem menſe Ianuario, quo frigoribus aſperioribus in illa regione ſævire ſolet hyems, prodierant triginta mille equites ſelectiores in campos Oczakovienſes, ut inde in ditiones Polonicas prædatum excurrerent. Quò Koniecpolſcius per exploratores cognito, magna feſtinatione cohortes omnes, quarum non paucæ in remotioribus locis hybernabant, convenire juſſit Vinniciam, acceptaque de hoſtis adventu certiori notitia ex relatione unius Tartari à Iacynto Szemberg Centurione Equitum exploratum emiſſo capti, inſtructa acie atque munitis caſtris Ductilibus (*Tabor* vulgo dicitur) verſus Ochnatow proceſſit. Vbi commiſſo prælio Tartari rum primum videntes adeſſe, præterquam ſperarant fortiorem exercitum, & alterum cum Duce Ieremia Wiſniowiecio in proximo advenrare ex Socolovio capto intellexerant, ſtatim à primo frontis aciei præeunte Stephano Czarniecki Lubomierſcii Palat. Crac. cohortis Vicario conflictu in quo ex eis 500 ceciderant, laxatis habenis retroceſſerunt; ſed in fuga plurimi & ab exercitu ſubſequente, & ab excurrentibus à diverſis illius regionis Oppidanis necati, alii vivi capti ſunt, & in tranſitu fluvii *Sina Wodá* dicti, nimium etiam media hyeme lymoſi, à Petro Láſzcz prope mille, ac demum in campis Oczakovienſibus, ubi quaſi in ſecuro loco jam quieſcebant, à Coſacis Zaporovienſibus multo plures conciſi perierant; ultimumque hoc fuit Martialium factorum illius Ducis, nam vix biennio exacto undecima Martii obierat. *Koniecpolſcius profligat Tartaros.*

De cætero pax cum Turcis commutatione Legationum frequenti conſervabatur ſub hoc tempus, tranquillaque erant in Polonia omnia, Ordinum ſtudiis converſis ad tractanda civiliter Civilia negotia, & Comitia publica, in quibus etiam (præſertim A. C. 1643, menſe Februario celebratis Varſaviæ) poſt multos timores, ne rei novitas libertatibus gentis derogaret, pro ſolvendis Regis debitis privatis, liberaliora tributa publica fuerunt decreta. *Vladiſlao Regi donativum à Polonis datum.*

In iiſdem Comitiis, cum Petrus Gembicki ad Epiſcopatum Crac. poſt defunctum proxime in A.C. 1642 ſub finem Martii Bozæcini Iacobum Zadzik evectus, depoſuiſſet Magiſtratum Magni Cancellarii, in eo ſucceſſit Dux Georgius Oſſolinski, Minori Cancellariatu relicto Alexandro Trzebinski, qui mox docuit ſuo exemplo præcocem nimiumque blandientem fortunam eſſe inconſtantem, vix uno anno exacto 26 Iulii A.C. 1644, extinctus, amiſſis primum duobus filiis ante Sacerdotium genitis, & ad majores ſpes quæſito tanto Magiſtratu erectis: mihi vero poſt eum defunctum obtigerat Epiſcoparus Præmiſlienſis.

Nec omittenda ſunt reliqua potiora iſtius A.C. 1644, quod ſub finem ipſius 16 Decemb. in Vielicenſibus ſalis (naturæ unicum in Europa tam mirabile opus) fodinis Bonarovianis dictis, excitatum fuit horrendum incendium à pabulo equorum incautè ad lychnum in imo fundo illius foſſæ ardentem dejecto ac incenſo.

 Tan-

A.C. 1638. Salis fodina Vielicen incendium.

Tantum autem impetum ſtatim ſumpſit, quod illicò operarios, qui intro (forte fortuna pauci) aderant, ac equos ſuffocavit, & nulla ope humana cohiberi potuit, quin dilateretur per illarum cavernarum tot ſæculis eruendo evacuandoque ſale in latum & profundum vaſtè excavatarum, in intimis terræ viſceribus longè abditas ſpecus; duravitque toto ſubſequenti A. C. 1645. & durat, & magis inacceſſa reddidit antra illa fætor ingens ac vapor ab eo incendio excitatus, cum ſummo diſpendio Regiorum emolumentorum, quorum nervus præcipue in pretio illius ſalis conſiſtit.

Vladiſlaus Rex autem poſtquam ſolverat juſta funeri Reginæ Cæciliæ Renatæ uxoris ſuæ, indixerat Ordinibus Regni Comitia ad medium menſem Febr. prædicti A.C. 1645. Varſaviæ, ad ultimum irrito eventu celebrata inter altercationes Nuntiorum Terrarum (Mariſchallum elegerant ſibi Hieronymum Radzieiewski

Comitia Varſavia irrita.

Præfectum Lomzenſem) qui nulla alia negotia publica tractari permittebant, niſi prius abrogaretur vectigal novum inſtitutum de mercibus in Regnum inducendis & evehendis extra Regnum, & reſcinderetur diſtribitio finium Ducatus Severiæ & Smolēſci à Moſchovia anno proximo cum Legato Ducis Moſchoviæ Alexio Leonis Hrehorowicz Iaroslawy, præter formulam in pactis cum eo Duce Polanovienſibus præſcriptam, præſertim addicto eis territorio Turbecenſi cum magno

Leſſczynski Andreas fit Vicecancellarius.

detrimento Ducatus Lith. Renuntiatus tamen fuit in illis Comitiis Vicecancellarius Regni Andreas Leſzczinski in locum Alexandri Trzebinski nuper defuncti.

Sub iiſdem Comitiis Stranguria extinxerat Remigianum Zaleski Referendarium Regni, virum magnæ prudentiæ & peritiæ in publicis negotiis tractandis,

Zaleski Referendarius obiit.

maxime in Legationibus obeundis, ad Duces Sileſiæ, Pruſſiæ, Curlandiæ, & in Livonia, ubi plurimas difficiliores illarum Gentium controverſias feliciter ſæpius compoſuit. Ejus vero ſucceſſore Maximiliano Fredro altero anno defuncto, idem officium Rex Vladiſlaus IV, ultro detulerat ipſius Germano Alexandro Zaleski, viro inſigni, cum primis in moderandis popularibus Comitiorum Concionibus ſolerti. Statim etiam Rex deliberare cœperat de accipienda ſecunda uxore, ac accelerata declaratione propenſionis ſuæ ad Ludovicã Mariam Caroli Gonzagæ Man-

Vladiſlaus Rex tractat ſecundas nuptias.

tuæ in Italia & Niverniæ in Gallia Ducis filiam, prævenit ſtudia Auſtriacorũ, qui ipſum Gallis tali conſortio arctius ſociari ægrè ſentientes, volebant ut potius Leopoldi Archiducis Tirolenſis filiam, ſeu Ducis Hetruriæ ſororem duceret: pro quo animum ejus ſolicitarunt frequentioribus Legationibus, ſed tardius: nempe cum jam negotium illud apud Reginam Galliæ tanti conſilii arbitram per ſuos prodromos confecerat. Nihilque moratus Gerardo Dinoff Palatino Pomeraniæ eò præmiſſo, ut pacta dotalia ſtabiliret, expedierat Legatos Venceſlaum Leſzczynski Epiſc. Var-

Dinoff Palat. Pomerania in Galliam miſſus.

miæ, ac Chriſtopherum Opalinski Palat. Poſnaniæ, qui cum numeroſo ac ſplendido juventutis Polonæ comitatu (plures & ſplendidiores venerant cum Palat. Poſnaniæ, itinere terreſtri; Epiſcopi vero Varmiæ Gedano Lubecum mari vecti, apparatus diviſus à tempeſtate in devia, retardatus fuerat ac imminutus) veſte patria

Leſſczinski Epiſc. Varmia in Galliam.

pretioſiori, auro, gemmis, ornamentis exquiſitis, armis, equiſq; ſelectioribus ad tantum ſpectaculum ſpecioſius inſtructo, Pariſios ingreſſi ſub finẽ Octob. ejuſdem Anni, & magnifice ab illa Aula Regia in occurſum ſuum effuſa excepti. 5 Novemb. in Capella Regia deſponſarunt illam Principem Viraginem Regi Vladiſlao, Para-

Opalinski Palatinus deſponſat Regi Vladiſlao uxorem.

nimphi perſonam agẽte Palatino Poſnaniæ, & Epiſcopo Varmiæ ſacras ceremonias conjunctionis matrimonialis miniſtrante, in præſentia Ludovici XIV, Regis Galliæ octavum ætatis ſuæ annum recens ingreſſi, Reginæq; ejus matris, ac Ducis Aurelianenſis. Inde vero Reginam illam Poloniæ novam à Renata de Bodek Mariſchalla Comitis olim de Guebrian Mariſchalli Galliæ, qui plurimis in bello Germanico fortiter geſtis claris nuper obierat Rotvilli, Vidua relicta, à Regina Galliæ cũ dignitate

A.C. 1638.

tate Legatæ ei ad hoc iter adjuncta, ac ab Epiſcopo Auraſiæ aſſociatam conduxerant per Flandriam, Hollandiam, Veſtphaliam, Holſatiam, Pomeraniam, Gedanum, ubique qua tranſibant triumphantium more ſummis honoribus cumulati; ſed maximè apud Gedanum,ubi prope Monaſterium Olivenſe Princeps Carolus Ferdinandus Plocen. & Vratiſlavien.Epiſc.Regis germanus, cum Legatis Regis Alberto Nicolao Gniewoſz,Caſimiro Leone Sapiha Vicecancellario Lith. & magno Procerum numero occurrens,Reginā ad illam Civitatem ad lætitiam omni armorum, ornamentorum, ſpectaculorum, epularumq; mira varietate & copia inſtructam die 10 Febr. ſubſequentis A. C. 1646.(hyeme ſolito rigidiore) introduxit. Et cum Rex Vladiſlaus eò obviam uti propoſuerat, valetudine impeditus non veniſſet, eam Varſaviam adductam 11 Martii (eodem die obierat Summus Dux militiæ Polonæ Staniſlaus Koniecpolski omine novi alicujus fortè mali Poloniæ imminentis in Templo majori S. Ioan.Bapt.primum ſalutavit, ibidemque ſolenni ſtipulatione ritum hunc ſacrum curante Ioanne de Torres Archiepiſcopo Adrinopolis Legato à Latere ab Innocentio X. PP. ad hoc ſpeciatim dato, confirmavit Matrimonium cum ea Pariſiis per ſuum Legatum contractum; demumque poſt Feſta Paſchatis dimiſerat ejus Comites Epiſc. Auraſiæ Gedanum, & Mariſchallum de Guebrian Cracoviam,ut inde per Italiam reverteretur ad propria. Legatus verò Galliæ Regis Nicolaus de Fleteeles Vicecomes de Bregi remanſerat penes Reginam, donec coronaretur (fuit coronata 15 Iulii ejuſdem A.C. 1646 in Baſilica Pontificali Arcis Crac. licet in parva frequentia Procerum Poloniæ) & confirmarentur pacta dotalia in Comitiis ad finem Octob. proximi indictis Varſaviæ. Inter iſtas tamen nuptiales curas Rex Vladiſlaus etiam alias ſeveriores meditabatur, ac convenire fecerat hoc A.C.1645. Torunii Diſſidentes in Religione Chriſtiana ad Colloquium cum Catholicis. Quò ſub finem Auguſti inchoato, ejus Legatus Dux Georgius Oſſolinski Archicancellarius Regni, in primo (frequentes aderant & Catholici Theologi,& Lutherani,Calvini etiam ex Germania Dogmatiſtæ, ac excludebant à ſuo conſortio Arianos Anabaptiſtas) conſeſſu,enumeratis tanti Regis heroicis actis virtutibuſque hanc ſupremam, quæ & Conſtantini Magni Imperatoris glorioſos coronavit triumphos,nempe fidei Chriſtianæ propagandæ, diſcordeſque de ea opiniones conciliandi ſtudium, magnificis, ut par erat elogiis extollendo, hortabatur ut piò ipſius deſiderio reducendi ad concordiam diviſas de doctrinis Fidei Chriſtianæ ſententias, ad quod hunc Conventum indixit, æquabilibus animis, ſuſpicionibuſque ſemotis obſecundarent.Sed toto tempore ſeſſiones illæ,in quibus præſidebat poſt diſceſſum Archicancellarii alter Legatus Regius Ioan. Leſzczynski Caſtell. Gneſnen. Georgius Tyſzkiewicz Epiſ.Samogitiæ pro Catholicis, Zbigneus Goráyski Caſtell. Chelmen. pro Diſſidentibus,nonniſi circa introductiones propoſitionum variis ambiguitatibus à Diſſidentibus injectis trahebantur ad medium Nouembr. finieruntque. Extant acta illius colloquii Typis diuulgata; de fructu vero ipſorum judicabunt anni conſequentes. Emerat etiam Rex Vladiſlaus eodem anno ab Imp.Ferdinando III.in Sileſia Ducatus Opoliæ & Ratiboriæ cum ſuis territoriis numerata pecunia duodecies centum millium florenorum, adjunctis ad hoc ſummis dotalitiis & debitis in bonis Vittingau ſibi obligatis, de quibus alibi mentionem fecimus. Perſuaſus autem à Legato Veneto Ioanne Tiepoli, quod habiturus eſſet ſumptus à Venetis, à Papa, & à Principibus Italiæ, ſi moueret bellum contra Turcam ad avertendum ipſum ab oppugnatione Cretæ ſeu Candiæ, ut erat avidior gloriæ ſibi comparandæ tam ſpecioſa occaſione, collegerat mox multas legiones non ſolum ex Polonis, ſed etiam ex externis Germanis, Suecis, qui interim in Germania contra Domum Auſtriacam militarunt plurimumque apparatum bellicum conquiri,conduci-

Koniecpolſcius Dux obiit.

Torres Legatus PP. in nuptiis Regis.

Ludovica Pol. Regina coronatur.

Torunii Colloquium Diſſidentium cum Catholicis.

Oſſolinski Cancell. Legatus Regis in colloquio Turcnii.

Vladiſlaus Rex emit Opolium & Ratiboriam.

A. C. 1638.

Vladiſlaus Rex apparat bellum contra Turcas.

ducique fecerat verſus confinia Turcica Leopolim. Ac nonniſi cum magno labore per querelas acerbiores, ut deſiſteret (plane invitus ſemper continebatur à movendis bellis) à tali propoſito, exorari ſe permiſit in Comitiis Varſaviæ A. C. 1646 celebratis, ubi Ordines ad novitatem ſuſcepti belli ſe inſciis, & collecti exercitus ex gente externa numeroſi introducti in viſcera Regni, diſpoſitiq; late in Provinciis exhorruerant, & etiam tam difficilis ac diuturni belli onus ſubire minus conſultum judicarunt, ſatiſq; dixerunt Reſpondiſſe Veneris idem, quod ipſi invitati in auxilium à Sigiſmundo Rege contra eundẽ communem hoſtem in A. C. 1621, reſponderunt, ſe impediri ab auxiliis dandis fœdere pacis, quod cum illo Monarcha ratum habebant. Vnde & alia Comitia breviora in A. C. 1647 menſe Majo fuerunt celebrata, ut abolereтur omnis mentio talis belli. Menſis vero Auguſti proximi die 9 poſt occaſum Solis extinctus diſſenteriæ malo unicus Regis iſtius filius Sigiſ. Caſimirus octavi anni menſem quintum agens, fefellit ſpes & deſideria Polonorum,

Vladiſlai Regis filius moritur.

Patremq; Regẽ afflixit nimium: Sed ſocii talis doloris non defuerunt; primo Vere obierat quoq; primogenitus Daniæ Regis Chriſtiernus V, nulla relicta prole cum Sibilla Saxoniæ Electoris filia, & paulo ante in A. C. 1646, 9 Octob. obierat filius unicus Regis Hiſpaniæ Baltaſar Carolus annorum 15, cui jam deſponſabatur filia Imp.

Daniæ Regis filius moritur.

Ferdinandi III. Anna Maria, quam poſtea accepit in uxorem ipſemet Rex Hiſpaniæ ſub finem iſtius A. C. 1648, deducendam in Hiſpaniam; ac 13 Martii illiuſmet A. C. 1647, deceſſerat Henricus Vilhelmus Princeps Auraniæ, Dux celebris Hollan-

Hiſpaniæ Regis filius moritur.

dorum, quorum rem auxit glorioſis victoriis, & fratrem ſuum Mauritium æquavit, præter prælium Neupotranum. Eodem A. C. 1646, 13 Maii, Maria Infans Hiſpaniæ, Ferdinandi III Imp. uxor, ex doloribus partus idẽ naturæ debitum ſolverat, & in ejus locum Imperator initio Iulii hujus A. C. 1648, duxit uxorem Archid. Leo-

Hiſpaniæ Rex ducit uxorem.

poldi filiam ſecundo genitam Leopoldinam nomine Oeniponto. Demum vero priuſquam iſta recuderentur, dedit locum alteri filio ſuo Friderico III. Rex Daniæ Chriſtiernus IV nona Martii, A. C. 1648 extinctus, eumq; ſequutus eſt 20 Maii in

Henricus Auraniæ Dux moritur.

galli cantu Vladiſlaus IV Rex Poloniæ Merecii in Lithuania anno ætatis ſuæ 52 menſis 11 die 11 oppreſſus febri maligna, quam Medici imperiti propinatione Antimonii malè præparari auxerant, (præſtat ſilere quam loqui quid infideliter de ejus

Imperatoris uxor moritur.

vita) reliquitq; conjugem orbam, & magis Regnum, quod ſub ipſius agonia cladem eo horribiliorem, quod à gente ruſtica ſubditaq; accepit, mera imprudentia Ducum, qui dum unius ex Coſacis ſeditioſi (ob injuriam atrociorem à Præfecto domi-

Ferd. III ducit ſecundam uxorem.

cilii ſui Corſuni acceptam) Bogdan Chmielnicki dicti inſolentiam incautè perſequuntur uſque in Campeſtria deſerta, omnem Coſacorum ſentinam jam exacerbatorum acceptis diverſis à Præfectis locorum injuriis, tum & à Tribunis ſeu Commiſſariis apud eos Regiis, quaſi ſtipendia ipſis retardarent, & eorum obſequio in

Rex Daniæ moritur.

ſuos quæſtus abuterentur, facile ad ſeditionem provocaverunt. Vnde primo præmiſſam ab eis cum Stephano Czarniecki, & Stephano Porocki expeditionem manum, apud fluvium *Zolta Wodá* dictum interclusam, ille ſeditioſorum Coſacorũ du-

Vladiſlaus Rex moritur.

ctor Bogdanus Chmielnicius adſcitis Tartaris, qui in illis campis propè in paſcuis degebant, oppreſſit, & in ſervitutem ex pacto Tartaris omnes qui pugnæ ſuperfue-

Coſacorum rebellio.

runt abducendos permiſit die 16 menſis Maii, ac majori numero Coſacorum ad ſe aggregato, paulo poſt 26 Maii conſequutus Nicolaum Potocki (Staniſlai Koniecpolski in Caſtellania Cracoviæ quæ eſt prima Dignitas Senatoria, ſucceſſore Iacobo Sobieski maturius defuncto. ad eandem Caſtellaniam & ſimul ad ſummam Præfecturam militiæ idem Porocius fuerat promotus, ex Palat. Braclaviæ & minori Præfectura militari) Generalem, & Martinum Kalinowski, Palat. Czerniechoviæ, Minorem Præfectum Exercitus Regni, in illis campeſtribus circa fluvium *Roſia* inopinate in currus & impedimenta Caſtrorum Tartaros irruere fecit, circa

quo-

A.C. 1638.

quorum direptionem & defenſionem, cum acie decernere non daretur, confu-ſis Ordinibus in tanta hoſtium multitudine (erant Tartari 30 millia, & Coſaci 20 millia) univerſus pænè ille quatuor millium Equitum & mille peditum exercitus, prædæ illius colluviei ex Coſacis ac Tartaris conflatæ ceſſit, uterque Dux

Tartari diſſipant Caſtra Polonorum.

captus à Tartaris, & plerique ex militibus veteranis, paucis per confertos hoſtes pugnando, aliis ex manibus Tartarorum elapſis cum Conſtantino Klobukowski, Vexillifero turmæ Equitum haſtatorum Georgii Lubomierski Præfecti Cracoviæ, & ex illis qui evaſerant, plurimos ruſtici Græci Schiſmatis Coſacis addictiores in itinere mactabant.

Potocius & Calinovius Præfecti capti.

Hieronimus Sieniáwski adjutus ab uno ex Tartaris, qui apud ipſius Patruum aliquando fuit liberaliter habitus, promiſſo levi lytro cum omnibus ſuis domeſticis ſtatim à loco conflictus evaſerat.

Sieniawski liberatur ex clade.

Magnus autem metus invaſerat totam Poloniam ex illa clade, ne Tartari pervagarentur omnes ejus regiones, ad tam inſperatum malum imperatas, qui tamen præda onuſti maluerunt tunc reverti ad propria, territi fama concurrentium eò ab omni parte exercituum, præſertim quod Dux Ieremias Wiſniowiecki mox excurrerat in illa Campeſtria cum aliquanta armatorum manu, & conjuncta opera cum Ianuſſio Tyſzkiewic Palat. Kijoviæ, diſſipabat graſſantium turmas Coſacorum.

Wiſniowiecius opponit ſe Tartaris.

Conſcribebantur etiam ſubito milites per totam Poloniam, & tranſibant celerius ultra Leopolim, ad condictum campum apud Oppidum Gliniány, ut inde progrederentur quo neceſſitas ſuaderet. De cætero more veteri celebrabantur Actus Interregni, ad diem 25 Iunii indixerat, ut ejus eſt officii, Primas Regni, Archiep. Gneſnen. tunc Matthias Lubienski Conventus Terrarum, & ad 16 Iulii Convocationem Generalem omnibus Ordinibus Regni Varſaviam, in eaque Nunciorum Equeſtris Ordinis munus Mariſalli obeunte Boguſlao Leſzczynski Præfecto Generali Majoris Poloniæ concordibus ſententiis indictum fuit tempus Electionis novi Regis ad menſem proximum Octob. ac eo rejecta moderatione controverſiarum inter ſtatus & religiones, omnes pace Interregni tunc ſancita æqualiter gaudere permittebantur.

Polonia tota ad arma conclamat.

Poloni conſultant de electione Regis.

Quis porro ex Principibus duobus filiis Sigiſmundi III Regis habiturus ſit potiora ſuffragia in Electione hujuſmodi, in conſequentibus apparebit, præter quod in principem Ioannem Caſimirum (paulo ante dignitatis Cardinalitiæ ſibi ut alibi attigimus delatæ inſignia remiſerat ad manus Papæ) ſuffultum prærogativa ætatis primogenitæ & hæreditarii tituli Regis Sueciæ, propendent magis quam in Principem Carolum Ferdinandum omnium vota & deſideria.

Triſtiora quoque interim acciderant. Illo enim armorum apparatu & progreſſibus irritati Coſaci, majori numero congregabantur, & etiam plebes Græci Schiſmatis illarum regionum ruſticas pertinacius inſenſas Ritui Latino, Dominiſque ſuis *Vnione*, ut vocant, iſtos Ritus confundentibus, & quod ab eis colonaria (plerumque ibi Nobiles fundos ſuos locant Iudæis inſatiabili avaritia augendis poſſeſſionum cenſibus aſſuetos) immenſa extorquent, quaſi pro eorum Religione & libertate aſſerenda ageretur, ad Rebellionem concitarunt, ut meliora oppida, Kijoviæ, Ruſſiæ, Volhiniæ, Braclaviæ, & Lithuaniæ confinia, tum & Podoliæ (ibi latè circa Cameneciam ruſticam gentem ad ſeditionem quoque converſam, pluribus cladibus compeſcuit Staniſlaus Lanckoronski, Caſtell. Haliciæ) expilarint, & Nobiles plurimos locorum Dominos occiderint, alios omnibus bonis ſpoliatos exulare coëgerint. Ad eos verò coërcendos cum Exercitus Regni apud Gliniány congregatus, cujus Præfectura Suprema Dominico Duci de Oſtrog, & ſecundaria ejuſdem cura Nicolao de Oſtrorog, tum & Alexandro Koniecpolski Vexillifero Regni additis æquo pluribus Conſiliariis, à Primate & in Convocatione Ordinum Varſaviæ fuerat commiſſa, ultra Oppidum Conſtantinovo conductus, poſt proſpectiores, licet iniquiſſimo loco, congreſſus, & cædes in illis rebellibus, permi-

A.C. 1638. ſtis quinque millibus Tartaris à Tohaybei Murſa conductis, à 20 Septemb. apud Caſtrum Pilawcc editas, 23 ejuſdem menſis pugna non iniquo Marte bipartito finita, veſpere repentè (ad rumorem quaſi 60 millia Tartarorum in proximo adventarent) conclamavit receptum ſine ordine, (multitudo imperantium confuſionis cauſa) ſine lege, nec dato ullo ſigno ad colligenda impedimenta, unde Coſaci, qui jam fugam parabant, ſumpta audacia, & novo execrabili perduellionis exemplo, majori numero Tartarorum cum Galga advocato, excurſionibus factis, omnes illas regiones Ruſſiæ verſus Leopolim, Zamoſcium, Craſnoſtavum, Breſtiam Lithuaniæ, Premiſliam Iaroſlaviamque, cædibus, incendiis, rapinis, prædiſque agendis miſerabiliter vaſtarunt. Quæ paucis ſignaſſe ſufficiat, ne excidant ſcripturis explicatius ſeriem iſtorum annorum poſt Annum Chriſti 1638 ſubſequentium.

Et ut Orientalia quoque confinia Poloniæ breviter perſtringamus, Turcarum Imperator Amurates hoc Anno 1638 à quo digreſſi ſumus præferebat, quod per fines Poloniæ pone mare Euxinum eſſet iturus ad recuperationem Arcis *Tanas* ſive *Azak*, Anno præcedenti à Coſacis Moſchis incerceptæ: ſed ille dilato in aliud tempus hoc ſuo conſilio, iteratam expeditionem contra Perſas ſuſcepit, ac ipſemet ad eam ivit, convocatoque quadringentorum millium exercitu, Babiloniam obſedit, alium vero exercitum cum Baſſa Arabico ab Arabia circa Otmuſium (habuerunt ibi Luſitani navigatores pro ſuo receptaculo munitiſſimum oppidum, ſed ante 20 annos illud expugnavit, & cæpit Rex Perſiæ) in Perſidem recta tranſire, & tertium cum Baſſa Syriæ montes Taurinos Babiloniam à Perſide dividentes inſidere juſſit: ut ita & à tergo imperitus, & in medio interclusus Rex Perſarum Babiloniæ ſubvenire non poſſet. Quod ei ex voto ſucceſſit, totoque obſidionis illius tempore nullum à foris impedimentum hoſtile ſenſit; ſed Perſæ propugnatores illius urbis qui erant 30 millia veterani, diutius ipſius inſultus diſtinuerunt, & eruptionibus continuis multas cædes edebant, in quibus prope centum millia Turcarum occubuiſſe ferebantur, præter eos, quos lues peſtifera in illis caſtris exorta extinxit.

Babiloniam obſidet Turca & capit.

Continuè tamen ex Syria, Ægypto, totaque Aſia novis ſemper magno numero confluentibus ad ea ſupplementis, illa obſidio magno fervore ad quartum menſem continuabatur, operiſque ac aggeribus immenſa mole circum Vrbem excitatis obſeſſi fuerunt conſtricti, & demum dejectis vi tormentorum in locis pluribus mœniis, incurſionibus, in quibus etiam ipſemet Amurates urgendo opus frequenter aderat, acerrimè oppugnabantur: tandemque à multitudine Turcarum in Vrbem irruente omnes fuerunt contrucidati. Interim vero Claſſis Venetæ Præfectus Marinus Capello ad cuſtodiam maris Adriatici emiſſæ, cum in eo mari inveniſſet aliquot pyratarum celoces, eas perſequens, & conſequutus circa littora Macedoniæ in portum Turcicum *Valona* dictum (Apolonia, olim Colonia Corinthiorum, ubi Auguſtus Cæſar Græcas diſcebat litteras) irrupit, & non ſolum pyratarum illorum naves, ſed & multas alias ibi ſubſiſtentes exuſſit, ipſumque Oppidum vaſtavit, eodemque fervore alias naves Turcicas mercatorias paulo poſt in mari Ionio deprehenſas intercæpit, omneſque Turcas eis vectos in aquas præcipitavit, ac quaſcunque obvias naves Turcicas, non ille ſolum, ſed etiam inſulæ Candiæ ſeu Cretæ præſidiarii excurrentes, perſequebantur hoſtiliter.

Venetorum Claſſis expugnat pyraticas naves Turcicas.

Venetorum Legatus Conſtantinopoli traditus cuſtodiis.

Quod ægerrimè ferens Turca, Aloyſium Contarini Legatum Venetum (Bajulum vocant) Conſtantinopoli tunc degentem comprehendi, atque in cuſtodia arctiore ad ſuum reditum detineri fecit, claſſemque in omnibus ſuis portubus apparari juſſit, cum qua illam injuriam cum primum reverteretur à Babilonia vindicaret.

Turca vult inferre bellum Venetis.

Vnde

Vnde Veneti quoque majori numero bellicas naves armaque comparabant, & auxilia à Summo Pontifice, Rege Hiſpaniæ, Principibuſque Italiæ conquirebant, fiducia rei bene gerendæ concepta inde, quod crederent Turcam bellum Perſicum non tam facile, nec tam cito expediturum. Verum ut intellexerunt eum capta Babilonia, totaque illa Provincia ſubjugata, victorem inde reverti, ac Legatos à Perſiæ Rege ſupplices pacem petentes ad eum venire, remiſerunt multum ex illo ardore, & maluerunt uti compendio, ſolveruntque ſummam pecuniæ, quæ pro inchoando ſolum bello vix ſuffeciſſet, (ut fertur, trecenta millia nummorum aureorum quos Venetiis vocant Cechini) pro damnis illatis, ut æſtimabantur à Turca, ac donis, honorariiſque inter Baſſas (ſunt avariſſimi) diſtribuendis.

A.C. 1638. *Veneti redimunt pacem.* *Sabaudiæ Vidua indicit bellum Mediolani Gubernator.*

Tanto vero conſultius prætulerunt bello difficili pacem hanc precariam, quod auxilia licet promitterentur, certo ſperari non poſſent à Principibus Chriſtianis, inter quos graviora in dies diſſidia gliſcebant; præſertim in Italia, ubi hoc A. C. 1638, Victorii Sabaudiæ Ducis nuper defuncti viduæ Gubernator Mediolani Marchio Leganenſis denuntiavit bellum, eò quod Galli illius ditionis certa loca (hanc cauſam belli ipſe in ſuo denuntiationis publico edicto aſſeruit) nempe Pinarolum & Suſam (à multis retro annis) tenebant, ac Vercellas obſedit, cœpitque poſt brevem oppugnationem. Deinde mortuo in hoc Anno menſe Octobris ejuſdem viduæ filio primogenito ſeptenni Franciſco, licet ſuperſtitis alterius ejus fratris quinquennis Caroli Emmanuëlis hæredis illius Principatus eadem mater legitimam gereret tutelam: tamen Patrui ipſius, Mauritius Cardinalis & Thomas Princeps Sabaudiæ tutoriam poteſtatem ſibi arrogârunt, ſive ab Imperatore emendicârunt, eaque prætexta ſubditos contra Viduam ad rebellionem concitârunt, & plura loca illius ditionis occupârunt. Ac creſcentibus iis contentionibus, cum in Anno conſequenti Rex Galliæ viduæ illi ſorori ſuæ copias auxiliares miſiſſet cum Cardinali Valetta, crudele bellum ibi exarſit, cum ab una parte Gubernator Mediolani pro Hiſpanis infeſtis armis illam Regionem invadens, Aſtium, Villam, Creſcentinum, Veryam, Taurinum, Ponteſturam expugnabat: & ab altera parte Principes Sabaudi Inuream, Nicæam, maritimaque loca occupabant: Præcipueque Thomas Princeps Taurinum Ducalem ſedem, quam longa obſidione & oppugnatione, manu cum Gubernatore Mediolani conjuncta capere non poterat, dolo & Civium conſpiratione adjutus, nocte intempeſta, dejectis vi machinarum portis, intercepit. Arcem tamen (Citadellam vocant) ad quam vidua Princeps in eo armorum tumultu ægre evaſerat, Galli ſtrenue defenderunt, Bangam, Chivaſium, ac nonnulla alia oppida ab Hiſpanis recuperârunt, ac defuncto ex laboribus bellicis Cardinali Valetta in Anno Chriſti 1640, ſuffectus à Rege Galliæ illi bello Dux fortior Comes Arcourt illum Gubernatorem Mediolani menſe Majo Caſalium in Monteferrato obſidentem clade ingenti, qualem à multis retro annis Hiſpani non acceperunt, affecit, ab obſidioneque illa rejecit, capto omni Caſtrenſi impedimentorumque apparatu. Converſuſque inde Taurinum obſidione ad menſem Septembrem continuata ita coanguſtavit, quod Hiſpanos in auxilium obſeſſis venientes ſæpius profligavit, & ad deditionem, data Principi Thomæ ejuſque militibus abeundi ſecuritate, illam Civitatem coëgit, viduamque Principem triumphali pompa ea reduxit, ut illius conſequentiſque temporis ſcriptores uberius deſcribent.

Vercellas capiunt Hiſpani. *Sabaudiæ Dux Franciſcus moritur.* *Sabaudiæ Principis tutores.* *Sabaudiæ Ducatus miſere dilaceratur.* *Taurinum intercipit Thomas Princeps Sabaudiæ.* *Galli Arcem Taurini retinent & defendunt* A.C. 1640. *Hiſpani ab obſidione Caſali cum clade rejiciunt* A.C. 1640. *Arcourt Gallorum Dux Taurinum coëgit ad deditionem 15 Septembr.* 1640.

Omnium autem iſtorum bellorum unica cauſa, rationes ſtatus Domus Auſtriacæ, ne hoc quidem anno ad aliquod temperamentum reduci potuerunt: Conventuſque ad hoc Coloniæ Agrippinæ indictus, quo minus initiaretur, nunc

Colonia indictus Conventus ad pacem tractandam, irrito eventu ſolvitur Anno Chriſti 1640.

A.C. 1638. nunc hæc, nunc illa excuſatio obſtitit: maxime ea, quod Imperator nollet admitti ad eum Hollandos; hacque ſublata difficultate cura Legatorum, Venetorum, alia emerſit de non dando ibidem loco filiis Friderici Comitis olim Electoris Palatini, ac Principibus Germaniæ Fœderatis, quaſi indignitas eſſet Imperatori, ſi cum ſuis ſubditis, iiſque bello devictis pacem tractaret. Atque in his aliiſque ſimilibus dubiis diſputandis integrum triennium effluxit: demumque ne tentata quidem tractatione concordiæ, Colonia Legatus Papæ Cardinalis Ginettus cum aliis qui eo convenerant, diſceſſit. In dies etiam periculoſius bella hæc exardeſcebant: & ut ſupra attigimus à morte Ferdinandi II, Imperatoris fortunas Auſtriacas gravius laborare cœpiſſe, hoc anno præcipue apparuit.

Ginettus Cardinalis Colonia diſcedit 1640.

Bernardus Dux Vinmarienſis profligat Cæſarianos in Alſatia 1638.

Cæſariani Duces 4. capti.

Reinfeldiam capit Dux Vinmarienſis.

Briſacum obſidet Dux Vinmarienſis.

Ferdinan. III Imper. Comitia Poſonii Vngarica celebrat.

Initio enim iſtius Anni Chriſti 1638, ſub finem Februarii, circa Reinfeldiam apud Buquenum in Alſatia Bernardus Dux Vinmarienſis facto acerrimo cum Cæſarianis Bavariciſque quadriduano conflictu, omnes illas copias, paucis per ſylvas in agros Virrembergenſes Tullingam verſus elapſis, profligavit, Præfectos eorum Ducem Savellium, Ioannem Verth, Echenfordium, Sperverterum, cum plurimis Primariis Ordinum Ductoribus cepit, captivoſque (Savellius paucos poſt dies cura ſui famuli eluſis cuſtodiis aufugerat) Pariſios ad Regem Galliæ amandavit. Parta autem hac victoria, liberius in Alſatia graſſabatur, Reinfeldiam obſidione arctiori ab utraque Rheni ripa cinxit, & poſt acrem oppugnationem ejus defenſores de ſubſidiis deſperantes ad deditionem 25 Martii faciendam adegit, data militaribus ac advenis ſecuritate alio migrandi. Deinde caſtro Roteliano, Calmaria, Neoburgoque ad Rhenum initio Aprilis potitus, Friburgum Briſgojæ oppugnavit, cepitque. Ac menſe Majo Briſacum illius Regionis caput obſedit. Interim Imperator Ferdinandus III, Comitia Ordinum Vngariæ Regni Poſoniæ celebravit, fecitque Imperatricem coronari inſigniis Regalibus Vngariæ. Et ejus exercitus in Weſtphalia proſpere rem gerebat, Meppenam oppidum munitiſſimum Epiſcopatus Monaſterienſis, quod Carolus Ludovicus Comes Palatinus, Friderici Electoris filius à Suecis redemerat, ut ibi refugium, armamentariumque haberet, ejecto præſidio Suetico ac Palatinali recuperarant, ac iterum menſe Octobre Duce Comite Hatsfeld, ipſummet Carolum Ludovicum Comitem Palatinum poſt longum cruentumque prælium, in quo ex Cæſarianis quoque plurimi inſignes Tribuni cum Comite Petro Gerzio occubuerant, apud Lamgojum Comitatus Lippienſis oppidum vicerunt, ejus fratrem juniorem Rubertum ceperunt, captivumque ad Ducem Bavariæ ablegarunt, deinde Cloppenburgum ac Vechtam Suetico præſidio vi extorſerunt.

Cæſarianorum in VVeſtphalia felices progreſſus 1638.

Hassfeld profligat Carolum Palat. Rheni.

Rupertus filius Palatini Rheni captus menſe Octobr. 1636.

Volgaſtum & Garcium in Pomerania recuperant Sueci 1638.

Sueci Cæſarianos profligant in Mart. 1639.

Briſaci obſidio continuatur.

Getzſius Tribunus Cæſarianus ſuperatur à Vinmarienſibus.

Collato tamen calculo, majora damna ſentiebant Cæſareæ partes; in Marchia enim & Pomerania Sueci Garcium, Volgaſtum, plurimaque munitiora loca tum recuperarant, viribuſque aucti, paulo poſt cum Duce Ioanne Bannero, invaſerunt Saxoniam, Alſatiam, Luſatiam, Sileſiam, Boëmiamque, ibique Cæſarianis ad Reichenbacum circa Egeram, Anno Chriſti 1639, ineunte Martio, & iterum initio Aprilis apud Chemnitium, ac tertio apud Brandiſum ſub finem Iunii acri prælio ſuperatis, eorumque Ducibus Saliſſio, Paradiſio, Comite Bucheimio, Vanglero, Hoffcherchio, plurimiſque aliis cum quadraginta ſignis militaribus; omnibuſque impedimentis captis, toto anno ſubſequenti, 1640, obvia quæque, etiam ſub ipſis Pragæ mœniis devaſtabant, ſecurique poſtmodum circa Luremiriciam, Mielnicum, Budiſſinumque conſiſtentes hybernatunt. Nec minus vacillabant res Cæſaris in Alſatia, ubi Bernardus Dux Vinmarienſis cœptam obſidionem Briſaci, adſcitis ad eam majoribus Gallorum auxiliis, ferventer continuabat, Cæſarianoſque cum ſuo Præfecto Comite Getzſio

ſup-

A.C. 1638.

ſuppetias obſeſſis venientes initio menſis Auguſti, magna in eis edita ſtrage rejecit: ac medio menſe Octobre Colmaria, ubi ſubſiſtebat, obviam ad oppidum Sennam Carolo Duci Lotharyngiæ commeatum obſeſſis Briſaci conducenti, profectus, commiſſo prælio, ejus copias (erant duo equitum & tria peditum millia) diſpetſit, plurimis cæſis & captis cum omni inſtrumento bellico; & tandem ſub finem menſis Decembris iſtius anni, poſtquam pontem Rheni exuſſit, ac propugnacula exteriora inter acerrimos cum obſeſſis quibus Reinachius præerat, congreſſus expugnaverat, deditionem Civitati ad extremam annonæ penuriam reductæ imperavit: atque totam Alſatiam redegit in ſuam poteſtatem, Civitate illa capta. Neque hoc contentus, ſtatim relicto ſufficienti Briſaci præſidio, omnem ſuum exercitum in Comitatum Burgundiæ traduxit, ibique interceptis circa Mortaum tranſituum anguſtiis, Pontarlum, Ioux, S. Hyppolitum, Franchimontum, Sanclaudium cepit, omniaque illa territoria ad ſuppeditandum Briſaco magna copia commeatum, tum & ad danda hoſpitia, ſtipendiaque ſuo militi ſolvenda adegit.

Bernardus Dux Vinmarien. profligat Lotaryngiæ Ducem.

Briſacum deditur Duci Vinmarienſi in fine Decemb. 1638.

Bernardus Dux Vinmarienſis in Burgundia multa loca occupat 1639.

Major autem armorum vis contra omnes ditiones Auſtriacas è Galliis erumpebat; illa enim gens denuntiatione belli, de qua ſupra diximus, & inſuper Hiſpanorum in Iuſulas Marſiliæ, tum in fines Aquitaniæ ad Bajonam & S. Ioan. de Luz. ac in agros Narbonenſes irruptione provocata, quaſi vinculis legum pacis ab eis diſruptis ſoluta, lubens arripuit occaſionem ſibi oblatam recuperandi ea quæ olim amiſerat poſt captivitatem Regis Galliæ Franciſci I, ad Paviam, facta cum Carolo V, Imperatore pace, (dubitant docti an pactis illis Valeſiæ familiæ teneatur familia Borbonia, niſi ea confirmarit) ac a ſubſequentibus Regibus Galliæ euſque ſervata. Omnibuſque controverſiis vetuſtis de Comitatu Burgundiæ, Arteſia, Mediolano, Neapoliſque ac Navarræ Regno, quæ illa pactione Franciſci I, ac Valeſiorum, Cum Carolo V, Imperatore fuerant ſopitæ, quaſi redivivis reſumptis, univerſi illius Regni Ordines ad eas perſequendas majori concordia, quam pro ſolo fœdere Germaniæ (pro iſto diſſentiebant invicem) juvando, ſtudia ſua ac operas promptas contulerunt, pluresque exercitus armarunt. Cum quorum uno Dux Longevilla in Comitatum Burgundiæ ivit, & poſt difficile ancepſque cum Carolo Lotharyngiæ Duce certamen, Polignium oppidum ſub finem Iunii expugnavit, ac ejus Arcem quæ diutius reſtiterat, ad deditionem coëgit, demumque & oppidum Arbois cepit. Nec multo poſt in ſubſequenti A. C. 1639, cum Dux Bernardus Vinmarienſis ætatis 35, ann. extremum diem obiiſſet ſeptima menſis Iulii, omnia loca Bürgundiæ ab eo capta Gallicis præſidiis fuerunt munita: & etiam Briſacum, ac Rinfeldia, totaque Alſatia in nomen Regis Galliæ juravit, præſidiaque ipſius ac gubernatores ſuſcepit, licet à principio ſocii fœderis Germaniæ partem in Dominatu illarum Provinciarum (impenſis ſtipendiiſque Gallicis fuerunt quæſitæ) retinere voluerint. Cum alio exercitu Dux Caſtilonius in Arteſia oppidum S. Omari Caleſio vicinum & infeſtum (alii vocant Audomatum de nomine S. Audomari Morinorum Epiſcopi, qui floruit circa Annum Chriſti 650,) menſe Iulio obſedit: & licet inde à ſubſidiis Hiſpanicis ex Belgio cum Thoma Principe Sabaudiæ ac Equite Melitenſi Piccolomio advenientibus fuerit rejectus, multis ex ſuis amiſſis, & plurimis impedimentis in manibus hoſtium relictis, tamen multam vaſtitatem illi Regioni tulit, ac conjuncta manu cum Principe de Breze, ſub finem menſis Septembris Crevecouram ejuſdem Regionis oppidum armata manu expugnavit. Subſequentique Anno Chriſti 1639, iterata expeditione idem exercitus Gallicus, Heſdinum, muniſſimum illius Provinciæ Arteſiæ finitimum propugnaculum poſt operoſam longamque oppugnationem, quam Rex ipſemet Galliæ in vicinia

Galli veteres ſuas injurias cum Hiſpanis renovant.

Poligniam Dux Longevilla capit.

Bernardus Dux Vinmarienſis moritur in Iulio 1639.

Briſacum jurat fidelitatem Regi Galliæ.

San Omarum Galli obſident irrito eventu.

Heſdinum obſident Galli & capiunt A.C. 1639.

Abeavillæ

A.C. 1638. Abevillæ interim ſubſiſtens, ac ad caſtra ſua identidem adventans ſollicitabat, (interim Forquierus cum alio exercitu Gallico in obſidione Theonvilli magnam cladem acceperat, quam tamen Galli paulo poſt Annum Chriſti 1643, menſe Auguſto cum Duce de Anguien trium menſium oppugnatione ceperant) & iterato prælio Hiſpanicis copiis, obſeſſis auxilia ferentibus rejectis, ad deditionem coëgit.

Galli cladem accipiunt apud Theonville.

Iterumque Anno Chriſti 1640, Dux Sciatiglion ab illo Rege miſſus, ejuſdem Provinciæ Metropolim Atrebatum, nec quicquam Cardinali Principe Hiſpaniæ Gubernatore Belgii cum multo exercitu, & cum magna ſtrage (ibi inconſiderata fortitudinis jactantia inter Hiſpanica agmina pugnantes Poloni Comites ultimi hæredes ſtirpis ſuæ de Zozrażew, graviora ab ictu jaculi bombardæ vulnera acceperunt, ex quibus major natu Chriſtopherus obiit, alter junior Iacobus ægrè convaluit) ſuorum propugnante, ſumma vi cepit. Cumque mox in Anno Chriſti 1641, idem Rex aliam expeditionem in Arteſiam inſtituiſſet, & quo ab ea averteretur, Principes Malecontenti, præſertim Ludovicus Comes Sueſſionum, Dux Bullionæus ac Guiſius Caroli filius Archiepiſc. Remenſis apud Sedanum collecto exercitu, Hiſpaniciſque cum Lamboyo ſubſidiis ex Belgio acceptis commotionem gravem excitaſſent, Regii cum Mariſchallo Sciatilione ipſis oppoſiti, licet inclinata ſua acie prope ſuccubuerant, tamen cæſo in eo conflictu Comite Sueſſionum illius conſpirationis anteſignano, omnem illam conjurationis cataſtrophen (ei confiſus etiam Carolus Lotharyngiæ Dux concordiam ſatis honeſtam cum eodem Rege initam & juratam reſciderat) diſſiparunt, & Civitatem Arteſiæ Ariam poſt longam difficilemque oppugnationem Duce Mariſchallo de Milleraie ceperunt. Demum vero Bapames oppidum munitiſſimum & retinendo Atrebato opportunum in ſuam redegerunt poteſtatem, compenſaruntque damnum Ariæ, quam priuſquam neceſſario commeatu muniri potuiſſet, novus (obierat interim nona menſis Novembris Bruxellis Ferdinandus Cardinalis Frater Regis Hiſpaniæ Adminiſtrator Belgii) Belgii adminiſtrator Franciſcus de Melo, ſeptima die Decembris arcta obſidione ad deditionem coactum recuperarat.

Atrebatum Galli capiunt.

Sueſſionum Princeps cæſus ad Sedanum.

Ariam Arteſiæ Galli capiunt & amittunt.

Ferdinandus Cardinalis Hiſpaniæ moritur.

Ac præter alios exercitus terra marique verſus Italiam emiſſos, hoc quoque Anno Chriſti 1638, Princeps Condæus decem octo peditum, & quatuor equitum millia (ut talionem redderet irruptionis ad Leucatam Hiſpanorum) in Regnum Navarræ duxit, caproque primum ejus oræ vico Irano, cum tranſitu fluvii Videſſo illum alluentis, ac ab altera parte occidentali verſus S. Sebaſtianum ſinu Paſſagæ occupato, Fonterabiam portum celebrem ad cuſtodiendum Cantabricum mare probe munitum, præcipuumque navium in Indias ab ea parte commeantium receptaculum, terra marique obſedit.

Condæus Dux Fontarabiam obſidet.

Et ne ea quæ obſidione iſta durante acciderunt omittamus: interim menſe Auguſto Regina Galliæ Regis mater, quæ euſque in Flandria hæſerat, in Hollandiam conceſſit Regali magnificentia Amſterodami excepta: Inde vero poſt paucos dies claſſe in Angliam ad filiam ſuam Henricheam Regis Angliæ conſortem tranſmiſit, & triennio fere apud eam exacto, iterum in Germaniam reverſa, Coloniæ domicilium ſibi elegit, ibidemque paulo poſt nempe die 3 Iulii A.C. 1642, itinerum & vitæ ſuæ curſum (plena irarum quod non potuit conciliare Gallos Hiſpanis) morte confecit. Galli ſcriptores ipſius peregrinationis laudes celebrabunt, ſimulque narrabunt, quomodo mors ejus, quaſi indixit fatalem diem & Cardinali Richelio (Armandus de Pleſſis genere) ſub finem illiuſmet Anni Chriſti 1642, 9 Decembris ac etiam filio ſuo Ludovico XIII, Regi Galliæ inſequentis Anni Chriſti 1643 14 Maji defuncto, poſtquam iſte ſuamet virtute,

Gallia Regis mater ex Flandria in Hollandiam ac inde in Angliam tranſit.

virtute, illius conſiliis ſagaciorum iſtius ſæculi ſagaciſſimis, armorum Gallicorum potentiam magnifice dilatavit. Sub hoc vero tempus noſtrum die Dominico 5 Septembris iſtius A. C. 1638, in S. Germano ſuſceperat idem ipſius filius Ludovicus XIII, Rex Galliæ ex ſua uxore Anna Maria Hiſpani Regis ſorore filium Delphinum, denominatum Ludovicum XIV, Regem poſtmodum factum, cum ſumma lætitia illius Regni, ac cum admiratione totius Orbis; nempe quod hic partus ſucceſſiſſet fere ſine exemplo, (præter myſtica hebræa) vigeſimo tertio anno ſterilitatis illius Reginæ, ſeu ipſiuſmet Regis ex quodam occultiori corporis vitio; præſertim averſi (ut ajunt) naturalis meatus catharri à capite defluentis ad vitalia membra proveniente, ex quo Rex ille male affectas vires habebat, ut non tam pallidum quam luridum vultum præferret, eo vero ſagacitate cujuſdam Medici tandem deprehenſo, facileque curato, & habitudinem corporis bonam & fœcunditatem recuperavit; alterumque Anno Chriſti 1640, ejuſdem menſis Septembris vigeſimo primo die in lucem editum filium habuit; qui demum in Anno Chriſti 1648, 24 Maji de ſacro Baptiſmi fonte levatus accepit nomen Philippi.

A. C. 1638.

Galliæ Regi poſt viginti annos ſterilitatis naſcitur filius 5 Septemb. 1638.

Galliæ Regi alter filius naſcitur in Septembr. 1640.

Sed ut ad obſidionem Fonterabiæ revertamur, hæc ſummo fervore ab initio menſis Iulii ad medium Septembrem continuabatur: jamque Galli recuperarant oppidum S. Ioan. de Luz. & propugnaculum quod oſtium maritimum illius portus Fonterabiæ cuſtodit, ceperant, excitatiſque circum aggeribus ac operis, ipſum oppidum ita conſtrinxerant, ut difficilis, & non niſi per paludes late ibi circa oram maris ſtagnantes, ad obſeſſos pateret aditus: & inſuper cuniculis actis, partem ejus mœnium dejecerant. Sed cum nimis ſecuri de victoria, ſtationes ſuas negligentius muniviſſent, impetum Hiſpanorum cum Marchione de los Veles & Architalaſſo Caſtellæ (de iſtorum adventu tardius habebatur notitia male cohærentibus multorum Ducum Imperiis) tripartito agmine irrumpentium, ſuſtinere non valuerunt, & retrocedere coacti propugnatores ab illa parte caſtrorum, turbarunt reliquos, ut confuſis ordinibus (aliquid vigilantiæ Ducis Valetæ deſiderabatur, cujus caſtrorum ſtatio erat ultima extra periculum prælii, conjuncta ponti fluvii Videſo, ut potuerit eſſe receptaculo recedentibus ex pugna, niſi ejus manipuli celerius abiiſſent) in fugam, conceſſerint, fruſtra Principe Condæo ad reſtaurandam pugnam, prælioque rem experiendam eos revocante. Impedimenta omnia cum apparatu Caſtrenſi manſerunt in manibus victorum Hiſpanorum: deſideratique ibi fuerunt ex Gallis bis mille, partim in aquis fugiendo demerſi, partim cæſi, præſertim ex Legatione Comtii, quæ fortiſſime ſuam ſtationem defendit, pauci vivi evaſerunt; captivos factos ibi quadringentos, paulo poſt Rex Hiſpaniæ liberos dimiſerat in congratulationem Delphino Galliæ nuper nato, filio ſuæ ſororis, cui etiam (quamvis in tanta utrinque disjunctione animorum) collucebant Madriti feſtivi ignes, & miſerat Rex ille liberaliora dona. Iterum autem idem Princeps Condæus inſtaurato exercitu ſubſequenti Anno Chriſti 1639, invaſerat aliam partem Hiſpaniæ mari Mediterraneo Balearico adjacentem, ibique in Comitatu Roſſelienſi finitimum propugnaculum Salſa nuncupatum feliciori eventu obſedit, ac dimiſſo Equitatu, Aragoniam (Taraconenſis Hiſpania antiquis) vicinaſque circum regiones populabatur. Continuata vero ad menſem Auguſtum Salſæ oppugnatione, in qua plurimi viri fortes Galli occubuerunt, ſumma vi mœnia ejus exteriora occupavit, compulſiſque ad latebras obſeſſis, conceſſit, ut ſine ſarcinis & armis abirent, oppido cum munitionibus impedimentiſque poteſtati victorum relicto. Ab altera parte claſſis Gallica cum Archiepiſcopo Burdegalenſi mari Cantabrico incubans, omnia illa littora tota ea æſtate infeſta habuit: Oppidaque

Fonterabiæ obſidionem Hiſpani ſolvunt cæſo Condæo in Septembr. 1638.

Galli plurimi cæſi apud Fonterabiam.

Galli captivi apud Fonterabiam liberi dimiſſi in gratiam Delphini nati.

Salſam in Hiſpania capiunt Galli in Aug. 1639.

Gallia Claſſis infeſtat littora Cantabria 1639.

Laredo,

Digitized by Google

A.C. 1638. Laredo, S. Antonio maritima diripuit, & proximo Anno Chriſti 1640, in mare Mediterraneum delata, totam Hiſpaniam in continuo metu, ac in agen- *Gallica Claſſis infeſtat littora Neapoli.* dis diligentioribus circa ſuos portus excubiis, tenuit; Neapoliſque Regni claſſiariis apud Cajetam ac Puteolos multa damna dedit. Nec omnino ſine fru- A.C. 1640. ctu iſta belli in Hiſpanicum ſolum diverſio Gallis ſucceſſit; nam licet illa claſ- *Salſam recuperant Hiſpani initio Januarii 1640.* ſis nullum hoſtilem tunc occuparit locum, & Salſam ineunte Anno Chriſti 1640, Hiſpani Duce Philippo Spinola, redactis longa obſidione ad inopiam annonæ præſidiariis Gallis cum ſuo Præfecto Eſpernonio recuperarint; tamen hac occaſione enata neceſſitas congregandi armandique multos exercitus, uni- *Hiſpani introducto in ſuis terris bello turbantur.* verſum ibi rerum Ordinem confudit. Gentes enim illæ in ſumma tranquillitate prærogativis ſuis anxie defendendis ſolum invigilando vivere aſſuetæ, nullaque à multis ſæculis incommoda belli domi expertæ, cum militum frequenti delectu, itineribus, hoſpitiis, hybernis, tributiſque ad eorum ſtipendia, ac ſimul pro Belgio Germaniaque in dies majoribus conferendis gravarentur, aliæ ad tumultus rebellioneſque propterea converſæ, & aliæ partium Regiarum ad arma contra eos (Luſitani & Cataloni à Caſtellanis naturalibus odiis pluſquam Vatinianis diſſident, ac ad ea exercenda lubenter arripuerunt materiem præſentium in Hiſpania publicarum calamitatum, quaſi iſtæ nonniſi Caſtellanis præſertim Comiti Olivarez imputandæ eſſent, qui in regimine Regni apud Regem potiores partes obtinent) ſumenda, concitaræ, ſtatum illius Monarchiæ nimium *Cataloniæ ſtatus antiquus.* labefactarunt. Primum vero Catalonii in Anno Chriſti 1640, (Catalonia ſeu Hiſpania Gothica bona portio Hiſpaniarum ad mare Mediterraneum Galliæ Narbonenſi contigua, olim ſub Gothis, Regni, deinde ſub Gallis poſt ejectos inde Mauros à Carolo Magno Imperatore, & uſque ad hoc tempus ſub Regibus Aragoniæ, ad iſtos à Gallis per fiducias & affinitates ſenſim devoluta, Principatus & Comitatus Barcellonæ cum titulo, tum & legibus ſubjectionis ſeorſum à cæteris Hiſpaniis, libertatibuſque ſuis avitis tenacius, retentis, conſiſtit) irritati inſolentiis militum apud ſe hybernantium, eis manus injecerunt; & vocati pro tali de- *Barcellonæ Viſerex occiſus.* licto ad pœnas, Magiſtratum Regium Barcellonæ unà cum Prorege Comite de S. Coloma oppreſſerunt; ſumptaque majori audacia, plurimos partibus Regiis addictiores (præſertim nobiliores qui ab eis diſſentiebant) occiderunt, bonis mulctarunt, ac alios proſcripſerunt. Ad tractandam reconciliationem cum plena Amneſtia commiſſorum miſſos Nuntium Papæ, ac Duciſſam de Cardona, vacuos dimiſerunt.

Cumque Rex ad eos compeſcendos exercitum cum Marchione de los Veles miſiſſet, ipſi quoque accitis ex Gallia ſtipendiariis, militares turmas collegerunt, ac poſt multos cruentos congreſſus, cladeſque Regiis illatas, tum & multiplices de pace tractatus, deſperata impunitate defecerunt ad Regem Galliæ, cujus filium ſecundogenitum Ducem Andegavenſem trium tunc menſium infantulum ſub finem Anno Chriſti 1640, elegerunt ſibi Principem, in ejuſque nomen jurarunt, pacto quod eorum libertates moremque vetuſtum ac Religionem Catholicum Romanam conſervaret, & aleret pro defenſione illius Provinciæ exercitum; Ac ſine mora deſtinarat eò Ludovicus Rex Galliæ cum valida manu, *Barcellona recipit Gallicum præſidium.* & cum titulo poteſtateque Proregis Mariſchallum de Breze, qui mox Barcellonæ ac in ejus portu præſidia militaria Gallica collocavit. Hiſpanos eam Provinciam excurſionibus à Caſtilia infeſtam habentes, diverſis proſperioribus præliis *Leridam capiunt Galli.* cum eis commiſſis repreſſit. Leridam Civitatem potentem ad fluvium Sicorim ſitam, limitem ab ea parte Caſtellæ & Cataloniæ occupavit, omniaque tam late longeque patentia Cataloniæ territoria in ſuam poteſtatem redegit. In ejus vero locum paulo poſt ſuffectus Marchio della Motte; non minori cura & for-

fortitudine eam ditionem defendit: Marchionem de Leganes exercitus Hiſpaniæ Regis Ducem iteratus præliis vicit, & ab obſidione Leridæ rejecit, ademptis ipſi tormentis & impedimentis omnibus. Oppidum Monſon cum Arce bene munita ab Aragoniæ confiniis Cataloniæ imminens infeſtum poſt diuturnam oppugnationem cepit. Anno vero 1642, ipſemet Ludovicus Rex ad illud bellum expeditionem ſuſcepit, & ingreſſus in eam Regionem, contempta Salſa propugnaculo ibi finitimo, quod Hiſpani paulo ante recuperarant, ut alibi diximus, divertit ad Colubre oppidum maritimum cum portu eo commodiore, quod eſt contiguus littori Narbonenſi, illudque unius menſis oppugnatione ad deditionem coëgit; ac firmioribus propugnaculis circum extructis munivit, ad diuturniorem uſum, habendumque ibi apparatui ſuo Caſtrenſi tutum receptaculum. Inde converſus, Perpinianum Civitatem celebrem ab illo mari Mediterraneo ſex leucis Hiſpanicis diſtantem obſedit. Et licet ab initio majores quam ſperârat difficultates ibi inveniſſet, præſertim quod ad ambitum tam amplæ Civitatis circumplectendum immenſo circuitu vineæ erigendæ, foſſæque ducendæ eſſent, & ejus præſidium quatuor millium peditum, & mille equitum ſelectiorum eruptionibus aſſiduis omnes obſidentium operas diſturbaret; uno tamen menſe labore continuato fuit circumvallata, ut nullâ ad eam pateret aditus. In longinquo etiam à finibus Aragoniæ & Caſtellæ excubabat Prorex della Morte (ob rem in illo bello bene geſtam, ſub id tempus obtinuerat eam dignitatem à ſuo Rege) ut Hiſpani Regis exercitus cum Marchione de Leganes à Tarracona, & alius ab Aragonia cum Marchione de Morrara ad ferenda illis obſeſſis auxilia contendens, eo penetrare non poſſet. Cumque nihilominus reſiſteret audacius illa Civitas, ut quæ eſſet fortiſſimis munitionibus cincta, & ad tantam vim multo ante prævisam omni inſtrumento bellico ac annonæ copia inſtructa, Ludovicus Rex ob intemperantiam aëris ibi nimium (præſertim in Iunio, Iulio, Auguſto) æſtuoſi, in Galliam redire coactus, ejus oppugnationem longiorem commiſit Mariſchallo de Migleraie.

A.C. 1638.

Ludovicus Rex it in Hiſpaniam & Colubre portum capit.

Ludovicus Rex Perpinianum obſidet.

Qui ad quintum menſem continuata illa obſidione, inter ſanguinolentos cum obſeſſis erumpentibus, & exteriora munimenta ſua defendentibus conflictus, (plurimis cæſis, & aliis morbo aſſumptis, Cardinalis de Richelieu Narbonæ tunc ad promovendam eam impreſſionem degens, nova ſupplementa militum, ac commeatum abundantem illis Caſtris ſuppeditabat) tandem die nona Septembris ad extremam cibariorum penuriam eos reduxit: & data præſidiariis ſolis ſecuritate tranſeundi cum ſuis impedimentis ad portum viciniorem Roſes ſeu Rhoda, Civitatis illius incolas in nomen Regis Galliæ jurare juſſit. Salſa quoque Perpiniani dominatum ſequi ſolita, & undique deſtituta ſubſidiis paulo poſt deditionem fecit.

Richelius Cardinalis promovet obſidionem Perpiniani.

Perpinianum Galli capiunt.

Sed ut ad defectiones in Hiſpaniis exortas ſtylum reducamus, Luſitani (ſeu Portugenſes utroque enim nomine vocantur) Cataloniæ exemplo animati, defectionem quoque ſuam, quam jam ab Anno Chriſti 1636, in Evora circa quendam Conventum haud obſcuris ſignis & acclamationibus nomini Bragantiæ præferebant, in Anno Chriſti 1640 Cal. Decembris maturârunt Vliſſiponæ, & conſpiratione facta oppreſſerunt eo die præſidia ibi Caſtellana, cæſo Secretario Vaſconcello Regis Catholici præcipuo Miniſtro tantarum irarum cauſa, & intra octiduum excluſerunt Caſtellanos è tota Luſitania, ac abdicato Nepote Philippi II, (iſte primus armorum potentia competitoribus rejectis, occupârat illud Regnum titulo hæreditatis matris ſuæ Iſabellæ primogenitæ filiæ Emmanuelis Regis) repudiatoque Philippo IV elegerunt ſibi Regem, Bragantiæ Ducem Ioannem IV denominatum, trahentem ſanguinis Regii agnationem à Ioanne I Rege Portugaliæ,

Luſitani deficiunt à Rege Philippo IV & eligunt ſibi Regem.

Bragantiæ Ducem genealogia vera.

A.C. 1638. galiæ, & iterum à Ferdinando ejus nepote, tertiumque conſanguinitate repetita ab Eduardo Emmanuelis Regis filio aviæ ſuæ Catherinæ Parte: quaſi potiori jure debeatur iſti hæreditas illius Regni, in cujus ſucceſſione ex lege Comitiali (inſtar Salicæ in Gallia) ab Alphonſo Henrico lata præferuntur nativi externis & mares fœminis. Immo iſtæ ſi nubant extra Regnum, prorſus à ſucceſſione Regni excidunt. Videri poteſt ſeries generis Regii Luſitaniæ apud *Hieronymum Oſorium, & apud David Chytreum in ſuo Chronico ſub Anno Chriſti* 1506 prope finem: *tum & apud Maurocenum Venetum Hiſt. lib.* XII *ſub Anno Chriſti* 1580; hîc ſatis erit adnotaſſe, quod Regis Emmanuelis de cujus hæreditate ambigitur, erant plures filii, Michaël bimus defunctus: Ioannes III Rex cum filia Maria Philippo II Hiſpaniarum Regi nupta, matre ſolius Caroli à Patre necari, & cum filio Emmanuele Ioanne ex eoque nepote Sebaſtiano Rege in Africa cæſo ſterili: Ludovicus Prior de Crato cum Antonio filio notho: Ferdinandus Alphonſus Cardinalis: Henricus Cardinalis Rex: Eduardus cum filia Catherina Duci Bragantiæ, & altera filia Maria Alexandro Duci Parmenſi extra Hiſpaniam nupta: tum Iſabella Auſtriaco Carolo V Imperatori Caſtellæ Regi, & Beatrix Carolo Sabaudiæ Duci extra Hiſpaniam nupta. Rejectis itaque illis qui ſteriles, vel ſine prole hæreditatis Regiæ capaci, ſeu extra Hiſpaniam deceſſerunt, cum nonniſi Eduardus & Iſabella eorumque liberi ipſos repræſentantes concurrant ad ſucceſſionem Emanuelis Regis, ad eam lege illa Comitiali, quæ mares fœminis & nativos alienigenis anteponit, Eduardum marem præ Iſabella fœmina, & Eduardi prolem ipſum repræſentantem, nempe Bragantiæ Ducem nativum Luſitanum, præ prole Iſabellæ fœminæ, idque ex alienigena prognata, uti proximiorem aſſerunt vocari Luſitani, experrecti tardiùs poſt longum (forte quod tunc primum tam bellam vindicandi ſuas libertates opportunitatem habuerunt) nimium ſilentium annorum 60, quibus jam Iſabellæ progenies à clade Antonio notho A.C. 1580 à Philippo II illata, Regnum illud obtinuit. Attamen non defuerunt, qui talem converſionem illius Regni feſtivis acclamationibus exceperunt, & ad eam ſtabiliendam, conſilia, armaque ſua prompti contulerunt. Galliæ Rex ſtatim in ſuis ditionibus pro illo Rege novo militem conſcribi fecit, & belli Duces expertos ei ſubminiſtravit. In Anglica Aula legatus ejuſdem Regis novi, nec quicquam obſiſtente Legato Regis Hiſpaniæ ibi degente, Regali honore fuit exceptus: Hollandiæ Ordines cum toto Portugaliæ Regno tam pro defenſione mutua, quam pro navigationibus Indicis fœdus pepigerunt, ingentemque apparatum bellicum ad ejus uſum Vliſſiponam comportârunt. Quin & Summus Pontifex Romanus Vrbanus VIII, poſt multam cum Cardinalium Collegio deliberationem, Legatum ejuſdem Regis novi Michaëlem de Portogallo Epiſcopum de Lamego Romam (20 Novembris 1641 venerat Romam, receptus in Palatio Legati Galliæ) venire, negotiaque illius Regni curare permiſit, ex veteri more Romanæ Curiæ in ſimilibus caſibus obſervato, quod diſſidentibus de Regno Principibus, ejus qui Regnum poſſidet Legatum admittit, ne interim Religio & res Eccleſiaſtica in illa gente (ac etiam Dataria Romana) detrimentum patiatur: cujus exemplum præceſſit ſub Gregorio XIII Papa, qui Regis Poloniæ Stephani Batorei Legatum admiſit, quamvis contradixerit Henricus III Rex Galliæ Valeſius, eodem Regno à Polonis nolens abdicatus, tum & Maximilianus II Imperator à magna parte Procerum Polonorum Stephani electioni adverſantium Rex Poloniæ tunc quoque electus.

Farneſius Dux Parmenſis uxorem habet Luſitanam.

Carolo V Imperat. nupſit Iſabella Luſitani Regis filia.

Luſitani Regis novi electioni multi favent.

Hollandi novo Regi Luſitaniæ auxilia mittunt.

Luſitani Regis novi Legatus Romæ admiſſus.

Romana Curia admittit Legatum poſſidentis Regnum.

Stephani Regis Pol. Legatus admiſſus Romæ contradicente Rege Henrico & Imperatore.

Inde tamen perpetuo inter Caſtellanos & Luſitanos in ea Vrbe commorantes viſebantur jurgia acerbiora & rixæ, immo & occiſiones: præſertim in A.C. 1642 menſe Iunio (ſive fortuito, ſive quod ita Caſtellani condixiſſent Luſitanum opprimere)

Luſitani cum Caſtellanis Romæ rixantur.

primere) congreſſo Marchione de Los Veles Legato Regis Hiſpaniarum cum illo Legato Luſitano Epiſcopo de Lamega, ubi tumultu facto, ex parte Marchionis novem, & ex parte Luſitani tres cæſi bombardarum jaculis interierunt; ac plures utrinque periiſſent, niſi cohors Vrbanæ cuſtodiæ armata accurrens illum conflictum diremiſſet. Ac ſtatim Legatus Hiſpaniæ Regis indignabundus abierat Roma Neapolim, aſſociatus à Cardinalibus Hiſpanicis, & paulo poſt etiam Luſitanus diſceſſerat in Luſitaniam, veritus prohibitionem (uſitato nomine *Irregularitatem*) uſus muneris Sacerdotalis, ob dubium ne in illa pugna exceſſerit moderationem tutelæ à ſacris Canonibus præſcriptam. Nec ab illo tempore ulli alii Legati illorum Regum (præter miniſtros minoris nominis ad curandum eorum negotia) comparuerunt Romæ, donec finiit iſte Pontificatus, extincto Vrbano VIII Papa, A.C. 1644, vigeſima menſis Iulii, altera hora poſt ortum ſolis, ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo, Pontificatus 21. Prius tamen quam obiiſſet iſte Pontifex, compoſuerat bellum faſtidioſum contra Sedem Apoſtolicam concitatum ex occaſione Ducis Parmenſis Odoardi Farneſii, qui monitus à Pontifice ut Ducatum Caſtri, quem Fiduciario jure à Sede Apoſtolica obtinet, ingentibus debitis à ſe contra leges fiduciæ ſuæ gravatum exoneraret, & cenſus ibi diverſis creditoribus obligatos ſolveret; cum contumaciter ageret; Pontifex ditionem illam Caſtri, aliaſque poſſeſſiones ejuſdem Ducis Romæ conſiſtentes occupari, ac à ſuo Fiſco auctionari, & ita debita ipſius exſolvi juſſit: Ille vero ad vim converſus, collectum exercitum prope portas Romæ conduxerat. Et tum quidem Galliæ Regis & Principum Italiæ Legati ei perſuaſerunt, ut ad propria redierit, pacificationem amicam eorum opera perficiendam expectaturus. Sed ipſi inchoato tractatu, durioribus concordiæ legibus, quam Dignitati Pontificiæ conveniret propoſitis, præſertim Veneti, (iſtis pro aliena eaque injuſta cauſa ad arma promptis, mox divina vindicta invitis providit bellum proprium cum Turca) Magnus Dux Hetruriæ, Mutinæ, maluerunt uti hac occaſione ad vindicandas quoque proprias veteres de finibus ſuis cum ditione Pontificia querelas, & fœdere mutuo facto, bellum intulerunt Pontifici, alii contra Ferrariam, alii contra Bononiam, Hetruſci vero contra Peruſiam armis infeſtis converſis. Quod malum continuatum fuit, Pontificiis quoque rem non ſegniter gerentibus, biennio prope, multaſque calamitates illi parti Italiæ attulit: donec Pontifex fatigatus incommodis ſenectutis ſuæ decrepitæ, tum & ſumptibus in alendo alio circa Peruſiam, alio circa Bononiam & Ferrariam exercitu profuſis, ac magis præcavendo, ne Sede vacante in periculum aliquod gravius Pontificatus præcipitaret, illis Principibus æquiores leges pacis conceſſit, ac Duci Parmenſi Ducatum Caſtri, omniaque alia ablata reſtituit ultima hebdomada vitæ ſuæ, non ingloriæ, dempta nota belli hujus Parmenſis importuniſſimi, quod & mortem ipſi acceleravit, perdiditque prope ejus nepotes; iſti enim ſub novo Pontificatu, propterea repetundarum (ac ſi non Vrbanus VIII regnaſſet, ſed Barberini) poſtulati, extrema fortuna ſteterunt, niſi fuga in Galliam à Patrocinio illius Regis ſecuritatem rebus ſuis quæſiviſſent. Cujus ope per multas reconciliationum ambages permiſſi fuerunt redire in priſtinum gradum Romam hoc A.C. 1648, extincto Thadeo in illo exilio; Sed neque Dux Parmæ diu triumphavit de illa Barberinorum calamitate, obierat enim poſt mortem Vrbani VIII biennio vix elapſo 12 Septembr. A.C. 1646, ætatis ſuæ trigeſimo ſexto; reliquit tamen in ſucceſſionem ſui Principatus filium annorum quindecim, & alios minorennes.

Succeſſerat autem Vrbanus VIII in Pontificatu poſtquam vacavit Sedes dies 48, Ioannes Baptiſta Pamfilius Romanus, ſeptuagenarius, ſed vegetus & ſerius, perfunctus cum ſumma laude officiis, primo Advocati Conſiſtorialis, Auditoris

A.C. 1638.

Hiſpani Regis Legatus abit Roma.

Vrbanus VIII PP. moritur.

Vrban. VIII Papa adimit Ducatum Caſtri Parmenſi.

Parmenſis Dux cum exercitu petit Romam.

Italiæ Principes indicunt bellum Pontifici Romano.

Vrban. VIII Papa componit bellum cum Parmenſe & aliis.

Barberini fugiunt in Galliam.

Parmæ Dux obiit.

Papa creatur poſt mortem Vrbani VIII.

Rotæ, Legationum Neapoli, & cum Barbetino Cardinali in Gallia, in Hiſpania, tum & Nuntii Apoſtolici in Hiſpania cum titulo Patriarchæ Antiochiæ, die 15 Septembris à Collegio Cardinalium 57 numero in conclavi ſolito ad hanc Ele-

Denominatus Innocentius Decimus.

ctionem congregatorum poſt longas præponderantis Hiſpanicæ factionis concertationes electus, & Innocentius X denominatus. Sed præter illas contra Pontificatum Romanum commotiones utcunque ſopitas, univerſum pene Orbem Chriſtianum turbatum invenit; Nam ut iſtius viciſſitudines ſaltem quoad hoc tempus adhuc carptim attingamus, à Germania dudum in omnibus pene Regnis Chriſtianis excitati armorum tumultus, quaſi à diuturnitate ſumpto impetu, magis magiſque invaluerunt, & veluti Euripi, æſtuſque furentis maris procellis hinc illuc impulſi, nunc ad unam, nunc ad aliam labentes relabenteſque partem, utramque inſtabili victoriæ ſpe ſuſpenſam hucuſque detinent, nec quicquam certi de tranquillitate aliquando ſequutura decernere permittunt. Cum enim, ut

Bannerus profligatur à Cæſarianis & mortuus.

ſupra attigimus, Suetico fœderatorum Germaniæ partes poſt Nordlingenſem pugnam labefactatæ, vires reſumpſiſſent, & Bannerus earum ductor, illatis diverſis cladibus Cæſarianis, in Sileſia & Boëmia omnia infeſta teneret, iterum tamen à Cæſarianis, cum prope Ratisbonam ſub Comitiis protractis ad initium A.C. 1641 præſente tunc ibi Imperatore celebratis, hyeme (inconſulte nimium) excurriſſet, repreſſus ac profligatus in Marchiam & Pomeraniam laceros manipulos ſuos retraxit, acceptaque ea clade, paulo poſt obierat, ac inde Cæſarianis recuperandi in Sileſia & Pomerania amiſſa, ſpes affulſerat. Verum in ejus locum ſuf-

Torſtenſon Dux militiæ Sueticæ vincit Cæſarianos 1642.

fectus Guſtavus Torſtenſon mox inſtauravit de integro hoc bellum, cæſo prope Legnitiam, Anno Chriſti 1642 menſe Majo Cæſariano exercitu una cum Duce Franciſco Alberto Laueburgico, qui ex vulneribus in illo prælio acceptis, in captivitate Suetica obierat. Tanto magis cum parta ea victoria, idem Torſtenſon

Glogovia capta à Suecis.

Glogoviam majorem (quæ ſæpius petita à Suecis ſemper hucuſque reſtiterat) oppugnavit, ac ad deditionem compulit. Deinde Suidniciam, Opolium, Ratiboriam ac pleraque in Sileſia illius oræ, præter Kozle loca, tum & Tropaviam, Olu-

Leopoldus Archidux cæſus à Sueticis.

mucium in Moravia occupavit: Et Archiducem Leopoldum Vilhelmum cum Picolominio ſibi obviam factum prope Torgam profligavit, toto ejus exercitu diſſipato, & inſtrumento bellico cum impedimentis omnibus caſtrenſibus capto.

Lipſia capta à Suecis.

Inde vero curſu converſo Lipſiam obſedit, & fruſtra Electore Saxoniæ propugnante, in ſuam poteſtatem redegit. Reverſus autem A.C. 1643 in Moraviam,

Olomucium obſidentes Cæſariani & fugantur.

ubi Cæſariani cum ſuo Præfecto Galaſſio Olomucium obſederant, ac ipſemet Imperator menſe Auguſto Vienna Bernam, ut illam recuperationem Olomucii diligentius promoveret, venerat; eam Civitatem liberavit, plùraque Caſtella præſertim opportuna ſervando reditui ſibi ſecuro in Sileſiam, vi cepit ac munivit, Cæ-

Vngari nolunt militare Imperat. extra ſuos fines.

ſarianis nuſquam prælio decernere auſis: Forte quod eam expeditionem ſuſceperant confiſi auxiliis Vngarorum: iſti autem congregati in Moraviæ & Vngariæ confiniis, renuntiàrant, quod ſolos limites ſuos defendere vellent, ibique hærebant otioſi, & nonniſi paucæ turmæ Archiepiſcopi Strigonienſis, ac Veſelinus venerant ad Caſtra Imperatoris.

Daniæ Rex Hamburgum edomat.

Vicem autem adhuc mutante fortuna, Rex Daniæ poſtquam Hamburgam ex veteri ſua contra eam Civitatem indignatione, tota hyeme & ſubſequenti A.C. 1643 Vere, obſeſſam oppugnatamque (connivente ſeu etiam adjuvante Imperatore, quo eum ſibi devinctiorem faceret) ad officium uti optavit, reduxerat,

Daniæ Rex divertit Sueco ab Imperio in Daniam ſuo malo.

perſuaderi ſibi permiſit à Cæſarianis, ut potentiam Sueticam Daniæ Regni à ſæculis æmulam ſuſpectam haberet, ejuſque incrementa impediret, atque ad eam diſtrahendam varia conſilia ſuſcepit. Et ut Moſchos quoque ad hoc in ſuam ſocietatem alliceret, ac ab ea parte commoveret bellum contra Suecos pro vindi-

candis

candis locis Moſchoviæ ab ipſis uſurpatis, affinitatem Ducis Moſchoviæ ambivit, miſeratque filium ſuum (ex matrimonio impari) Volmarum nomine (navibus Danicis iſte delatus Gedanum, tum Regiomontum, & inde per Lithuaniam tranſiens, diverterat Vilnam ad Regem Vladiſlaum, ibique honorifice habitus, ſecuritatem itineris ſui obtinuit) in Moſchoviam ut filiam illius Ducis Michaelis Fedorowicz acciperet uxorem: irrito ad extremum eventu, cum Moſchi inter difficiliores conditiones talis Matrimonii, illam contentius exigerent, ut ille procus fidem Chriſtianam Ritu Græco Moſchis uſitato profiteretur, & cum deſpicatui duceret eorum ſacros Ritus, contumeliis exceptum cuſtodiis tradiderunt: Demum tamen opera Stephani Stepkowski Caſtellani Braclavienſis Legati Vladiſlai Regis ad illum Ducem in Anno Chriſti 1645 fuit liberatus ac dimiſſus, ſed nonniſi a novo Duce Alexio Michálowicz filio Michaëlis Fedorowicz, interim morbo repentino in menſe Auguſto, ſeu ut alii ferebant veneno extincti. Fuitque honoratus idem Danus à Moſchis donis magni pretii, quo aboleretur injuria ſuæ detentionis. Verum quantumvis Daniæ Rex illa conſilia ſua armaque contra Suecos nec dum expedierat, illi eis exploratis, prævenire maluerunt, ac Tortſtenſonium cum exercitu ex Germania revocârunt, & priuſquam Dani ſeſe ad bellum compataſſent, ille ab Holſatia, ac Guſtavus Horn à Norvegia ditiones eorum invaſerunt, totoque hoc Anno Chriſti 1644 bellum in Dania ſumma contentione (anno ſubſequente Legatorum Regis ac Hollandorum & Electoris Brandeburgi cura, pax inter illa Regna fuerat compoſita) duxerunt, Marte variante quidem, ſed quod narratio noſtra cumprimis ſpectat, translato hoc modo in Daniam bello, tempus reſpirandi datum fuit Cæſarianis, reductis ad eas anguſtias, ut hoc Anno Chriſto 1644 poſt captum nec recuperatum Olomucium, nonniſi Viennam Auſtriæ propugnare, vel cum ea gravius periclitari debuiſſent. Alioquin avocato in Daniam Tortſtenſonio, omnia loca in Sileſia & Moravia, præter Glogoviam & Olomucium recuperârant: Elector Saxoniæ Chemniciam per multam obſidionem, ac Grimmam Rechlicium in Miſnia ejectis præſidiis Sueticis occupavit: demum vero fatigatus tantis incommodis inducias fecit cum Sueticis in hoc Anno Chriſti 1645.

Daniæ Rex procurat nuptias filio ſuo cum filia Ducis Moſchov.

Moſchi conditiones Matrimonii proponunt Dano.

Moſchovia Dux moritur.

Moſchovia Dux novus Alexius.

Sueci præveniunt Dani conſilia illata ipſi bello.

Cæſariani avocatis in Daniam Suecis reſpirant.

In Alſatia Bavaricæ copiæ è diverſis ejus regionis oppidis præſidia Gallo Vinmarienſium ejecerant: Galaſſius ab Imperatore deſtinatus in auxilium Regi Daniæ, & circa Lubecam, Hamburgumque cum exercitu degens, non contemnendos faciebat progreſſus. Omninoque res Cæſarianæ averſis contra Danum Sueticis armis redintegrari potuiſſe videbantur, niſi fortis mobilitas eis alium obicem oppoſuiſſet. Nempe Georgium Rakocium Tranſilvaniæ Principem, qui conſilia ſua de ſocietate belli cum Suecis in Moraviam propterea attractis paciſcenda, diutius agitata, hoc anno primum Turcæ conſenſu ſtabiliri fecit: & collecto exercitu præcipuos Vngariæ Proceres Civitateſque ſolicitavit, ut ab Imperatore ſpecie violatarum ſuarum libertatum defecerint: Caſſoviam pulſo præſidio Cæſariano occupavit: Humanay & aliorum Procerum Vngariæ, qui ab eo diſſentiebant Arces expugnavit: Veſelinum Filacum in nomen Imperatoris defendentem; diutius, licet re infecta oppugnavit. Imperator vero miſſa Legatione ad Regem Poloniæ Vladiſlaum (eo modo quo nuper Suecos cum Dano, Polonos quoque cum Rakocio ut committeret) auxilia contra ipſum petiit. Et cum hoc non ſucceſſiſſet, Polonis molem belli alieni in ſeipſos convertere recuſantibus, meliores ſuas legiones ad eam tempeſtatem compeſcendam convertit, & Conſtantinopolim Legatum ſuum cum honorariis magni pretii miſit, quibus placaret Turcam, ne ſubſidia aut conſenſum Rakocio ad tales turbas ciendas præſtaret. Atque talibus curis pro Vngaria ſervanda diſtractis hoc anno Impe-

Bavarici exercitus in Alſatia progreſſus.

Galaſſius ab Imperatore miſſus in auxilium Dano.

Rakocii ſublevatio in Vngaria contra Imperatorem.

Ferdinandus III, Imperator, petit auxilia à Rege Poloniæ Rakocium.

Ferdinandus Imperator mittit Legatum ad Turcam.

 rator

rator Germanicis rebus, quantumvis ab hoſte in Daniam converſo pene liberis, ſubvenire non potuit, quin & Olomucium ac Glogovia in manibus Sueticis toto hoc anno permanſit.

Ferdinandus Imperator cladem accipit 9 Martii 1645.

Inſequens vero Annus Chriſti 1645 majoribus difficultatibus res Imperatoris implicuit: Sueci enim aliunde proviſione contra Danum ſuis domeſticis rationibus procurata, cum Torſtenſonem in Germaniam remiſiſſent, iſte Galaſſium circa Magdeburgum hætentem cum Imperialibus copiis ita conſtrinxit, ut nonniſi manipularim diſperſis ſuis, ipſemet quoque relictis impedimentis ægre inde evaſerit. Progreſſus autem Torſtenſon in Boëmiam, ut inde Olomucio ſubveniret, Cæſarianos tranſitus ſibi obſidentes, infra Pilſnam prope Taborum poſt longos dubios conflictus, 9 Martii ingenti clade affecit: Duce eorum Harsfeldio ſaucio capto, Getzſio, Broio, & Tribunis multis occiſis, pleriſque captis, & quinque millibus ex eis cæſis præter Bavaricos cum Ioanne Vert, qui tardius veniens inclinata jam Cæſareorum acie, periculo ſeſe committere noluit. Cæſar audita hac ſtrage ſuorum, Praga, iſti minus fidens, cum 30 ſolis Comitibus itinere Ratisbonenſi Viennam properavit. Eoque delatus, neceſſaria ad illius Vrbis defenſionem apparari fecit, Imperatricem uxorem cum filiis & Novercam Imperatricem Leonoram una cum magno fœminarum nobiliorum numero Gratzium amandavit, militem quoque ex Crotia & Auſtria ſumma celeritate colligi, & veteranos ex præſidiis Arcium finitimarum, eorum loco tyronibus ſubſtitutis, extrahi juſſit, ac mox exercitum aliqualem, quo hoſtem diſtineret contraxit.

Turca contra Melitem parat bellum ob depradatum A.C. 1644 Baſſam prope Cretam.

Veneti contra Turcam armant.

Pacis quoque cum Turca poſt multa dubia circa annuum tributum & reſtitutionem locorum Strigonio & Caniſiæ olim ſubjectorum, confirmationem impetravit, eo facilius, quod ille Monarcha ob pyraticam Melitenſium, quæ multa damna Turcis ab Alexandria Conſtantinopolim navigantibus circa littora Cretæ inferebat, omnes vires ſuas ad expugnandam Melitam hoc anno convertere decreverat; Vnde Melitenſes quoque pro ſua defenſione à Principibus Chriſtianis auxilia conquirebant, excitis etiam Venetis ad illud claſſicum, ne prius Creta ſeu Candia eorum peteretur: uti evenit, nam Turcæ dato ſub cuſtodias eorum Bajulo ſeu Legato Equite Soranzo Conſtantinopoli tunc commorante, ne conſilia ipſorum exploraret palamque faceret, præter omnium expectationem, Claſſem quam contra Melitenſes inſtruxerant in Græcia, ſubito converterunt ad Cretam, quaſi ibi eſſet receptaculum Melitenſium, & expugnato primum propugnaculo vicino in ſcopulo à S. Theodoro denominato, Caneam illius Inſulæ cum portu munito Civitatem celebrem terra marique obſederunt, ac poſt duorum menſium acerrimam oppugnationem, in qua prope decem millia ſelectiorum militum perdiderant, die vigeſima ſecunda Auguſti A.C. 1645 deditione ceperunt, priuſquam auxilia ab Innocentio X Papa, à Prorege Neapolis, à Duce Hetruriæ, ac à Melitenſibus multo apparatu bellico inſtructa adveniſſent; convenerant enim, ſed tardius, ad Portum Sudæ, & fruſtra tentata recuperatione Caneæ initio Octobris redierant ad propria. Iterata autem expeditione in Anno Chriſti 1646 Turcæ, poſtquam fruſtra obſiſtente Claſſe Veneta, majora ſubſidia in Caneam introduxiſſent, Sudam propugnaculum illius Inſulæ præcipuum oppugnârunt, & cum ibi parum proficerent ob ſitum loci ſinu maris circumfuſi, ad Retimum ejuſdem oræ proximum maritimum oppidum converſi, illud poſt diturnos cruentoſque inſultus expugnârunt, cæſo Andrea Cornaro illius Inſulæ Summo Præfecto, tum & Philippo Molino cum multis Nobilibus Venetis, ac ex gregariis prope mille, atque ita ab una parte Canea, ab altera Rerimo potiti, Sudam intermediam concluſerunt. Nec multo poſt ſub finem ejuſdem anni cum circa Peloponeſſum

Caneam capiunt Turcæ.

in-

in disjectam à procellis maris Claſſem Venetam incidiſſent, in ejus Prætoriam impetu facto, occiderunt ejus Præfectum Thomam Moreſini cum omnibus ejus militibus; & nauris, ipſam tamen triremem cum ducere nequirent, aliæ naves Venetæ recollectæ ex tempeſtate recuperârunt. Anno vero ſequenti 1647 melius inſtructam Claſſem Venetam Ioannes Grimani adminiſtrans, Turcicam à Canea redeuntem perſequendo Neapolim uſque Moreæ ſeu Peleponeſſi, eam ita conſtrinxit, ut tota æſtate inde in auxilium Caneæ prodire non potuerit. Interim tamen Turcæ qui in Canea erant, prope Candiam Civitatem commiſſo prælio profligârunt Delphinum Inſulæ illius Præfectum,& ejus filium Nicolaum Delphinum captivum fecerunt, plurimis cæſis, ac in altero conflictu equitatus Veneti Magiſter cum multis ex ſuis occubuerat, ab eoque tempore omnes regiones Sitiam uſque pervagabantur ſecurius Turcæ, Venetis nuſquam in campeſtria, ne quidem in auxilium caſtri Mirabelli, quod ad deditionem coëgerant Turcæ, prodire auſis, donec Grimanius ſero autumno eo ad hiberna tendens, cum expoſito milite Claſſiario, excurſione facta, & Turcas repulerat ab obſidione Candiæ, & Mirabellum recuperârat. Demum vero ipſemet Grimanius in Anno Chriſti 1648 cum maturius eduxiſſet Claſſem in mare Ægeum, 17 menſis Martii apud Scironia ſaxa ſubſiſtens,media nocte oborta tempeſtate, obrutus fluctibus cum ſua Prætoria & aliis duabus triremibus, & cum una commeatum omnem vehente, novemque aliis navibus, & earum militiis nautiſque pene omnibus interiit, & reliquæ Claſſis illius naves, ad ſaxa & invicem colliſæ, magnum acceperunt damnum. Aliæ tamen quæ non erant in illo periculo cum ſuo Præfecto Riva ſtatim navigârunt ad cuſtodiendum fauces Helleſponti, quando Turcarum Claſſis vellet ex Propontide prodire in illud mare Ægeum: ac paulo poſt ſuffectus in locum Grimanii Ludovicus Mocenigus, inſtaurata Claſſe, tota æſtate infeſtum tenuit illud mare, ne Turcæ poſſent majores copias trajicere in Candiam. In Dalmatia tamen utcunque ſua damna Veneti compenſabant proſperioribus contra Turcas ſucceſſibus,& capta Cliſa civitate cum arce munita à Leonardo Fuſculo poſt quindecim dierum oppugnationem 30 Martii iſtius A.C. 1648. Sed quamvis Turca acerbius iſta ferret, & Baſſam Budenſem cum Præfectis illarum Provinciarum ſuarum damnaſſet propterea ad pœnas, tamen nullam mentionem pacis admittere volebat, majorique fervore utrinque promovebatur illud bellum hoc anno 1648 ut ex ſubſequentibus apparebit. Sed ut res Imperatoris proſequamur. Electorem quoque Treverenſem eouſque Viennæ ſub cuſtodiis detentum, cum Conventus Monaſterii ad tractandam pacem congregatus, nil niſi eo in gradum priſtinum reſtituto inchoare vellet, hoc anno primum Imperator liberum ac favoribus delinitum dimiſit.

Treveris Elector liberatur.

Tortſtenſonius vero proſequendo victoriam, in Moraviam penetravit; ubi Znaimam, Cremſam Auſtriæ cis Danubium, Nikelſpurgum vi cepit, eorumque incolas magno ære mulctavit: Olomucium ad famam ejus adventus Cæſariani deſeruerant. Bernam obſedit & contentius reſiſtentem oppugnavit: primum à Moravia Danubii apud Viennam pontem dejecit, collocavitque ibi propugnaculum cum præſidio valido, ut compulſis intro Civitatem Cæſarianis excurrendi in Moraviam, & ſuos progreſſus turbandi ademerit facultatem, eoque liberius toto hoc Vere A.C. 1645 in tota Moravia graſſabatur.

Moraviam occupat Tortſtenſon.

Rakocium quoque talibus ſuis ſucceſſibus commovit, ut dubiam fecerit pacem cum Imperatore, quæ jam prope, idque æquioribus ſibi ac Vngaris ſuis aſſeclis conditionibus coaluerat. Tandem tamen ſub finem Autumni ad eam ſuſcipiendam inclinârat Rakocius, cum Sueci oppugnationem Bernæ deſerere coacti, majores progreſſus non facerent, nec poſſent, ut ille ſperârat, ire ad capiendum Poſonium, eoque bellum transferendum. Atque ita fœderis Gallo Suecoque Germanici

Rakotius movet contra Imperatorem, & demum facit pacem.

manici viribus ſubſiſtentibus, bellum illud de ſuo fervore nil remiſit, immo & Delegati ad tractandam pacem toto hoc Anno Chriſti 1645, Monaſterii ac Oſnaburgi in Veſtphalia utrinque congregati, nil penitus concludere potuerunt, cum ſive pax, ſive induciæ ſtatuendæ qualeſcunque illæ fuiſſent, ſolis Auſtriacis commoda ingentia allaturæ viderentur, cæteris vero tanto graviora pericula, ſi illi interim temporis beneficio vires ſuas inſtaurarent. Poriuſque illi tractatus alter alterius conſiliis expiſcandis & ſuſpicionibus cumulandis ſervierunt; & tamen continuabantur in Annum Chriſti 1646 ſubſequentem, non tam ſpe certa conſequendæ concordiæ Germaniæ Statuum, quam fiducia novæ alicujus rerum converſionis, præſertim ſi induciæ majoribus quam unquam ſtudiis interim procuratæ inter Regem Hiſpaniæ & Hollandiæ Ordines ſtatuerentur, vel Gallos abſtraheret à ſocietate fœderis Germanici, affinitas aliqua nova, nempe alicujus ex Auſtriacis cum filia Ducis Aurelienſis, de qua ſub hoc tempus erat multus ſermo. Tandem vero cum Hollandi magis ſuſpectam haberent proſperitatem armorum Gallicorum, maluerunt componere cum Hiſpanis pacem (mox forte graviorem futuram quam bellum Auraicis, ut olim Mauritio cum Barneveltianis) concluſeruntque illam in Anno Chriſti 1647, poſt multos tractatus fruſtratis Gallis promiſſo dato de ea non paciſcenda, niſi ſimul cum ipſis quoque ſtabilita fuiſſet. Quomodo autem publicata fuerit die quinta Iunii Anno Chriſti 1648, & quibus legibus conſtet, in geſtis ejuſdem anni ſingularius deſcribendis apparebit.

Ferdin. IV Rex Boëmiæ & Vngariæ coronatur.

Vngariæ Comitia.

Vngari quoque quieverant, novumque Regem Vngariæ (melius Poloni vivente uno Rege, alterum non eligunt) anno præterito quinta Auguſti Pragæ coronatum ad Regnum Boëmiæ Ferdinandum IV, filium Imperatoris Ferdinandi III, coronari permiſerunt die 5 Iunii A.C. 1647 in Comitiis Poſonii celebratis: in quibus etiam fuit renunciatus novus Palatinus Vngariæ poſt Nicolaum Eſterhaſi nuper defunctum, Traſcovicius Prorex Croatiæ, & differentiæ inter Catholicos ac Religiones diſſidentes introductarum utrinque querelarum, circumſcriptionibus conquieverant æquioribus.

Galliæ Rex Ludovicus XIII obiit 14 Maji 1643.

A morte autem Regis Galliæ Anno Chriſti 1643 die decima quarta Maji defuncti, ut ſupra attigimus, tanto meliores ſpes rebus Auſtriacis affulſiſſe videbantur. Vnde earum fautores, ac ſi jam in tuto haberent omnia tam potenti adverſario ſuo ſublato, evidentiora lætitiæ ac ſecuritatis ſuæ ſigna præferebant: confiſi quod Galli in tanta commutatione apud ſe Magiſtratuum, & præſertim ſub fœmina Regina eaque genere Auſtriaca, tum & ſub Duce Aurelienſe, qui à vivente Rege fratre ſuo in iſtis bellis Auſtriacis non raro diſſentiebat, de fervore promovendi hoc bellum remitterent; ſed hoc quoque fefellit opiniones omnium; nam ille Rex ad ſingula circumſpectus, cum jam morti eſſet proximus, omnes rectionis ſuæ rationes à ſupremo Conſilio ſuo & Parlamento Pariſienſi conſiderati fecit, & cum omnium judicio probaretur, Reginam uxorem cui (uti Blanchæ) donec Delphinus adoleſceret Regni Adminiſtrationem, & fratrem Ducem Aurelianenſem cui ſupremum armorum arbitrium commiſerat, arctius obligavit, ut eandem rectionis formulam ſervarent. Loco vero Cardinalis Richelii paulo ante extincti, ad conſilia illa Regia Cardinalem Maſarinum ſubſtituerat.

Galli probant conſilia Ludov. Regis & ea exequuntur.

Atque iſti nil immutato bellicarum expeditionum ab ipſo inſtitutatum ordine, omnes exercitus in Italia, Hiſpania, Arteſia, Alſatia, novis ſupplementis apparatibuſque inſtructos, incœptas impreſſiones continuare juſſerunt, & cum Suecis pro proſequendo in Germania bello fœdus renovârunt ſancitum paulo ante in Comitiis Sueciæ Stocholmiæ ſub finem Novembris A.C. 1640 ad triennium. In

Arteſia

Arteſia Dux Anguienſis Condæus junior prope Bapames Adminiſtratorem Belgii Franciſcum de Melo profligavit, eo ipſo die quo Delphinus Ludovicus XIV nuncupatus novus Rex Galliæ Pariſiis renuntiabatur eodem Anno Chriſti 1643 menſe Majo. Inde movens in Lucemburgenſem ditionem, Theonville obſedit, ac prope trium menſium oppugnatione laborioſa ad deditionem coëgit.

Anguienſis Dux profligat Hiſpanos

Theonville capiunt Galli.

Subſequente vero Anno Chriſti 1644 ipſemet Dux Aurelianenſis potentiori exercitu cum Mariſchallo de Migleraie ac Comite Gaſſion præmiſſo, ad obſidendam Gravelingam ivit. Civitas illa eſt Flandriæ inſignis, portu, muri, valli, foſſarum ſtructuris munitiſſima, & circa quam Galli aliquando clades magnas acceperunt, ut alibi adnotavimus: unde non pauci rei militaris periti eam non tam facile capi, vel à recipiendis à Donchercha quatuor milliaribus inde diſtante ſubſidiis prohiberi poſſe judicabant. Sed vicit omne arduum ſolertia tantorum Ducum, qui primum ad illum Portum, à quo omnis ſpes victoriæ pendebat, celerius priuſquam potuiſſet è mari ſubveniri præcludendum totis viribus converſis, unicum propugnaculum ipſius S. Philippi denominatum expugnârunt, ac occluſo mari terraque omni ad Civitatem aditu, evacuatis aqua ejus foſſis, munitionibus vi cuniculorum ac tormentorum dejectis, poſt duorum menſium ſanguinolentos cum obſeſſis fortiter repugnantibus conflictus, in quibus etiam Comes Gaſſion grave vulnus acceperat, rejectis quoque ſæpius auxiliis ſummiſſis à Picolominio, qui interim ex Hiſpania venerat in Belgium cum titulo ſummi Præfecti militaris, eam ad extremam deditionis neceſſitatem vigeſima nona Iulii Anni ejuſdem Milleſimi, Sexcenteſimi, Quadrageſimi Quarti reduxerunt.

Gravelinga Civitas Flandriæ capta à Gallis 1644.

Deinde San Omarum oppidum ei vicinum oppugnârunt, Vatenas ac plura illius oræ loca conſtringendo San Omaro opportuna occupârunt, & totam illam viciniam Ipras uſque excurrentes populabantur. Nec inferiorem felicitatem arma Gallica habuerunt in Alſatia quoque, ubi Dux Anguienſis, Bavaricos poſt capta ibi diverſa loca ferocientes repreſſit, & circa obſidionem Friburgæ fudit, omnemque illum exercitum Bavaricum diſſipavit. Et paulo poſt Filipsburgum obſidione cinxit, ac poſt longam oppugnationem cepit, unde plures Civitates in illa ripa Rheni, ut Spira, Vormatia, Moguntia ipſi deditionem fecerunt.

Anguienſis Dux in Alſatia profligat Bavaricos.

Hollandorum vero Dux Henricus Auranius, qui toto eo tempore ad diſtrahendas vires Belgio Hiſpanicas prope Brugas in campis Maldegem caſtris poſitis excubabat, poſtquam Galli Gravelingam expugnârant, Canali novo à Gandavo ad Saſſen tendente ſuperato, propugnaculum S. Antonii dictum cepit, & Saſſen obſedit, cæſiſque ſubſidiis Hiſpanicis poſt longam oppugnationem ad deditionem coëgit, & univerſum fere illud territorium in Flandria Vaſiæ in ſuam poteſtatem redegit. Inde vero in tota Flandria commoti populi, querelis acerbioribus omnia complentes, quod hinc Hollandis, illinc Gallis oppugnantibus nil reſiſtere valeret, & nonniſi vel illis vel iſtis certis præda futuri eſſent, ad ſeditiones novandaſque res, & prope ad defectiones propendere videbantur. Initio vero Septembris ejuſdem anni advenerat eo Ioannes de Auſtria filius nothus Philippi IV Regis Hiſpaniæ cum titulo & poteſtate Gubernatoris Flandriæ, & adjunctarum Provinciarum, & Franciſcus de Melo juſſus fuit redire in Hiſpaniam, poſſeſſionem tamen ſui muneris ille novus Gubernator priuſquam adiiſſet revocatus redierat in Hiſpaniam.

Hollandi capiunt Saſſingam prope Gandavum.

Flandriæ populi tumultuantur.

In Hiſpania poſtquam Rex Philippus ab amiſſo Perpiniano, res ſuas majori cura indigere advertit, ipſemet in conſiliis præſidebat, & nihil ſe abſente vel inſcio circa negotia æque publica atque privata Regalia ſua ſtatui permiſit: miniſtros Aulæ ſuæ, præcipue Comitem Ducem de Olivarez, cujus errori damna præterita imputabantur Magiſtratu abdicavit, & relegavit ab Aula ſua, ſub cuſtodiiſque deti-

Hiſpaniæ Rex miniſtros Aulæ ſuæ mutat.

Olivarez abdicatur Magiſtratu.

Olivarez obiit.

detineri, & conſumi permiſit in oppida Torra, ubi vigeſima ſecunda Iulii Anno Chriſti 1645 demum obiit.

Hiſpania Regina moritur.

Inviſus ille fuit ab initio Reginæ, eo quod Regem amoribus furtivis diſtineret, unde cum Regina in morbum incidiſſet, ex quo poſt longam curationem in Novembre Anno Chriſti 1644 deceſſerat, conjectura ſumpta quaſi ex veneficiis & cantationibus ipſo conſcio procuratis illa valetudo proveniſſet, aliſque criminationibus de concitatis ad defectionem Catalonis ac Luſitanis, & ab eventis infelicibus rectionis ſtatus publici cumulatis, ſupplantatus fuit artificio Comitis de

Borgia obtinet Archiep. Toleti.

Ognata Innici de Guevara, & Cardinalis Borgia, cui in Archiepiſcopatu Toletano voluerat præferri Archiducem Leopoldum, & illo demum oppreſſo, ceſſerat iſte Archiepiſcopatus Borgiæ, qui etiam hoc accepto ſub finem Decembris

Borgia moritur.

ejuſdem A. 1645 obierat.

Olivarezii vero (Gaſpar de Guſman genere) ſublati in locum, alios arbitrio ſuo Rex adhibuit ad moderanda conſilia ſua privata & publica, & Philippo de Sylva ſummam belli in Catalonia curam commiſit.

Monſon recuperant Hiſpani.

Is itaque Anno Chriſti 1643 menſe Auguſto, *Monſon* oppidum muniriſſimum, & commeantibus ex Aragonia in Cataloniam valde opportunum, primum obſederat, & poſt duorum menſium oppugnationem, rejecto Protege *Della Motte* cum ſubſidiis Gallicis, deditione obtinuit. Et inſequenti Anno Chriſti 1644 eundem *Della Motte* menſe Majo prope Leridam prælio vicit, eaque victoria obtenta, Leridam obſidione undique ita cinxit, ut quamvis *Della Motte* reſarcito exercitu ſuo ſæpius magna vi ſubvenire obſeſſis tentaverit, ſemper tamen repulſus non ſine clade ſuorum, non niſi à longe circa Balaguer deſidens, illam oppugnationem ſpectavit; quare obſeſſi (erant quater mille ſelectiores milites ibi Galli) poſt mul-

Leridam recuperant Hiſpani.

tos in excurſionibus conflictus, in quibus magna damna Hiſpanis dederunt, deſtituti cibariis, auxiliiſque deſperatis, vigeſima nona Iulii die ejuſdem Anni Chriſti 1644 (eodem quo & Gravelinga in Flandria) deditionem fecerunt, duriori lege, nempe ut cum ſuis quidem impedimentis abirent, ſed Fonterabiam uſque deducerentur, & oppidanis nullam ſecuritatem obtinere potuerunt, quod Barcellonæ, ac aliis Civitatibus Cataloniæ fuit ingratum ac formidoloſum.

Taraconem obſident Galli & deſerunt.

Interim autem Galli, ut Hiſpanos à Lerida diverterent, vel ejus damnum compenſarent, obſederant cum alio exercitu ſuo Taraconam, conſilio ſatis provido; poſtquam enim propugnacula ejus maritima expugnârant, occluſam ab auxiliis ea recipiendis, continenti à duabus partibus ſummo ardore oppugnatum, mœnibuſque ejus vi tormentorum ad ingreſſum late dejectis, pene ceperant; ſed *Della Motte* nulla neceſſitate cogente, repente ab illa oppugnatione retraxit exercitum: incertum an quod viribus ſuis diffideret, quando Hiſpani recuperata Lerida totum ſuum robur ad illam Civitatem liberandam convertiſſent, ſeu quod ut alibi quoque ſuſpicari fecit, ſtudio conniveret ex ſecretiori alicujus novi in Aula Gallica Ancrei conſilio, cujus paulo poſt vocatus ad Aulam Galliæ ſtrictas rationes reddere cogebatur, & in ejus locum ſucceſſerat ſubſequenti Anno Chriſti 1645,

Arcourt Prorex Cataloniæ.

Comes *Arcourt* bellator famoſus, qui diligentius bellum illud adminiſtravit: & ſtatim primo Vere concluſo portu atque Oppido celebri Roſes ſive Rheda Comitatus Roſſiliani, ac ad eam obſidionem continuandam Comite Pleſſis Pralin relicto, ad confinia Aragoniæ reliquum exercitum duxit, ubi fluvii *Sicoris* ſeu *Segre* tranſmiſſionem artificioſe oſtentans, Hiſpanorum potentem manum in ea prohibenda morabatur, ne iret ſuppetias obſeſſis Roſes, iſtis vero (iſte Comitatus Roſſilienſis cum Perpiniano, poſtquam Pipini inde Mauros expulerant, Galliæ Regibus paruit: deinde per fiducias & affinitates una cum Catalonia venit in poſſeſſionem Regum Aragoniæ, & ſub Ioanne II, Aragoniæ Rege reverſus ad Ludo-

vicum

Digitized by Google

vicum XI Galliæ Regem, iterum à Carolo VIII Rege Galliæ circa Annum Chriſti 1493, Ferdinando II Aragoniæ Regi pro juribus & auxiliis ad recuperandum Neapolis Regnum ſibi præſtandis, quæ tamen fefellerant, traditus, longo poſtliminio hoc tandem noſtro tempore redit ad Gallos, incertum diunę apud eos manſurus) poſt diuturnam oppugnationem ad extremas anguſtias defectu auxiliorum ad deditionem decima Iunii ejuſdem Anni Chriſti 1645 coactis, accito inde ad ſe Comite Pleſſis Pralin cum majoribus copiis, etiam tranſitum *Sicoris* ferro ſibi aperuit, à medio Iunii continuatis præliis, profligato toto illo Hiſpanorum exercitu, in pluribus ſtationibus ad obſervandum ibi vada & itinera circa munitiora propugnacula conſiſtente. Captus fuit in illis pugnis Marchio de Mortara veteranus Dux militaris, & ducenti ductores Ordinum, inter quos plurimi erant inſignes genere Caſtellani, præſertim Vincentius Tutavilla cum filio ſuo Duce de Nocera, Iacobus Bardo, Michaël Pignatelli Magiſter Equitum Neapolitanus, qui cum aliis bis mille quingentis minoris nominis militibus Hiſpanis abducti fuerunt in Galliam: Dux eorum præcipuus Andreas Cantelmi, cum expeditiore equitatu evaſerat Balaguerum, ibique recolligebat reliquos ſuos fuga ab illa clade diſperſos. Arcourt autem poſt illam tam celebrem victoriam, cum non ſecus atque Annibal à pugna Cannenſi, ſummam rei petiturus, vel ſaltem Leridam conquiſiturus crederetur, veritus forte ne à tergo carperetur à Cantelmo, ſeu impediretur in ea oppugnanda, ut iſtum prius tolleret, obſederat Balaguerum; ac ceperat quidem illud tandem vigeſima Octobris ejuſdem anni, ejuſque præſidium trium millium Hiſpanorum juſſerat traduci per Galliam Fonterabiam uſque, uti Gallis quoque Leridæ præſidiariis fecerant Hiſpani, tum & Flix, aliaque diverſa illius viciniæ loca in ſuam redegerat poteſtatem, ſed Cantelmus, priuſquam arctius fuiſſet conſtrictus eruperat inde cum equitatu, & illa oppugnatione ad ſerum autumnum protracta, occaſio rei utilius alibi gerendæ Gallis evanuit, tempuſque datum fuit Hiſpanis, quod congregârunt alium exercitum, cum quo Philippus de Sylva circa Fragam ſubſiſtens, majores ipſorum progreſſus diſtinuit. Tanto magis in Anno Chriſti 1646 ſubſequenti, eorum conatibus provide occurrebat Marchio de Leganes, ſuffectus in locum Philippi de Sylva interim defuncti, cum enim Leridam Comes Arcourt cinxiſſet obſidione, eaque tota æſtate ad Novembrem continuata obſeſſos ad extremas prope anguſtias redegiſſet, Marchio de Leganes ad eos liberandos veniens, & Caſtra Gallica undique bene munita difficilius poſſe vi aperta expugnari judicans, ad aſtum converſus, ſimulavit reditum per fluvium Sicorim, inde vero à media nocte repente converſus, in Gallos incautos & ſecuros, ac quaſi perfunctos periculo excubias raras habentes, toto impetu irruit, & ab altera parte Dux de Cardona cum ſeptem millibus armatorum eadem caſtra ſimul oppugnavit: tum demum vero ex quiete concurrentes Galli ad prælium, exceperunt quidem fortiter hoſtem, ſed cum jam iſte ſuperaſſet munitiones ipſorum, ejici amplius non potuit, cædibuſque ſolummodo mutuis certârunt ad meridiem diei decimæ nonæ Novembris, in quibus prope centeni Ordinum Ductores Galli fortiores quique, & ex gregariis mille ducenti occubuerunt, & totidem fere ex Hiſpanis, præter quod penes ipſos ſtetit victoria, ſoluta illa obſidione. Comes Arcourt accepto vulnere in ea pugna cum reliquiis ſui exercitus, non tamen palatim, ſed Ordinibus ſervatis Balaguerum receſſerat, & inde Cerveram omni apparatu Caſtrenſi & impedimentis in prædam hoſti relictis, graviorem paſſus jacturam gloriæ nominis ſui, quam tot præclaris victoriis quæſierat.

Roſes capiunt Galli.

Arcourt profligat Hiſpanos apud Sicorim.

Balaguer capitur Galli 1645.

Lerida liberata ab obſidione 1646.

In Anno vero ſubſequenti 1647, Dux Condæus adminiſtratione illius belli ſuſcepta, cum prope eandem Leridam (ibi fuit prælium Iulii Cæſaris cum filiis Pompeji)

peji) conduxiſſet exercitum, poſt aliquot prælia leviora æquali marte commiſſa Gregorio Britto ejus Præfecto, ne ibi tempus tereret fruſtra, & quod à caloribus nimiis æſtivis multi ex ejus militiis morerentur, nec pauci propterea fugerent, receſſerat verſus Tarraconam, ibique majorem æſtatis partem inſumpſit in erigendis munitioribus circa locum *Conſtantini* dictum propugnaculis, unde illa Civitas in metu ſemper contineretur. Et ſub finem æſtatis præter opinionem Hiſpanorum celerius traduxit exercitum ad Agerium finitimam Civitatem Cataloniæ ab Aragonia, eamque ſumma vi oppugnavit, cepitque priuſquam ab Hiſpanis juvari potuiſſet. Atque ita non inglorius redierat in Galliam, ac in ejus locum deſtinatus Vicerex Cardinalis S. Cæciliæ ex Monacho, Maſſarini Germanus, in Anno Chriſti 1648 ſubſequenti, cum veniſſet Barcellonam ingratus hoſpes, indignante contra tam incomptum Magiſtratum illa gente, coactus fuit dare locum Mariſſallo Schembergo, viro militia claro, qui ſtatim obſederat Tortoſam, ut in notis iſtius anni ſubſequentibus apparebit.

Condaus capit Agerium.

Luſitani vero à quibus Catalonia aliquot adjumentum ſeu diſtractionem belli expectabat, nil interim conſideratione dignum præſtiterunt, præter excurſiones in Extremaduram, ubi cum Marchione de Terracuſa in Anno Chriſti 1644 bis ferocius pugnârunt, æque ab una atque ab alia parte plurimis deſideratis, ac ſub finem anni illius, eundem ab obſidione Elvæ ſtrenue rejecerunt.

Luſitanorum languidi progreſſus.

Tanto minus egerunt in Anno Chriſti 1645 licet Caſtellanis ab Arcourt fractis, & eo cum Philippo de Sylva eorum melioribus copiis à finibus Luſitaniæ averſis, majorem commoditatem vires ſuas dilatandi habuerint: ſed in ſolis prædis in Extremadura agendis, ac Marchione de Leganes in locum Philippi de Sylva contra ipſos ſuffecto à S. Antonii propugnaculo Olivenzæ vicino rejiciendo tempus terebant: Intenti magis ad rationes Braſiliæ, ubi Ferambucum & promontorium S. Auguſtini, omneque circa lineam æquinoctialem illius oræ littus, præter unum vel alterum portum, nempe Reif & Paraiba ademerunt hoc Anno Chriſti 1645 Hollandis, qui viciſſim auxerunt rem ſuam in Flandria capto Hulſto initio Novembris ejuſdem Anni, poſtquam ibi Galli quoque conducti à Duce Aurelianenſi cum Comite Gaſcion ceperant Mardicum proximum Doncherchæ, ac Borborch, Linch, ac profligato Lamboyo apud Menene initio Novembris, pervagabantur totam Flandriam impune; Et licet tertia Decembris iterum Hiſpani Dunchercha excurrentes aſtu nocturno ſurripuerint ipſis Mardicum; iterum tamen in Anno Chriſti 1646 illud recuperârant & ceperant Vinosbergam, ac prælio inſigni vigeſima ſexta Iunii apud pagum Cuerne victis Hiſpanicis, plurimiſque ex eis cæſis, Cortracum Civitatem Flandriæ inſignem ceperunt Duce Aurelianenſe ibi præſente, ac Duce Anguienſi, Ranzovio, Gaſſione. Deinde Dunchercham operoſis propugnaculis portuſque repagulis, quatuor millium Hiſpanorum præſidio cum Præfecto Comite de Lede munitam, poſt trium menſium laborioſam oppugnationem 7 die Octobris ejuſdem A.C. 1646 ad deditionem coëgerunt. Vnde ſumpto impetu Gallica arma, etiam Dixmudam & plura vicina ibi oppida in ſuam redegerunt poteſtatem.

Hulſtum Flandriæ capiunt Hollandi 1645.

Galli capiunt Mardic. Borborch. 1645.

Mardic. recuperant Hiſpani.

Cortracum captum à Gallis.

Dunchercha capta.

In Anno vero 1647 Archidux Leopoldus ad illarum Provinciarum curam deſtinatus, recuperârat Armientrium, & Dixmudam, ſed Galli viciſſim ſub Duce Mariſſallo Gaſſione ceperunt Baſſeam & Lens (ibi à jaculo bombardæ occubuerat Gaſſion Dux militiæ celebris) ac in Anno C. 1648 ſubſequente, cum Leopoldus Cortracum recepiſſet, Dux Condæus (vocabatur Anguieñ. ſed interim defuncto ſuo patre Duce Condæo, iſtum titulum aſſumpſit) obſederat Ipras, & ad deditionem coëgit. Reliqua inter eos geſtorum pertinebunt ad ſubſequentem ſcriptionem. Ac cum alio exercitu Villeroi in Lotharyngia munitiſſimum oppidum

Betune & Lens capiunt Galli.

Gaſſion occiſus.

pidum Motta, poſtquam in ejus oppugnatione alius Præfectus Gallicus Magalotti occubuerat, deditione cepit 10 Iulii illius Anni Chriſti 1645. Eademque arma Gallica circumducens Dux Anguienſis apud Rhenum, Bavaricos, qui interim ſub finem Aprilis quatuor legiones peditum ipſius circa Nicrum incautius incedentes oppreſſerant, perſequebatur, eoſque inter Vindingam & Nordlingam conſecutus, tertia die Auguſti ejuſdem Anni Chriſti 1645, cruentum nimis prælium commiſit cum ipſis, in quo pertinacius à meridie ad mediam noctem continuato, ceciderunt fere ſeptem millia hominum ab utraque parte,& pæne æquali numero captivi utrinque facti multi, in eoque victoria ceſſit Gallis, quod Dux præcipuus Bavaricorum Merci ibi periit, & ejus vicarius Gleen fuit captus, commutatus paulo poſt pro Comite Gramont, Tribuno præcipuo Ducis Anguienſis, ibidem à Bavaris capto, tum quod tormenta bellica cum magna parte curruum Galli obtinuerunt, & Bavaricis Donaverdam ac ultra Danubium cedere coactis, ceperunt Nordlingam; demumque obſederant Heilbrunam. Verum cum interim Anguienſis à laboribus bellicis in gravem morbum incidiſſet, Philisburgum curationis cauſa delatus, eo quoque exercitum illum retrahi juſſit autumno jam adulto, & Bavarici redintegratis viribus auxiliis novis ab Imperatore cum Archiduce Leopoldo ſummiſſis, facile recuperarunt Vindingam ac Nordlingam, ac alia illius regionis loca à Gallis neglecta. Inſequenti vero Anno Chriſti 1646 exercitus illi partium fœderatorum Gallici Duce Turaine, & Suetici ſub Vrangelio conjuncti, iterum Nordlingam & Donaverdam recuperarunt, & effuſi in ſolum Bavaricum, Raina capta, omnem illam regionem circa Licum, Auguſtam uſque ipſam infeſtam multo tempore tenuerunt. Inde vero per Sueviam verſus lacum Acronium ſeu Podamicum, aut Conſtantienſem tranſeuntes, Briganti Oppido capto, etiam Menaviam cum illa inſula, deinde Reichenaviam occuparunt, Lindaviam oppugnarunt, majoremque terrorem illis regionibus incuſſerunt, ut Electori Bavariæ aliud non ſuperfuerit, niſi ut ſecuritatis ſuæ cauſa tractarit inducias, ſub quibus neutrarum partium cenſeretur, concluſeratque eas una pro Electore quoque Colonienſi Vlmæ ſub finem Februarii, A. C. inſequentis 1647. Quibus durantibus tota vis illius exercitus fœderatorum contra ditiones Imperatoris proprias conversa, in finibus Boëmiæ Egeram Miſniam verſus expugnarunt & ceperunt, imperialibus copiis illi loco ferentibus ſubſidium, prælio fugatis, & majores progreſſus cum ibi facerent, Bavariæque Elector ut Imperatorem juvaret, renuntiaſſet induciis, hocque idem feciſſet Coloniæ quoque Elector, ipſi relicto firmo præſidio Egeræ, iterum in Bavariam redierunt, omnemque illam regionem cædibus & direptionibus afflixerunt, toto hoc anno 1648, profligatis ſub finem menſis Maji Imperialibus, qui in auxilium Bavaricis adventabant una cum Milandro ſummo eorum Præfecto jaculo bombardæ occiſo, ut neceſſum fuerit etiam ipſimet Bavariæ Electori relicto Monachio verſus Salisburgum ad tutiora loca tranſire. Nec minores progreſſus faciebant Haſſiaci circa Veſtphaliam, ac Vittembergius Tribunus Sueticus in Sileſia, ut ſingularius poterunt recenſeri in ſubſequentibus. Nos ea hic carptim memoramus, ne prætereantur ab iis qui fuſius ſcribent acta iſtorum annorum. Qua ratione adnotandum quoque judicavimus novum bellum ſub hoc tempus in Italia excitatum. Nempe quod cum Princeps Sabaudiæ Thomas cupiens Sabaudiam à bello tam multis annis ibi continuato liberari, ſpecioſo artificio Gallos alio transferendi invento, ipſis perſuaſit, ut portus Hetruriæ in nomen Hiſpani Regis munitos oppugnarent, unde majora incommoda ipſi inferri poſſent. Ac ipſemet Ducem ſe exhibens tali expeditioni, menſe Majo A. 1646, cum exercitu Gallico ad littus illud Hetruſcum ſeu Senenſe, ubi ſunt præſidia Hiſpanorum applicuit, cepitque Oppidum ibi maritimum

Mottam capiunt Galli.

Galli profligant Bavaricæ Ducis copias 1645, 3 Auguſti.

Brigantum captum à Sueticis.

Bavaria & Colon. Elect. neutralitatem faciunt.

Egeram capiunt Sueci.

Milander caſus.

Digitized by Google

Orbetellum Galli obſident. ritimum Talamone, & portum S. Stephani, Orbetellum vero fortiori præſidio munitum obſedit, & oppugnavit à medio menſe Majo: rejectaque fuerunt plu- ries ſubſidia Neapoli illi loco ſummiſſa, etiam navali prælio, in quo Præfectus Gal- *Breze Dux occubuit.* licæ Claſſis Mariſall de Breze Dux celebris occubuerat quidem, & multæ utrinque naves perierant; ſubſidium tamen Orbetello inferri non potuit. Paulo poſt autem medio menſo Iulio cum Marchio de Terracoſa ad portum Herculis majorem mi- litum Hiſpanorum Neapoli conduxiſſet, & continenti verſus Orbetellum con- tendens primam ſtationem excubitorum Gallicorum in propugnaculo *Terra Roſſa* *Thomas deſerit oppugnationem Orbetelli.* dicto tribus milliaribus Italicis à Caſtris ipſorum diſtantem expugnaſſet, Thomas Princeps non expectato ejus adventu reliquit obſidionem illam, & portum quoq; S. Stephani, ac Oppidum Talamone, licet retinere potuiſſet, pacta ſola commu- tatione captivorum Hiſpanis reddidit. Quo indignati Galli, ut probarent illam obſidionem ſub Duce Gallo meliorem exitum habituram fuiſſe, mox à Tollone *Galli portum Longone capiunt.* claſſe cum Duce Mariſallo Migleraie ad eas partes vecti, portum Longone in In- ſula Elba ſeu Ilva antiquis *Chalibum memorabilis Ilva metallis*, cujus partem occi- dentalem occupat Coſmopolis pro Duce magno Hetruriæ; Orientalem vero te- nent Hiſpani, mille quingentorum Hiſpanorum præſidio munitum expugnavit, & Gallico præſidio munivit, ac ex adverſo ejuſdem Inſulæ incontinenti Italiæ Arcem Plumbini, ejecto inde præſidio Hiſpanico occupavit. Aliud quoque ſtra- *Galli tranſeunt in agros Cremonæ.* tagama excogitatum fuit ab illiſmet rerum inventoribus in Anno Chriſti 1647, quo ſedes armorum Gallicorum averteretur ex Sabaudia in ſolum Mantuanum, & ſimul debilitarentur vires Gallorum ad bella tantopere multiplicata diſtractæ. Ac delinitus Dux Mantuæ amplis promiſſis, tituliſque glorioſis ſummi Præfecti militaris Galliæ in Italia, permiſerat ut exercitus Gallici ad illam partem ditionis ſuæ conducti, oppugnarent inde Cremonam, & ditiones Mediolani: conſede- rantque circa Caſale majus, & Rivarolam, & inter leviora prælia circa Sabione- tam, cum præſidiis Mediolani æquali Marte commiſſa, excitabant ibi munitiones, quas tamen vortices exundantis fluvii Padi majori mox parte dejecerant. Et ite- rum in Anno Chriſti 1648, poſtquam ibi hybernarunt, majori numero aucti, agros Cremonæ, eamque viciniam longe lateque infeſtam habebant, opera hucuſ- que inutili, & periculoſa ad ultimum illi Duci: denuntiari enim ipſi fecerat Impe- rator, ne quid hoſtile afferret Mediolano, niſi vellet abrogari ſibi fiduciam Impe- *Neapoli tumultus popularis 1647.* rialem ſuper illo Principatu. Quod vero nullæ conjecturæ prævidere potuerunt, in ipſo quoque Regno Neapolis commotiones evenerunt, eo pericoloſiores, quod non ſolum inexpectatæ, ſed magis quod majora damna quam univerſarum India- rum & Americarum ſi perderentur, jacturam Hiſpanis attuliſſent, prorſuſq; illam Monarchiam evertiſſent, ſi ejus habenis & obſequio Galli fortuna propitia potiti, melius illud moderari ſciviſſent. Acciderat enim, quod Hiſpani adſueti in ſuis ditionibus ad bella tam infinita quæ volentes perpetuo alunt, ingentibus vectiga- libus onerare populos, Neapoli quoq; nova & in dies graviora exquiſitioribus arti- bus inventa inſtituebant, ac cum A.C. 1646, inauditum à ſeculis ex fructibus arbo- rum & hortorum qui quotidie minutim in foro venales populo exponuntur, ſolvi imperaſſet Dux de Arcos tunc ibi Prorex, & ejus miniſtri vi in foro illud extorque- rent, paulo poſt unus vilior ex plebe Thomas Agnelli Amalfitanus navicula vili tales merces adferre in urbem ſolitus, audacius exactorem repulit, & ejus exemplo omnes alii propolæ in illos miniſtros publicos conſurrexerunt, accurrenteſque co- hortes militares urbanas in eorum auxilium, ſaxis & fuſtibus quæ furor ſubmini- ſtrabat fugarunt; creſcente vero tumultu etiam arma ſumpſit univerſus populus, conſpiratione facta ad defendenda Privilegia à Carolo V, Imperatore illi genti data & jurata. Nec potuerunt revocari ad obſequium, cum Ioannes de Auſtria filius

filius Nothus Regis Hiſpaniæ cum Claſſe & milite recenti ex Hiſpania veniens, inſuper eodem tempore feciſſet venire ad Vrbem ab una parte Marchionem de Guaſti cum octo millibus, ab alia parte Ducem de Matalone cum ſex millibus armatorum, ut ita & à portu, & à continenti irruentes, portas primarias occuparent, cogerentq; turbas ad deponenda arma, nam populares electo ſibi Duce Ianuario Anneſio (ille Thomas Agnelli primus populi concitator occiſus fuit à Sicariis à Vicerege ſubornatis) adeo fortiter exceperunt illos omnes impetus, ut plurimos ex militiis Regiis occiderint, & portas urbis retinuerint in ſua poteſtate, quibus commeatum facilius venientem à foris recipiebant, & Regii laborare cæperant ejus defectu. Et demum deſperata venia, recurrerunt pro protectione ad Regem Galliæ, ut miſerit ad eos Ducem Guiſium, qui ut venit Neapolim, ſumpta ſtatione in Vicaria, inchoavit quidem bene rectionem armorum illius populi, repreſſerat inſultus Hiſpanorum circa munitiones populares, & Claſſis eum ſecuta à portu Longone una cum quatuor grandioribus navibus armatis Luſitanis, profligarat Hiſpanicam præ portu Neapolitano, ſed priuſquam fortius fixiſſet pedem in ipſa Vrbe, cum præſtaret magis aliquam Arcem ibi expugnare, & portum aliquem (habebat portum populus in ſua poteſtate Turrim de Carmine) proprio præſidio diligentius munire, vel Caietam oppugnare, aut circa eam apud Civitatem Fundi confinem ditioni Pontificiæ, ut erat in ſua poteſtate, præſidia collocare, malo conſilio dimiſerat alios in Apuliam & in Calabriam, ſeu in Brutios, alios contra Aquilam in Abrutium ſeu in Samnites, ut ſollicitarentur illæ Provinciæ & Civitates ad partes populi, & ad reddenda ordinaria tributa pro milite, qui erat collectus, ſtipendiario. Auxilia quoque promiſſa & deſtinata cum claſſe ex Gallia retardarunt hyemales tempeſtates: & dum ea expectantur, novus Vicerex Comes de Ognata Roma à Caieta vectus mari Puteolos, eo delatus una cum Ioanne de Auſtria ſecretioribus artificiis corrupit multos ex populo, & eorum anteſignanum Anneſium, ut cum ſexta die Aprilis in aurora feciſſet irruptionem in munitiones popularium, defenſoribus ſtudioſe alio converſis, eas nullo negotio occuparit, & Turrim de Carmine maritimam ſponte tradiderit Anneſius. Inde vero ſublata ab Hiſpanicis voce, *Vivat Hiſpania*, populares novitate rei territi, eandem cantilenam cantare incœperunt, unuſquiſque ſibi timens, ne contradicendo ad pœnas traheretur. Et Guiſius cum ſex domeſticis fuga verſus Beneventum contendens, in itinere à Comite Tuttavilla comprehenſus, captivus Caietam fuit deductus. Sero demum menſe Maio advenerat Claſſis Gallica cum ſpe quod adhuc populus ille viſis auxiliis perſiſtere vellet in ſua ſeceſſione. Sed Hiſpani omnia littora munierant firmis militaribus cuſtodiis, ut nullibi Gallis applicare liceret. Rapiebantur quoque ad ſupplicia plurimi ex populo tumultuum iſtorum inſimulari, & ille quoque Anneſius proditor Gallorum, prætexta alia cauſa comprehenſus, ſæviores luit pœnas, & cadaver ipſius ignominioſe fuerat raptatum per plateas Vrbis. Atque ita ſucceſſit illa novitas vectigalis *Gabella di frutti* vulgari nomine vocitati, & ex ea orta tempeſtas fremitus popularis, quæ ſi alterum menſem plus duraſſet, facile tranſiſſet illud Regnum in titulos Regis Galliarum. Immo non uſquequaque videtur ſedata, cum populi diverſorum locorum ad vocem tributi quadraginta duorum Carlinorum (ut ibi moneta cenſetur) de ſingulis focis poſtmodum à Vicerege indicti, etiam arma ſumere non dubitarint, & ſemel aperta hac via diffidentiæ cum Hiſpanis illorum populorum, ſemper aditus ad illud Regnum Gallis non difficilis patebit.

Ioan. de Auſtria venit Neapolim.

Guiſius Neapolim venit pro Rege Galliæ.

Anneſius prodit Hiſpanis populum, 1648.

Guiſius captus ab Hiſpanis.

Vicerex Neap. ſævit in populi Duces.

In Britannia magna à diverſitate Religionum exortas commotiones, cum in ſuis initiis ſopiri, oblivioneque obliterari poſſe viderentur, tandem illæ exarſerunt magis, quàm ut ſimulari vel ſilentio præteriri debeant. Sufficiet tamen earum origi-

Scotia Regni motus initia, 1638.

originem & progreſſum brevi ſolum nota hic adumbraſſe, donec finiant, & exactius conſtent ſcribentibus.

Carolus iſtius nominis Magnæ Britanniæ primus Rex, ſub hoc tempus ibi regnans, quo firmius conſociaret hæc Regna, cerimonias Religionis Reformaræ in Anglia uſitatas, in Scotia quoque, uti etiam Iacobus ſextus ipſius Pater in Synodo Anno Chriſti 1618 Perrenſi ſtatuerat, præcipue quinque articulos, nempe:

De genuflexione in ſacra Cœna. De celebratione certorum Feſtorum ultra Dominicas dies. De Baptiſmo privato. De uſu privato ſacra Cœna: & de Confirmatione Anglica.

Servari volebat, & recipi in omnibus Eccleſiis ad hoc editum librum ſeu formulam Rituum, *Liturgia* dictam, rum & Epiſcopis (erant eouſque in illis partibus Epiſcopi, licet hæretici, eodem cultu & habitu ac prærogativa ut apud Catholicos Catholici) bona ſua reddi, eorumque judicio & poteſtate Eccleſias Synodoſque moderari. Quibus decretis Regiis Puritani (æque Religioni Catholicæ atque Reformatæ Auguſtanæ infenſi) ne ita Puritaniſmus ſeu Calviniſmus ipſorum extirpaterur, pertracte reclamabant: & cum ad eorum obſervationem à Magiſtratu
Scoti ineunt fœdus Convenant, 1638. ad hoc, ut in Anglia (inſtar Italicæ & Hiſpanicæ Inquiſitionis) inſtituto, *Alta Commiſſio* dicto, ſeverioribus pœnis adigerentur, authore Alexandro Leſle conſpiratione facta in Anno Chriſti 1638, fœdus inierunt *Convenant* denominatum, pro mutua Religionis & libertatum (ut ajebant) ſuarum defenſione, oppoſueruntque illi Libro *Liturgia* contrariam Rituum ſacrorum normam, ſub titulo *Harmonia Confeſſionum*, Calviniſmo plenam, ut in omnibus Eccleſiis haberetur, & Epiſcopi ejicerentur. Nec potuerunt revocari ad officium diligentia præſidiorum Regiorum, immo iſtis exturbatis, Arcem Edemburgi primariam Regis in illo Regno ſedem cum aliis inſignioribus locis ſuo milite munierunt. Et cum Rex ad cohibendam tantam contumaciam, aliquantam manum ex Hybernis adduci curaſſet, ipſi omnia vectigalia Regalia ademerunt, ac exercitum ſibi armarunt, continuaruntque in annos ſubſequentes tales turbas, quamvis Rex celebrato ibi Parlamento in Anno Chriſti 1641, in Septembre, ſuſtulerit illam *Liturgiam*, & omnes libertates ipſis confirmarit.

Quod malum mox ad Anglos quoque penetravit, eò pernicioſius, quòd iſti tantò magis anxii ne incrementis Religionis Catholicæ vel Auguſtanæ Reformatæ Puritaniſmus ſupprimeretur, à multo tempore occaſionem ſimilem ad novandas res avide expectabant, incenſi odio in Catholicam Religionem ſub patro-
Anglos offendit Catholicorum libertas. cinio Reginæ ſuccreſcentem liberius. Nempe palam commeabant Summi Pontificis Romani Miniſtri ad illam Aulam. Venerat eò ab Vrbano VIII, Epiſco-
Papa miniſtri Anglis invifi in illa Aula. pus Calcedonenſis, ingratus etiam Catholicis, aliis pro admittendo, aliis pro rejiciendo Fidelitatis Regi obligandæ juramento à Rege Iacobo VI, præſcripto, inter ſe diviſis, ſeu ne eſſet, qui in eorum vitia inquireret. Poſtea miſerat eò idem Vrbanus VIII Gregorium Panzani Congregationis Oratorii: deinde Georgium Coneum Scotum Canonicum in Laterano: & demum Comitem Roſſetti in ſæculari habitu. Obverſabantur ibidem parentius Sacerdotes Catholici, præſertim Ioannes Godeſman, & Thomas Societatis IESV, & in Palatio Sommerſet degebat Congregatio Capucinorum. His itaque aliiſque ſimilibus Catholicorum actionibus exagitatos Anglos, majori parte Puritanos, cum Rex interpellaſſet, pro auxiliis ad coërcendam ſeceſſionem Scotorum, illi ſimulato conſilio ſuo, perſuaſerunt ei, ut Parlamentum, ſine quo tributa publica indici non poſſunt, convocaret, eoque primum bimeſtri ſine fructu provide à Rege diſſoluto, aliud tertia Novembris, Anni Chriſti Milleſimi Sexcenteſimi Quadrageſimi inchoatum, variis delinitionibus extorſerunt ab incauto (providebat

bat ne conjungerentur *Convenani.* Scotico, nec evitavit) nimium Rege, ut permiſerit eſſe triennale, & deinceps ut duraret donec (plane perpetuo) tollerentur abuſus, uti ajebant, in rectione publici ſtatus deprehenſi, atque iſte error perdidit illum Regem. Nam ut hoc quoque paucis delibemus, Parlamentum Angliæ (ut Germaniæ & Poloniæ Comitia) conſtat ex duplici conclavi, ſive Camera ſuperiori & Camera inferiori: in inferiori Camera capita populorum & ſtatus congregati proponunt ſua deſideria Proceribus & Senatui, In ſuperiori Camera Præſidentibus. Atque hæc Camera ſuperior decernit, leges condit, judicat, accuſatos damnat, habet jus carceris, & gladii quouſque durat, ejus tamen decreta vim non habent, donec à Rege confirmentur, & diſſolvi poteſt Regis arbitrio. Et quidem temporibus Vilhelmi Conqueſtoris, à quo ſtirps iſta nunc ibi regnans derivatur, Parlamenti iſtius infirma fuit poteſtas, ſed poſtea variis neceſſitatibus conſtricti illi Reges (nunc unus nunc alius) eam auxerunt ampliaruntque ſupra modum: iſta vero præſenti indiſcreta, & male circumſcripta prorogatione, adeo eſt laxata, ut valeat (præſertim oppreſſis partium Regiarum aſſeclis) quantum audet, cum neque deſint ipſi rationes, quibus obligatus Rex ejus decreta quantumvis ingrata compellitur ſubſcribere. Quod manifeſtius ex ſubſequentibus patebit. Poſtquam enim illud Parlamentum fuit ita ſtabilitum, ut non poſſet diſſolvi Regis voluntate, Parlamentarii (ita vocabuntur) abſque ullo reſpectu Regiæ dignitatis Scotorum fœdus approbarunt: Catholicos ne ullus eorum niſi ultra decem leucas ab Vrbe Londino commorari poſſet, prohibuerunt; Sacerdotes ad pœnas legum ab Elizabetha Regina ſancitarum vocabant: Reginam monuerunt, ut familiariores quatuor ſuos fideliores Catholicos ab Aula ablegaret, ſtatimque Comes Roſeti Miniſter Papæ & Ioannes Godeſmam Ieſuita, ægre per Legatum Hiſpaniæ Regis impetrata ſecuritate, abierat: Theſaurarius Veſton fuga ſe ſubtraxit in Hollandiam: Thomam Vuentourt Comitem de Straffotd Proregem Hyberniæ fideliorem Regi & Catholicis æquiorem fecerunt duci in carcerem Turris Londinenſis, nec permiſſo ut defenderetur per Legiſperitos, plane indicta cauſa eum damnarunt ſupplicio capitis, quaſi ſuaſiſſet Regi, ut motus Scoticos armis compeſceret, & dominaretur ut Monarcha, introduxeritque octo millia Hibernorum Catholicorum cum armis ad hoc in illam Inſulam, ac quod ejus opera ſolutum fuerit præcedens Parlamentum, & dilataretur fides Catholica, eſſetque reus peculatus in tributis Regiis. Tantumque egerunt concitato tumultu, acclamationibuſque plebis (eſt inſolentiſſima) Londinenſis, & comminationibus graviorum, quod Rex nolens, ſeu perſuaſus tali victima placandas fore turbulentorum iras, & ad pacatiora conſilia facilius poſſe flecti, immo ipſomet Prorege deprecante, ut ſuo ſanguine tempeſtas tanta ſedaretur, decretum illud Parlamenti ratum fecit, ex quo Prorex die vigeſima ſecunda Maji A.C.1641, truncatus fuit capite in theatro publico prope illam Turrim erecto. Nec multo poſt etiam Vilhelmum Laud Archiepiſcopum Cantuarienſem, præcipuum Regis in cauſis Religionis conſiliorum moderatorem in eadem Turri Londinenſi carcerarunt, & damnarunt ad ſupplicium capitis 20 Ianuarii A. C. 1645, quaſi ipſo authore fuerit conſcripta illa *Liturgia*, à qua proceſſerunt diſſenſiones Scotorum, ac deinde Sacerdotem Philippum Confeſſarium Reginæ in eundem carcerem detruſerunt: Inquiſitionem quoque inſtitui volebant contra Reginam, quod à Catholicis illius Regni poſtularit ſubſidia Regi ſuo marito pecuniaria, cujus rei documentum habebant ipſius, & alteras Digbii ac Montagii literas interceptas. Neque hic quieverunt, ſed ademerunt Regi uſum vectigalis præcipui Duannæ, illudque converterunt in ſtipendia militum Scotorum; interdixerunt Claſſium & portus Pleimontani Præfectis, ne ulli alteri parerent, niſi ipſimet Parlamento: ſatellitium

Angliæ Parlamentum prorogatum inconſulte.

Angliæ Parlamenti poteſtas.

Angliæ Parlamentum approbat fœdus Scoticum.

Angliæ Regina monetur à Parlamento ut Catholicos familiariores dimittat.

Hiberniæ Prorex capite damnatur.

Laud Archi. Cantuarienſ. carceratur.

Philippus Confeſſarius Reginæ carceratur.

Angliæ in Reginam vult inquiri Parlamentum.

Angliæ Regi adimit Vectigal Parlamentum & obſequium claſſis.

litium armatum (cujus rei nulla habebant ex antiquioribus Parlamentis exempla) conſtituerunt ad ſuam cuſtodiam: & cum Rex talia eorum decreta improbaret, & Londino propterea (nimium inconſiderate) diſceſſiſſet, ſæpiuſque exoratus redire nollet, nec dimitteret exercitum quem ex Hibernis, collectum in illa Inſula tenebat, ventum eſt ad apertiora diffidia. Quæ magis invaluerunt, concitata ſuſpicionibus, quod Rex ille filiam ſuam primogenitam Mariam deſponſarat Vilhelmo Auraniæ Principi Henrici Ducis Hollandorum filio, annorum decemſeptem, menſe Aprili A.C.1641, & inſequenti Anno 1642, ſub finem menſis Martii Regina mater eam in Hollandiam deduxerat. Parlamentarii enim arbitrati ea affinitate & ipſiuſmet Reginæ cum ſponſa diſceſſu, nonniſi auxilia externa conquiri, quibus Rex eos opprimeret, ipſi quoque arma ſumpſerunt, militem omnem Regni nonniſi ſibi obedire, ac alium conſcribi juſſerunt, eique præfecerunt Comitem Eſſexiæ. Atque in dies major ſuccedebat ibi rerum confuſio, Proceribus, Nobilibus, Civitatibus, aliis pro Rege, aliis contra Regem conſurgentibus. Ac denuo Parlamentarii illi, Puritani maxime ſocietatem ſuam ut fortius ſtabilirent, menſe Octobre Anno Chriſti 1643, in Templo Divæ Margaritæ Concione exhortatoria præmiſſa, in fœdus Scoticum ſolenniter jurarunt. Amovebantur à ſeſſione Parlamenti quicunque jurare recuſabant, ſeu videbantur favere Regis cauſæ, aut Religioni Catholicæ; Gubernatori Londini Milordio fuit abrogatum officium, alii quoque non pauci qui liberius defendebant partes Regias tradebantur cuſtodiis; Epiſcopis adempta fuit omnis poteſtas, ac eo titulo abſtinere jubebantur. Nulli quoque tractationi reconciliationis dabatur locus, licet ſedulo eam promoverint Legati Regis Daniæ, Hollandorum, (toto iſto tempore manet Londini etiam Legatus Hiſpaniæ Regis) & poſtea Comes Arcourt à Regina Galliæ (obierat interim Rex Galliæ Ludovicus XIII Anno Chriſti 1643,) ad hoc miſſus, cum authores talis conſpirationis præſertim Comes Eſſexiæ, cum ſuis ſociis à Rege rei criminis læſæ Majeſtatis declarati, timentes ne Rex poſtmodum nacta opportunitate reſumeret iras, deſperata venia, omnem ſuam ſecuritatem in continuanda defectione reponerent. Atque exinde correptis utrinque armis, omnes illorum trium Regnorum populi mutuis abſque diſcrimine cædibus miſere conficiuntur.

Auraniæ Principi deſponſatur filia Regis Angliæ 1641.

Angliæ Regina ducit in Hollandiam filiam ſuam ſponſo Auranio 1642.

Angli jurant in fœdus Scoticum 1643. in Octobre.

Parlamenti à ſeſſione extruduntur Regis fautores.

Anglorum cum Rege conciliatio tractatur fruſtra.

Angliæ Rex Eſſexium damnat crimine læſæ Majeſtatis.

Et quidem ab initio plerumque propitiori Regi Marte certabatur, ſed cum iſte deſtitutus ſuis omnibus vectigalibus, ſolis parcis pecuniis à Catholicis, vel ab externis Principibus amicis precario ſubminiſtratis bellum tam difficile ſuſtinere cogeretur, Parlamentarii vero nervo ac apparatu bellico abundarent, & præſertim ære Caſtrenſi, quod ſolum Londinum ad ſtipendia multarum legionum promptum ſuppeditabat, prævalere cœperunt in Anno Chriſti 1644, pluresque Civitates è manibus Regiorum recuperarunt; apud Iorchium ſeu Eboracum cæſis Regiis copiis, ægre earum Duce Roberto Palatino Regis ſororino fuga elapſo, ipſam Civitatem Iorch, fidum ac commodius Regiorum receptaculum ceperunt, & Scoti Neocaſtellum poſt longam obſidionem ad deditionem coëgerunt. Vnde Regina, quæ ex Hollandia à genero redierat, pertæſa tantarum turbarum, & abortum paſſa, tranſmiſerat iterum in Galliam, ibique Pariſiis domicilium ſibi ſumpſit, ac paulo poſt in Anno Chriſti 1646, ſubſequenti menſe Iulio filium quoque ſuum primogenitum Principem Valliæ ad ſe tranſire fecit. Inſtaurarat nihilominus Rex poſt cladem Iorchianam vires ſuas, & in Cornevalia die prima Septembris Anni Chriſti 1644, profligarat Comitem Eſſexiæ, & Valler Duces Parlamentariorum, ſed iterum in Anno Chriſti 1645, nimium debilitatus penuria pecuniæ, omniſque inſtrumenti bellici, & magis infidelitate ſuorum militum, quorum plurimi oſcitanter rem gerebant, ac facile deficiebant ad Parlamentarios,

Angliæ Regis vires vacillant defectu pecuniæ.

Angliæ Regii cæſi à Parlamentariis 1644.

Iorch capiunt Parlamentarii.

Angliæ Regina redit in Galliam.

Angliæ Rex profligat Eſſexium.

Parlamentarii cædunt Regios 1645. in Iulio.

tios, graviora damna accepit à Comite Fairſax, loco Eſſexii Parlamentariorum Duce, qui prius menſe Iulio diſſiparis Regiis cum Præfecto Goring apud Oppidum Liceſter, deinde Robertum Palarinum Regiorum Ducem eodem Anno Chriſti 1645, apud Briſtol medio Septembre ejuſdem Anni Chriſti 1645, fudit, & ipſam Civitatem cum portu in illa parte Septemtrionali valde opportuno cepit, data Roberto Palatino poteſtate adeundi cum ſuis militibus, quorum plurimi ſub ſigna Parlamentaria ſponte tranſierunt, & ipſemet Palatinus cum fratre ſuo Mauritio, cum videret Regem propter illam jacturam exercitus & Civitatis ſibi indignari, obtenta à Parlamento ſecuritate navigationis, in Hollandiam navigavit. Iterumque idem Fairfax ſub finem Octobris circa Veſtcheſter vicerat equitatum Regium, ut ipſemet Rex quoque ægre evaſerit Oxoniam, quod pene ſolum receptaculum in illa parte ipſi reſtabat. Hyberni Catholici adhuc aliquantum ſuſtentabant partes Regias in Scotia, tranſmiſſis eo bonis auxiliis Duci Regio Montroſe, qui magnos progreſſus ibi hoc A. C. 1645, faciebat.

Briſtol capiunt Parlamentarii.

Roberto Palatino indignatur Rex Angliæ.

Fairfax vincit Regios in Octob. 1645.

Et majores animos iidem Hyberni reſumpſerant, ſuffulti ſubſidio aliquanto pecuniario Roma ab Innocentio X Papa, ſibi ſummiſſo cum Nuncio Renucino, qui per longos circuitus maris, ne in manus Parlamentariorum incideret, tandem ſub finem Octobris ejuſdem Anni Chriſti 1645, tenuit portum optatum in Hybernia. Iamque prope in ſuam poteſtatem redegerant Dublinum caput illius Inſulæ, ſed potentia Parlamentariorum poſt multos conflictus tandem ſuperabantur.

Hybernis mittit Papa ſubſidia 1645.

Non intermittebant autem Regii toto illo A. C. 1645 tractare pacificationem, pertæſi belli civilis tam crudelis, ſed Parlamentarii obtrudebant ſemper conditiones Regi iniquiores, & quæ potius in ſtatum Anarchiæ ſeu Democratiæ Regnum illud mutarent.

Perſuaſus etiam Rex eos facilius flecti commoverique poſſe ad æquiora pacificationis media ſuæ reverentia præſentiæ, & tanta propenſionis ad pacem animi demonſtratione, ſi ipſemet armis depoſitis veniret Londinum, denunciari ipſis fecerat initio Aprilis A.C. 1946, quod vellet dimittere exercitum, & præſidia ſua ex omnibus munitionibus ſibi addictis deducere, ac ita cum ſolo comitatu Aulico venire Londinum ad tractandum concordiam univerſalem, dummodo perſonæ & dignitatis ſuæ Regiæ ſecuritati caveretur, liberumque eſſet cuilibet ex Aula & militiis ſuis ad propria redire, ac bonis ſuis tranquille gaudere. Ac præferebant illi gratum ſibi futurum fuiſſe adventum Regis, ornarique juſſerant Palatium ejus ad S. Iacobum, ſed ſecuritatem perſonæ & Aulæ ipſius dubiam nimium fecerunt, promulgatis decretis, ut tota Civitas eſſet in armis, & in omnibus locis qua Rex tranſiturus eſſet, diſponerentur militiæ fideliores Parlamentariæ, injicerentque manus omnibus qui venirent cum Rege ſine literis *Salvi conductus*, ut dicitur, Parlamenti, & ne quiſpiam poſſet convenire aut alloqui Regem ſine permiſſione Parlamenti. Vnde Rex, præmonitus inſuper de ipſorum ſecretioribus machinationibus, ex medio itinere (obviam ibat ad eum excipiendum nomine Parlamenti Comes Eſſexiæ) maluit redire Oxoniam, ne committeret ſe periculo evidenti, quod tamen tunc diſtulit ſolummodo, non evitavit. Nam cum poſt illam ultimam cladem equitatus ſui apud Veſtcheſteram fractus tot adverſis, & graviora evitare volens, ſponte ſua dimiſſo exercitu, armiſque depoſitis tranſiſſet ad Scotos, quaſi addictiores ſibi uti nativos, & iſtorum connivenria (fœdere mutuo ſtipendia ſtipulata ſibi ab Anglis, maluerunt tali obſequi repetere,) paulo poſt initio A. C. 1647, veniſſet in poteſtatem Parlamenti Angliæ, iſtius mandato Neocaſtello ubi diligentius cuſtoditus fuerat à Scotis, traductus Homboium, & circumſeptus non ſolum militaribus excubiis, ſed etiam familiaribus miniſtriſque novis ſibi additis, & veteribus æque Politicis atque Eccleſiaſticis conſiliariis famuliſque ſuis pleriſ-

Angliæ Rex vult venire Londinum 1646.

Angliæ Rex traditus à Scotis Parlamento 1647.

que oblegatis, inter detentionis tam arctæ anguſtias non tantum de dignitate, ſed etiam de vita ſua periclitari cogebatur. Propoſuerat ei Parlamentum reconciliationis media evertentia prorſus ejus poteſtatem,& inter cætera, ut omnia decreta & edicta ab ipſo à die diſceſſus ſui Londino ſancita contra Parlamentum, ejuſque membra, abolerentur in perpetuum: ut omnes dignitates honorumque tituli à tempore quo ſigilla Regalia fuerunt aſportata Londino, ab eo collati quibuſcunque perſonis, eſſent irriti: ut Parlamentum continuaret ſuas ſeſſiones & poteſtatem quomodo & quouſque vellet: ut militia Regni eſſet in poteſtate Parlamenti ad annos viginti. Ac poſtquam iſta ſubſcriberet Rex admitteretur Londinum ad colloquium Parlamenti. Et cum ille talia probare renuiſſet, ac in Galliam trajicere cogitaret, Parlamentarii munierunt milite totam Inſulam Vight, quo interim ipſe ſeceſſerat & demum ſuſpicionibus conceptis de ipſius obfirmatiori implacabilique animo, conſilia agitarunt de eo abdicando Regno. Inde vero commota & Scotia & multæ Civitates ac Provinciæ Angliæ, pro Regis dignitate defendenda arma iterum ſumpſerunt, & majoribus quam unquam odiis totius illius Inſulæ populi incitati, alii pro Rege, alii pro Parlamento invicem decertare non deſiſtunt.

Angliæ Rex ſub cuſtodiis. 1648.

Angli iterum pro Rege diſſentiunt 1648.

Quid porro parturierit tanta primariarum in Chriſtianitate Dynaſtiarum converſio, ſcribent illi, qui finem ejus videbunt: Nobis ſufficiet adhuc illa tantum quæ poſt A. 1638, (iſtius geſtis narratis *hos cæſtus artemque reponere præſtat*) ad A. 1648, evenerunt ſtrictim attigiſſe, ut ſuis principiis cohæreant, & ea coronent, talemque Doctorem ac lumen habeant conjectores in indaganda, præcipue belli Germanici tantorum malorum fontis, conſequentia, & veritate iſtarum propoſitionum: Num bene conſultum fuerit pacem in Germania tempeſtive non feciſſe, totque ac tantas calamitates non redemiſſe facili compendio reſtitutionis Palatinatus Rheni. Quid profuerit necdum finito bello Germanico, aliud denuntiaſſe intuliſſeque Gallis, & eo reſcidiſſe vincula firma pacis, quæ illos à vindicandis injuriis ſuis avitis eouſque continuerunt: Ac quanti conſtet Hiſpaniis (omnium Regnorum,quæ ſub ſole ſunt felicium feliciſſimis ſi bona ſua norint) quod Reges habent ex ſanguine alienigeno, pro quorum longinquis patriis ditionibus, tituliſque ampliandis, (vana ſpe Monarchiæ totius Europæ ita ſibi comparandæ illectæ) totum fere orbem Chriſtianum armis ſuis perpetuo infeſtum habent; ſumptibus vero immenſis alendo tam multos exercitus inæſtimabiles divitias ſuas exhauſerunt: Colonias frequentiſſimas, ad bella continua tot viris fortioribus emiſſis ac amiſſis deſolarunt: ac inſuper attraxerunt in proprias cervices, & externum, & domeſticum, civileque bellum nimium difficile, ac fortaſſis diuturnum.

Germanico bello non bene conſultum.

Hiſpania decus ſuum perdit in bellis alienis.

Et ut ad te redeam ad quem initium ſcribendi feci:

Vſque huc mi Nepos tibi meum deſudavit ingenium,
Dum adolevit tuum.

EXIN VERO

Noſce tuapte tuum ſeclûm, memoranda futuro
Scribe, malis ne cede, meoſque imitere labores.

LAVS DEO VNI TRINO.

OBSERVATIONES

ad pauca aliquot loca hujus Chronici, in quibus PAVLVS PIASECIVS de rebus Gallicis & Belgicis tractans, à veritate nonnihil aberravit.

PAgina 2, ad hæc verba: *Defuncto ſub finem menſis Aprilis, A.C.* 1574. *ætatis ſuæ* 24. *ſterili fratre ſuo germano Carolo* IX, *Galliæ Rege.* Non fuit omnino ſterilis Carolus. Habuit enim filium naturalem Carolum Valeſium, Arverniæ Comitem,qui ultra ſeptuaginta annos ipſi ſuperſtes fuit, & ſub regnis Ludovici XIII & Ludovici XIV nomine Ducis Engoliſmenſis cognitus eſt. Dicendum potius fuerat Carolum IX nullam ex legitima ſua uxore Elizabetha, Maximiliani II Imperatoris filia, maſculam prolem, quæ jus ſucceſſionis haberet ad regnum, reliquiſſe.

Pag. 121. *Inſtituerunt* (Hollandiæ Ordines) *ut contractus matrimoniales fierent coram Magiſtratu,& Scriba ſive Tabularii publici Præſes,aut Secretarius Magiſtratus, verba promiſſionum reciperet à ſponſis, viceſque Sacerdotis in cerimoniis benedicendi matrimonii adimpleret.* Res iſta paulo aliter ſe habet quam hîc narratur. Matrimoniis eorum qui Reformatam Religionem profitentur, Miniſtri benedicunt publice in templis. Sed in gratiam Catholicorum & aliorum diſſidentium in Religione, qui Miniſtris reformatis nolunt ſe ſiſtere, & ab iis Matrimonii ſui benedictionem accipere, Magiſtratus conſtituit ut ſponſi coram ſe in Curia promiſſiones fidelitatis ſibi mutuo exhiberent. Non quod in Paſtorum munus involare velit: ſed ad impedienda matrimonia clandeſtina, in locis ubi nullius alterius Religionis, præterquam Reformatæ, exercitium eſt publice permiſſum. Aliàs licet Catholicis, aliiſque, poſtquam in Curia coram Magiſtratu iſta peracta ſunt, etiam privatim à Sacerdotibus aut Miniſtris ſuis matrimoniorum ſuorum benedictionem expetere.

Pag.135. *Rex Dominum de Pernona cum Epiſcopo Ebroicenſi ac Reginaldo Oſſato ad Pontificem miſit.* Scribendum fuerat, Rex Dominum du Perron Epiſcopum Ebroicenſem ad Pontificem miſit, atque Arnoldo Oſſato qui negotia ſua Romæ agebat, in mandatis dedit ut ſe Perronio adjungeret. Vterque poſtea, tum Perronius tum Oſſatus, ad Cardinalitiam dignitatem promotus eſt.

Eadem pag. *Cardinali Condæo.* Nullus unquam fuit Cardinalis ex Principum Condæorum familia, aut qui Condæus nominaretur. Legendum ergo, *Cardinali de Gondy.*

Pag.152. *Præterea tres civitates in ſingulis provinciis deſignavit,in quibus eadem libertate Religio diſſidentium gauderet.* Confer cum hoc loco paginam 172, ubi in margine habetur, *Parlamenti Pariſienſis decretum circa Religionis diverſæ pacem.* Sed inepte. Edictum enim iſtud fuit Regium, & pro more non in Parlamento tantum Pariſienſi, ſed etiam in cæteris Galliæ Parlamentis promulgatum. Id legi poteſt in Inventario Ioannis Serrani & apud alios Hiſtoricos. Et inde diſci, longe plura loca fuiſſe conceſſa Reformatis in Gallia ad Religionis ſuæ exercitium, quàm hîc commemoretur.

Pag.200. in margine, pro, *Frederico Palatino naſcente motus terræ*, lege *Mauritio Chriſtiano naſcente motus terræ.* Fridericus V, qui Patri ſuo in Electoratu ſucceſſit, & poſtea Rex Bohemiæ creatus fuit, natus eſt Ambergæ anno 1596, die 16 Auguſti.

Pag.206.

Digitized by Google

Pag. 206. *Genevenſes pacto cum Helvetiis, præſertim Bernatibus & Friburgiis ſocietatis fœdere.* Delenda ſunt verba, *& Friburgiis.* Nullum enim fuit fœdus inter Genevenſes reformatos, & Friburgios Catholicos, ab eo tempore quo Genevenſes Epiſcopo ſuo expulſo Epiſcopatus ejus poſſeſſiones occuparunt.

Pag. 306. Falſum eſt quod hic narratur de uxore Mareſcalli Ancrei, *eam acerbioribus tormentis dicere veritatem fuiſſe coactam, & confeſſam ſe & ſuum maritum præſtigiis Magicis uſos.* Nullis enim plane tormentis fuit ſubjecta, neque quicquam de Magia confeſſa eſt. Et revera quod ei objectum eſt hac de re nugax erat, & ab iis excogitatum qui bonorum mariti confiſcationem obtinuerant, & ſuperſtite uxore tuto illa poſſidere ſe poſſe deſperabant.

Pag. 307. *Eodem anno in Provinciis Hollandiæ ab Arminianis ſchiſma excitatum, in ſeditionem prorupit,* &c. Vt iſtud melius intelligatur, paulo altius repetendum eſt. Divortium ſententiarum inter Calvini & Arminii ſectatores in capite de Prædeſtinatione divina & annexis, diſſidium etiam inter Ordines & civitatum Rectores tandem excitavit. Arminiani ab Arminio Theologiæ in Academia Leydenſi ante paucos annos Profeſſore cognominati, & Remonſtrantes etiam dicti, à Remonſtrantia, ſeu libello ſupplice quem Ordinibus Hollandiæ obtulerant, exiſtimabant decreta Dei ſalutem & damnationem hominum ſpectantia, eſſe conditionata, ſeu Deum neminem abſque intuitu fidei & obedientiæ Euangelio uſque ad vitæ finem præſtitæ, ad vitam æternam prædeſtinaviſſe; & ſimiliter neminem abſque intuitu infidelitatis & impœnitentiæ finalis morti æternæ adjudicaviſſe. Calviniſtæ verò, Contra-remonſtrantes quoque appellati, omnia Dei decreta eſſe abſoluta contendebant, & Deum in hominibus ad vitam aut ad mortem æternam deſtinandis, nullam fidei aut obedientiæ, neque incredulitatis aut inobedientiæ, tanquam conditionum prærequiſitarum, rationem habuiſſe. Ordines Hollandiæ judicantes hanc controverſiam fundamentum Religionis non concernere, decretum fecerunt pro pace Eccleſiarum anno 1614, quo utriſque præcipiebant ut non obſtante iſto opinionum diſcrimine, pacifice inter ſe viverent, & ſe mutuo tolerarent. Contra-remonſtrantes vero huic decreto ſe ſubjicere detrectabant, & numero ſuo confidentes inſtabant ut Synodus nationalis ex omnibus Fœderati Belgii Provinciis convocaretur, in qua lis iſta pluralitate ſuffragiorum, ut fieri ſolet, decideretur. Quod Hollandiæ Ordinibus iniquum videbatur, & auctoritati ſuæ ſupremæ repugnans, utpote quo jus tribueretur exteris de controverſiis apud ſe natis ſententiam ferendi.

Pag. 315. *In Hollandia, ut ſupra attigimus*, &c. Hac pagina & duabus ſequentibus multa à vero aliena recenſentur, ex ignoratione regiminis quod in Fœderato Belgio obtinet. Controverſia de Prædeſtinatione inter Hollandiæ Paſtores magnis utrinque animis agitata, diſſidium (ut modo dicebamus) inter Politicos quoque naſci fecerat; aliis Synodum nationalem convocandam eſſe cenſentibus ad eam ſopiendum, aliis vero dicentibus præſtare illam indeciſam relinquere, quod ex deciſione immedicabile Schiſma & Reipublicæ ſummopere noxium exoriturum præviderent. Cum enim ſinguli in hac ſua ſententia immoti perſtarent, inde nata eſt quæſtio, penes quos in Fœderato Belgio ſumma eſſet rerum poteſtas. Et pars quidem Ordinibus Generalibus illam competere aſſerebat; pars vero, Ordines cujuſque Provinciæ particulares ſummum in ſua Provincia imperium habere contendebat, & ad hoc ſummum imperium pertinere curam Religionis; ideoque non expedire ut Synodus nationalis convocaretur ad judicandum de controverſiis Religionis in Hollandia & vicinis quibuſdam provinciis exortis: nec iſtud abſque imminutione juris & privilegiorum, quibus ſingulæ iſtæ provinciæ potirentur, fieri poſſe. Ordinum Generalium eſſe, ea ſolum curare quæ ad

pacem,

pacem, bellum, & mutuam adverſus communes omnium hoſtes defenſionem ſpectarent; ulterius illorum poteſtatem non extendi; certe non eo uſque ut ſingularum Provinciarum leges & privilegia refigere eis liceret. Et hi pro ſe afferebant fœdus Vltrajectinum, anno 1579 initum inter Ordines Provinciarum quæ à Rege Hiſpaniæ defecerant, in cujus Artic. 1. hæc verba leguntur: *Quod tamen ſit ſine fraude legum, libertatis, juris & morum cujuſque nationis, oppidi, partium ſingularum, ac civium; quæ Fœderati ſanguine, facultatibus opeque omni defendent ac propugnabunt adverſus vim à quocunque illatam.* Mauritius Princeps Arauſionenſis, Fœderati Belgii Gubernator ab Ordinibus conſtitutus, neutrum ſe in hoc Reipublicæ diſſidio diu exhibuit. Sed tandem ex conſilio (ut putatur) Iacobi I Magnæ Britanniæ Regis, illi ſe adjunxit parti quę ſummum Provinciarum imperium Ordinibus Generalibus tribuebat, & Synodi Nationalis ad controverſiam Prædeſtinariam dirimendum, Arminianoſque damnandos, convocationem urgebat. Et quia Ordines non tantum Hollandiæ, ſed etiam Vltrajecti & Geldriæ, convocationi iſti intercedebant, Mauritius animadvertens ſe quamdiu, ſalva maneret illorum auctoritas, propoſitum ſuum exſecutioni mandare non poſſe, de illis muneribus ſuis movendis conſilia agitare cœpit. Erat autem ei vetus ſimultas cum Ioanne ab Olden Barneveltio Hollandiæ Advocato, quod præcipuus fuiſſet inter eos qui inducias cum rege Hiſpaniæ anno 1609 factas, quas ipſe non probabat, conſiliis ſuis promoverant, & non parum toto illarum tempore luminibus ejus officiebat. Sicut enim Mauritius ſæculi ſui bellatorum nemini erat ſecundus, ita Barneveltius adminiſtrandæ Reipublicæ peritia facile primas apud Batavos tenebat. Cui accedebat ſuſpicio eum fere eſſe unicum qui obſtaret ne ſummus Hollandiæ dominatus Principi deferretur, quamvis ob præclare facta & multa in Rempublicam merita illo digniſſimus à multis cenſeretur. Quare Mauritius in eum primum ſibi impetum eſſe faciendũ exiſtimavit. Et re cum Ordinibus Generalibus communicatâ, quos noverat male erga ipſum affectos, eum per ſtipatorum ſuorum Præfectum comprehendi curavit, cum veniret in Curiam ut Conſeſſui Ordinum pro more ſuo intereſſet. Capti ſunt etiam eodem tempore Hugo Grotius Syndicus Roterodamenſis, Romboldus Hogerbetius Syndicus Leydenſis, & Ægidius Ledenbergius Ordinum Vltrajectinorum Secretarius, qui præ aliis maxime cum Barneveltio ad tutandum Bataviæ jura & libertatem conſpirare putabantur, & ſinguli ſeparatim in diverſis arcis Hagienſis conclaribus ſunt aſſervati. Hoc facto Mauritius expeditionem ſuſcepit in Hollandiam & vicinas provincias, ut luſtraret earum civitates, & cæteros Magiſtratus conſiliis ſuis minus faventes loco moveret. Prætextus expeditionis iſtius erat, quod in quibuſdam urbibus milites conſcripſiſſent, *waert-gelders* lingua patria vocatos, quos in proprium nomen, nempe Magiſtratuum ſingularum civitatum, jurare fecerant. Id vero Princeps ita interpretabatur, quaſi ſe illi gubernationi ejus ſubducere cogitarent. Ipſi contra ſe iſtud jure ſuo feciſſe pertendebant, ut alias ſæpe, non ut quidquam de ejus auctoritate minuerent, ſed ad compeſcendos motus plebis, occaſione controverſiarum de religione tumultuantis. Mauritius ergo cum primo Neomagum multis militaribus copiis ſtipatus ingreſſus eſſet, & illic quos volebat Magiſtratus exauctoraſſet, alioſque in depoſitorum locum ſubſtituiſſet, perrexit Amſtelodamum, deinde Arenacum, poſteaque Vltrajectum, Leydam, Roterodamum, Campodunum, Goudam, Alcmariam, Hornam, & in cæteras Hollandiæ civitates, ubi omnia pro arbitrio ſuo, nemine ei reſiſtere audente, compoſuit. Magiſtratus novi, qui promotionem ſuam contra ordinem & leges factam Principi debebant, ut ſe gratos erga eum teſtarentur, ſine mora in Synodi nationalis convocationem conſentiunt, ut in ea Arminiani, tanquam corruptæ Religionis rei,

damna-

damnarentur. Hoc enim factu neceſſarium putabatur antequam in Barneveltium & alios captivos ſententia ferri poſſet, eo nomine quòd Religionis innovationi faviſſent, & eam auctoritate ac conſiliis ſuis promoviſſent. Afferebaturque Provincias iſtas Belgii Reformatæ Religionis vinculo ab initio fœderis ſui fuiſſe colligatos, & verendum eſſe ne eo diſrupto, tota quoque Reipublicæ compages ſolveretur. Quod præcipuè urgebat Carletonus Regis Angliæ orator. Licet vel inde conſtare poſſet id eſſe falſum, quod Belgii Provinciæ Catholicæ ad iſtud fœdus, ſalva Religionis ſuæ libertate, fuerint invitatæ, multi ex Clero, Abbates, Priores, ei ſe adjunxerint, & nonnullæ urbes eo comprehenſæ, ut Amſtelodamum, Religioni Reformatæ tunc temporis adhuc eſſent adverſæ.

Vrbs Dordracum Synodo habendæ opportuna viſa eſt, quòd ſita eſſet in loco munito & acceſſu difficili, utpote Moſa, Vahali, & Linga fluminibus undique circumdata, ut in ea Arminiani tanquam in carcere, quamdiu videretur expedire, detineri poſſent. Ex Ordinum ergo Generalium decreto indicitur ibi Synodus Nationalis omnium Fœderati Belgii Provinciarum; quæ menſe Novembri, anni 1618, inchoata eſt, & Majo ſequenti, centum quinquaginta quatuor ſeſſionibus habitis, finita eſt. Vt autem Synodus hæc tanto plus ſplendoris atque auctoritatis haberet, placuit Ordinibus Generalibus ad eam vocare, non ſolùm ditionum ſuarum Theologos, ſed etiam exteros, ex Regnis, Principatibus, & Rebuspublicis ubi Reformatæ, quam vocant, Religionis exercitium viget. Scribuntur ergo eum in finem literæ ad Magnæ Britanniæ Regem, ad Electorem Palatinum, ad Landgravium Haſſiæ, ad Helvetios, Genevenſes, Bremenſes alioſque; qui omnes aliquot ex ſuis Paſtoribus & Theologis eò ablegarunt; ita ut cum Provincialibus Paſtoribus & Senioribus octuagenarium numerum explerent. Inter eos erat Epiſcopus Landavenſis ex Anglia miſſus, & alii, omnes Calvini placitis de Prædeſtinatione addicti. Summo enim ſtudio proviſum erat, ne quis in cætum iſtum vocaretur quem Arminianis favere, aut ab eorum condemnatione abhorrere, aliqua ſuſpicio foret. Solus Galliæ Rex noluit permittere, ut quis ex ſubditis ſuis Reformatam Religionem profitentibus, illuc proficiſceretur; quia animadvertebat Synodum iſtam haberi ad eam Reipublicæ partem opprimendum quam meliorem & ſaniorem eſſe judicabat. Ex altera autem parte, nempe Arminianorum, ſeu Remonſtrantium, nonniſi quatuordecim in eam admiſſi ſunt, (quamvis, ſi permiſſum fuiſſet, Synodum Theologorum ſuorum numero æquare potuiſſent;) idque ea lege ut citati reorum inſtar coram illo Conſeſſu comparerent, nullumque ibi ſuffragii jus haberent. Ordines quoque Generales ibi ſuos habuerunt Deputatos, unum ex ſingulis Provinciis, qui omnibus Actis interfuerunt. Inchoata eſt Synodus ab electione Præſidis, & communibus votis Ioannes Bogermannus Paſtor Leowardienſis, infenſiſſimus Remonſtrantium adverſarius, dignus judicatus eſt qui locum illum impleret; cui duo Aſſeſſores, illo non minus acres, ad eum parte oneris levandum ſunt dati. Cum Remonſtrantes intromiſſi fuiſſent, ſalutato cœtu & habita per Epiſcopium Leydenſem Theologiæ Profeſſorem gravi oratione, petiverunt ut ſibi liceret collationem cum Synodo de controverſis dogmatibus inſtituere. Sed hoc ipſis abſolute denegatum eſt, & reſponſum illam Synodum non ad diſputandum, ſed ad judicandum conveniſſe. Immo ne quidem iis permiſſum fuit, ut ſuam de Prædeſtinatione ſententiam, *quantum poſſent & judicarent neceſſarium, defenderent*, prout expreſſe habebant literarum citatoriarum ad eos ſcriptarum verba; ſed *quantum Synodus expedire judicaret*. Arminiani ergo videntes ſe nihil ibi ad cauſæ ſuæ promotionem facere poſſe, proteſtati ſunt publice adverſus Synodum, & ſe illam pro legitimo controverſiarum ſuarum Iudice non agnoſcere dixerunt; cum adverſarii ſui, à quibus jam erant

in

in privatis conventiculis damnati, in ea præſiderent, & ibi iterum Actorum & Iudicum partes ſimul obirent. Et hoc facto diſceſſum ad ſuos parabant. Sed interdicto Deputatorum Ordinum prohibiti ſunt inde pedem movere, & Dordraci arreſto detenti, non tantum uſque ad finem Synodi, ſed etiam aliquot hebdomadas ultra, poſtquam reliqui omnes jam dudum abiiſſent. Interea autem cum ibi quaſi captivi detinerentur, concinnarunt privatim illa ſcripta ad cauſæ ſuæ defenſionem quæ poſtea lucem viderunt, eaque Deputatis Ordinum tradiderunt, Deputati vero Synodo. Sed Synodus nulla ſcriptorum iſtorum habita ratione, dogmata Arminianorum, quæ Ordines Hollandiæ decreto ſuo anni 1614 tolerabilia eſſe judicaverant, damnavit tanquam intolerandà, & Concionatores omnes qui illis addicti erant Cathedris & muneribus ſuis movit. Quorum loco Calviniſtæ poſtea ſunt ſubſtituti, & armata manu paſſim in Eccleſias introducti, militumque præſidia in urbibus collocata, ad plebem compeſcendam quæ ſuos Paſtores inique ſibi ereptos conquerebatur, præſertim Alcmariæ, Hornæ, Rotterodami. Finita Synodo decreta ejus publice Dordraci in templo Cathedrali, frequenti populi concurſu, Latino idiomate quo primum conſcripta fuerunt, Scribæ prælegerunt ac promulgaverunt, & omnes Theologi qui illi inter fuerant opiparo convivio ab Ordinibus excepti, adhibitis etiam Cantoribus & inſtrumentis muſicis, exterique cum præcipuis aliquot Provincialium numiſmate aureo, in quo imago Synodi inſculpta erat, cum torque è quo pendebat, donati fuerunt.

Interea Ordines Generales operam dederant ut de cauſa Barneveltii & aliorum captivorum cognoſceretur, & viginti quatuor Iudices conſtituerant, ex omnibus Fœderati Belgii Provinciis ſelectos, coram quibus ad objecta ſibi crimina reſponderent. Et quamvis captivi illos recuſarent tanquam illegitimos, & qui nullum in ſe (utpote Ordinum Hollandiæ ſolum, non Generalium, ſubditos) jus haberent, & quoſdam etiam privatim eo nomine, quod capitales antea inimicitias ſecum exercuiſſent, nulla tamen recuſationis iſtius habita eſt ratio, ſed judicium illorum ſubire coacti fuerunt. Quinetiam Regis Galliæ interceſſio nullum hîc pondus habuit, etiamſi per legatum ſæpius inſtitiſſet apud Ordines ut captivis iſtis illuſtribus parceretur, atque, ſi in leges aliquid peccaviſſe putarentur, ſaltem propter præcedentia in Rempublicam merita, quæ magna erant & omnibus cognita, vita indulgeretur. Sed hæc omnia fruſtrà. Tandem enim Barneveltius, poſtquam novem integros menſes in arctiſſimo carcere fuiſſet detentus, & omni ſuorum alloquio atque conſolatione inhumaniter prohibitus, ad capitis ſupplicium damnatus eſt, ſub hoc prætextu quod Reipublicæ & Religionis ſtatum mutare conatus eſſet; licet conſtanter id ad ultimam uſque vitæ horam negarit, nec legitime ejus convinci potuerit. Decima ergo tertia menſis Maji die, cum ſeptuageſimum tertium ætatis annum attigiſſet, & ſummis in Republica muneribus, magna cum induſtriæ & integritatis laude defunctus fuiſſet, publice in area arcis Hagienſis, ſpectante magna populi caterva, gladio à carnifice percuſſus eſt. Ledenbergius veritus tormentorum acerbitatem, in carcere mortem ſibi conſciverat, & cadaver ipſius in capulo aſſervatum è patibulo ſuſpenſum fuit. Hogerbetius vero & Grotius, quod minori cum juris ſpecie morte damnari poſſe crederentur, & forte Princeps Auriacus non adeo iis quam Barneveltio eſſet infenſus, vitam obtinuerunt; ſed tamen ad perpetuum carcerem ſunt damnati, & bona ipſorum fiſco addicta. Aliquanto poſt Grotius uxoris ſuæ ope è carcere evaſit, & in Galliam abiit, ubi benigne à Rege & primoribus Regni exceptus fuit, & Apologeticum ſcripſit pro ſe atque aliis qui Hollandiæ præfuerunt ante mutationem quæ anno 1618 evenit. Qui liber, licet vivente Mauritio ſub gravi pœna fuerit prohibitus, magno nunc eſt in pretio apud eos qui ad clavum Reipublicæ ſedent, utpote vera regiminis

minis Hollandiæ hodierni fundamenta continens. Edita eſt etiam ante paucos annos Belgico ſermone Barneveltii vita, ex qua ejus innocentia clare perſpicitur. Sed neque ipſe Barnevelrius, neque alii Hollandiæ proceres injuſte tunc damnati & exauctorati, alia amplius opus habent defenſione præter Acta Illuſtriſſimi Conventus omnium Fœderati Belgii Provinciarum, habiti Hagæ anno 1651, poſt obitum ultimi Principis Arauſionenſis Wilhelmi, ubi quæ ipſe parrui Mauritii veſtigiis inſiſtens, recenter adverſus Hollandiæ libertatem molitus erat reſciſſa fuerunt, & nequid ejuſmodi in poſterum contingere poſſet diligenter proſpectum.

Cùm autem exauctorati à Synodo Dordracena Paſtores detrectarent polliceri Ordinibus Generalibus, ſe deinceps ab omni Miniſterii ſui functione etiam privatim abſtenturos, in exilium ſunt miſſi. Et nonnulli qui redierunt, ut occulte concionarentur ſuis Eccleſiis à quibus per vim avulſi fuerant, deprehenſi, in carcerem ſunt conjecti, ibique multos annos ſtrictiſſime detenti; auditores vero eorum ad graves mulctas damnati. Sed tandem omnis ille perſecutionum æſtus in Hollandia deferbuit, & inſpicientibus Ordinibus Generalibus, qui dura illa Edicta condiderant, Remonſtrantes Hagæ & in aliis civitatibus publice religionem ſuam exercent, templis paſſim conſtructis, in quæ nullo prohibente ſacrorum cauſa conveniunt; civeſque, licet opinionibus diſſidentes, placide & amice inter ſe vivunt, cum antea oppreſſa religionis libertate ab iis qui quocunque modo Synodi Dordracenæ decreta tueri volebant, miſerrima eſſet Reipublicæ iſtius facies, & omnia ſuſpicionibus, diffidentia & odiis inteſtinis æſtuarent. Documento illuſtri omnibus Principibus & Magiſtratibus, fruſtra populos ad Religionem amplectendam cogi, & ex ejuſmodi violenra agendi ratione nil niſi turbas, Regnorum & Rerumpublicarum everſiones, & civium ruinam oriri poſſe.

Pag.352. *Cæſis ex regiis gubernatore Carnutenſi & Comite Suſano.* Hiſtoria obſidionis Montalbanienſis accurate deſcripta nihil tale refert. Facienda potius fuerat mentio Marchionis Teminæi, Ducis Maynii, & aliorum illuſtrium capitum quæ ibi ceciderunt.

Pag.354. Falſum eſt quod illic narratur de urbe Cleraco à Rege Galliæ ter capta, & tandem incendio deleta. Nihil tale contigit. Semel tantum à Rege eſt capta. Et cum poſtea à Marchione Luſignano ſtratagemate occupata fuiſſet, nihil hoſtile Rex adverſus eam molitus eſt; ſed propoſitis Marchioni iſti æquis conditionibus, obtinuit ut ſponte ſibi traderetur.

Pag.363. *Domi vero deprehenderant Arminianos, &c.* Iſta etiam falſo ab Arminianorum inimicis ſunt excogitata; nec tam facile arripi debuiſſent à Chronicorum ſcriptore, abſque accuratiori examine. Res ita ſe habuit. Duo Barneveltii filii, Gruneveltius & Stautenburgius, ardebant vindictæ cupiditate adverſus Principem Mauritium ob patrem ſuum ab eo interfectum. Quærunt ergo aliquos qui ſibi opem ferre queant in inſidiis vitæ illius ſtruendis. Inter alios viſus eſt Slarius ipſis aptus, cui jam à multis annis cum domo Barneveltia familiaritas interceſſerat. Et quia is olim concionatoris munere functus erat inter Remonſtrantes, facile creditum eſt univerſam eorum Societatem in caput Principis conſpiraſſe. Sed illi Apologia in lucem edita oſtenderunt quam alieni eſſent à tanto crimine; obtulerunt ſe ſiſtere judicio & ibi ſe purgare, dummodo reditus in patriam, è qua erant proſcripti, concederetur; dicentes iniquum eſſe unius factum toti cœtui imputare; præſertim cum non obſcuris indiciis demonſtraſſent ſe Slatium pro ſuo non agnoſcere, ei jamdudum ob minus probatos mores concionandi Provinciam committere verentes. Quemadmodum ergo ſolus Slatius ex ordine Miniſtrorum Arminianorum conjurationis iſtius convictus eſt, ita ſolus juſtam

juſtam illius mercedem, Hagæ capite truncatus, reportavit; adeo ut immerito noſter Hiſtoricus aliquot ſocios ex Arminianis Concionatoribus illi adjungat. Ejuſdem quoque commatis eſt quod addit, duos Barneveltii filios fuga elapſos fuiſſe. Vnus enim Staurenburgius in Brabantiam aufugit. Gruneveltius vero comprehenſus cogitati ſceleris pœnas ſanguine ſuo luit.

Pag.403. *Capta civitate* (Rupella) *Rex omnes Vgonotos à Magiſtratu removit, & uſum cujuſcunque profeſſionis hæreticæ prohibuit incolis illius civitatis, ſola Catholica Religione relicta.* Hic etiam apparet quam male de Galliæ rebus informatus fuerit noſter Auctor. Nam contra Rex captâ Rupellâ conceſſit Reformatis libertatem illic ſacra ſua publice & abſque ullo impedimento, ut ante obſidionem, obeundi: qua etiam nunc, ut omnibus conſtat, gaudent. Hic vero non fuerat omittenda commemoratio horrendæ illius famis quam obſeſſi pertulerunt, qua ſupra duodecim hominum millia fuerunt abſumta.

Pag.411. *Sylvæducis civitatis in Zelandia.* Hîc grave eſt Geographicum *σφάλμα*. Nam Sylvaducis non eſt ſita in Zelandia, quam totam poſſident Ordines Fœderati; ſed una eſt ex præcipuis Brabantiæ civitatibus. Eam Fredericus Henricus (non *Henricus Wilhelmus*) Princeps Arauſionenſis anno 1629, poſt quatuor menſium obſidionem deditione accepit.

Pag.467. *Rex miſſo Mareſcall. de la Force cum valido exercitu in ipſius* (Lotharingiæ Ducis) *Provincias hæreditarias, oppida munitiora, ac primariam illius ditionis civitatem Nancium, poſt longam obſidionem deditione capit.* Nancium vix fuit tres hebdomadas obſeſſa; & illius deditionis laus non erat tribuenda Mareſcallo de la Force, ſed Regi ipſi, qui præſens illam obſedit cum Cardinale Richelæo. Ea vero ſic contigit: Cum Dux Lotharingiæ, qui forte aberat cum obſideri cœpit, cogitaret in illam ingredi, & eam præſentiâ ſuâ ad longam obſidionem ſuſtinendam animare, incidit imprudens in caſtra regia, & ira ab eo partim volente, partim nolente, Nancium certis conditionibus eſt extorta.

Digitized by Google

INDEX
NOMINVM, ET RERVM NOTABILIORVM,

quæ in hoc opere continentur.

A.

ABazy Baſſa venit cum exercitu Turcico Camenecíam, 463. *Profligatur*, ibid. *Studniciam pagum expugnat*, 464. *Strangulatur ob irruptionem in Poloniam*, 477.
Abbatibus datur locus inter Capitulares in funere Regio, 458.
Abou Arx Filandiæ dedita Carolo, 178.
Academiæ Cracovienſis fundatio, 380. *Certamen cum Ieſuitis*, ibid. *Decernitur habere jus ſcholarum privative quoad alios & Ieſuitas*, 459.
Ærarii publici Poloniæ rationes, 419.
Agria à Turcis capta, 142.
Albam Regalem Cæſariani capiunt, 196. *Eam recuperant Turcæ*, 208.
Albani Ducis crudelitas in Belgio, 21. *Vincit Geuſius & novis injuriis irritat Belgas*, ibid.
Alberſtadium capit Valſtein, 378. & 388.
Alberſtadienſis Palatino militat, 350. *In prælio manum amittit*, 358. *Moritur*, 387.
Albertus Auſtriacus occidit Adolphum Imperatorem, 35.
Albertus Archidux Auſtriæ Cardinalis ſumit ſæcularem habitum. 137. *Venit in Belgium Adminiſtrator*. 139. *accipit uxorem Iſabellam filiam Regis Hiſpaniæ*. 151. & 162. *abit in Hiſpaniam cum ſponſa Regis Hiſpaniæ*. 163. *redit in Belgium*. 199. *prælio vincitur ad Neuportum*. 182. *Oſtendam obſidet*. 169. *eam capit triennali obſidione*. 215. *jus hæreditatis Auſtriæ cedit Ferdinando*. 317. *moritur*. 348.
Aldobrandinus cæſus apud Nordlingam. 471.
Alexander Farneſius Dux Parmenſis fit Adminiſtrator Belgii. 21.
Alexander natus Sigiſmundo III. 289. *fit Epiſcopus Crac. & Cardinalis*. 460. *moritur*. 477.
Alexandri Peretti Cardinalis Nepotis Sixti V. *munificentia*. 179.
Alexandrini Patriarchæ Legati obedientiam præſtant Pontifici Romano. 139.
Alexius Korch partes Sigiſmundi tuetur in Filandia, & vincitur. 178.
Alteim Comes tractat de bello in Sueciam transferendo. 366. *Novum ordinem milit*. 298.
Ambianum in Picardia capiunt Hiſpani ſtratagemate. 149
Amurates III. *Turcarum Imperator obſervat Regem Stephanum*. 54. *bellum movet in Vngariam*. 99. *moritur*. 129.
Amurates IV. *Oſmani frater eligitur Imperator Turcarum*. 365. *ejus expeditio contra Perſas*. 491. *Secunda expeditione Babiloniam recuperat*. 510. *Venetos mulctat ob vaſtationem Valonæ*. ibid.
Ancreus Marchio in Gallia exoſus. 293. *ejus apud Regem potentia*. 305. *ejus fraudes deteguntur & occiditur*. ibid.
Andreas Auſtriacus Belgiæ Adminiſtrator. 163. *Cedit adminiſtrationem*. 171.
Andreovienſis Conventus ad impediendas Regis nuptias. 181.
Androginus miles generat ex milite. 196.
Anglia ſævit ſuppliciis in Catholicos. 28. *Angli diſſipant Claſſem Hiſpanam*. 71. *Revocant ſua præſidia ex Hollandia*. 72. *in Hiſpania Vliſſiponam oppugnant*. 78. *obtinent licentiam à Rege Poloniæ Elbingæ morandi*. 90. *Claſſem Hiſpanam profligant*. 95. *in Americam navigant & rejiciuntur ab Hiſpanis*. 138. *iterum contra Hiſpanos Claſſem expediunt*. 144. 151. 382. *Conſpiratio in Regem detegitur*. 233. *pacem faciunt cum Hiſpanis*. ibid. & 418. *contra Gallos dant auxilia Vgonotis*. 290.
Angliæ Rex novam formam juramenti fidelitatis edit. 256. *Angliæ motus ſubditorum contra eum excitati*. 533.
Anhaltinus Princeps præficitur militiæ Friderici. 325. *Cæſarianos profligat*. 290.
Anna Auſtriaca uxor Sigiſmundus III. *coronatur*. 98. *moritur*. 153. *ejus ſepultura dilata expedita in præſentia ejus matris*. 178.
Anna Iagellonia Stephani Regis relicta promovet Electionem Sigiſmundi Regis. 61. *ei Petricoviæ obviam venit*. 145. *defuncta ſepelitur Crac*. ibid.
Anna ſoror Regis Sigiſm. cum eo venit ex Suecia. 67. *Præfecturam Brodnicenſem obtinet*. 224. *defuncta*. 382
Annatas inſtituit Bonifacius Papa. 93.
Annibal de Capua Nuntius Papæ in Electione Sigiſm. 59.
Antelus capto Ambiano in eadem porta occiſus. 149.
Antonius Nothus Portugaliam ſibi vendicat. 18.
Antonius de Dominis fit apoſtata. 296. *convertitur carceratus, moritur & comburitur*. 373.
Apelman Præfectus Claſſis Polonæ profligat Claſſem Sueticam apud Gedanum. 394.
Aquila Poloniæ inſigne capta de Varo Romano Victo. 430.
Aquiſgranum Spinola reducit ad obſequium Cæſaris, 304
Aragoniæ Admiralius ex Belgio amicis vicinis non parcit & necat Comitem Eberſtein. 167. *captus ab Hollandis*. 182. *liberatur ſoluto lytro*. 203.
Archiepiſcopus Rigenſis ducit uxorem. 49.
Archiepiſcopus Gneſnenſis Primatis Poloniæ poteſtas. 54.
Archimarſchalli Regni Poloniæ poteſtas. 54. & 384.
Arciſſewski Paulus Secretarius mittitur à Rege in Sueciam. 146.
Arembergius Comes profligatur cum exercitu Albani. 21.

Armia-

Armianorum in Hollandia Schiſma. 307. *damnantur & ejiciuntur ex Hollandia.* 315. *& ſeq. iterum conſpirantes puniuntur.* 363.

Arnhemius ducit Germanos in Pruſſiam contra Suecos & fraudulenter agit. 406. *fraus ejus detecta.* 408. *revocatur à Valſtenio.* 409.

Arteſiam invadunt Galli. 133. *Bironius eam populatur.* 141.

Arcis Cracovienſis conflagratio. 127. *ejus cuſtodia ſub Interregno cui incumbit.* 448.

Aſtum oppugnant Hiſpani. 291.

Attrebatum fruſtra tentat Henricus IV. *Galliæ Rex.* 149. *captum à Gallis.* 514.

Auguſtana de Confeſſione genuina non conveniunt Lutherani. 31.

Auguſtam recuperat Cæſar, & punit Magiſtratum Lutheranum. 482.

Auguſtus Rex Poloniæ primam uxorem ducit filiam Ferdinandi Imperatoris. 37. *remiſſior in Religione.* 41. *moritur.* 43. *ejus virtutes.* 50.

Aulicæ fortunæ exemplum in Comite Eſſexiæ. 199.

Aurea Bulla de Tranſlatione Electoratus in proximiores. 360.

Aurei valor in Polonia. 284.

Aurelianenſis Dux fugit in Belgium. 423. *Victus venit in poteſtatem Regis & iterum fugit.* 439. *ducit uxorem Lotharyngam.* 467.

Auriæ Princeps cum Claſſe Genuenſi vix evadit Maſſilia. 140.

Auſtria ſuperior ad fœdus Boemicum ſolicitatur. 317. *occupata à Duce Bavariæ in ejus nomen jurat.* 327. *redditur Cæſari poſt quæſitum Bavaro Palatin.* 400.

Auſtriaci habuerunt fautores in Electione Regis contra Stephanum. 2. *eorum agnominis Auſtriæ initia.* 35. *denominatus eorum ſuſpectus Polonis.* 60. 220. *queruntur ob Maximilianum declaratum inhabilem Regno.* 90. *Tranſilvaniæ dominium quærendo bella movent.* 130. 151. *eorum auxiliis confiſus Bator ab eiſdem occiſus.* 285. *Pace Pragenſi Monarchiam ſuam ſtabilierunt.* 471. *eorum fautores conſilia Vladiſlai Regis de ducenda uxore turbarunt.* 473. *denuntiant bellum Gallis.* 487. *eorum fortuna cœpit nutare à morte Ferdinandi Secundi.* 497.

Autoris intentio & deſcribendi modus. 1.

Azak arcem in finibus Moſchoviæ Turcicam Coſaci expugnant ejuſque ſitus. 495.

B.

B*Aiona levatur ſponſa Regi Galliæ & eo ducitur ſponſa Regi Hiſpaniæ.* 295.

Balaban captivus apud Ciczoram. 337. *redimitur è captivitate.* 367. *ei delegato à Rege jurant Coſaci.* 382.

Balignius facit deditionem Cameraci Hiſpanis. 134.

Bamberga redimit à Suecis ſecuritatem. 430.

Bannerus invadit Saxoniam, Boëmiam. & profligat Cæſarianos. 512. *repellitur à Ratisbona & moritur.* 520.

Baranowski Albertus Vicecancellarius Regni. 12. *excipit Gedani Sigiſmundum Regem.* 65. *accipit Plocenſem Epiſcopatum.* 91. *acerbe ſugillatus in Senatu impune;* 210. *Legatus ad Roſſianos.* 235. *fit Epiſcopus Vladiſlavienſis.* 236. *demum Archiepiſcop. Gneſnen.* 252. *moritur.* 299.

Baranowski Palat. Siradien. mentione facta de eligendo Guſtavo indigne acceptus. 442.

Barbadicus Auguſtinus Præfectus Claſſis Venetæ ad Naupactum. 40.

Barberinus Franciſcus Cardinalis Legatus Papæ in Galliam. 314. *Idem Legatus in Hiſpaniam baptizat Regis Hiſpani filiam.* 390.

Barcellona ſuſcipit præſidium Gallicum. 516.

Barnevelt Hollandiæ Advocatus datur ſub cuſtodias. 315. *capite plectitur.* 317.

Baronius Cardinalis Scriptor Annalium moritur. 243.

Baſſa Budenſis captus. 173.

Baſta Georgius ducit in Tranſilvaniam contra Batoreos. 173. *recipitur à Tranſilvanis.* 219.

Bator Andreas Cardin. Epiſcopus Varmienſis. 78. *recipit Principatum Tranſilvaniæ.* 174. *deceptus à Malaſpina, occiditur.* 175.

Bator Gabriel recuperat Tranſilvaniam. 276. *offenſi Tranſilvani ab eo deficiunt.* 285. *occiſus dolo Auſtriacorum.* ibid.

Batoreus Sigiſmundus ducit uxorem Auſtriacam. 130. *tranſiit de hæreditate Tranſilvaniæ.* ibid. *ob ſterilitatem relegat uxorem.* 165. *decidit Principatum Andreæ Cardinali.* 174. *iterum recuperat Tranſilvaniam.* 190. 194. *profligatur à Cæſarianis.* 195. *ſubmittit ſe Cæſari, & detinetur in cuſtodiis.* 207. *moritur in cuſtodiis in Boëmia.* 285.

Bavariæ Dux Maximilianus excipitur Romæ. 112. *fit Dux Ligæ Catholicæ.* 325. *ducit in Auſtriam ſuperiorem.* 328. *in Albo monte apud Pragam prælio vincit Palatinum Fridericum.* 329. *Palatinatum ſuperiorem occupat.* 348. *fit Elector Archidapifer Imperii.* 360. *Valnſtenio conjungitur apud Norimbergam contra Suecum.* 434. *accipit uxorem filiam Imperatoris.* 486. *naſcitur ei filius pluſquam ſexagenario.* 490.

Bavariæ domus jus ad Electoratum antiquum. 361.

Baldus Ductor Equitatus Regis Sueciæ in Pruſſia profligatus & captus. 405.

Bearnia pars Navarræ Regni ad montes Piræneos. 152.

Bekieſſ Venceſlaus Tribunus Militum Vngarorum cum Sigiſmundo Rege in Suecia. 158. *captus Calmariæ, à Carolo Sueco dimittitur.* 161. *militat cum Zamoyſcio in Moldavia.* 189.

Bellarguer capiunt Galli. 515.

Belgæ deficiunt ab Hiſpanis. 19. *eorum defectionis Dux Vilhelmus Naſſovius Auranius.* 21.

Belgii in hæreditarium traditur Iſabellæ ad ſpeciem. 162. *dum jurant Alberto & Iſabellæ petunt ſibi confirmari Privilegia fruſtra.* 169. *incidunt in ſuſpitionem apud Hiſpanos.* 467.

Blavetum in Britania Gallica Hiſpani capiunt. 94.

Bobola Andreas Præfectus Cameræ Regiæ octuagenarius moritur. 399.

Boëmiæ viciſſitudinum initia. 34. *Libera Regum Electio.* 319. *Bellicum Ferdinando cauſæ.* 313. 317.

Boëmi jurant pro liberatione Maximiliani. 76. *dejiciunt ex feneſtra Legatos Cæſaris.* 313. *procurant non admitti Ferdinandum in numerum Electorum.* 318. *abdicant Regno Boëmiæ Ferdinandum.* 319. *eligunt ſibi Regem Fridericum Palatinum.* 322.

Digitized by Google

Bojanowski Ioannes Legatus in Sueciam ad Electum Regem. 62.
Bokiey Ioannes Ductor Coſacorum cæſus in prælio apud Gorzno. 405.
Bommelium obſident Hiſpani & rejiciuntur. 171.
Bona Regina abit deſertis filiis. 236. Teſtamentum ejus ſuppoſitum falſum. 237.
Borgia Cardinalis Vicerex Neapolis. 331. Archiepiſcopus Tolet. moritur. 526.
Boruchowski fit Vicecancellarius Poloniæ. 12.
Borkowski Andreas perit in pugna Cluſinenſi. 265.
Borkowski Petrus Legatus ad Moſchot. 254.265.
Boris Dux Moſchoviæ moritur repente. 223. ejus uxor & liberi veneno pereunt. ibid.
Boryſthenis fluvii ſitus. 45.
Botſcai defectionem Tranſilvaniæ movet. 217. in Aula Cæſaris male habitus. 218. profligat Beldzsetoſam. 218. renuntiatur Princeps Tranſil. & cædit Cæſarianos. 219. Sagmariam capit. 229. proponit conditiones Cæſari. 230. auxilia Turcica accipit. ibid. aſpirat ad Regnum Vngariæ. 231. venenum ipſi propinatum. 241. moritur. ibid.
Branicki Enſifer Regni. 228.
Brandeburgico Electori datur feudum Pruſſiæ, & jurat fidelitatem Pol. Regi. 274.
Brandeburgi Elector vult locum in Electione Pol. ſed non obtinet. 443.
Brigantiæ Ducum Genealogia & rationes ad Regnum Portugaliæ. 517.
Bredæ inſidiantes Hiſpani pelluntur. 167. Bredam Spinola obſidet. 372. poſt annum ad deditionem cogit. 379. Hollandiam recipiunt. 498. Catholicis promiſſa ibi ſecuritas violatur. 499.
Bremenſem Epiſcopatum concedit Imperator ſecundogenito Regis Daniæ. 410.
Britanniæ Gallicæ hæreditatem prætendit Iſabella Hiſpana. 95.
Brodniciam Suecis prodit Gallus Centurio. 404. eam obſident Poloni. 405.
Brunſvicenſis Civitas cum ſuo Duce reconciliatur. 293.
Brunſvicenſis Conventus ad avertendam irruptionem Tillii. 328.
Bruxellæ deduntur Farneſio. 24.
Buchingam Marchio cum Principe Valliæ it in Hiſpaniam. 363.
Budam Soliman Turca dolo occupat. 38. eam fruſtra oppugnant Cæſariani. 167.173.208.
Bukowina limes Moldaviæ tranſitu difficilis. 189.
Bullæ aureæ lex ut habeat locum Electoris qui poſſidet Electoratum. 321. cavet liberam Electionem Bohemis. ibid.
Bucquojus defendit Attrebatum. 149. capit Vachtendunc. ibid. vulneratus ad Pilznam, in pugna Pragenſi rem bene egit. 328. in Vngaria apud Neoſolium occiditur. 350.

C.

CÆcilia Renata Regina Poloniæ coronatur Varſaviæ. 496. moritur in partu. 504.
Cæciliæ S. corpus inventum. 139.
Cæſar Eſtenſis abjudicatur feudo Ferrariæ. 152.
Cæſariani in Vngaria Petrinam recuperant. 132. profligantur à Turcis. 143. ſubveniendo Rabæ rejiciuntur. 151
Cajetanus Cardinalis Legatus Papæ tractat ſocietatem pro bello Turcico fruſtra. 141.
Calendarium novum correctum. 17.
Caletum captum ab Hiſpanis. 140.
Calviniſtæ in Anglia vocantur Puritani. 28.
Camerarii literæ interceptæ. 388.
Campegius Cardin. Clementis VII. Legatus in Germania. 29.
Candiam invadunt Turcæ & capiunt Caneam. 522.
Caniza pertinet ad Styriam. 191. deditur Turcis. ibid. à Ferdinando fruſtra oppugnatur. 196.
Candidati ad Regnum poſt Stephanum. 59.
Cantimiri prima expeditio fugatur. 229. irruit in Ruſſiam & fugatur à Koniecpolſcio. 326. in alia excurſione profligatus & ejus filius occiſus. 410. ſedem capit in Budziaki, & ſtrangulatur à Turca. 495.
Capituli Gneſnen. & Cracovien. controverſia de aſſiſtentia circa Coronationem Regis. 458.
Capitulum Varmienſe Nominatum à Rege Epiſcopum ſuſcipit. 78.
Capucinus ab Imperatore tractat nuptias cum Rege Vladiſlao. 491.
Carmelita Diſcalceatus Bavaro Pragenſem Victoriam prædicit. 330.
Carmelitarum Templum in Arena Crac. adſit. 65.
Cardinalium numerum præfingit Sixtus V. 85.
Cardinalium diſſenſiones pro Hiſpanis & Gallis. 439.
Carolus Martellus Sarracenos profligat. 105.
Carolus Angliæ Regis filius it in Hiſpaniam Regie excipitur. 363. conditiones ei datæ pro connubio cum Infante Hiſpaniæ. 365. tractatum Matrimonii Hiſp. rejicit. 371. Coronatur Rex. 378. intercidit in ſuis terris commercia Hiſpanis. 378. Miniſtros Catholicos Reginæ relegat. 390. ferens auxilia Rupellanis ex Inſula S. Martini ejicitur. 396. pro Palatino apud Imper. nihil obtinet, & mittit ſubſidia Sueco. 426. ſecedit Londino propter conſpirationes Parlamenti. 534 Filiam dat uxorem Auraniæ Naſſovii filio. ibid. bellum gerit cum Parlamento, & Regina tranſit in Galliam. ibid.
Carolus Archidux in Hiſpania moritur ex nimia venæ ſectione. 370.
Carolus Borbonius Cardin. cuſtodiæ traditur. 73. moritur in cuſtodia. 84.
Carolus Boromæus canonizatur. 269.
Carolus Ferdinandus filius Sigiſmundo III. natus. 284. Epiſcopus Vratiſlavienſis Coadjutor. 370. & Electus Epiſcopus. 380.
Carolus Mansfeldius Vicarius Belgii in Vngaria. 129. moritur. 131.
Carolus Nivernenſis defendit Cameracum. 134. periculoſe vulneratur ad Budam. 208. ſuccedit in Ducatu Mantuæ. 399. non vult cedere poſſeſſione Mantuæ. 401. Mantuam amittit. 413. reſtituitur & inveſtitur ad Ducatum Mantuanum. 424.
Carolus V. coronatur Aquiſgrani. 29. Lutherum damnat in Comitiis Vormatiæ. ibid. Electorem Saxoniæ vincit & capit. 31. non impetrat Electionem filii in Imperat.

Digitized by Google

perat. ibid. Oenipontı periclitatur. 32. cladem accipit ad Metim, recedit ad vitam privatam in Monaſterium & moritur. ibid.

Carolus Sudermanus Sigiſmundi III. Patruus, fraudes nectit pro acquirendo Regno Sueciæ. 109. ejus artes in firmanda ſua potentia. 146. 148. 177. accuſatur à Legato Regio & reſpondet. 155. deponere arma non vult & ſimulat concordiam. 159. ſævit in Suecos, à dicto Sigiſm. Filandiam occupat. 177. 178. Livoniam invadit. 187. 193. Rex Sueciæ renuntiatur. 220. Dinamont capit & Rigam obſidet. 226. prælio vincitur à Polonis ad Kiercholmum. 227. moritur. 277.

Caſalium obſidetur ab Hiſpanis. 401. iterum à Spinola fruſtra. 414.

Caſigieres Cham Tartarorum pellitur è Moldavia à Zamoyſcio. 128.

Caſimirus Rex Poloniæ Vladiſlai Locteci filius anno Chriſti 1370. obiit. 60.

Caſimirus filius Sigiſm. Regis naſcitur. 260. ejus verba pro Vladiſlao eligendo. 451. It pro adducenda uxore Vladiſlao. 493. in Gallia captus & detentus, liberatur poſt biennium. 503. ingreditur Religionem. ibidem.

Caſimirus Naſſovius occiſus apud Ruremondam. 437.

Cathalouni ob inſolentiam militum deficiunt ad Gallos. 516.

Catholici ex Anglia ejiciuntur & ſupplicijs afficiuntur. 28. colloquium habent cum Lutheranis in quo Marchio Badenſis convertitur. 89. eorum in Anglia perſecutio. 95. permiſſi degere in Suecia ſed non gerere officia. 117.

Catholica Religio reſtituitur in Palatinatum. 400.

Cauſæ quas Rex Poloniæ judicat. 43.

Cauſidicorum eloquentia depravat leges. 449.

Cenſurarum in Principes exempla. 126.

Cenſus capitum in Polonia pro bello Turcico. 81.

Chanski Albertus Doctor Ordinum veteranus. 129.

Chelmski Remigius defendit hæreticum. 42.

Chelmski Martianus Aulicus Regius. 239.

Chieraſci pax tractatur. 416.

Chinarum diſtantia à Iapone & ab America. 161.

Chmielecki Steph. ad Cicoram caſtra deſerit. 334. magna clade Tartaros profligat. 385. & 409. fit Palatinus Kiovienſis & moritur. 420.

Chocimum Michael obſidet & deſerit. 188. ad Chocimum Caſtrorum Pol. ærumnæ. 344.

Chocimenſis miles ob non ſoluta ſtipendia facit ſeceſſionem. 354.

Chodkievicii in Electione Regis Sigiſmundi. 145. Chodkiewicz Carolus it contra Michaelem in Moldaviam. 189. Adminiſtrat Livoniam. 202. 210. profligat Suecos. 220. 227. fit Præfectus Generalis Lithuaniæ. 220. militat pro Rege contra Rokoſſianos. 247. Parnaviam capit. 252. in Moſchoviam mittitur. 273. Moſchos profligat. 279. commeatum non poteſt introducere obſeſſis Moſchæ. ibid. conducit Vladiſlaum Principem in Moſchoviam. 300. præficitur bello contra Turcam. 340. prælium ejus cum Turcis. 342. moritur Chocimi. 343.

Chriſtiernus II. Daniæ & Sueciæ Rex ejicitur ex Suecia & in Dania carceratur. 10. Chriſtierno IV. Daniæ Regi dantur Tutores. 74. idem coronatur Rex. 144. Chriſtiernus V. deſponſat filiam Ducis Saxoniæ. 472.

Chriſtina filia Guſtavi renuntiatur Regina Sueciæ. 464.

Cicora cladibus Turcarum & Polonorum infamis. 128.

Cieklinski Ioſephus Dux Fœderatorum Moſchoviæ. 277.

Cielecki Hieronymus Secretarius Regis. 247. Referendarius Regni. 284. ſupplantatus in petendo Vicecancellariatu. 308. fit Epiſcopus Plocenſis. 369. moritur. 393.

Civiles diſcordiæ in Polonia amneſtia ſublatæ. 75.

Czyſſewski Nicolaus ſupplet Legationem apud Turcam loco Vchanski ibi mortui. 80.

Clem. VIII. Papa eligitur. 96. venit Legatus in Poloniam. 71. dat Excommunicationem contra Navarreum & ejus annuntiator punitur. 102. viſitat Eccleſias Romanas. 112. mittit Roſam Reginæ Poloniæ & gladium Duci Bavariæ. ibid. Ære ſuo ſublevat pretium annonæ. ibid. denegat ſubſidia Fœderatis Gallis. 122. mittit exercitum contra Turcam in Vngariam. 129. & 152. pacem componit inter Hiſpanos & Gallos. ibid. Ferrariam recuperat. 164. excipit Ferrariæ ſponſum & copulat. ibid. mittit Legatum in Galliam pro conciliando Sabaudo. 185. moritur. 225.

Clodoveus primus Rex Galliæ Chriſtianus. 104.

Cleracum poſt multas cædes facit deditionem Regi Galliæ. 352. ob fidem tertio mutatam incendio vaſtatur. 354.

Clezelius Cardinalis traditur in cuſtodias ab Auſtriacis. 311. liberatur. 366.

Colubre in Hiſpania expugnat Rex Galliæ & præſidio ſuo munit. 512.

Colignii Amyrallis cadaver Pariſiis contumeliis afficitur. 25.

Collecta in Germania Romereug dicta pro uno menſe quantum valet. 167.

Coloniæ novæ in campeſtribus Poloniæ verſus Tartaros locatæ. 44.

Comes Montenſis Belga deficit ad Hollandos. 437.

Comesſtabilis primum officium apud Moſchos. 157.

Cometes viſus. 222. 316.

Cornarus Dux Venetorum accuſatus. 402.

Concilium Tridentinum celebratum. 33. receptum in Polonia. 247.

Concordata Germaniæ dat Gregorius XIII. per Cardin. Madrutium. 17.

Condens Dux Vgonotorum cæſus. 25. ejus querelæ contra Reginam. 290. profligantur ejus copiæ à Regiis. 295. traditur cuſtodiæ. ibid. 306. dimittitur. 324. profligatur à Roano, obſidet Dolam. 489. & Fonterabiam irrito eventu. 514. Salſam oppugnat & capit. 515.

Congi Regis Legatus ad Papam. 257.

Conſilium datum Sigiſmundo Regi in Suecia. 114.

Conſpiratores in Principes execrandæ. 85.

Conſtantia ſponſa Regis Sigiſmundi venit Cracoviam. 229 voluit Caſimirum filium ſuccedere in Regno. 454. moritur. 421. ejus Epithaphium. 422.

Conſtantinopolis trepidatur ob incendia in proximo à Koſacis excitata. 371.

Conſtantinus Dux Oſtrogiæ defendit Græcum ſchyſma contra unionem. 139.

Conventus Colenſis à Primate inſtitutus malo exemplo. 81.

Coſacorum militia ordinata per Stephanum Regem. 44. 46. *eorum militandi & navigandi modus.* ibid. *graſſantur in Ruſſia & profligantur à Zolkievio.* 145. *militant in Moſchovia.* 253. *per media agmina Turcarum veniunt Chocimum.* 340. *invadunt noctu Caſtra Turcarum.* 346. *eunt in Tauricam ad reſtituendum Chamum Tartarorum iterata expeditione.* 382. *in Electione Regis rejiciuntur.* 444. *eorum auxilia Imperatori profuerunt in Germania.* 326. *ad Pragam primi turbant Ordines Boëmorum.* 329.

Coſmus de Torres Nuntius Papæ in Polonia fit Cardinalis. 353.

Coſmus Medices ſuccedit Patri Ferdinando in Hetruria ducit uxorem Magdalenam Auſtriacam. 257.

Cracoviæ Civitas habet vocem in Electione Regis. 453.

Curlandia & Semigalia conceſſa in feudum Kietleræ Familiæ à Rege Poloniæ. 51.

Curlandiæ Dux venit ad caſtra Polonorum apud Kircholmum. 227. *abdicatus feudo reſtituitur.* 444. *datur inveſtituræ juveni Duci.* 504.

Cyprum Turca Venetis eripit. 40.

Cyrillus & Methodius Fidem Chriſtianam docuerunt Slavones. 40.

Czarnkowski addictus Auſtriacis privatur præfectura Plocenſi & Referendaria. 3.

Czeladka graſſatur in Lithuania, capite punitur. 26.

D.

Dalmatiæ partem Turcæ adimunt Venetis. 40.

Dambrowa Tribunus in pugna contra Suecos fortiter rem gerit. 227.

Dampetram Hiſpani arte intercipiunt. 134.

Dampir fugat Bethlemum. 217. *Gradiſcæ obſeſſis fert auxilium.* 303. *in Boëmia periclitatur in pugna & à Polonis juvatur.* 326. *apud Poſonium occiditur.* 328.

Daniæ Rex Sueciæ Regi bellum infert. 276. *Calmariam capit.* ibid. *facit pacem.* 384. *petit veniam Friderico Electori.* 326. *ejus apparatus pro bello Germanico.* 378. *& progreſſus & clades.* 387. *pellitur ex Holſatia.* 397. *confirmat fœdus cum Anglo & Sueco.* ibid. *Cæſarianos pellit ex Holſatia.* 410. *pacem facit cum Imperatore.* ibid. *reducit Hamburgum ad officium.* 520. *filium ex impari matrimonio Wolmarum mittit in Moſchoviam.* 521.

Danielowicii militant in Expeditione contra Michaëlem in Moldavia. 189. *Captus à Tartaris.* 492.

Danielowicz Nicolaus Mariſchallus Nuntiorum in Comitiis inquiſitionis. 100. *Theſaurarius Regni indulgentior in ſuos miniſtros.* 344.

Dantiſcum habet jus ſuffragii in Electione Regis. 452.

Dantiſcus Ioannes Epiſcopus Varmiæ. 41.

Decimas Eccleſiaſticas dat Papa pro bello Vngarico. 216. *& pro bello Germanico.* 324.

Dembinski Cancellarius Poloniæ. 5. *Caſtellanus Cracovienſis.* ibid.

Demetrius fingit ſe filium Ducis Moſchoviæ. 221. *eum promovet Georgius Mniſſek.* 222. *eum ſequuntur multi Moſchi.* ibid. *Dux inauguratur.* 223. *deſponſat filiam Georgii Mniſſek.* ibid. *odio habetur ob contemptus ritus Græci.* ibid. *Sponſa ejus venit Moſchuam.* 239. *nuptiarum ejus celebritas.* ibid. *trucidatur à Moſchis.* 240. *alius Demetrius fingit ſe eundem Demetrium elapſum à cæde, quis iſte fuerit.* 253. *confluunt ad eum Poloni, occupat multa oppida, Moſchuam obſidet.* 253. *Poloni agnoſcunt eum eſſe falſum ſed ſimulant, & tradunt ei ſponſam Mniſkownam.* 254. *Ejus vires diſtractæ obſidione Smolenſci inconſulte.* 262. *ſuſpectos habet Polonos & fugit, & ſponſa eum ſequitur.* 263. *ejus ſequaces Poloni ſolvunt obſidionem Moſchuæ.* ibid. *occiditur à Tartaris ſuis cuſtodibus.* 267. *relinquit filium ex Mniſkowna.* ibid. *ejus filius cum Matre ſuffocatur in aqua.* 279.

Dietrichſtein Cardinalis à Turrenſi Comite Brunæ captus. 318.

Dinoff Tribunus militum cum Sigiſmundo Rege in Moſchoviam. 278. *dimiſſus Riga capta.* 348. *Hermanus occiſus apud Cicoram.* 337. *Herneſtus & Gerardus tribuni peditum Germanorum contra Turcam ad Chocimum.* 240. *rejicit Suecos à Torunia.* 406. *Ottho apud Mævam in prælio cum Suecis perit.* 384. *Henricus Secr. Regis miſſus ad Ducem Pruſſiæ.* 404. *Gaſpar Palatinus Siradiæ.* 490. *Legatus pro adducenda Regi uxore Viennam.* 493. *Palatinus Pomeraniæ Legatus in Galliam.*

Diſſidentes vocantur in Germania Hæretici. 30. *eorum fœdus.* 362. *ad Concilium ad quod provocabant non veniunt expectati per annos viginti.* 33. *novum fœdus faciunt in Conventu Lipſienſi.* 426. *facto Conventu Norimbergiæ Legatos mittunt ad Imperatorem cum querelis contra Hiſpanos in Germania dilatantes vires.* 292.

Diſſidentes in Polonia in Electione Regis obtinent ſibi cautionem. 68. *Controverſiæ de eorum ſecuritate ante Electionem Regis.* 442. *Controverſiæ eorum ſopiuntur.* 448.

Dordracenſis Synodus in Hollandia. 316.

Dorlantium Hiſpani capiunt. 134.

Doroſtayski Mariſchallus Lithuaniæ Smolenſcum capiendo primus ingreditur. 271.

Droiowski Epiſcopus Vladiſlavienſis connivet Gedanenſibus in introducenda Hæreſi. 41.

Droiowski Thomas Præfectus Præmiſlienſis Legatus ad Turcam. 53. *militat in Moldavia.* 189.

Ducis militaris potentiam in Polonia reſtringi ſuadet Primas. 81.

Duellum Galli cum Brabanto. 184.

Działynski Paulus Legatus Regis ad Hollandos & Anglos. 150. 151.

E.

Eccleſiaſtica poteſtas in Polonia reſtringitur. 42. *Eccleſiaſtici habent locum in ſeſſione Tribunalis Regni* 43. *ſatisfaciunt ſæcularibus de eorum querelis.* 281. *eorum privilegia reſtringit Vrbanus* VIII. 478.

Echinadæ ſcopuli à Nimphis ejus nominis. 39.

Eduardus filius Henrici VIII. *Regis Angliæ, veneno extinctus.* 27.

Elbinga præſcriptione Regia coacta reſtituit templum Parochiale. 311. *Regem Sigiſm. excipit.* 366. *proditionem facit Sueco.* 384.

Electio Regis libera Vngaris & Boëmis. 35. 36.

Electio Imperatoris dubia ſi contemnatur unus ex Electoribus. 489.

Electo-

Electionis Regis Pol. modus debuit præſcribi. 75. *ejus libertas.* 225. 248. 260. *confirmata.* 421. *non debet ei adeſſe præſens Candidatus.* 448.

Electi Regis Pol. functiones Regias non exercens ante Coronationem. 456.

Electores Eccleſiaſtici Imperii Colonienſis & Moguntinenſis exauthorati à Papa. 18. *damnant cauſam Boëmorum Mulchuſi.* 325. *nolunt eligere Regem Rom. niſi pax reſtituatur Germaniæ.* 417.

Electoratus Saxoniæ capto Ioanne Friderico tranſlatus ad Mauritium. 31.

Electoratus in proximiorem non in remotiorem transferri debet. 360.

Electoratum Bavari Saxo approbat. 372.

Eliſabetha Regina Angliæ filia Bulenæ. 28. *ejus mores & fortuna atque mors.* 212.

Embdam Hollandi præſidium intromittunt. 363.

Epiſcopatus in Polonia ſolis Regnicolis conferuntur. 421.

Epiſcopatus Sambienſis & Pomeſaniæ à Ducibus Pruſſiæ ſuppreſſi. 275.

Erfordiam occupat Guſtavus Suecus. 430.

Ericus Rex Sueciæ datur ſub cuſtodias ob delirium. 10.

Erneſti Archiducis adventus in Belgium. 121. *moritur.* 129.

Eſſexiæ Comes in Anglia capite plectitur. 199.

Eſſexiæ Comes Parlamenti Angliæ cum exercitu perſequitur Regem. ibid.

Eſtenſis Dux Ferrariæ Romæ habet locum inter Cardinales. 96.

Eſtoniam capit Suecus non denuntiata hoſtilitate. 10. *in ea retinenda debitum reponit.* ibid. *ejus reſtitutio promittitur in pactis Electionis Sigiſm. Regis.* 61. *differtur donec poſſeſſionem Regni Sueciæ adiret Sigiſm.* 68. *in eam ducit Zamoyſcius & Vayſteinum capit.* 201.

Excommunicati a Iudice Eccleſiaſtico in Polonia olim habebantur pro banitis. 42.

Exundationes fluviorum earum vi montes dejecti. 139. *Sequanæ.* 141. *Tyberis prodigioſa.* 165. 243. *maris in Anglia portentoſa.* ibid.

F.

F*Annum fidei deditur Regi Galliæ.* 352.

Fæminæ cadaver inventum inter milites Hiſpanos apud Oſtendam. 203.

Fairfax Parlamenti Angliæ Dux *belli profligat Regios, & capit Briſtol.* 535.

Fames ingens Pariſiis in obſidione. 88. 95. *in Italia frumento Danticſa advecto ſublevatur.* 96. *in Lithuania.* 194.

Farneſius Dux Parmenſis ſuſcipit adminiſtrationem Belgii. 23. *ejus mores humaniores. Ipras ad deditionem cogit & totam Flandriam recuperat.* 24. *Antverpiam capit.* ibid. *obſidionem Pariſiorum ſolvit.* 88. *Rothomago ſubſidia fert.* 98. *moritur.* 101. *ejus funeris celebritas Romæ.* 112. *origo Farneſiorum.* 113.

Felinum capit Zamoyſcius. 201.

Feram recuperant Galli. 141.

Feriæ Dux Legatus Regis Hiſpaniæ venit Pariſios. 104. *laborat ne Rex Galliæ eligatur Hæreticus.* 106. *venit cum Hiſpanicis copiis in Germaniam & moritur.* 465.

Ferdinandus Archidux Tirolenſis moritur. 129.

Ferdinandus I. *Electus Rex Rom.* 31. *connivet Hæreticis.* 34. *Boëmiam vi occupat.* 35. *uſurpat Regnum Vngariæ & coronatur Budæ.* 37. *ejus cauſa Turcæ in Vngariam adducti.* 38. *pacem redimit a Turcis tributo annuo, & moritur.* 42.

Ferdinandus II. *infeliciter oppugnat Caniſiam.* 196. *Coronatur Rex Boëmiæ cum conditionibus.* 303. *Coronatur Rex Vngariæ.* 311. *bellum habet cum Venetis propter Vſcocos.* ibid. *arma comparat contra Boëmos.* 317. *eligitur & coronatur Imperator.* 319. *conquirit auxilia ab Hiſpano, & à Papa contra Boëmos.* 324. *pacem facit cum Bethlemo.* 357. *accipit uxorem Leonoram Mantuanam.* ibid. *eam facit coronari Reginam Vngariæ & Boëmiæ.* 397. *& Imperatricem.* 418. *intercidit Exercitium hæreſis Pragæ hæreticis & templa eorum dat Catholicis.* 372. *moritur.* 496.

Ferdinandus III. *Coronatur Rex Vngariæ.* 379. *& Rex Boëmiæ.* 397. *ducit exercitum Cæſarianum ſublato Valnſteino.* 468. *eligitur Rex Roman. in cuſtodiis detento Electore Treverenſi.* 489. *pacem ægre impetrat à Turca.* 521.

Ferdinandus Cardinalis Frater Regis Hiſpaniarum deſignatur Adminiſtrator Belgii. 492. *venit in Germaniam* 470. *in Belgium.* 472. *Gallis bellum denuntiat.* 487. *capit Venloam & Ruremundam.* 498. *moritur.* 544.

Ferdinandus Mediceus ſuccedit Fratri ſterili in Hetruria 72. *ejus geſta & mors.* 258.

Ferdinandus II. *Dux Hetruriæ venit Pragam ad Imper.* 400. *deſponſat filiam unicam Ducis Vrbini.* 416.

Farensbach Palatinus Wendenſis irritat Suecos irruptione in Eſtonia. 187. *occiſus in oppugnatione Felini.* 201. *ejus filius Georgius prodit Livoniam Guſtavo.* 302. *reconciliatur Regi.* 311. *captus in Cicora ducitur Conſtantinopolim.* 330. *liberatur è captivitate Turcæ.* 367. 496.

Ferrariam recuperat Clemens Papa VIII. *poſt mortem Alphonſi Ducis.* 164.

Fides Chriſtiana dilatatur in Indiis. 17.

Filaretus Metropolita Roſtovienſis Legatus Moſchorum ad Sigiſmundum detinetur. 266.

Filecon recuperant Chriſtiani à Turcis. 111.

Fierley Nicolaus Palatinus Cracov. moritur. 193. *Henricus fit Referendarius.* 224. *deinde Vicecancellarius.* 283. *Epiſcopus Luceorienſis & Plocenſis.* 307. *Archiepiſcopus Gneſnenſis.* 319. *Nicolaus Caſtellanus Woynicenſis Legatus ad Comitia Vngariæ multum præſtat pro Cæſare.* 327. *Henricus Epiſcopus Præmiſlienſis Legatus Vladiſlavienſis in Electione.* 283. *deſignatus Epiſcopus Poſnanienſis moritur.* 481.

Florentiæ Ducis nuptiarum cum Magdalena Auſtriaca celebritas. 258.

Fluvii diſtinguentes fines Poloniæ à Moldavia & Tartaria. 44.

Fœdus ineunt diſſidentes Germaniæ contra Carolum V. 32. *aliud Ebronæ poſtquam Catholici fecerant ligam.* 302. *tractant cum Liga Catholica ne ullus alterum offendat excluſis Bohemis* 325. *novum fœdus faciunt.* 362. *iterum illud innovant cum Sueco.* 464.

Franchentalium liberatur ab obſidione Hiſpanis. 350. *datur in depoſitum Gubernatrici Belgii.* 361.

Fran-

Franciſca Pontiana Romana Canonizatur. 257.

Franciſcus Alenſonius fit Dux Belgii. 21. *contra eum tumultus excitatus Antverpiæ.* 23.

Franciſcus I. *Galliæ Rex captus in prælio apud Paviam à Ducibus Caroli* V. 27.

Franciſcus Hetruriæ Dux veneno ab uxore aliis parato perit. 72.

Franciſcus Piſara crudeliter agit cum Peruanis occiſus à ſuis. 16.

Francofurti ad Mœnum tumultus contra Iudæos ſedatur. 289. *deditur Sueco.* 431. *ejicit præſidium Sueticum.* 486.

Francofurtum ad Oderam Suecus capit. 428.

Fredro Maximilianus Secretarius Legationis ad pacem tractandam in Germaniam. 490.

Fretum Naſſoviticum inventum. 126.

Friderico Duci Pruſſiæ ægro mente, dat Curatorem Rex Poloniæ. 4.

Fridericus Palat. Elector ducit uxorem filiam Regis Angliæ. 282. *renuntiatur Rex Boëmiæ & Coronatur cum uxore.* 322. *ejicit imagines & Sacerdotes è Templo Pragenſi.* ibid. *tranſit Olomucium & Vratiſlaviam, & recipit juramentum fidelitatis, fœdus confirmat cum Bethlemo & Vngaris.* 326. *in ejus proſcriptionem conſentiunt Electores.* 327. *victus prælio apud Pragam, abit Vratiſlaviam.* 330. *reconciliationem ejus cum Cæſare procurat Rex Angliæ.* 349. *ſpe reconciliationis relinquit proſperos ſucceſſus.* 357. *privatur Electoratu.* 360. *propoſitæ ei conditiones reconciliationis indigne rejiciuntur ab Anglo.* 417. *venit ad Caſtra Guſtavi.* 433. *moritur Moguntiæ.* 437.

Fridericus II. *Daniæ Rex moritur.* 74.

Fuchſius Dux Danici exercitus occiſus apud Luthram. 387.

Fugelneder Staniſlaus Nuntius Regis Polon. in Hiſpaniam. 19.

G.

G*Abor Bethlem obtinet Palatinatum Tranſilvan.* 286. *tradit Turcis Lippam & Gennenum.* 290. *ad Regnum Vngariæ aſpirat.* 318. *Comitia celebrat Poſonii pro ſua Coronatione, & Viennam obſidet.* 323. *inducias facit cum Ferdinando.* ibid. *à Legato Polono impeditur ejus Coronatio.* 328. *Turcam concitat contra Gratianum & Polonos.* 331. *exercitum cæſi Buquoi diſſipat.* 351. *invadit Moraviam, Cæſarianos profligat.* 362. *extorquet à Cæſare quas voluit conditiones pacis.* 371. *ducit uxorem ſororem Electoris Brandeburgici.* 379. *iterum tranſit ad partes fœderis Germanici contra Cæſarem.* ibid. *& iterum facit pacem.* 388. *moritur.* 407.

Gades Angli diripiunt. 144.

Galiczyn Legatus Moſchorum ad Sigiſmundum Regem ſub Smolenſco. 266.

Gallaſius excubiarum Præfectus. 435. *à Lutomiericia movet.* 466. *ægre evadit Suecos ad Magdeburgum.* 522.

Galliæ ſtatus Monarchici initium. 24. *bellum civile propter Calviniſmum.* 63.

Galliæ turbarum cauſa Regis mater. 74. *Gallia Religionis Catholicæ propugnaculum.* 104. *ei pax reſtituitur.* 132. *pacata poſt mortem Henrici* IV. 268. *ejus turbæ propter Ancreum.* 306. *quieſcunt cæſo Ancreo.* ibid.

Galli ab Hiſpanis vincuntur apud Cameracum. 133. *Fœderati reconciliantur Regi Henrico.* 137. *faciunt cum Hiſpanis pacem, ejus conditiones.* 161. *detegitur in Regem conſpiratio.* 204. 216. *odium ſumunt contra Reginam Matrem Regis.* 290. *in Valle Tellina capiunt multa loca.* 374. *irruunt in Burgundiam.* 489. *bellum promovent contra Auſtriacos in Germania.* 497. *bellum introducunt in Hiſpaniam.* 513.

Galiciæ oppida Hollandi diripiunt. 242.

Garnets è Societate Ieſu ſupplicium in Anglia. ibid.

Gaſiowski Alex. Legatus ad Moſchuam. 254. *Præfectus præſidii Moſchuæ munit Arcem Krimgrod.* 270. *Leponum ducem Moſchorum arte tollit.* 272. *Smolenſcum defendit à Moſchis & munit.* 462.

Gaſiowski Chriſt. Legatus ad Galliam pro liberando Caſimiro Principe. 503.

Gaſſion Mariſchallus in oppugnatione Gravelingæ vulneratur. 525.

Gedanenſes favent Maximiliano II. *Imper. contra Stephanum armis revocantur ad obſequium.* 3. *vectigal maritimum apud eos inſtituit Rex Pol.* ibid. *ob hæreſim tumultuantes puniti à Sigiſm.* I. *Rege.* 41. *tumultuantur in præſentia Regis Sigiſm.* 117. *eorum naves advehunt frumentum in Italiam.* 112. *ſplendide Regē Sigiſm. excipiunt.* 366. *Claſſis Regia cum ipſorum auxilio profligat Sueticam.* 393. *queruntur de Tributo maritimo.* 494. *libertates habent à Regibus Poloniæ.* ibid.

Gembicki Laurentius Secret. major Nuntius ad Clem. VIII. 129. *ejus virtutes.* 224. *Epiſc. Culmenſis fit Vicecancellarius.* 260. *& Cancellarius accipit Epiſcopatum Vladiſlavienſem.* 268. *fit Archiepiſcopus Gneſnenſis.* 299. *moritur.* 369.

Gembicki Petrus Decanus Cracov. ſalutat Regem in ingreſſu Eccleſiæ Cracov. 457. *Secretarius major fit Legatus ad Imper.* 461. *fit Vicecancellarius & Epiſcopus Præmiſlienſis.* 481. *fit Cancellarius Regni.* 503. *deinde Epiſcopus Cracovienſis.* 505.

Genevæ ſitus, inſidiæ ipſis ſtructæ à Sabaudo. 401.

Genuæ proditio detecta & puniti conſpiratores. 402.

Genuenſes vincuntur à Sabaudo apud Ottagium. 374.

Germania prona ſuſcipit hæreſim. 29. *belli ejus initia & cauſæ.* 312. 324. *ejus Principes commoventur mandatis reſtitutionis bonorum Eccleſ.* 398. *ejus Civitates maritimæ nolunt recipere præſidia Imper.* ibid. *ejus Principes novas diffidentias concipiunt à Comitiis Ratisbonæ.* 418. *pæne totam recuperat Imperator armis.* 487.

Germanus miles inter militiam Polonicam non valet. 11. *qualis militaverit cum Stephano.* ibid.

Germani multi in Polonia ſedem fixerunt. 41. *contributiones dant pro bello Vngarico Rudolpho.* 166. *eorum querelæ & expeditio contra Hiſpanos.* 170. *Coloniæ ipſorum multæ in Tranſilv. Moldav. Ruſſia.* 175.

Geuſiorum in Belgio initia & ſymbolum. 20.

Getzſius Tribunus Cæſarianus vincitur à Vinmarienſibus 512. *occiſus in prælio.* 522.

Glatium in fine Sileſiæ deditur Carolo Archiduci. 359.

Gneſnæ conflagratio. 284.

Gneſnenſis Archiepiſcopi autoritas ſub Interregno. 54.
Gniewoſs Albertus Secretarius Regni Epiſcop. Vladiſlavien. Legationibus celebris. 503.
Golski Palatinus Ruſſiæ partium Regiarum in Rokoſs. 238. *moritur.* 281.
Gomolinski Epiſcopus Luceorienſis ex Chelmenſis. 188.
Gorcanus Comes popularitatis captator. 56. *promovit factionem Zborovviorum pro Maximiliano.* 57. *captus in prælio apud Byczynam inter Maximilianiſtas.* 70.
Gorecki Tribunus veteranus cæſus in oppugnatione Smolenſci. 271.
Goſlicki Laurentius Legatus in Suetiam. 10. *excipit oratione Sigiſm. intrantem Cracoviam.* 65. *tractatus pro liberatione Maximiliani perficit.* 76. *deſignatur ad tractatum de ſocietate contra Turcam.* 142. *fit Epiſcopus Poſnanienſis.* 188.
Gotthorum antiqua ſedes. 48.
Gottlant dicitur à bonitate ſoli. 49.
Græci Wladicæ non permittuntur conjungi Epiſcopis Senatoribus. 458.
Gratianus Gaſpar fit Moldaviæ Princeps. 310. *Bethlemi inſidiis conſulitantur contra ipſum Turcæ.* 331. *perit apud Cicora.* 334.
Gravelingam expugnat Dux Aurelianenſis. 525.
Graviam capiunt Hollandi. 204.
Gregorius XIV. *creatur Papa.* 89. *Excommunicat Navarreum & exercitum mittit contra eum.* 92. *moritur.* 96.
Gregorius XV. *Papa creatur.* 348. *Canonizat quinque Sanctos ſimul.* 353. *moritur.* 366.
Grochowski Achacius Epiſcopus Luceorienſis. 448.
Grollam Spinola capit. 241. *recuperant eam Hollandi.* 396.
Gromacki Ioannes militat in irruptione in Galliam Equitatus Polonici. 488.
Grzymultowski Caſtellanus Bidgoſt. 238.
Guiciardinus Legatus Ducis Hetruriæ ad Regem Hiſpaniæ. 258.
Guevara Franciſcus profligatus à Mansfeldio. 358.
Guizius Franciſcus occiſus à ſiccario. 25.
Guizius Henricus conflat fœdus Ligam Sacram. 63. *profligat auxilia Germanica Navarrei.* 64. *ejus molitiones contra Regem ſub titulo Ligæ Sacræ.* 72. *occiditur à ſatellitibus Regis Henrici* III. 73.
Guiſii fœdus ineunt contra Navarreum. 79. *deſcendunt ex Familia Ducum Lotharingiæ.* 473. *in nominatione in Regem Pariſiis tumultus.* 106.
Guſtavus Horn captus in prælio apud Nordlingam. 471. *irripit in Daniam.* 521.
Guſtavus Rex Sueciæ renuntiatur. 277. *bellum infert Moſchis, & pacem facit.* 287. *bellum inducit in Livoniam.* 299. *Rigam obſidet & capit proditione.* 348. *adnavigat Gedanum prope in præſentia Sigiſm.* 366. *Livoniam occupat.* 381. *ex condicto Ducis Pruſſiæ & Elbingenſium venit in Pruſſiam.* 382. *exceptus Pilaviæ regalitur à miniſtris Ducis Pruſſiæ & Elbingæ.* 383. *ejus congreſſus cum Polonis apud Mævam.* 384. *iterum redit in Pruſſiam & vulneratur.* 393. *denuo venit in Pruſſiam à Motlawa Gedanenſis rejicitur, Brodniciam proditione capit & equitatus ejus profligatur.* 404. *ponit caſtra apud Quidzinum & prælio vincitur à Polonis.* 406. *inducias facit cum Polonis.* 409. *vocatur in Germaniam à Fœderatis.* 416. *profligat Tillium apud Lipſiam.* 430. *Francofurtum, Moguntiam, Norimbergam, Erbipolim ad deditionem cogit.* 431. *Monachium intrat & Golſtadium oppugnat Tillio cæſo.* 433. *apud Norimbergam opponit Caſtra Caſtris Cæſarianis.* 435. *ejus Legati in Electione Regis Poloniæ.* 452. *in prælio apud Lucenam occiſus.* 436.
Guzow fatalis agnomine locus cladis Rokoſſianorum. 249.

H.

H*Æreſis in Germania ſtabilita Catholicorum ſpoliis.* 29. *in Poloniam irrepſit ſub Auguſto.* 41. *ei ſecuritas extorta ſub Interregnis.* 56.
Hæreticorum ſynagogæ evertuntur Cracoviæ. 92. *eorum Conventus damnantur.* ibid. & 127.
Hamburgum non vult recipere præſidium Cæſaris. 329. *oppugnatur à Daniæ Rege & pacem facit.* 520.
Hamerſtenii victi auxiliares Sueci. 391.
Haſſiæ Landgravius tranſit cum Spinola neutralitatem. 348.
Hattuanum Turcæ oppugnant. 217.
Henricus II. *Galliæ Rex in haſtiludio accepto vulnere moritur.* 18.
Henricus III. *Regnum Poloniæ deſerit.* 4. *ſuccedit in Regno Galliæ Fratri Carolo* IX. 24. *Ordinem S. Spiritus inſtituit.* 26. *conqueritur de labore in Iudiciis Regiis in Polonia.* 43. *Gallis factus invifus.* 63. *majora odia incurrit necatis Guiſiis.* 72. 73. *a Monacho cultro percuſſus, moritur.* 79. *ejus funus deponitur Compendii.* 80.
Henricus IV. *Borbonius Navarreus uxorem ducit Margaretam.* 25. *profligat Guiſianos.* 64. *fœdus habet cum Anglis, Hollandis, Germanis.* ibid. *acclamatur Rex Galliæ, jurat, & ei jurant Principes.* 79. *obteſtatur ſe velle tueri Fidem Catholicam.* 87. *vincit Mænium, Ægmondanum.* 82. *Pariſios obſidet.* ibid. *convertitur ad Fidem Catholicam, & ritus ejus Converſionis.* 106. *Coronatur Autrici.* 123. *Pariſios intrat.* ibid. *cultro petitus à ſiccario vulneratur.* 124. *bellum denuntiat Hiſpanis & ei Hiſpani.* 133. *profligat Hiſp.* 134. *reconciliatur Papæ Clementi* VIII. *& ejus reconciliationis Ceremoniæ.* 135. *ejus matrimonium cum Margareta declaratur nullum.* 172. *ducit aliam uxorem Mariam Mediceam.* 186. *bellum movet contra Sabaudum.* 184. *& occupat Mummilianum ac multa loca Sabaudiæ.* 185. *natus ei filius Ludovicus.* 200. *Bironium ob conſpirationem capite punit.* 205. *& in alios non inquirit.* 206. *reconciliatur Duci Bullionio.* 242. *conſcribit exercitum pro Iuliaco.* 259. *occiſus à ſiccario.* 268.
Henricus VIII. *Rex Angliæ obtinet à Papa titulum Defenſor fidei.* 26. *repudiat Catherinam & ducit Bulleniam.* 27. *abrogat poteſtatem Papæ in Anglia, Excommunicationem Papæ non curat.* ibid. *ducit aliam uxorem Ianam Semeram, deinde Annam Iuliacenſem.* ibid.
Herburth Vexillifer Leopolienſis Maximiliani partes tuetur in Electione. 64. *felix Legatus ad Turcam.* 157. *Rokoſſianarum partium promotor captus.* 250. *dimittitur.* 252.

Hiſpa-

Hiſpaniola. 15. *Hiſpania nova.* 16.
Hyacinthus S. Polonus Canonizatur. 119.
Hyberni defectionem parant & edomantur. 138. *& iterum tumultuantes vincuntur.* 199. 256.
Hyppolitus Aldobrandinus Card. Legat. in Pol. 71.
Hiſpani Indias inveniunt, & crudelius agunt cum Indianis. 16. *in Gallia Fœderatos juvant.* 84. *Monarchiam Europæ appetunt, & Romam ſpoliant.* 86. *eorum factio in excludendis hæredibus Regni Galliæ.* 105. *&* 106. *eorum vires dilatatæ in Germania ſuſpectæ Germanis.* 291. *diſſuadent pacem cum Sueco Polonis promiſſis ſpecioſis, & nil præſtant.* 394. *&* 404. *rumpunt pacem volentes cum Gallis.* 487. *in bellis alienis propria perdunt.* 524.
Hiſtoria vitiatur adulationibus. 1.
Hyems gravis & inundationes ſine nivibus. 139.
Hipacius Pociey Legatus ad Papam à Ruthenis in cauſa Unionis. 138.
Hollandorum Reipub. initia. 21. *variè fluctuant de norma ſui regiminis & tandem Democratiam inſtituunt.* 22. *Groningam & multa loca Phryſiæ capiunt.* 99. 150. *prohibent uſum fidei Catholicæ.* 121. *pacem nolunt niſi cum Belgis excluſis Hiſpanis.* 138. 245. *menſes ſtipendiorum militarium numerant quadraginta diebus.* 315. *agnoſcuntur ab Hiſpano pro Repub. libera.* 245. *Hiſpanam Claſſem diſſipant.* 246. *concludunt pacem cum Hiſpano ad annos* XII. *plebem eorum ingratam.* 256. *habent Synodum in qua prævalent Calviniſtæ.* 316. *dant novam formam juramenti Magiſtratibus.* 317. *finiunt eorum inducio cum Hiſpanis.* 351. *à Mauris in Guinea ceduntur.* 391. *tractant pacem cum Polonis pro Sueco.* 392. *Grolam capiunt.* 396. *Flotam divitem intercipiunt Hiſpano.* 403. *Ferambucum in America capiunt.* 418. *Claſſem Hiſpanam profligant.* 424. *Venloam & Trajectum ad Moſam capiunt.* 437. *recuperant Senkianum propugnaculum.* 491. *propugnaculum in Guinea capiunt pulſis Hiſpanis.* 499. *iterum Claſſem Hiſpanam profligant.* 500.
Holubek Dux Coſacorum contra Maximilianum in Bycinenſis prælio perit. 69.
Hoſius Cardinalis moritur. 9.
Hudak Arx erigitur in confiniis Regni Poloniæ contra Coſaces. 495.

I.

Jacobus Sextus Rex Scotiæ Minorennis. 28. *uxorem accepit ſororem Regis Daniæ.* 89. *prodigioſe evadit ex inſidiis.* 186. *renuntiatur Rex Angliæ & coronatur cum Regina.* 212. *alienus à fide Catholica & facit pacem cum Hiſpano.* 213. 216. *iterum inſidiæ contra eum deteguntur.* 243. *ſcribit libros pro defenſione juramenti.* 256. *ejus primogenitus Henricus ſublatus veneno.* 282. *tarde mittit auxilia Palatino.* 325. *ſpem facit auxiliorum Polonis contra Turcas.* 339. *rejicit tractatum matrimonii filii ſui cum Hiſpana & armat contra Auſtriacos.* 371. *moritur.* 375.
Jagellonicæ ſtirpis apud Polonos obſervantia. 61.
Jagendorfius occupat multa loca in Sileſia. 350.
Iankowski Vexillifer Chodkievicii ſub Hocimo à Turcis cæſus. 342.
Japponenſium Legatio ad Papam. 17. *dilatatio apud eos Fidei Chriſtianæ.* 200.
Japponiæ ſitus. ibid.
Jaroſlavia ſub nundinis conflagravit magno damno mercatorum. 381.
Jaurinum deditum Turcis. 120 *Stratagemate à Cæſarianis receptum.* 167.
Iaykowski propter fœdus Moſchicum proſcriptus. 293.
Imperator facit pacem cum Turca. 39. *Hoſtes vicit ſpe injectâ reconciliationis.* 359. *malunt ſubditos habere pauperes quam rebelles.* 410. *Copias mittit in Italiam.* 413.
Indicæ navigationis partitio inter Caſtellanos & Luſitanos. 15.
Induciæ inter Hiſpanos & Gallos ad Caſſalium. 415.
Infamiæ pœna in Polonia qualis ſit. 13.
Innocentius IX. *Papa creatur.* 96. *Innocentius Papa* X. *creatur.* 520. 521.
Interim liber Caroli V. *de inter religione non receptus.* 31.
Interregnum poſt Stephanum turbulentum. 54. *poſt Sigiſmund.* III. *pacatiſſimum.* 441. *geſta ſub eo.* 447.
Ioannes Albertus filius Sigiſmund. III. *natus.* 281. *datur ei Epiſcopatus Varmienſis.* 368. *fit Epiſ. Crac. & Cardinalis.* 460. *moritur.* 477.
Ioannes de Auſtria Caroli V. *Imperatoris contra Turcas.* 39. *Gubernator Belgii.* 21.
Ioannes Rex Sueciæ in carcere detinetur à fratre Erico Rege II. *moritur.* 100.
Ioannes I. *Rex Ungariæ eligitur, & armis vindicat regnum.* 36. *ducit uxorem filiam Regis Sigiſmund.* I. 37. *ejus filius Ioannes* II. *à Solimano ſpoliatus Buda.* 38. *cedit jus Regni Ungariæ Maximiliano.* 40. *moritur.* ibid.
Iordan Spytek deficit à Zamoyſcio ad Maximilianiſtas. 65.
Iſabella obtinet hæreditatem Belgii, & nubit quadrigenna. 162. *moritur.* 468.
Iſabellæ Reginæ Ungariæ difficultates in adminiſtrando Regno. 38.
Italiam invadit Claſſis Turcica, & pellitur. 132.
Italiæ Principum auxilia in Ungariam contra Turcas. 290
Iubileum Romæ & ejus ritus. 175. *concurſus populorum.* 179. *Concluſio.* 192.
Iudæi Francofurti ad Mænum ejiciuntur. 289. *& ex Vormatia.* 292.
Iudicki Eques Melitenſis militat in Pruſſia. 405.
Iuliaci Dux ultimus moritur. 259. *ejus poſſeſſionem uſurpant Auſtriaci.* ibid. *illud occupat Mauritius pro hæredibus.* 269. *ejus multa loca occupat Spinola & Hollandi.* 288. *illud recuperant Hiſpani.* 351.
Iuliacenſi pro hæreditate concordia tractata. 289.
Iulius Pflug reſtituitur in Epiſc. Neoburgenſis. 30.
Iuſtinianus Venetæ militiæ Præfectus cæſus apud Goriciam. 296.
Iuttiam Daniæ invadunt Cæſariani. 198.

K.

Kalinowski præfectus Braclavienſis in pugna apud Guzowo vulneratus. 250. *Præfectus Camenecenſis perit apud Cicoram.* 335.
Kalinski Adamus ſublevat Regem percuſſum à ſicario. 38.

Kaptur ſub Interregno. 442.
Karakas Baſſa cæſus ſub Chocimo. 343.
Karnkowski Stanislaus Epiſcopus Vladiſlavienſis coronat Regem Stephanum. 2. *dirigit Interregnum poſt Stephanum.* 55. *convocat Conventum Coleuſ. malo exemplo.* 81. *deprecatur Zamoyſcium.* 90. *moritur octogenarius in Archiepiſcopatu Gneſnenſi.* 210.
Karwacki prædator punitur. 286.
Kazimirski Ioannes. 97. *Stephanus.* 239.
Kazánowski Sigiſmundus in Moldaviam militat. 189. *& in Livonia.* 202. *Martinus in Moſchovia.* 301. *captus à Tartaris apud Cyczoram, redimitur.* 363. *fit Caſtellanus Halicienſis, & contra Coſacos periclitatur.* 382. *Wordmito Suecos ejicit.* 385. *factus Palatinus Podoliæ, Præfectus minor Exercitus, pugnat ſub Smolenſco.* 461. 462.
Kirchkolmenſis pugna. 227.
Kiſiel Adamus tractat cum Coſacis. 495.
Kleczkowski Ductor Polonorum pro Imperatore in Bohemia perit. 326.
Kmita Philo Palatinus Smolenſci. 8.
Kochanski Gregorius Legatus ad Turcam. 298.
Konarſcius Epiſcopus Poſnanienſis. 40. *Palatinus Malborienſis Tribunus contra Turcas ad Chocim.* 339.
Koniecpolski Alexander pugnat ad Byczynam contra Maximil. 69. *Stanislaus & Prædborius militant in Moſchovia.* 277. *Staniſl. profligat fœderatos.* 286. *fit Præfectus minor. Captus in Cicora ducitur Conſtantinopolim.* 337. *liberatur è captivitate.* 367. *profligat Kantimirum Tartarum.* 370. *fit Palatinus Sendomirienſis, & profligat Coſacos.* 382. *it in Pruſſiam cum exercitu.* 385. *Puczko cogitat deditionem.* 391. *Sueaica auxilia vincit apud Amerſtinum.* ibid. *Mævam recipit.* 392. *periclitatur in prælio.* ibid. *Sedat ſeceſſionem militarem.* 403. *profligat & capit Bauduſium.* 405. *vincit prælio Suecum ad Trzciána.* 406. *in Valachia excutit prædam Tartaris.* 463. *profligat Abazy Baſſam.* ibid. *fugat Tartaros.* 505. *obiit.* 507.
Konopacki ex Palatino Chelmenſi Epiſc. Culmenſis. 267.
Korecki Samuël captus à Turcis. 297. *liberatus iterum captus apud Ciczoram.* 337.
Kocienſes Legatus in Hiſpaniam. 299.
Kościelecki Lucas Epiſcopus Poſnanienſis. 15[illegible]
Koſſakowski in Pruſſia. 404.
Kozlow Turcicam Arcem in Taurica Coſaci expugnant. 53.
Kozlowski Petrus Caſtellanus Zavichoſtenſis perit in Moſchovia. 8.
Kraśinski Epiſcopus Cracovienſis. 12. 41. 56.
Kryski Felix Mariſchallus Nuntiorum in Comitiis. 209. *it pro Regina conducenda.* 228. *fit Vicecancellarius ex Referendario.* 260. *Archicancellarius.* 283. *moritur.* 300.
Kuczborski Epiſcopus Culmenſis Legatus, Regi ingens pecuniam relinquit & moritur. 369.
Kuczynski Stanislaus Legatus in Sueciam. 11.

L.

Lanckeroná Arx Cracoviæ infeſta. 2. 250.
Lanckeronski Bak militat in Moſchovia. 265. *Vexillifer Halicienſis in Pruſſia.* 391.
Landgravius Haſſiæ ſponte venit ad Carolum V. & detinetur. 31. 32.
Landsbergam occupat Suecus. 428.
Larachium in Africa Hiſpani occupant. 269.
Laſſcz militat in Moldavia. 189. *& cum Rokoſſanis.* 249. *alius Petrus Præfectus Cuſtodiarum finitimarum.* 419. *cedit Tartaros.* 505.
Laski Hieronymus Ioanni Regi Vngariæ conducit auxilia. 37. *Samuel Legatus in Sueciam.* 153. 158.
Lebowicz Palatinus Trocenſis. 62.
Leo XI. Papa creatur & moritur. 225.
Leopoldus Auſtriacus armat. 269. 275. 358. *ducit uxorem Mediceam.* 379. *natus ei filius.* 400. *moritur.* 437.
Leopoldus Vilhelmus Auſtriacus profligatur à Torſtenſono. 520.
Leſſczynski Venceſlaus fit Vicecancellarius. 338. *& Cancellarius.* 368. *moritur.* 404. *Raphael Palat. Belzenſis factionis diſſidentium.* 448. *Andreas Epiſcopus Camenecenſis fit Vicecancellarius.* 506. *Vladiſlaus Epiſcopus Varmienſis Legatus in Galliam.* ibid.
Leſniowolski Legatus ad conducendum Regem Sigiſm. 62. *ejus inſtructor ſupplantatus.* 91.
Leſucki apud Warkam in Caſtris ſtrangulatur. 249.
Liga Sacra in Galliis. 26. 63.
Liga Catholica in Germania. 302. 322. 325. 464.
Lipnicki tradit Vormditum Sueco. 393.
Lipſienſe fœdus. 426.
Lipski Andreas Secretarius Regis. 209. *Epiſcopus Luceorienſis.* 300. *Vicecancell. Regni.* 308. 332. *Cancellarius Regni.* 338. *Epiſc. Cracovienſis.* 420. *moritur.* 423. *Adamus ejus frater irrumpit Vngariam cum Liſſovianis.* 323. *Ioannes ex Referendario Epiſc. Culmenſ.* 478. *it pro uxore Regis.* 493. *Archiep. Gneſnenſis.* 503.
Liſſoviani eunt in auxilium Imperatori. 323. *Militant contra Turcam apud Chocimum.* 344.
Lithuani inclinant ad Ducem Moſchoviæ in Electione Regis. 62. *Induciis trahunt tempus cum Sueco.* 354. 393. 403.
Livonia reſtituitur à Moſcho Polonis. 9. *occupata à Germanis ſpecie Religionis Chriſtianæ.* 49. *ejus ſtatus ſub Magiſtris.* ibid. *accedit ad Regnum Poloniæ.* 51. *ejus ordinatio.* 52. 157. *bellum in ea cum Suecis.* 187. 192. 302. 310.
Livornum portus inſignis Ducis Hetruriæ. 258.
Lotharyngiam occupat Rex Galliæ. 438. 467. 473. *pertinebat olim ad Galliam.* ibid.
Lubinſki Staniſl. Epiſc. Luceorienſis Vicecancell. Regni. 368. *Epiſc. Plocenſis.* 493. *Matthias ex Epiſcopatu Helmenſi Epiſc. Poſnanienſis.* 385. *Vladiſlavienſis.* 420. *Archiepiſc. Gneſnenſis.* 502.
Lubomirski Stanislaus inter Candidatos ad Præfecturam militarem. 337. *præit ad Chocimum contra Turcas.* 340. *ſuccedit in Præfectura Chodkievicio.* 344. *educit exercitum ad prælium cum Turcis.* 346. *ſolvere non vult caſtra niſi Turcæ primi abiiſſent.* ibid. *præeſt exercitui ad adventum Koniecpolſcii.* 370. *Tartaros profligat & capit unum ex Principibus Tartarorum.* 409.
Ludovicus Rex Vngariæ fit Rex Poloniæ Anno 1371. *moritur* 1381. *ejus filia ſuccedit in Regno.* 60. *conſurgunt contra eum Poloni.* 234.

 Ludo-

Ludovicus Patruelis Friderici adminiſtrat Palat. 437.
Ludovicus XIII. *novennis Rex Galliæ coronatur.* 268. *Hiſpanam ducit uxorem.* 294. *habet querelas Gallorum.* ibid. *tollit Ancreum.* 306. *prohibet Gallis ne eant ad Synodum Hollandorum.* 316. *tractat pacem pro Imperatore.* 326. *conſpiratio in eum detegitur.* 390. *venit in Italiam & liberat Caſalium.* 413. *iterum conjurationem ſopit.* 423. *fœdus facit pro libertate Germaniæ.* 425. *profligat Aureliananenſ.* 438. *mittit copias in Germaniam.* 439. *poſt annos viginti ſterilitatis habet filium.* 515. *capit Perpinian.* 517. *moritur.* 524.
Ludovici XIII. *Mater Regina offendit Gallos.* 306. *reconciliatur filio.* 324. *conſcia conjurationis in Regem abit in Belgium.* 423. *deinde in Hollandiam, in Angliam, redit in Germaniam & Coloniæ moritur.* 514.
Ludovicus Rex Vngariæ & Bohemiæ conſiliis Vngarorum perit apud Muchacium. 34.
Ludovicus Gonzaga Nivernenſi Dux Legatus ad Papam à Rege Galliæ. 107. *moritur.* 134.
Luſatia ſuperior datur in feudum Electori Saxoniæ. 362.
Luſitani deficiunt ab Hiſpano & eligunt ſibi Regem. 517. *eorum manifeſtum.* 518.
Lutheranæ ſectæ initia. 29. *Annus ſæcularis.* 307.
Laram tentant capere Hollandi & rejiciuntur. 137.

M.

M*Achmet Imper. Turcarum eligitur.* 130. *capit Agriam & redit Conſtantinopolim.* 142. 143.
Macieiowski Samuel Epiſcop. Cracovienſis ſuperſedet à Iudicio hæretici. 42. *Bernardus Epiſcop. Luceorien. Legatus ad Papam.* 89. *repulſam paſſus in Vilnenſis.* 157. *fit Epiſc. Cracovienſis.* 188. *Zamoyſcio gratulatur* 209. *fit Archiepiſcop. Gneſnenſis.* 224. *Legatus à Latere Cardin.* 229. *moritur.* 253.
Madrutius Cardin. Legatus in Germaniam. 17.
Magdeburgi muri ruunt ante bellum. 421. *expugnatur à Tillio.* 428.
Magellanus invenit fretum ad Molucas. 16.
Majeſtatis literæ. 312.
Makovius Adamus Legatus ad Regem Hiſp. 365. *moritur in reditu.* ibid. *Staniſlaus Nuntius in Hiſp.* 393.
Malaſpina Nuntius Papæ ad Cardin. Bator. 174. *eum decipit.* ibid. *moritur.* 175.
Mansfeldius capit Noviodonum. 103. *profligatur.* 124. *Præfectus belli in Vngaria.* 129. *moritur.* 131. *alter militat Sueco in Livonia.* 201. *Erneſtus militat Bohemis.* 314. *reſpondet ad querelas.* 350. *ejus profectus in Palatinatu.* 357. *Hiſpanos profligat.* ibid. *in Angliam it.* 371. *redit in Germaniam.* 379. *profligat Cæſarianos.* 388.
Mantuæ Dux venit Romam. 96. *militat in Vngaria.* 151. *Franciſco mortuo ſuccedit Ferdinandus.* 286. *ducit bellum cum Sabaudo.* ibid. *Vincentio mortuo ſuccedit Carolus Nivernenſis.* 396. 399. *Hiſp. oppugnant eum.* 401. *Cæſariani Mantuam proditione capiunt.* 414. *pax tractatur.* 416. 424. *Carolus moritur.* 498.
Male contenti in Belgio. 23. *in Gallia.* 25.
Marchocki militat in Moſchovia. 263.
Maria Angliæ Regina nupſit Regi Hiſp. 28.
Maria filia Regis Scotiæ deſponſata Regi Galliæ. 28. *in Angliam fugit.* ibid. *ſecuri percuſſa.* 71.
Marinus Venet. Dux capite plexus. 402.
Mariſchalli Poloniæ poteſtas. 55. 384. *Mariſchalli Nuntiorum authoritas.* 100. *locus ſub Interregno.* 445.
Maris tempeſtates. 112.
Martinus Lutherus Hæreſiarcha. 29. *moritur.* 33.
Martinuſius Card. occiſus à ſiccario Ferdinandi. 38.
Maſalski Dux exercitus Moſchorum. 254.
Maſſarinus Nuntius Papæ circa Caſalium. 415. *Cardinalis conſiliarius Galliæ.* 524.
Maſſiliæ præſidium Hiſp. 132. *recuperatur à Gallis.* 140.
Matthias Archidux Hollandorum. 21. *Dux Cæſarianorum in Vngaria.* 119. *perdit caſtra.* 120. *iterum contra Turcas.* 129. *fit Rex Vngariæ.* 256. *Coronatur.* 259. *infeſtat Rudolphum.* 275. *Coronatur Rex Bohemiæ.* 270. *inquirit in familiares Rudolphi.* 281. *eligitur Imperator.* ibid. *affligitur captivitate Cleſelii Card.* 312. *moritur.* 317.
Matthias Huniades Rex Vngariæ obiit. 36.
Mauritius Dux militiæ Hollandiæ. 22. 72. *Bredam capit.* 89. 94. *profligat Hiſp.* 148. 182. *Arminianorum ſchiſma opprimit.* 315. *periclitatur contra Barnevelcium.* 316. *moritur.* 329.
Maximilianus Archidux Candidatus ad Regnum Poloniæ. 59. *oppugnat Cracoviam.* 65. *victus & captus à Zamoyſcio.* 69. 70. *liberatur.* 81. *infeliciter ducit exercitum in Vngariam.* 143. *moritur.* 312.
Maximilianus II. *Imperator vocatus ad Regnum Poloniæ.* 2. *factus Imperator.* 39. *moritur.* 4. *ejus ſtirps defecit in Alberto.* 348.
Mechmet Gerey Tartarus ſubjugatus à Turca. 53.
Meliteneſium Magiſter detentus. 112. *profligatur à Turcis.* 329.
Mercurius Dux ad Caniſiam à Turcis rejectus. 191.
Meritorum nominis abuſus. 450.
Mevam recuperant Poloni. 392.
Mexicum metropolis Americæ. 16.
Michaël Palatinus Valach. Batoreos in Tranſilvania ſuperat. 175. *invadit Moldaviam.* 187. *profligatur à Zamoyſcio.* 189. *à Baſta occiſus.* 195.
Michelburgenſis Dux captivus. 9.
Miechovicki militat Demetrio. 253.
Mielecki Sebaſtianus Caſtell. Crac. 5. *Nicolaus Palatinus Podolienſis Dux Exercitus in Moſchovia.* 12. *reſtituit Bogdanum ad Palat. Moldaviæ.* 301.
Mielesko militat in Moſchovia. 253.
Militum inſolentiæ ab non ſoluta ſtipendia. 201. 272. 277. 293. 403. 419.
Minski Staniſlaus Legatus ad Canoniz. S. Hyacinthi. 119. *Vicecancell.* 236. *moritur Patavii.* 251.
Miroſſewski Nuntius ad Rakocium. 505.
Mlodzki militat in Moſchovia. 254.
Mniſſek Georg. ducit Demetrium in Moſchoviam. 222.
Moczarski Ductor Coſacorum in Pruſſia. 404.
Moguntia deditur Suecis. 431.
Mohila Ieremias Palat. Mold. ei ſuccedit filius. 280.
Moldavia ſedes Exulum Rom. 35. *amiſſa à Pol.* 279.
Moncaſtrum nunc Bialogrodia. 44.
Moneta adulterata expilatum Regnum. 368. 440. *jus ejus ſignandæ dat Rex Reipubl.* ibid. *non melioratur.* 449.

Mont-

Montmorancius Dux ad Privaſium. 412.
Monſon limes Aragoniæ recuperant Hiſpani. 526.
Monſtrum marinum in Suecia. 297.298.
Morbi graves in Italia. 96.
Moſchorum bellum cum Stephano. 6.7.8. *pacem procurant per Papam.* 9. *eorum Dux candidatus ad Regnum* 59. *petit Titulum Regium à Papa.* 112. *facit pacem cum Sigiſm.* 127. *Theodoro ſuccedit Boris.* 156. *conſpirant in Demetrium.* 240. *inde bellum novum cum Polonis.* 255. *Suyſcium deponunt & jurant Vladiſlao Principi.* 265. *deficiunt.* 270. *Moſchuæ theſaurum diripit miles Polonus.* 273. *obſident Polonos.* 278. *Dux novus Michaël.* 279. *eorum Legati ad Matthiam Imperatorem pro pace.* 287. *iterum bellum cum Polonis.* 259. & 462. *faciunt pacem.* 475. *eorum dubia de confiniis.* 505.
Moyſes Dux Siculorum victus à Cæſarianis. 207. *occiſus.* 213.
Muſtafa Imperator Turcarum. 354.367.
Myſzkowski Epiſc. Crac. 12.97. *Sigiſm. Mariſchallus.* 209. *Legatus pro Sponſa Regis.* 226. *ejus moderatio in Rokoſſ.* 250.252. *moritur.* 293.
Mulhemium demolitum à Spinola. 288.

N.

NAlewajko Coſacorum Dux victus, & capite punitus. 144.
Naſſoviorum ex gente Adolphus Imperator. 21. *Vilhelmus puer ab Hiſp. captus.* 126. *Philippus cæſus.* 137. *Erneſtus conducit auxilia Venetis & moritur.* 303.
Navarræ Regni titulum uſurpant Hiſpani & Galli. 152. *captum ab Hiſpanis.* 126.
Navarreus vocabatur Henricus IV. *priuſquam adiiſſet Regnum Galliæ.* 64.
Navigatio tentata ad Septemtrionem. 126.138.
Neapoli contentiones Hiſp. 331.
Neoburgum capit Tillius. 398.
Neoburgicus Princeps ducit uxorem. 284. *fit Catholicus.* 287. *Duſſeldorpium occupat.* 288.
Neoportum obſidet Mauritius. 280.
Nevellæ Arcis ſitus. 8.
Niemoiewſcii in Comitatu pro adducenda Regina. 228.
Niewiárowski inducit peditatum Moſchuam. 278.
Nivernenſis Ludovicus Legatus ad Papam. 122. *moritur.* 134. *Carolus vulneratus ad Budam.* 208. *in Gallia cum Fœderatis.* 295. *defendit Mantuam.* 414. *moritur.* 498.
Nobilis Poloni prærogativa. 441.
Norberti S. oſſa tranſlata Pragam. 400.
Norimberga ſuſcipit Suecum. 431. 435. *reconciliatur Cæſari.* 486.
Noskowski militat Imperatori contra Gallos. 488.
Novigradiam Turcæ capiunt. 230.
Nowe oppidum Sueci capiunt. 404.
Nowodworski miles Maltenſis ſtrenue militat in Moſchovia. 261.271. 309.
Novus mundus notus antiquis. 15.

O.

OBteſtatio Primatis de verbo pacem inter diſſidentes. 456.
Obentraut à Tyllio cæſus. 378.
Oczko Ioannes Medicus. 210.
Odrzywolski apud Cyczoram caſtra deſerit. 334.
Oleſnicki de Pinczow. 41. *Nicolaus Caſtellanus Malogoſtienenſis Legatus ad Moſchos.* 255. *moritur.* 409.
Oleſnicki Zbigneus Cardinalis floruit. 409.
Oleum cælitus demiſſum quo unguntur Reges Gal. 123.
Olivares Comes fidus Regis Hiſpaniæ. 354. *odiis Reginæ & æmulorum obruitur.* 525.
Opácki Sigiſmundus Legatus ad Capitulum Wratiſlavienſ. 380.
Opalinski Andreas Archimariſchallus ſub Interregno. 66. *ſedat tumultum Gedani.* 110.
Opalinski Palat. Poſnan. Legatus in Galliam. 340. *ejus filius Andreas Secretarius Major Legatus ad Papam.* 224.226. *Epiſc. Poſnanienſis moritur.* 349.
Opoliæ Dux Vladiſlaus adminiſtrat Regnum Poloniæ pro Ludovico & amovetur. 235.
Oquenda Præfectus claſſis Hiſp. profligatus ab Hollandis. 500.
Ordinem S. Spiritus in Gallia Henricus III. *inſtituit.* 26.
Ordo Teutonicorum inductus in Livoniam. 49.
Orzechowski Canonicus Præmiſlienſis uxorem ducit. 42. *perſiſtit obſtinate & diſpenſatur.* ibid.
Oſman Turcarum Imp. ſub Chocimo. 340.344. *odioſus Ianizeris, occiſus.* 356.
Oſſolinski Zbigneus in Comitiis inquiſitionis in Regiarum partium. 100. *Mariſchallus Equeſtris Nuntiorum in Comitiis.* 192. *Palat. Podlachiæ dirimit acies ad Ianowiecz.* 238. *Georgius Legatus ad Regem Angliæ.* 339. *Autor Fumalis collectæ.* 406. *fit Præfectus Theſauri.* 446. *Legatus ad Papam.* 478. *Legatus ad Comitia Ratisbonæ creatur Princeps.* 490. *fit Vicecancellarius.* 493. & *Cancellarius.* 503.
Oſſowski Staniſlaus Referendarius Regni. 12.
Oſſunæ Dux Vicerex Neapolis diripit naves Venetas. 304. *pellitur Neapoli & carceratur in Hiſp.* 331.
Oſtendam obſident Hiſp. 197. *ejus ſitus & obſeſſionis incommoda.* ibid. *eam capit Spinola.* 215.
Oſtenta obſervata in Caſtris Bohemicis ante pugnam Pragenſem. 330.
Oſtrogiæ Dux Alexand. Palatinus Volhiniæ ſub Comitiis Cracovienſ. 210.
Oſtrorog Comes Mariſchallus Nuntiorum in Comitiis Coronationis. 459.
Ottomanæ Domus initia. 34.
Oxenſtern Alexius Cancell. Sueciæ. 464. 472.
Orga Petrus Legatus ad Turcam. 323.

P.

PAdniewski Epiſcopus Cracovienſis. 41.
Palma Civitas ædificata. 127.
Papenhemius ad Lucinam cæſus. 436. *in Auſtria contra ruſticos.* 389.
Pariſienſes deficiunt à Rege. 72. *etiam Eccleſiaſtici armantur.* 83. *fame laborant.* 88. *inducias faciunt.* 108. *recipiunt Regem Henricum.* 124.
Parlamentum Pariſienſe edicta contra Regem abrogat. 124.
Parmenſes contra ſuum Ducem conſpirant. 282.
Partus octo infantium. 213.
Paulo IV. *bellum infert Hiſp.* 87.

Paulus V. Papa creatur. 225. excommunicat Venetos. 234. moritur. 348.
Pawlucus Dux Coſacorum captus. 495. punitus. 501.
Pecziáwski Albert. Mariæburgum dedit Sueco. 384.
Pękosláwski Stanisl. Tribunus militum. 52. 61. 69. Procopius captus in Rokoſſ. 250. dimiſſus. 252.
Pelleveus Cardin. in Gallia. 104. moritur. 123.
Peregrinatio filiorum Regum damnoſa. 472. 502.
Perpinianum Galli capiunt. 517.
Perſæ bellum cum Turcis. 132. legationes ad Chriſt. 192. 233. legati ad Papam. 258. ad Babiloniam cæſi. 339.
Peru Regnum in America invadit Piſara. 16.
Peſtis Pariſiis. 88. in Anglia. 213. Oſtendæ. 211. in Italia. 415. in Aula Regis Vngariæ. 486.
Pethardа inſtrumentum bellicum. 149. 166.
Petrovicius Epiſc. Samogitiæ. 41.
Philippinæ Inſulæ. 16.
Philibertus Sabaudus Prorex Siciliæ peſte extinctus. 353.
Philippus II. Rex Hiſpaniæ natus. 18. Carolum filium necat. 19. reſignat Regnum filio. 113. accipit cladem apud Lepten. 19. moritur Phthiriaſi. 163.
Philippus III. Rex Hiſp. ſponſam Valentiæ excipit. 169. moritur. 348.
Philippus IV. Rex Hiſp. punit miniſtros ſui Patris. 353. Comitem Olivares rejicit. 525.
Piaſecius Paulus Romæ in ſtudiis. 176. Abbas. 369. Epiſcop. 393. ejus ſententia de uxore Regis. 479. Nicolaus Signifer in prælio Trzcianenſi cæſus. 407.
Piaſeczynski Legatus ad Turcam. 420.
Piaſti primi Regis Poloniæ tempora. 60.
Picolomineus tolit aſtu filium Regis Daniæ. 466. & Valnſtenium. 469. ſubvenit Theonvillæ. 513. victus à Suecis. 520.
Pioure oppidum obrutum monte. 314.
Polegniam Longavilla capit. 513.
Piekarski Fanaticus vulnerat Regem & ejus ſupplicium. 338.
Potkowá Dux Coſacorum punitus. 53.
Polociam recuperant Poloni. 6.
Poloni docti Fidem Chriſti à Græcis. 40. eorum præſidia contra Tartaros. 44. fines verſus Tartariam. ibid. Aquila inſigne. 47. moderatum imperium. 50. 59. libere eligunt Regem. 61. non pertinaces in fovendis odiis. 75. eorum mos antiquus Germaniſmo corruptus. 145. eorum caſtra honeſtiora. 477.
Pomeraniam gravant ſtativis Cæſariani. 399. ejus Dux Boguſlaus convenit cum Sueco. 417. jurat fidem Vladiſlao Regi. 460. moritur ultimus ex iſta ſtirpe. 489.
Pontus della Gardia captus à Zamoyſcio. 194. militat Moſchis. 255.
Portentorum obſervatio vana. 127.
Portum Omnium SS. in Braſilia captum, perdunt Hollandi. 329.
Potocii Regem juvant in Rokoſſ. 247.
Potocius Ioan. Præfectus Camenecenſis. 129. expeditiones ejus in Moſchoviam. 189. 301. militat ſub Smolenſco. 261. Stephanus militat in Livonia. 202. adverſus Zamoyſcio. 209. in Moldavia victus ducitur Conſtantinopolim. 281. Iacobus Palat. Braclavienſis primus invadit Smolenſcum. 271. mittit Moſchuam ſubſidia. 277. Nicolaus liberatus à captivitate. 367. cum exercitu ad Winnicam. 444. vincit Coſacos. 501. Stanislaus Caſtellanus Camenecenſis apud Corzino infeliciter pugnat. 405.
Præmiſlao Regi Boemiæ Auſtriam eripit Rudol. 35.
Przerabski Maximil. it in Sueciam. 158. Mariſchallus Nuntiorum in Comitiis. 283. Referendarius Regni. 404. Legatus ad Imperatorem. 493.
Przyiemski Stanislaus Mariſchallus minor Regni. 77. Andreas Mariſchallus minor. 293.
Præpoſituram in Chodz fundat Lipski. 423.
Praga a Leopoldo oppugnata. 275. capta & expilata à Duce Bavariæ. 330. ejus civium ſupplicia. 350. Heretici rejecti. 359.
Princeps an ſit Tyrannus non eſt judicii privatorum. 125.
Prochnicki Andreas Neapoli Internuntius Epiſcopus Camenecenſis. 236.
Pronski Alex. Legatus ad Maximilianum. 62.
Pruſſiæ feudum ad quam lineam pertineat. 4. Albertus Dux mente æger moritur. 260. Conditiones feudi novo Duci. 274. 345. favet Suecis in Pruſſia. 409. 453
Pſtrokonski Matthias Vicecancellarius Regni. 224. Cancell. 236. Epiſcop. Vladiſlavienſis moritur. 267.
Puella vixit longe ſine cibo. 210.

Q.

QVarta Regiorum cenſuum ſeparata pro milite. 44.
Quaſnidvius primus author fœderationis militaris. 158.

R.

RAdul Palatinus Valachiæ. 128.
Radziwil Chriſtopherus Dux militum. 5. cum Rege Revaliæ. 77. Suecos profligat ad Kokenhauſum. 193. moritur. 220. ejus filius Ianuſſius turbat Comitia. 236. Rokoſſianos ſequitur. 238. ad Regem venit. ibid. manet cum Rokoſſianis. 248. Chriſtopherus ejus frater Dux militaris Lithuaniæ venit in auxilium Regiæ. 347. ejus offenſæ apud Regem. 367. Mariſchallus Nuntiorum ſub Interregno. 441. tuetur Hæreticos. 448. Smolenſcum ſublevat. 461.
Radziwil Albertus Mariſchallus Lithu. 91. Nicolaus Palat. Vilnenſis 220. Georgius Cardin. Adminiſtrator Livoniæ. 52. pro Maximiliano. 61. aderat in Electione Papæ. 89. Legatus ad ducendam Reginam. 97. moritur. 179.
Rakocius Sigiſm. fit Princeps Tranſilvaniæ & cedit. 285. Georgius Princeps Tranſilvaniæ. 434. contra eum Iwan Bethlem. 491. armat contra Imperatorem. 521.
Raſcii à Turca deficiunt. 119.
Ratisbona capta à Duce Vinmarienſi. 466. recuperatur Auſtriacis. 470.
Ravensburgum & Ravensburgenſem Comitatum Hollandi occupant. 292.
Reges alienigeni quid præſtant. 494.
Regium funus nonniſi electo Rege novo. 440.
Religionis promotio in Suecia turbat res Sigiſm. 114.
Reſcius Stanislaus Referendarius Romæ. 94.
Revaliam Rex Sueciæ capit. 9.
Rey Nicolaus promotor Hæreſis. 41. Andreas Legatus in Angliam. 494.
Rhenum alio divertuntur Hiſpani. 390. 391.

Rhett

Digitized by Google

Rheti tumultuantur. 315. Catholici juvantur ab Hiſpanis. 331. Conſpirant pro Valle Tyllina. 352. pacem faciunt. 353.
Richelius Cardin. Conſiliarius Regis Galliæ. 439. juvat obſidionem Perpiniani. 517. moritur. 524.
Riga Livoniæ deditur Stephano Regi. 9. libertate donata. 51. ejus turbatores puniti. 78. reſiſtit proditioni Farembachi. 302. prodita Suecis. 347.
Rinbergam Hiſpani capiunt. 167. deinde Hollandi. 197. iterum Spinola. 242. demum Hollandi. 467.
Robertus Dudleus Anglus Dux Hollandorum. 22.
Rokoſs apud Polonos quid valeat. 58. 235. ejus progreſſus. 236. 238. & ſeq. renuntiat obedientiam Regi. 248. ejus clades. 249.
Roma direpta à milite Caroli V. 86.
Romæ Parochiæ centum decem. 112.
Romanorum Hoſpitalitas in Peregrinos. 179.
Romerzug quid ſit in Imperio. 121.
Rothomagum obſidet Navarreus. 95. deditione accipit. 123.
Rozrazevius perit ad Zawoleciam. 9. Hieronymus Episc. Vladiſlavienſis. 11. favet Regis partibus. 101. Gedani. 118. moritur Romæ. 179.
Rozwan profligatus à Polonis in Valachia. 129.
Rozinski Dux it in Moſchoviam. 253. profligat Moſchos. 254. deſerit Demetrium. 263. moritur. 264.
Ruellius Conſul Leodienſis cæſus. 491.
Rudolphus I. Imperator invadit Auſtriam. 35.
Rudolphus II. renuntiatur Imperator. 40. jurat Polonis pro Maximiliano. 75. bellum habet cum Turcis. 129. in ſenectute ſolitarius. 218. ejus odia cum Matthia fratre. 255. 269. obiit. 281.
Rudnickzki Simon Episc. Varmienſis. 220. moritur. 368.
Rudomina pugnat apud Chocimum. 342.
Rupella Vgonotorum receptaculum. 396. deditionem facit Regi Galliæ. 403.
Ruremunda deditur Hiſpanis. 498.
Ruſſi ſeu Roxolani cædunt legiones Romanas. 47. eorum religionis Græcæ controverſiæ. 443. 459.
Ruſtici Auſtriæ ſuperioris tumultuantur. 389. profligantur. ibid.
Rzeczycki Inſtigator Regni. 15.

S.

SAbaudiæ Dux Galliam invadit. 89. continetur in pace Hiſp. & Gall. 161. venit ad Regem Galliæ. 172. iterum movet bellum. 184. pacem facit. 186. contra Mantuam movet. 286. contra Hiſpanos arma convertit. 291. 305. aſpirat ad Regnum Bohemiæ. 322. deſponſat filio ſororem Regis Galliæ. 324. contra eum movent Hiſp. 325. conciliat pacem pro Mantua. 413. Emmanuele mortuo ſuccedit Victorius. 416. moritur. 498. ejus viduam oppugnat Hiſp. 511. bellum inde trahitur. 520.
Sacrilegii pœnam fert Alberſtadius. 358.
Sapiha Leo Vicecancell. Lithuaniæ. 62. punit Rigenſes. 78. Cancell. Legatus in Moſchoviam. 157. cum Sigiſm. ad Smolenſcum. 260. ducit Vladiſlaum in Moſchoviam. 300. accipit Præfecturam militarem. 369. moritur. 461. Ioannes Præfectus Vſwiatenſis pugnat in Livonia apud Kiercholmum. 227. venit in auxilium Demetrio in Moſchovia. 254. profligat Moſchos apud Troycá. 265. ejus legio facit fœdus. 277. Staniſlaus Mariſchallus Lithuaniæ infeliciter pugnat cum Suecis in Livonia. 381.
Sarmatæ Europæi quas ſedes habuerint. 47. 48.
Saſowyrog in Moldavia infamis cladibus. 281.
Saxoniæ Elector promovet hæreſim Lutheri. 30. victus & captus abdicatur Electoratu. ibid. eliberatus. 32. Mauritius oppugnat Carolum V. ibid. Chriſtiano ſuccedit Ioannes Georgius. 276. ſuſcipit executionem contra Bohemos. 327. offenſus Imperatori ob expulſos Lutheranos. 359. approbat Electoratum Bavari. 372. indicit Conventum Lipſiæ. 418. fœdus facit cum Sueco. 430. movet in Bohemiam. 431. concludit pacem cum Imperatore. 483.
Saxonia inferior vocat Regem Daniæ in auxilium. 363. edomatur à Cæſarianis. 397.
Sciatilion Mariſchallus capit Attrebatum. 514.
Sebaſtianus Rex Portugaliæ perit in Africa. 18.
Sehin Borys Palatinus Smolenſci. 260. capitur. 271. iterum obſidet Smolenſcum & victus. 461.
Selym Turcarum Imp. victus ad Neupactum. 40.
Seminaria pro Anglis Romæ & in Hiſp. 95.
Severia Provincia Polonis reſtituta à Moſchis. 476.
Sybinium in Tranſilv. colonia ex Germanis. 174.
Sieniáwski Nicolaus reſtituit Alexandrum ad Palatin. Moldaviæ. 301.
Sieniáwski Hieronymus militat in Moldavia. 189. Mariſchallus Nunciorum apud Wiſliciam. 238. Nicolaus militat ad Chocimum. 342. ejus ſtirpis origo. 235.
Sigetum capit Turca. 39.
Sigiſm. qui fuit Imper. repudiatus à Poloniæ Regno. 60.
Sigiſm. I. Rex Poloniæ reſpuit Regnum Bohemiæ. 35. natus matre Auſtriaca. 37. origine à Ducibus Lithuaniæ. 40.
Sigiſm. III. Rex Pol. natus in carcere. 10. inſigni Familiæ. ibid. eligitur Rex Pol. 62. coronatur. 68. Maximilianum captivum inviſit. 75. convenit patrem Rivaliæ. 77. amicitiam cum Auſtriacis quærit. 91. inde ſuſpitiones contra eum. 97. ducit Annam Auſtriacam. 98. inquiſitio de ejus nuptiis. 100. it in Sueciam. 109. coronatur Rex Sueciæ. 118. offenſarum initia. 146. iterum it in Sueciam. 158. difficultates habet cum Carolo Patruo. 160. ducit in Livoniam. 194. ducit Auſtriacam ſecundam uxorem. 228. Rokoſſianos motus reprimit. 239. eos profligat. 249. eis reconciliatur. 252. ſuſcipit Expeditionem in Moſchoviam. 259. perſiſtit ad Smolenſcum neglecta Moſchua. 262. capit Smolenſcum. 271. ducit Vladiſlaum in Moſchoviam. 279. Ferdinando mittit auxilia. 323. vulneratur à Sicario. 338. it contra Turcam. 345. viſitat civitates Pruſſiæ. 366. inducias concedit Sueco. 369. rejicit leges pacis à Sueco propoſitas. 380. iterum movet in Pruſſiam. 384. 393. mittit Legatum Koricinium ad Regem Hiſp. 399. Claſſem ſuam concedit Cæſari, & perdit. 404. inducias facit cum Sueco. 409. mœſtus à morte Reginæ, & æger. 439. moritur. 440. ejus funeralia. 457.
Sigiſmundus Vladiſlai Regis filius obiit. 508.
Sileſia majores habet libertates quam Bohemi. 321.
Sinan Baſſa oppreſſus in prælio Turcarum. 130.

Seceſſio militaris prima in Pol. authore Quaſuievio. 156.
Scrinus Comes cæſus Sygetti. 39.
Siſecum capiunt Turcæ. 111.
Sixtus V. Papa electus. 26. ejus genus & virtutes. 84. 85. negat auxilia contra Navarreum. ibid. & moritur. 87.
Skarſſewski Stanislaus Nuntius ad Rakocium. 505.
Skinder Baſſa in Moldavia vincit Polonos. 297. 332.
Slavonica gens & lingua. 47. 48.
Smalcaldicum fœdus. 30.
Smolenſci ſtructura & obſidio. 260. captum. 271. obſidetur iterum à Moſchis & liberatur. 297.
Sobieski Marcus Præfectus Cuſtodiæ Maximiliani. 71. Palatinus Lublinenſis inter Candidatos ad Mariſchallatum. 209. Iacobus Conſiliarius Vladiſlai in Moſchoviam. 300. contra Coſacos. 382. tractat pacem cum Turcis apud Chocimum. 346. Mariſchallus in Comitiis Electionis. 447. & in initio Coronationis. 457. Legatus ad pacem Germaniæ tractandam. 490.
Societas Ieſu Poloniæ. 6. Regæ. 52. 82. pulſa ex Gallia. 125. & Venetiis. 245. & ex Bohemia. 314. eorum conſilia apud Sigiſmundum Regem. 299.
Skol Arcem Moſchoviæ capiunt Poloni. 6.
Szoldrski Andreas. 347. Epiſcopus Poſnanienſis. 481.
Szyskowski Epiſcopus Luceorienſis. 228. Epiſcopus Plocenſis. 236. Epiſcopus Crac. 300. moritur. 420.
Soliman Turcarum Imp. venit in Vngariam, & reſtituit Ioannem Regem. 37. 39. ejus pacta de finibus Pol. 44.
Sorbonæ conſilium contra Henricum III. 73.
Soſnowski quæſtor Mariæburgi captus à Sueco. 384.
Spinola Ambroſius oppugnat & capit Oſtendam. 215. Palatinatum invadit. 325. capit Iuliacum. 351. & Bredam. 379. oppugnat Caſſalium & moritur. 415.
Spinola Fridericus cum Claſſe venit in Flandriam. 183. Navali prælio victus ab Hollandis perit. 211.
Spirenſis Epiſcopatus vaſtatur à Mansfeldio. 350.
Sponſalia Ferd. III. Imper. & Hiſp. Regis. 508.
Stadnicki Stanislaus pugnat pro Maximiliano. 65. 69. ſequitur partes Rokoſſanos. 238. deprecatur Regem. 252. 260. Adamus Caſtell. Præmiſlienſis militat in Moſchovia. 262. 263.
Stephanus Rex Bator coronatur Rex Poloniæ. 2. ejus tres expeditiones in Moſchoviam. 5. 6. 9. incurrit odia Polonorum. 12. ejus æquanimitas. 43. 52. moritur Grodnæ. 54. ejus funeralia. 71.
Stipendia ſeditione extorquet miles Moſchicus. 283.
Strigonium capiunt Cæſariani. 131. recuperatur à Turcis. 230.
Strus Nicolaus militat contra Michaëlem. 189. Præfectus Moſchæ. 279. apud Ciczoram captus. 337. liberatus. 367.
Sueci Catholicam Religionem opprimunt. 10. 114. rebellant Sigiſm. 177. bellum gerunt in Livonia. 187. 380. in Germania continuant bellum. 437. reſumunt vires auxilus Gallicis. 497. inferunt bellum Dano. 521.
Sulikowski Demetrius Legatus Rigæ. 9. 51. Legatus ad Papam à Stephano. 57. Archiep. Leopolienſis. 71. 77.
Suyſci fratres conſpirant in Demetrium. 240. Baſilius fit Dux. ibid. traditur Zolkievio. 265. moritur Goſtinii in detentione. 274. ejus corpus repetunt Moſchi. 479.
Swoſowski Ioannes Notarius Leopolienſis. 210.
Silvam Ducis capiunt Hollandi. 411.
Synope in Aſia à Coſacis direpta. 287.
Szemberg Theophilus apud Ciczoram bene rem gerit. 336. apud Chocimum. 345. Legatus in Perſiam. 502. Stanislaus militat contra Tartaros. 505.

T.

Talmut Iudæorum damnatur. 112.
Targowski Samuël Nuntius ad Turcam. 284.
Tarnovius expeditionem ſuſcipit in Moldavia. 301.
Tarnowski Ioannes Vicecancellarius. 91. Zamoyſcio adverſus. 157. Epiſcopus Poſnanienſis, poſtea Vladiſlavienſis. 187. Archiepiſcopus Gneſnenſis moritur. 220.
Tarracona oppugnata à Gallis irrito eventu. 526.
Tartarorum vivendi ratio. 45. à Turcis ſubjugati. 53. excurſiones eorum in Ruſſiam. 229. 293. 367. 463. tranſeunt in Vngariam per Pocutiam. 119. vaſtant Vngariam. 213. eorum bella inteſtina. 496. capiunt Stanisl. Danilowicz. 502. Coſacis unitis profligant Potocium & Kalinovium. 508.
Tauricæ Cherſoneſis ſitus. 45.
Techtimirow ſedes Coſacorum. 46.
Teczynski Andreas munit Cracoviam contra Maximilianum. 63. Gabriël, Andreas militant in Moldavia. 188. 189. Stanislaus ultimus Teczynii hæres maſculus moritur. 477.
Tiſenbachius Dampiricos ejicit Nikielſpurgio. 326.
Tillius profligatur à Mansfeldio. 357. Marchionem Durlacenſem vincit. ibid. Heidelbergam capit. 358. Alberſtadenſem profligat. 362. & Regem Daniæ. 378. 387. Brandeburgum capit. 427. profligatur à Sueco. 430. vulneratur & moritur. 432.
Tomſa Steph. invadit Moldaviam. 280. rejicitur. 310.
Torres Coſmus Nuntius in Pol. creatur Card. 353. Ioan. deſponſat Regem Vladiſlaum cum Niverſia. 507.
Torſtenſon Dux Suecorum capit Glogoviam. 520. profligat Cæſarianos. ibid. in Moravia tranſit. 523.
Torunium Sueci obſident & rejiciuntur. 406.
Torunii colloquium charitativum Diſſidentium cum Catholicis. 507.
Trajectum ad Moſam Hollandi capiunt. 438.
Tranſilvaniam Turca concedit Iſabellæ. 38. ejus hæreditatem prætendit Imperator. 151. 190. Tranſilvani ei reſiſtunt. 195. deficiunt ad Botskayum. 231.
Trebonle Præfectus Ozga Legatus ad Turcam. 323.
Trevirenſis Elector captus ab Hiſpanis. 482. tenetur ſub cuſtodiis. 489. liberatur. 523.
Tripolim Turcæ capiunt. 19.
Turbetius Dux rebellionis Moſchorum. 272.
Trzebiuski Alexander ſub Interregno. 445. Legatus ad Turcam. 464. Vicecancell. 505.
Tulibowski Martinus adverſatur Duci Pruſſiæ. 453.
Tumultus Pariſiis contra Vgonotos. 25.
Tunetum captum à Carolo V. 19.
Turcæ Tunetum & Goletam recipiunt. 19. eorum vires auctæ diſcordia Chriſtianorum. 37. invidia mutua laborant. 130. fidem non ſervant. 142. tumultuantur Conſtantinopoli. 355. modus eorum inaugurandi Imperatorem. 367. Otvinovium nuncium Regis Pol. ſpernunt. 339.

Turcenſi

Digitized by Google

Turenſi Comiti abrogatur officium. 313. concitat Bohemos ad defectionem & Moravos. 317.
Tylicki Petrus Vicecancellarius. 158. Epiſcopus Varmienſis. 188. Epiſcopus Vladiſlavienſis coronat Reginam. 229. Epiſcopus Cracovienſis. 236. moritur. 330.
Tiſenhauſius Palat. Vendenſis in deditione Rigæ. 348.
Tyranum in valle Tellina Galli capiunt. 374.
Tyſzkiewicz Samuël militat in Moſchovia. 253. Ianuſius liberatus à Tartaris. 362.
Tortoſam in Hiſpan. capiunt Galli. 528.
Tumultus popularis Neapoli. 530.
Tumultus Coſacorum duce Chmielnicki. 508.

V.

VAlachia fidelitatem jurat Regno Poloniæ. 189.
Valentiam Italiæ obſident Galli. 487.
Valeſia ſtirps deficit in Henrico III. 63.
Vallem Tellinam muniunt Hiſpani præſidiis ſuis. 331. datur Papæ in depoſitum. 353. eam recuperant Galli. 323.
Valliæ Princeps filius Regis Angliæ venit in Hiſpaniam. 363. ejus tractatus de matrimonio irriti. 365.
Vallones in Vngaria ſeceſſionem faciunt ob non ſoluta ſtipendia. 207.
Valſtein Albertus Dux Cæſariani exercitus. 378. profligat Mansfeldium. 387. è Sileſia hoſtem ejicit. 397. irrumpit in Galliam. 398. Stralſundam obſidet. ibid. abrogatur ei Præfectura. 417. 418. iterum ei datur. 434. ad Norimbergam contra Suecum. ibid. prælium ejus ad Lucenam cum Sueco. 436. ſuſpectus Cæſari. 468. trucidatur. 469.
Vandalorum ſedes. 48.
Varadinum Cæſariani defendunt. 167.
Varſaviæ incendium. 248.
Vayſteynis ſitus & deditio. 202.
Vchanski Iacobus partium Maximiliani Imperatoris. 2. invadit Epiſcopatum Vladiſlavienſem ſine literis Papæ, & reconciliatus. 41. 42. Paulus Palatinus Belzenſis Legatus ad Turcam. 80.
Veer Franciſcus Anglus militaris Doctor. 182.
Veyher Ioannes in Sueciam ducit militem Sigiſmundi. 158. Legatus in Daniam. 298. Palatinus Culmenſis militat contra Turcas apud Chocimum. 341. 343. Ludovicus militat in Moſchovia. 263. 271. Martinus perit in pugna cum Moſchis. 223.
Vendenſis Epiſcopatus fundatus à Stephano. 52.
Venerius Sebaſtianus Venetæ Claſſis Præfectus ad Naupactum. 40.
Veneti pacem faciunt cum Turca. 40. nolunt vicinum dominum Papæ. 164. diminuunt libertates Cleri, & contendunt cum Papa. 234. pacem faciunt. 244. bellum inferunt Ferdinando. 296. Gradiſcam obſident. 303. proditores puniunt. 331. male defendunt Mantuam. 414. invadunt Valoniam. 510. pacem redimunt apud Turcam. ibid. æternum habent bellum cum Turca pro Candia. 522.
Vercellas capiunt Hiſpani. 304.
Verus Anglus Manhemium dedit. 358.
Veſaliam capiunt Hiſpani. 167.
Veſperæ Siciliane quo anno præceſſerunt. 25.
Veſprinum Turcæ capiunt. 111.
Veſuvii montis incendium. 431.
Vevelli Cretenſis tractat pacem pro Turcis ad Chocimum. 342. 343.
Vgonoti unde dicti. 24. 25.
Victoria Chriſtianorum de Turcis ad Naupactum. 39. 40.
Victoria in bello civili victoris dominatus. 356.
Vienna Auſtriæ obſidetur à Bethlehemo. 323.
Vienna Galliæ Henrico IV. dedita. 133.
Vight in inſula detentus Rex Angliæ. 536.
Vilna condita. 40. de ejus Epiſcopatu controverſia. 156. 157.
Vinmarienſis in Sileſia contra Cæſarem multa loca ſpoliat & moritur. 389.
Vinmarienſis Bernardus Dux profligatus ad Nordlingam. 471. capit Tabernas Alſatiæ. 487. capit Briſacum. 513. moritur. ibid.
Viſigotos Arianos Clodoveus Rex vincit. 104.
Vladiſlaus Iagello creatus Rex Poloniæ ex Duce Lithuaniæ. 60.
Vladiſlaus Sigiſm. Regi Poloniæ filius naſcitur. 127. eligitur Princeps Dux Moſchoviæ. 265. 266. deducitur in Moſchoviam à Rege Sigiſm. 278. iterum it in Moſchoviam. 300. obſidet Moſchuam, & pacem facit. 309. it contra Turcam ad Chocimum. 340. ejus conſtantia in illo bello. 343. it ad exteras nationes incognitus. 370. ei imponit Coronam Sueciæ Pater moriens. 440. ejus curæ in Electione Regia. 450. eligitur Rex. 455. venit Crac. ad Coronationem. 457. Smolenſcum liberat obſidione. 461. Moſchorum Caſtra ad deditionem cogit. 473. 474. pacem facit cum Moſchis. 475. ægre pacem concedit Turcis. 477. ejus deliberationes de conjugio. 479. 481. it in Pruſſiam contra Suecos, & pacem facit. 480. Vladiſlaviam condit, & Claſſem comparat. 494. ducit uxorem Auſtriacam. 496. it ad Thermas Badenſes. 503. naſcitur ei filius. 504. datur ei donativum à Polonis. 505. accipit ſecundam uxorem de Nivers. 507. moritur. 508.
Vladiſlaus Rex Vngariæ & Bohemiæ. 34.
Vladiſlaus Rex Poloniæ & Vngariæ ad Varnam cæſus à Turcis. 36.
Vlma reconciliatur Cæſari. 486.
Vngariæ & Bohemiæ Regni mutationum initia. 35. contradicunt ſucceſſioni Regis Vngariæ. 37. defectionis eorum ſub Botskaio cauſæ. 217.
Vnicus Hiſpaniæ Regis filius Baltaſar obiit. 508.
Volmaria deditur Zamoyſcio. 194.
Vormditum capit Suecus. 393.
Vpſalienſis Archiepiſcopatus datur Hæretico invito Sigiſmundo. 114.
Vrangel Præfectus Exercitus Sueci cæſus. 408.
Vrbanus VII. Papa moritur. 87.
Vrbanus VIII. Papa eligitur. 366. connivet Gallis pro Valle Tellina. 374. ejus æquanimitas. 439. bellum habet cum Duce Parmæ & moritur. 519. ejus nepotes exulant in Gallia. ibid.
Vrbini Dux ultimus de domo Rover Sixti Quarti moritur. 416.
Vrſula Mejerin fida alumna Reginæ Conſtantiæ. 421.
Vſchoci Croatici Piraticam exercent. 296. 303. 304.

Warſſe-

W.

WArſſevicius Legatus in Succiam. 10. 11.

Warſſycki Staniſlaus Theſaurarius Regni. 274.

Wezyk Ioannes Epiſcopus Poſnanienſis ex Præmiſlienſi. 369. Archiepiſcopus Gneſnenſis. 385. Interregnum moderatur. 440. moritur. 503.

Wichrowski Chriſtopherus ſtrenue pugnat contra Turcas. 463.

Wielkoluki in Moſchovia ſitus & expugnatio. 7. 8.

Wilhelmus Aurantiæ Princeps vulneratur à Sicario. 22. Henricus Vilh. ejus filius moritur. 508.

Wilhelmus Philippus Neoburgicus accipit uxorem Reginulam Poloniæ. 504.

Wiſniowiecki Dux militat contra Michaëlem in Moldavia. 189. it cum Demetrio in Moſchoviam. 222. Michaël in Moldavia contra Tomſſam moritur. 297. Ianuſius contra Abazy Baſſam apud Camenecum. 463. 464. Ieremias Wiſniowiecki rebelles Coſacos profligat. 509.

Woiewodzki Staniſlaus fortiter defendit Smolenſe. 461.

Wolowicz Hieronymus Notarius Lithuaniæ. 158. Euſtachius Epiſcopus Vilnenſis moritur. 420.

Wolski Dunin Petrus Vicecancellarius. 5. Epiſcopus Plocenſis. 12. moritur. 91.

Wolski Nicolaus Regi familiarior. 145. Mariſchallus Aulæ. 209. Mariſchallus Regni moritur. 420.

Wolucki Paulus Epiſcopus Luceorienſis. 236. Staniſlaus Caſtellanus Ravenſis, Præfectus Cameræ Regiæ. 308.

Woyna Vincentius pugnat fortiter apud Kircholmum. 227.

Y.

YPras Flandriæ capiunt Galli. 528.

Z.

ZAdzik Secretarius major. 284. 369. Vicecancellarius. 393. Cancellarius. 404. Delegatus ad pacem cum Suecis. 480. Epiſc. Cracovienſis moritur. 505.

Zalenski Mariſchallus fœderis Sapihani. 277.

Zaleski Referendarius obiit. 506.

Zamoyski Ioannes fit Vicecancellarius Regni. 5. Præfectus militaris. 12. Cancellarius. ibid. ducit uxorem Batoream. ibid. Zborovium capite punit. 14. in Electione Regis ejus curæ. 58. Cracoviam præoccupat. 63. Sigiſm. Regem excipit. 66. Maximilianum profligat & capit. 70. Turcam à confiniis arcet. 76. ducit aliam uxorem Tarnoviam. 97. 98. Comitia inquiſitionis contra Regem concitat. 99. 100. Tartaros vincit ad Ciczoram. 128. Moldaviam tradit Mohilæ. ibid. in Moldavia profligat Michaëlem, & reſtituit Mohilam. 189. ducit in Livoniam. 193. capit Wolmariam. 194. Felinum oppugnat & capit. 201. incurrit offenſam apud Regem. 209. Clementem Papam requirit ne diſpenſet nuptias ſecundas Regis. 221. moritur. 225. ejus vidua Tarnovia moritur. 267.

Zamoyſcius Thomas. 267. Palatinus Kijovienſis. 308. contra Tartaros pugnat. 310. contra Coſacos periclitatur. 382. fit Vicecancellarius. 404. defendit Religionem Catholicam. 445. oſtentat ſignum Maximiliani capti apud Byczynam. 457. fit Archicancellarius. 481. moritur. 503.

Zamoyski Georgius fit Epiſcopus Chelmenſis. 188.

Zaporovians Coſaci unde dicti. 45. rediguntur in Ordinem. 502. iterum tumultuantur. 508.

Zarucki Coſacorum Dux in Moſchovia. 263.

Zaslaviæ Duces ſuccedunt in hæreditate Ducis De Oſtrog. 323. 324.

Záwácki Ioannes Legatus ad filiam Frid. Palatini. 479.

Zaviſſa Epiſcopus Cracovienſis Adminiſtrat Poloniæ Regnum pro Ludovico. 235.

Zbárawski Georgius it cum Rege Sigiſmundo in Sueciam. 158. & in Moldaviam contra Michaëlem. 189. fit Caſtell. Cracovienſis. 338. moritur ſterilis. 422.

Zbigneus Oleſnicki Cardin. floruit & obiit. 409. ejus abnepos Nicolaus Oleſnicki moritur. ibid.

Zborowſcii promovent Stephanum ad Regnum. 2. concipiunt odium in Regem Stephanum. 5. 12. produntur eorum conſilia contra Regem. 13. Samuel captus à Zamoyſcio capite punitur. 14. Andreas Mariſchallus Aulæ Regiæ. ibid. abrogatur ei officium Mariſchalli. 75. Chriſtopherus proſcriptus. 15. reſtituitur. 90. ejus factiones in Electione. 61. Andreas Præfectus Vayſtenis captus à Suecis. 251. Alexander militat in Moſchovia. 254. profligat Moſchos. 262. tranſit à Demetrio ad Regem. 263.

Zebrzydowski Nicolaus deducit Maximilianum ad confinia. 76. Archimariſchallus Regni. 145. Palatinus Cracovien. 193. ejus offenſa. 228. Rokoſſianorum Conventum moderatur. 236. reconciliatur Regi. 252. ejus jurgia cum Myſzkovio abolentur. ibid. Ioannes ejus filius Enſifer Regni in Coronatione Regis. 459.

Zemla nova inventa. 126.

Zeni Eques S. Marci Venetiis à Cornaris vulneratur. 402

Zerouski Petrus Legatus in Belgium. 339.

Zelenski Iacobus inchoat tractatus pacis cum Turca ſub Chocimo. 343.

Zolkiewski Staniſlaus pugnat ſtrenue apud Byczynam. 69. Præfectus minor exercitus vincit Coſacos. 145. it contra Michaëlem. 189. profligat Suecos ad Revaliam. 202. in Rokoſi partes Regias tuetur. 237. 250. prælio vincit Moſchos ad Cluſinum. 264. Moſchuam capit, & Suyſcium ducit. 265. ejus conſilia ab æmulis turbata. 266. tradit in Comitiis vinctos Suyſcios. 273. it contra Coſacos. 299. ad Baſſam tractat cum Skinder Baſſa. 307. Archicancellarius. 308. expeditio ejus Orininenſis. 310. ducit in Moldaviam. 332. ad Ciezoram congreditur cum Tartaris. 334. in reditu tumultu ejus caſtra diſtrahuntur. 336. occiſus, & caput miſſum Conſtantinopolim. 337. ejus filius Ioannes captus apud Ciczoram redimitur. 367. moritur. 369. 370. Adamus Præfectus Equitum Smolenſciorum ducit ad Moſchuam. 278. Lucas captus apud Ciczoram Conſtantinopolim ductus liberatur. 367. excubat cum exercitu apud Skálá in confiniis ſub Interregno. 444.

Zorawinski Staniſlaus Caſtellanus Belzenſis tractat pacem cum Turca ad Chocimum. 346.

Zywiecenſem Comitatum emit Regina contra leges Regni. 368. ſuſcipit obligationem ut poſſit redimi. 421.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Google